



R. P. FRANCISCI LABATA,

CÆSARAVGVSTANI,

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

LOCA MORALIA.

R. P. FRANCISCI
LABATA,
CÆSARAVGVSTANI,
SOCIETATIS IESV
THEOLOGI.

LOCA MORALIA.

E SACRIS LITERIS DECERPTA, SS. PATRVM expoſitionibus illuſtrata; & ad commodiorem vſum Concionatorum, inſerta materiis ad quas pertinent, ſerie literarum digeſtis.

Opus nouum, varium, amœnum, Concionatoribus, & Exhortatoribus, Confeſſariis, & quibuſuis animarum Curatoribus vtile æquè ac neceſſarium; quod inſtructiſſimam Sacræ doctrinæ penum, meritò dixeris:

OPVS NOVVM ET NONDVM EXCVSVM, CVM INDICE.



 LVGDVNI,

Sumptibus Claudij Du-four.

M. DC. XXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS



CLARISSIMO, SPECTATISSIMOQVE
DOMINO,

D. BALTASARI
DE
MONTCONIS
APVD LVGDVNENSEM
CVRIAM, CONSILIARO,
LONGE MERITISSIMO,

CLAVDIVS DV-FOVR,
Bibliopola Lugdunensis,
S. D.



CONCIONALEM Scriptorem Forensi Viro dedicandum, cur alios inter multos elegerim, ex me sciscitabuntur curiosorum hominum nonnulli: meum vero, tametsi æquissimum consilium, non mirabuntur

¶ 3 *modò,*

modò, sed & arguent etiam, quasi, & genere argumenti, & eius conditione, cui offeratur, alienißimum: ita sunt mortalium plerique, hoc sæculo in primis, delicati simul, simul seueri, alienis in rebus æstimandis: quamquam vel in suis haud admodum perspicaces. Quasi verò liberalis scripti genus aliquod posit obtingere, non satis ex ratione sua congruens cuilibet homini litterato, tametsi ab eius professione, ac quotidiano vsu paulò remotius: & veluti nulla prorsus consensio interuenire soleat, eas inter litterarias facultates, quibus ab natura varij fines sunt in agendo propositi. Sed operam sentio me ludere, si rationibus, vel planè idoneis, agendum mihi cum eis hominibus sumsero, apud quos rationum momenta nullo esse loco soleant: ita eis sua omnis placet sententia, & displicet, vel longè probior, aliena. Valere itaque mox iusso,

genere

genere hoc hominum morosissimo: mihi te cum deinceps, VIR CLARISSIME,*omnis fuerit hac de Libri dedicatione disputatio. Licuisset vtinam, in præsentia, mihi suppetere ad manum,apud Typographicas operas,vti non ita pridem, eum librum,cuius tu lectione paulò iucundiùs oblectarere: quem sanè dedicassem longè lubentiùs. Viderint alij, quàm cauti velint esse,in reddẽdo appositè officio: cautionem meam in hoc esse profiteor, vt quibus plurimum debeam, apud eos defungar celerrimè quocumque possim officio: intereà dum, idonea erumpat occasio,exsoluendi, iucundiore & in argumento, dilati plenioris officij. Obsecro, itaque, nostrum hoc munusculum sic interpretêre,velut obsidẽ meæ aduersùm te perpetuæ, cum fidei, tum obseruantiæ: atque vti nuncium, & simul sponsorem,meorum in te officiorum cuiusque generis: quibus depẽdendis,*

modò, sed & arguent etiam, quasi, & genere argumenti, & eius conditione, cui offeratur, alienissimum: ita sunt mortalium plerique, hoc sæculo in primis, delicati simul, simul seueri, alienis in rebus æstimandis: quamquam vel in suis haud admodum perspicaces. Quasi verò liberalis scripti genus aliquod possit obtingere, non satis ex ratione sua congruens cuilibet homini litterato, tametsi ab eius professione, ac quotidiano vsu paulò remotius: & veluti nulla prorsus consensio interuenire soleat, eas inter litterarias facultates, quibus ab natura varij fines sunt in agendo propositi. Sed operam sentio me ludere, si rationibus, vel planè idoneis, agendum mihi cum eis hominibus sumsero, apud quos rationum momenta nullo esse loco soleant: ita eis sua omnis placet sententia, & displicet, vel longè probior, aliena. Valere itaque mox iusso,

genere hoc hominum morosissimo: mihi te cum deinceps, VIR CLARISSIME, *omnis fuerit hac de Libri dedicatione disputatio. Licuisset vtinam, in præsentia, mihi suppetere ad manum, apud Typographicas operas, vti non ita pridem, eum librum, cuius tu lectione paulò iucundiùs oblectarere: quem sanè dedicassem longè lubentiùs. Viderint alij, quàm cauti velint esse, in reddēdo apposite officio: cautionem meam in hoc esse profiteor, vt quibus plurimum debeam, apud eos defungar celerrimè quocumque possim officio: intereà dum, idonea erumpat occasio, exsoluendi, iucundiore & in argumento, dilati plenioris officij. Obsecro, itaque, nostrum hoc munusculum sic interpretère, velut obsidē meæ aduersùm te perpetuæ, cum fidei, tum obseruantiæ: atque vti nuncium, & simul sponsorem, meorum in te officiorum cuiusque generis: quibus depēden-*

dis,

modò, ſed & arguent etiam, quaſi, & genere argumenti, & eius conditione, cui offeratur, alieniſſimum: ita ſunt mortalium pleríque, hoc ſæculo in primis, delicati ſimul, ſimul ſeueri, alienis in rebus æſtimandis: quamquam vel in ſuis haud admodum perſpicaces. Quaſi verò liberalis ſcripti genus aliquod poſſit obtingere, non ſatis ex ratione ſua congruens cuilibet homini litterato, tametſi ab eius profeſſione, ac quotidiano vſu paulò remotius: & veluti nulla prorſus conſenſio interuenire ſoleat, eas inter litterarias facultates, quibus ab natura varij fines ſunt in agendo propoſiti. Sed operam ſentio me ludere, ſi rationibus, vel planè idoneis, agendum mihi cum eis hominibus ſumſero, apud quos rationum momenta nullo eſſe loco ſoleant: ita eis ſua omnis placet ſententia, & diſplicet, vel longè probior, aliena. Valere itaque mox iuſſo,

genere

genere hoc hominum morosissimo: mihi te-cum deinceps, VIR CLARISSIME, *omnis fuerit hac de Libri dedicatione disputatio. Licuisset utinam, in præsentia, mihi suppetere ad manum, apud Typographicas operas, uti non ita pridem, eum librum, cuius tu lectione paulò iucundiùs oblectarere: quem sanè dedicaßem longè lubentiùs. Viderint alij, quàm cauti velint eße, in reddēdo appositè officio: cautionem meam in hoc eße profiteor, ut quibus plurimum debeam, apud eos defungar celerrimè quocumque poßim officio: intereà dum, idonea erumpat occasio, exsoluendi, iucundiore & in argumento, dilati plenioris officij. Obsecro, itaque, nostrum hoc munusculum sic interpretêre, velut obsidē meæ aduersùm te perpetuæ, cum fidei, tum obseruantiæ: atque uti nuncium, & simul sponsorem, meorum in te officiorum cuiusque generis: quibus depēden-*

dis,

modò, ſed & arguent etiam, quaſi, & genere argumenti, & eius conditione, cui offeratur, alieniſſimum: ita ſunt mortalium pleríque, hoc ſæculo in primis, delicati ſimul, ſimul ſeueri, alienis in rebus æſtimandis: quamquam vel in ſuis haud admodum perſpicaces. Quaſi verò liberalis ſcripti genus aliquod poſſit obtingere, non ſatis ex ratione ſua congruens cuilibet homini litterato, tametſi ab eius profeſſione, ac quotidiano vſu paulò remotius: & veluti nulla prorſus conſenſio interuenire ſoleat, eas inter litterarias facultates, quibus ab natura varij fines ſunt in agendo propoſiti. Sed operam ſentio me ludere, ſi rationibus, vel planè idoneis, agendum mihi cum eis hominibus ſumſero, apud quos rationum momenta nullo eſſe loco ſoleant: ita eis ſua omnis placet ſententia, & diſplicet, vel longè probior, aliena. Valere itaque mox iuſſo,

genere hoc hominum morosissimo: mihi te cum deinceps, VIR CLARISSIME,*omnis fuerit hac de Libri dedicatione disputatio. Licuisset utinam, in præsentia, mihi suppetere ad manum,apud Typographicas operas,uti non ita pridem, eum librum,cuius tu lectione paulò iucundiùs oblectarere: quem sanè dedicassem longè lubentiùs.Viderint alij, quàm cauti velint esse,in reddẽdo appositè officio: cautionem meam in hoc esse profiteor, ut quibus plurimum debeam, apud eos defungar celerrimè quocumque possim officio: intereà dum, idonea erumpat occasio, exsoluendi, iucundiore & in argumento, dilati plenioris officij. Obsecro, itaque, nostrum hoc munusculum sic interpretêre,velut obsidẽ meæ aduersùm te perpetuæ, cum fidei, tum obseruantiæ: atque uti nuncium, & simul sponsorem,meorum in te officiorum cuiusque generis: quibus depẽdendis,*

dis,



CLARISSIMO, SPECTATISSIMOQVE
DOMINO,

D. BALTASARI
D E
MONTCONIS
APVD LVGDVNENSEM
CVRIAM, CONSILIARO,
LONGE MERITISSIMO,

CLAVDIVS DV-FOVR,
Bibliopola Lugdunenſis,



S. D.

CONCIONALEM Scriptorem Forenſi Viro dedicandum, cur alios inter multos elegerim, ex me ſciſcitabuntur curioſorum hominum nonnulli: meum vero, tametſi æquiſſimum conſilium, non mirabuntur

¶ 3 *modò,*

modò, ſed & arguent etiam, quaſi, & genere argumenti, & eius conditione, cui offeratur, alieniſsimum: ita ſunt mortalium plerique, hoc ſæculo in primis, delicati ſimul, ſimul ſeueri, alienis in rebus æſtimandis: quamquam vel in ſuis haud admodum perſpicaces. Quaſi verò liberalis ſcripti genus aliquod poſſit obtingere, non ſatis ex ratione ſua congruens cuilibet homini litterato, tametſi ab eius profeſſione, ac quotidiano vſu paulò remotius: & veluti nulla prorſus conſenſio interuenire ſoleat, eas inter litterarias facultates, quibus ab natura varij fines ſunt in agendo propoſiti. Sed operam ſentio me ludere, ſi rationibus, vel planè idoneis, agendum mihi cum eis hominibus ſumſero, apud quos rationum momenta nullo eſſe loco ſoleant: ita eis ſua omnis placet ſententia, & diſplicet, vel longè probior, aliena. Valere itaque mox iuſſo,

genere

genere hoc hominum morosissimo: mihi tecum deinceps, VIR CLARISSIME,*omnis fuerit hac de Libri dedicatione disputatio. Licuisset vtinam, in præsentia, mihi suppetere ad manum, apud Typographicas operas, vti non ita pridem, eum librum, cuius tu lectione paulò iucundiùs oblectarere: quem sanè dedicaßem longè lubentiùs. Viderint alij, quàm cauti velint eße, in reddēdo appositè officio: cautionem meam in hoc eße profiteor, vt quibus plurimum debeam, apud eos defungar celerrimè quocumque poßim officio: intereà dum, idonea erumpat occasio, exsoluendi, iucundiore & in argumento, dilati plenioris officij. Obsecro, itaque, nostrum hoc munusculum sic interpretêre, velut obsidē meæ aduersùm te perpetuæ, cum fidei, tum obseruantiæ: atque vti nuncium, & simul sponsorem, meorum in te officiorum cuiusque generis: quibus depēdendis,*

dis,

dis, si par voluntati adfuerit facultas, in hoc studio, ac certamine, mortalium nemo, vel me superarit, vel etiam æquauerit. Qua ex mea erga te voluntate, si hanc dedicationem, dedicationísque materiam, æstimare dignaberis, ad ampliora tuo nomine audenda, & explenda, non modò adieceris studium, sed vires etiam reipsa contuleris: meque, tibi deuinctissimum clientem, ingentissimo beneficio in perpetuum obstrinxeris. Vale.

APPROBA

APPROBATIONES.



OLVMEN hoc, *quod Sacræ Scripturæ Loci Morales cum expositionibus & ponderationibus Sanctorum & Doctorum ad Conciones Titulo legitimè vocatis, cuius author Franciscus Labata est* de mandato Domini D. Ioannis de Torres Episcopi Vallisoletani, nec non Patris Prouincialis huius Prouinciæ Castellæ Francisci de Prado à me recognitum quantum inuenire potui, fidei Catholicæ aut bonis moribus aduersum nihil continet, quin potius, sicut & reliqua eiusdem authoris scripta pietatem non modicam exhalat, sapientiam & eruditionem maximam; quare meritò in publicam vtilitatem & maximè Concionatorum lucem aspicit. Vallisoleti die decimo Aprilis Anni 1635.

GREGORIVS SERRANVS.



X iussu Patris Francisci de Prado Prouincialis Castellæ Prouinciæ Societatis Iesu vidi ac perlegi librum Patris Labatæ inscriptum: *Loci morales Sacræ Scripturæ cum expositionibus & ponderationibus Sanctorum PP. & Doctorum*, opus quidem summâ industriâ & ingenio elaboratum ac perutile, in quo mira authoris lectio & selectio allicit, & nihil in eo orthodoxæ fidei contrarium, nihil moribus dissonum, inueni. Elogiis graue, & eruditum, Diuini Verbi declamatoribus necessarium, dignum ergo iudico, vt lucem videat, & videatur. Vallisoleti in domo nostra Professa. Societatis Iesu die decimo Martij Anni 1635.

ANTONIVS DE ESBARRA.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

LVDOVICVS XIII. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari Priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum fines, intra decem annos, à die finitæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendum curet, & venalem habeat librum, qui inscribitur R. P. FRANCISCI LABATÆ Loci Communes, Cæsaraugustani Societatis Iesu Theologi & Concionatoris eximij Loci Morales è Sacra Scriptura, præter Claudium Du-four, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit, qui secus faxit, præter librorum confiscationem, mille librarum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in Litteris, Datis Parisiis 15. Septembris 1637.


Ex Mandato Regis.

Signatum, DENISOT.

INDEX TITVLORVM.

Humi

ABNEGA



ABNEGATIO,
VIDE
MORTIFICATIO, VBI
Etiam de Affectuum moderatione.

Abstinentia.

1. *Ad superanda vitia conducit.*
2. *Quàm moderatè sit sumendus cibus.*
3. *Abstinentia ad salutem conducit, gula verò morbos parit.*
4. *Quàm secundùm naturam sit abstinentia.*
5. *Suauem reddit cibum abstinentia.*

PROPOSITIO I.

Ad superanda vitia conducit.

Gen 9. ic Dominus ad Noë: *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Ante diluuium non concesserat Deus hominibus vsum carnium, nec piscium, sed tantùm olerum & arborum. eur non? siquidem

Procop. proprius hominis cibus est caro? Procopius in c. 9. Gen. Fortassis non citra diuinam prouidentiam nec earnium, nec vini vsus ante diluuium frequentatus est; si enim, vt docet scriptura, tanta fuit dementia illorum mortalium vt diluuio domandi fuerint, quid euenisset si carnium, & vini vsus cognitus fuisset? ita ille. Hinc quanta sit ieiuniorum & quadragesimæ & quotidianæ temperantiæ necessitas patet.

PROPOSITIO II.

Quàm moderatè sit sumendus cibus.

Gen. 9. 2. GEn. 9. *Omnes pisces maris, manu vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradantur vobis omnia.* Quid est *quasi olera?* S. Ambr. de Noë & arca c. 25. Sicut olera, inquit: vtantur igitur qui vtuntur carne tanquam oleribus, non ad distensionem, non ad ruinam, (.i. crassitudinem) corporis, quam epulæ carnis facere consueuerunt, sed sicut oleribus, ita ille. Vbi nota quòd olera infirmantium escæ sunt, sicut Apostolus ait ad Rom. 14. *Qui infirmus est, olus manducet.* Sicut igitur ad medicinam, sic ad cibum accedere, nos vult Dominus, sicut ait S. August. ea tantum sumentes quæ necessaria sunt, ex oleribus enim, & ex medicinis nemo superflua sumit. S. Ambr. Rom. 14. S. August.

PROPOSITIO III.

Abstinentia ad salutem conducit, gula verò morbos parit.

SAnct. Chrysost. hom. 10. in Gen. Ex ingluuie infinita morborum genera inducuntur, vnde enim podagræ? Vnde capitis dolores? Vnde corruptorum humorum abundantia? Vnde innumeri alij morbi? non ne ab intemperantia & ingurgitatione vini? Nam sicut nauis quæ aqua sic impletur vt exhauriri nequeat, statim submergitur: ita & homo crapula, & ebrietate, in præceps vadit. & rationem submergit, & iacet sicut viuum cadauer, ad mala operanda sæpe potens, ad bona autem omnia nihil se melius habens quàm mortui. ita S. Chrys. De Socrate ait Aulus Gellius lib. 2. noctium Atticarum c. 1. Socratem tantæ temperantiæ fuisse traditum est, vt omnia ferè vitæ tempora inoffensa valetudine vixerit. ita ille. Macrobius lib. 7. Saturnal. c. 4. Socrates (inquit) dicebat: Vitandus est ille cibus, & ille potus, qui vltra famem, & sitim sedendam, producunt appetentiam. ita ille. Nimirum, quia appetentiam irritare, quando neque fames, neque sitis vrget, perniciosa tam corpori, quàm animæ capiendi cibum occasio est, & quidem frequentissimum est, & maximè inter diuites huiusmodi condimenta & irritamenta quærere. S. Chrys. Simile. Aulus Gellius.

Propositio IV.

Quàm secundùm naturam sit abstinentia.

Laertius. Laertius libro 2. refert Socratem dicentem: Sapiens manducat & bibit vt viuat, stultus verò viuit vt manducet,& bibat, ita ille. Sapientis quidem est ordinare ad debitum finem debita media, finis autem cibi & potus est viuere, vitæ autẽ finis Deo seruire,& vitam consequi æternam.

Propositio. V.

Suauem reddit cibum abstinentia.

Ps. 80. 17. S. Chrys. Psalm. 80. *Cibauit eos ex adipe frumenti & de petra melle saturauit eos.* Sanct. Chrys.hom.2. ad populum: Atqui(ait)hoc nusquam in scriptura lectum est,quod de petra mel eduxerit Moses, sed vbique aquam; quid igitur est, quod dicitur? Neque enim scriptura fallitur. Respondet illico idem sanctus: Postquam sitientes indigentia defatigati,in frigidas aquas inciderunt,ex potu voluptatem afferere volens, aquam mel appellauit, non tanquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluenta illa melle iucundiora faciente: quare multi pauperes sæpe laborantes & defatigati, & siti ardentes cum multa voluptate talia libauere fluenta, diuites verò vinum suaue, & omnem virtutem habens quæ in vino optari possit, haurientes, non eandem sensere delectationem. ita ille. Et idem quod de potu, dicendum est de cibo, iuxta illud Prouer. 27. *Anima saturata calcabit fauum,& anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Ponderans S. Chrys. ibidem verba hæc,ait: Et certè quid dulcius fauo, & melle? sed non iucundum, inquit, est non esurienti? quid verò amaris iniucundius? sed dulcia sunt in pauperie constitutis. ita ille. Abstinentia igitur non solùm conducit ad salutem corporis & animæ, sed etiam ad ipsam corporis voluptatem quam in exquisitis, & preciosis cibis & potibus gulosi & saturati quærunt & non inueniunt.

Prou. 27. 7.

Aduentus Christi, Vide *Incarnatio & Natiuitas Christi.*

Adulatio.

Propositio I.

Principes & magnates plures adulatores circunstant,reprehensores verò pauci aut nulli.

Dan. 5. Dan. 5. Quis quæso Regi Baltassari ausus est inter pocula, & sacrilegia denunciare mortem peccatis suis condignam? Quisquis ille fuit, caput & faciem abscondit, ne agnosceretur, manum tantùm protulit, quid inquam manum? *Apparuerunt*, inquit, *digiti quasi manus hominis*, cur non apparuit vultus & facies scribentis? quia scelera Regis, & pœnam eorum Regi denunciabat;& hoc illi quidem timendum. Sed hoc ænigmate significare voluit Dominus (sicuti doctus quidam author ait)hoc malum Principibus accidere, vt nemo ferè facie ad faciem audeat peccata eorum reprehendere, nisi fuerit quidem ille Ioannes Baptista, aut Esaias, quorum ille capite damnatus, iste serra sectus fuit. Ecce mille viri assistebant Baltassari, & nemo regem monebat; qui adularentur autem forte omnes,ersursum venit reprehendens, & mortem annuncians Regi, & ea quidem forma quæ dicta est.

Amos 7. Amos 7. prophetauit Amos contra regem Ieroboam, & mortem eius miseram denunciauit: Ad quem Amasias Sacerdos,& minister Ieroboam dixit: *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi. Et in Bethel non adycies vltra vt prophetes:quia sanctificatio regis est.* Vide quid sacerdos & minister Regis dixerit, qui propheta partes agere debebat, & pariter cum eo sacrilegia Regis damnare. Tales sunt vniuersaliter loquendo Regum ministri,imò & sacerdotes quibus ex officio competit corripere peccatores, quantumuis reges sint, alioqnin sacerdotum officio & nomine indigni sunt. Vnde de Azaria qui sacerdotum gloria fuit, quique Oziæ regi sacrificanti in faciem restitit, vt scribitur 2. *Paral.* 26. dicitur, 1. *Paral.* 10. Ipse est qui sacerdotio functus est, nunquid non etiam alij sacerdotio functi sunt?Sanè, sed qui in faciem regis ausus est eum arguere, is sacerdotij, & muneris sui partes rectissimè impleuit, & ideo per excellentiam Sacerdos nuncupatur. Hine igitur constat quanta sit Dominorum, & Principum infœlicitas, cum vix inueniatur qui eos de his arguendo admoneat, quæ ad eorum saluationem spectant. 2. Par. 26.

Propositio II.

Adulator laudans decipere intendit.

Nullum aptiùs symbolum adulatoris quàm hedera est: hedera enim arborem cui adhæret ornat foliis, & pulchram reddit, & scutulis suis velut vncis tueri & defendere arborem videtur;denique amare arborem præ se fert, dum amplectitur eam brachiolis suis, sed tamen amplexus eius amplexus Ioab est,seu potius Iudæ.Ille enim amplexus est Amasam quem gladio interfecit, hic Christum quem tradidit inimicis; hedera amplectitur arborem quam fugit, & dessiccat, vt seipsam alat, & ad suprema conscendat: sic Adulator dum laudat, & ornat & amplectitur diuitem seu potentem,se alere vel ad alta conscendere satagit, non alteri prodesse, vel honorare illum. Simile.

S. Ambr.

S. Ambr. S Ambr. lib. 1. offic. c. 47. Nemo adolantem se neque adulandum cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. ita ille. Calliditatis inquit est, *es moneda falsa la lisonza*, habet speciem amicitiæ, sed non veritatem; decipere vult adulator, non laudare. Plinius: Non omnes pisces eandem amant escam, sed alios alia delectatur, inde Piscatores gnari quam quisqoe maximè appetat, fallont, ea potissima obiecta; ita Adulator deptchenso hominis ingenio, quibus rebus deliniator & à quibus abborreat, qood illi gratissimum esse intellexerit, boc potissimum eum captat. ita ille. Qui simile addocit de Chamæleone exemplum, sicot enim Chamæleo varios mutat colores iuxta colores rerum quibus adhæret, sic & adulator affectibus principis accommodat affectus suos, vt quod ab eo obtinere nititur, assequatur.

Plinius. Simile. Simile.

Propositio III.

Quanto odio prosequatur Deus adulatores.

QVamplorima & varia fuerunt vasa in templo Salomonis, aurea & argentea, & æræa, vt constat ex 3. Reg. 7. & 2. Paralip 4. sed tamen vitrea oulla admisit Deus in templo illo soo. Cur ita, cùm vasa vitrea pulchritudinè christalli præ se ferant? ita, quia vas vitreum cum expers coloris in se sit, facile alienos refert, quibuscumque eoim liquoribus imbuatur, statim concolor efficitur. Hac igitur ratione ab obsequio suo omnes excludit adulatores; hi enim quasi vitrea vasa eum referuot colorem, quem habent hi qoibus adhærent; ais, ajo; negas, nego; placet tibi, placet & mihi; displicet tibi, & mihi: mores eorum denique imitaotur quos decipere volunt.

3. Reg. 7. 2. Par. 4.

Propositio IV.

Stulti est, adulatores audire.

Bion. BIon *vnus ex septem Græciæ sapientibus*, vti refert Plutarc. dicere solebat: Hi qoi adulatores auscultant, similes sunt amphoris quæ autibus circumaguntur, hoc est, facile adduces adulatores quò volueris: quid ergo stultum magis quàm eis fidem adhibere qoi solum tuæ placere voluntati volunt? Plinius lib. 7. c. 24. Cupressos, inquit, non innascuntur nec adhærent cerasa propter amaritudinem, nec taxo propter duritiam: ita pestis adulationis fugit seuera, & grauia ingenia, mollia verò & facilia captat. ita ille. Fugient & te adulatores si graois fueris.

Simile. Plinius. Simile.

Propositio V.

Quàm perniciosi sint adulatores.

Bion. BIon Philos. & *vnus ex septem sapientibus Græciæ*, interrogatus, quodnam esset animal omnium maximè noxium? si de feris, inquit, percontaris, tyrannus; si de mitibus, adulator. ita refert Laërtios lib. 1. c. 6. & experientia confirmatur maximè in adulantibus reges, regimen enim cum potissimum ex adhærentibus illi pendeat, si hi adulatores fueriot (qui non commune bonum sed proprium quærunt) quod pereat Respublica consequens est: quod in consiliariis regis Roboam filij Salomonis notum est. Hedera arbori cui adhæret pulchritudinè viriditatis & venustatis suæ communicare videtur, non tamen hoc intendit, sed vtilitatè propriam: ascendere intendit, & quia per se non valet, ideo amplectitur arborem, vt eius virtutem & substantiam sugat amplexu illo: sic adulator ornare, & amplecti alios fingit, eum tamen honorem suum, commodúmque intendat. Etenim peior est adulatoris lingua quàm lingua canis: hæc enim volnera lambendo sanat, lingua verò adolatoris lambendo vulnerat. Optimè S. Aug. in illud Ps. 9. *laudatur peccator in desiderius animæ suæ, & iniquus benedicetur.* Adulantium (inquit) linguæ alligant animas in peccatis, delectat enim ea facere in quibos non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. ita ille. Nemo igitur gratuletur homini qui prosperatur in via sua, euios peccatis deest vltor, & adest adulator: maior enim hæc Domini ira est, moltum enim irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliuiscitur & non attendit peccata, & per fraudes & peccata ad diuitias peruenit, dicente Psalmista de isto, *Irritauit Dominum peccator: secundùm multitudinem iræ suæ non quæret.*

Simile. Dissimile. S. August. Psalm. 9.

Propositio VI.

Adulator excæcat audientem illum.

REfert Maximus ser. 52. quòd Epictetus Phil. Stoicus euidam adulatoribus facile aures præbenti, dixerit: Coruus mortui hominis oculos euellit, adulator autem hominis viui. ita ille. Vide quid perniciosius sit.

Maximus. Dissimile.

Propositio VII.

Adulator fingit se amicum diuitis esse, sed nihil minus.

CRates insignis Philosophus (vti refert Stob.) ad quendam adolescètem opulentum quem adulatorum torba comitabatur, dixit: Adolescens, misereat me solitudinis tuæ: ita ille. Cur, inquit, solitudinis, cum magna incederet caterua comitante? Nimirum, quia illi non comitabantur diuitem, sed diuitias. Amici videbantur, sed non erant, nisi eorui adulaores. Tolle ab huiusmodi diuitibus diuitias, & videbis hanc solitudinem dictam à Crate. Plinius lib. 9. c. 29. & lib. 37. c. 2. Vitrum mirè crystallum imitatur, res vilissima rem longè pretiosissimam: ita assentatio amicitiam imitatur, res impurissima longè optimam, ita ille.

Crates. Plinius. Simile.

Propositio VIII.

Adulator non attendit bonum alterius, sed quid placeat ei.

HOc inter adulatorem & virum amicum interest, quod ioter medicum & cocum: medicus enim pharmaca præscribens infirmo non attendit an dulcia vel amara sint gustui ægrotantis, sed an salubria illi futura sint; cocus verò

Dissimile. nihil de salubritate cogitans, id curat vt palato & voluptati apta sint: sic verus amicus velut medicus perspicit an vtilia sint, adulator an grata & iucunda. Quam differentiam optimè inoenies in 3. Reg. vltimo. inter falsos prophetas Regis Acab, & inter Michæam verum Dei prophetam. Vide ibi. 3.Reg.vlt.

Propositio IX.

Adulator suum tantùm commodum quærit.

Simile. EX Sicilia nauigans rex Alfonsus, cum vidisset garrulas aues, circumuolantes & attentas si quis bolus è triremi decideret, certatim illum arripere & statim aufugere, côuersus ad suos dixit: Persimiles sunt bis garriis purpurati, & curiales aliquot mei: simul enim ac aliquod munus, aut beneficium dimicantes inuicem, à me acceperint, profugiunt. Notauit eleganter assentatorum mores, qui vbique præsto sunt, dum quod à nobis accipiunt habemus in promptu, quo ablato recedunt, fugiunt, nunquam nisi vrgente necessitate redituri. ita Panormitanus lib. 1. de rebus gestis regis Alfonsi.

Sed suppofita & cognita hac adulatorum nequitia, nonnullum emolumentum ex illis capere possumus, si quod fictè in nobis laudant, verum reddamus. Rectè quippe Papa Ioann. XXII. dixit: Ad hoc prosunt adulantium laudes, vt intelligat laudatus qualis debeat esse. ita ille.

Adulterium.

Vnica Propositio.

Quàm detestabile peccatum sit.

Plutarc. PLutar. in Laconicis; Temporibus Lycurgi Spartiatarum legislatoris, tanta erat in Lacedæmonios pudicitia, vt incredibile censeretur reperiri in eis adulterij crimen. Vnde cum Geradam Lacedæmonem interrogasset quidam eius hospes, quam pœnam darent apud Lacedæmonios adulteri, neque enim videbat legem aliquam pœnalem pro adulteriis statutam in Lacedæmonia: Respondit Geradas: Nullus, inquit, amice, apud nos adulter est. Cui hospes: Quid ergo si esset? Respondit ille: Quo pacto Spartæ existat adulter, in qua deliciæ, & diuitiæ, & corporis cultus habentur probro? Et econtra verecundia & modestia & obedientia magistratibus, decori, laudique dantur. ita ille. Pudet inter Christianos hæc referre. Etenim adulteros iotet nos audies, quia deliciæ, & diuitiæ, & corporis cultus in pretio habentur: quod si vitiorum hæ radices sint, quid mirum si vbi hæ sunt, pullulent vitia? Quàm autem Deus adulterium detestetur, Vide Iudicum historiam grauem.

Non solùm apud Christianos qui omnimodam pudicitiam profitentur, abominabile malum hoc est, verùm etiam inter infideles. Plut. in Apoph. Dionysius Imperatorum: Cum Dionysius rex intellexisset filium suum (cui relicturus erat imperium) in adulterium incidisse, iratus interrogauit an vnquam tale quicquam in patre comperisset? Cui filius: Tu patrem regem non habebas. Nec tu (subiicit Dionysius) habiturus es filium regem nisi talia desinas perpetrare. Tyrannus hic dignum exheredatione regni crimen adulterij iudicauit. ita Plur. vbi nota indignâ regia dignitate responsionem, Tu patrem regem non habebas, quasi eò Principibus liceat magis peccare, quo principes sunt, cum potiùs hos aliis studiosos magis oporteat esse & inferiorum exemplaria probitatis.

Affectuum moderatio, Vide *Mortificatio*.

Ambitio.

1. *Quàm periculosa res sit Ambitio.*
2. *Ambitio mentem excæcat.*
3. *Ambitio adulationis est mater.*
4. *Quàm stultum sit supra vires ambire & velle aliquid.*
5. *Ambitiosus nunquam satiatur honoribus mundi.*

Propositio I.

Quàm periculosa res sit Ambitio.

MAtth. 20. *Nescitis quid petatis*, sic Christus Dominus ad discipulos suos primas in regno Christi dignitates postulantes. Sed cur inquit, *Nescitis quid petatis?* Nunquid ignorabant quàm altum, quàmque pretiosum esset, sedes illas obtinere? S. Greg. Mor. 7. de his qui ambiunt temporalia, quibus si rerum temporalium administratio præbeatur, semetipsos funditus deserunt, & ipsa fugitiua temporalia continuis cogitationum passibus sequuntur: Piæ autem mentes, ait, hæc & cum desunt non quærunt, & cum adsunt grauiter ferunt: quia per exteriorum curam à se exire pertimescunt. ita S. Greg. in cuius rei confirmationem, ait, quod bona illa duorum fratrum vita signatur, de quibus scriptum est. *Factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitans in tabernaculis*: vel sicut in alia translatione dicitur, *habitat domi*: quid enim per venationem Esau nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur: qui etiam agricola esse dicitur, quia amatores huius seculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora nec inculta relinquunt? Iacob verò vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia omnes, qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cognitione, & in conscientiæ suæ habitatione consistunt, & intra mentis secreta se restringunt. ita S. Greg. Meritò ergo ait Christus duobus discipulis suis dignitatem seculi desiderantibus, *Nescitis quid petatis*. Qui enim apud me versantur, interiora spiritus & non exteriora corporis & mundi quærere debent. Matth.20. Genes.25.

Propositio II.

Ambitio mentem excæcat.

MAtth. 2. cum Rex Herodes à Magis audiret natum Regem Iudæorum, turbatus illum occidere decreuit. Quod non solùm crudele, & impium Matth.2.

impium fuit, verùm etiam ſtoltum nimis. Conſuluerat enim ſcripturas & didicerat ex Michea, c... naſciturum Chriſtum in Bethelehem Iudæ, & nihilominus eum intetimere ſtatuit. Quæterem ego à rege iſto: Si fidem ſcripturæ adhibes, quomodo eum de medio tollere tu quæris? numquid prophetiæ veritati & decreto Dei derogate te poſſe cenſes? nonne cæci, & ſtulti hominis talis eſt cogitatio? Vnde igitur ortum habuit? ex
S. Leo ambitione ait S. Leon Papa ſer. 1. Epiphaniæ, dicens: Herodes audiens Iudæorum principem natum, ſucceſſorem ſuſpicatus, expauit, & molitus eſt necem ſalutis authori. ita ille. Vide quàm ſtultos ambitioſos ambitio teddat, vnde meritò ibi exclamat S. Leo, & ait: Ocæca ſtulti æmulationis impietas, quæ perturbandum exiſtimas
Euthym. diuinum tuo ſurore conſilium! ita ille. Vide Euthymium in ea verba Mat. 2. *miſit illos in Bethleem.*

Propositio III.

Ambitio adulationis eſt mater.

Plinius Plinius lib. 18. c. 27. Sicut herba quæ dicitur
Simile. Heliotropium ſemper in eam partem ſpectat, in qua Sol eſt, & eo recondito florem contrahit: ſic ambitioſi ad omnes regis voluntates obſecundant, & in quodcumque viderint illum eſſe propenſum, in id feruntur & ipſi. ita ille. Vtinam & cæli candidati in Solem iuſtitiæ oculos iniicerent, vt quæ illi placita ſunt, facerent ſemper.

Propositio IV.

Quàm ſtultum ſit ſupra vires ambire & velle aliquid.

Plinius Plinius lib. 34. c. 5. meritò Accio poëtæ iniu-
Simile. ſtum ambitioſum comparauit, dicens: Accius poëta cum eſſet ipſe admodum breuis, tamen in æde Camænatum ſtatuam maxima forma ſibi poſuit: ſic re vera viles & humiles ambitione ſua, & fuco dilatant ſeſe. ita ille.

Propositio V.

Ambitioſus nunquam ſatiatur honoribus mundi.

Candidati mundi, qui terræ dignitates, & honores quærunt, quamtumuis multa ex illis conſequantur, ſemper amplius quærunt, quos
Plinius. rectè Plin. Chamæleoni comparauit dicens: Chamæleon quoniam paſcitur aura & non ſolido cibo, ſemper hiante ore procedit: ſic qui glorioſi, & auris popularibus aluntur, ſemper aliud captant quod augeat famam. ita ille.

Amicitia.

Propositio I.

Attendenda eſt virtus futuri amici.

Gen. 3. *Serpens callidior erat cunctis animantibus terra quæ fecerat Dominus Deus.* Elegit Geneſ. 3. hoſtis ad decipiendam Euam conſulto ſerpentem: quod & permiſit Deus, vt hoſtis noſtri aſtotiam manifeſtaret, qui ad decipiendos alios homines quærit acutioris ingenij, vt acumine illo faciliùs ad ſe alios trahant, & ſeducant, & perdant. Audi S. Chryſoſt. homil. 16. in Geneſ. Vide, inquit, S. Chryſ. maligni dæmonis tegnas, inuento ſerpente qui cætera animalia calliditate ſuperabat, eo tanquam inſtrumento vſus eſt, per quod Euam in deceptionem prouocaret. ita ille. Non quòd ſerpens fuerit, qui Euam per ſe decepit cum animal eſſet ratione carens, ſed Dei prouidentia non aliud aſſumpſit vt Deus prædictam oſtenderet aſtutiam diaboli. Hinc ſequitur quòd in eligendis amicis, non illi ſint eligendi qui ſolertioris intellectus ſunt, ſi prauis ſint moribus affecti, quamuis ingenio magno polleant: nam hi tanto peiores amici ſunt, quanto ſubtiliores, quia ſubtilitas eorum aptius ad decipiendum homines inſtrumentum diaboli; eſt non damno doctiores & acutiores inter bonos eligere in amicos, ſed malos eligere. Vnde melior amicus eſt, vir ſimplex & bonus quàm ſapiens qui talis non ſit: hoc dixerim propter eos qui facilè ineunt amicitiam cum his qui intelligentiores videntur, non attendentes eorum mores: naturali enim pondere his afficimur, qui ingenio vigent.

Propositio II.

Amicitia Principum inconſtans eſt.

Plutarchus: Sicut Arithmeticorum calculi ali- Plutar. quando valent millibus multis, aliquando nihil: ſic Regum amici aliquando quiduis poſſunt, Simile. ſed rurſum mutata in faſtidium gratia, nihil poſſunt. ita ille. Et ita in Aman conſtat, & quotidie experientia hoc verum eſſe docet. Hoc etiam notum eſt quod Plinius lib. 2. c. 9. ait: Sicut Lu- Plinius. na quo propinquior eſt Soli eo minus lucet: ſic minus dignitatis, & ſplendoris eſt his, qui circa magnos principes incedunt. ita ille. Quod in curia Regis patet. ibi enim inter primates & magnates regni equites minores quaſi pro nihilo habentur, qui alibi tanquam primi lucent, & pluris æſtimantur. Adde his quod Stobæus ſerm. 12. ait: Actæon à canibus quos aluerat, interiit, paraſiti eos à quibus eleuantur ſi à ſua dignitate ceciderint, peſſundant. ita ille. Quod etiam in Aman notum eſt, Eſther c. 7. Quapropter me- Eſther. 7. 9 lius eſt in mediocritate tranſigere vitam, quàm in ſublimiori loco periclitari, narrat Laërt. lib. 6. dicens: Cum Plato Diogenem offendiſſet olera lauantem, dixit ei: Si Dionyſio tegi morem geſſiſſes, olera non lauares. Cui Diogenes:
Si tu lauares olera, Dionyſio non
ſeruires. ita ille.

Propositio III.

Amicus eligendus est prudens & virtute præditus.

Seneca. Simile. SEneca: Sicut stultus (inquit) qui emptutus equum non ipsum inspicit sed frenos & ornamenta eius: sic stultus est qui amicum asciturus eum è vestitu, aut opibus, aut genere æstimat. ita Seneca. Debet igitur inspicere an prudens, & virtute præditus sit. potest enim vir pauper, & infimæ fortis optimus amicus esse.

Propositio IV.

Amicitia vera in aduersitate dignoscitur.

Cicero. Simile. Simile. CIcero lib. 9. Epistolarum ad familiares: Vt aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici solet. ita ille. Vnde Plinius lib. 10. c. 24. Hirundo æstate ad nos euolat, hyeme verò auolat; ita infidus amicus lætis rebus præsto est, commutata fortuna deserit amicum. ita ille. Hinc constat quis verè proximum diligat, & constat charitate gaudere illum qui pauperi necessitatem patienti succurrit, ea verò carere qui tunc non subuenit ei.

Propositio V.

Cum senioribus potius amicitia contrahenda.

S. Ambr. QVia prudentia, & experientia præstant. Vnde S. Ambr. lib. 5. offic. c. 43. Sicut æqualium vsus dulcior, sic senum tutior est. Nanque si hi qui sunt ignari locorum eum solertibus viarum iter adoriri gestiunt: quanto magis adolescentes cum senibus debent nouum iter sibi aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere. ita ille. Si hoc Roboam filius Salomonis fecisset, decem tribus Israël non amisisset. Vide 3. Reg. 12.

Amor.

1. *Verus amor facilè superat difficultates.*
2. *Amor in aduersis manifestatur.*
3. *Amor est vnitiuus cordium.*

Propositio I.

Verus amor facilè superat difficultates.

Luc. 22. 43. LVc. 22. Sic de Christo Domino orante in horto iostante eius passione: *Factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Mirabilis prorsus talis sudor, vnde quæso promanauit? Expendere oportet prius quid significet *Agonia*; dictio Græca est, & significat bellum, & pugnam intetiorem in corde. Erat igitur in corde Christi pugna quædam, sed inter quos pugnantes? Colligitur quidem ex circunstantiis præcedentibus, *cæperat* enim *Christus pauere, & tadere*, sed tune orans dixit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; post hæc iterum orans factus est in agonia & pugna intrinseca cordis: pugnantes ergo erant timor & obedientia; timor, vt constat ex illis verbis: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; timebat ergo naturali carnis timore mortem. Obedientia verò patet ex illis verbis. *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Timor ergo mortis, & obedientia patris, puniendi nempe & moriendi litigabant in corde Christi. Quonam, inquies, modo? Accipe, timor sanguinem venarum deducebat ad cor, sic enim natura babet, vt cum quis timore vexatur in corde, sanguinem ducat ad cor vt faueat illi. Cum enim sit cor præcipua hominis pars, vitæque principium, prouidens natura sanguinis auxilio cordi succurrit: at obedientia Patris in corde Christi existens vehementer ad passionem & mortem crucis Christum Dominum inclinabat, & vrgebat: sic facta est agonia, & pugna inter mortis timorem & obedientiam Patris in corde Christi; superans autem obedientia timorem, fauorem illum sanguinis quem timor administrarat, sic à corde reiicit pariter cum timore, vt non solùm sanguinem ad venarum locum pristinum reuocaret, verùm spiritus vehementia extra venas & vltra corpus ad terram vsque fortiter excluserit, & repulerit tormenta passionis, & acerbitatem mortis toto corde amplectens. Et inde Christus factus est in agonia, & sudor sanguinis processit vsque ad terram. Excogitauit hæc S. Laurentius Iustinianus libro de triumphali Christi agonia, dicens: Qualis conflictus, qualis pugna, quale spectaculum, impellebat spiritus Christi! reclamabat natura passibilis pænarum immanitate perterrita: in horum medio constitutus Christus tanquam strenuus ac insuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, spiritus iussa implere curauit, & paternæ se voluntati subdidit, dicens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Tali prolatione verborum, talique mentis assensu renitentis carnis spiritus palmam obtinuit, huiusque pugnæ celebrato triumpho ab oratione surrexit. ita S. Laurentius. Vides obedientiæ veræ legitimum exemplum? sic sic parendum est Deo, nullis obstantibus difficultatibus vsque ad mortem crucis; sic ponderat Paulus paruisse Christum, dicens, *Christus factus pro nobis obediens*, &c. Id autem quod de obedientia hîc dicimus, amori quoque tribuendum est. S. Laurentius Iustinianus. ad Phil. 2.

Igitur quia Paulus dixit *pro nobis*, id est, amore nostri, obserua quòd in dicto agone Christi non solùm contra timorem pugnabat obedientia, sed etiam amor patris & nostri, atque adeo conceptus iste potest pariter amori accommodari, imò amori potius: in passione enim sua Christus, vt idem Apostolus ait, commendat charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.

Cuius amoris vim in tali agone latentis alia via manifestat S. Epiphanius in Anchorato, dicens: Prouocat per hunc mundum Christus aduersarium Diabolum, vt illo opinante timere Saluatorem, inferat illi mortem. ita S. Epipha. Stratagemate bellico nempe sic vtente Domino, quo desiderium pro nobis & pro Patre maximè moriendi manifestaret. Vnde qui se Deo parere & illum amare, verè nosse desiderat, attendat an vi obediat & amet, sic difficilia occurrentia vincat. S. Epipha.

PROPO

Propositio II.

Amor in aduersis manifestatur.

SAnctus Petrus Chrysologus ser. 14. Verus amor non nisi passionibus probatur, verus amor est fecisse suas angustias angustiati. ita ille. Vnde Christus Dominus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis.* Exemplum veritatis huius in Christo Domino præclarissimum est.

Propositio III.

Amor est vnitiuus cordium.

CHaritas est quæ nos vnit, ita vt non solùm vnum mediante charitate simus, sed vnus omnes homines per dilectionem simus. Vnde
1. Cor. 9. 24. Paulus 1. Cor. 9 *In stadio omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite vt comprehendatis.* Expende hanc similitudinem. Intentio Apostoli fuit dicere, quòd brauium fælicitatis æternæ non solùm vnus tantummodo apprehendat, sed omnes iusti. ideo in plurali dicit, *sic currite vt comprehendatis*, & tamen comparatio est de vno qui consequitur præmium. Cur ita? quia loquitur de Iustis, qui quidem in charitate manent. animaduersio est hæc Origenis homi. de Elcana, dicentis: Meritò omnes iusti non solùm vnum, sed vnus dicuntur, sicut Apostolus designauit dicens: *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.* ita Origenes.

Cant. 6. 7. Cant. 6. sic Deus noster: *Vna est columba mea, perfecta mea.* De anima sancta hîc loquitur Deus. Cum igitur plurimæ animæ sanctæ sint in Ecclesia Dei, cur vnam dicit? S. Greg. in hunc locum, sic exponit: vna dicitur, quia multi fideles habentes cor vnum & animam vnam, in charitate se vniunt, & in vnitatis simplicitate viuentes vna columba existunt. ita ille. Quasi dicat: multitudo magna iustorum per mutuam dilectionem in vnitatem coalescit, ita vt idem sapiant, idem velint, idem nolint, idem dicant, idem quærant.

Ezech. 1. 18. Ezechiel 1. Vidit Ezechiel currum oculis plenum, id est, vidit Ecclesiam Dei plenam oculis id est, iustis. Cur igitur iustos per oculos expressit? tum quia oculus primus, & præcipuus est inter corporis sensus: sic iusti præcipui & excelsiores sunt in orbe, non diuites, non nobiles, non potentes, sed iusti: quod si inter diuites, nobiles, & potentes, etiam iusti reperiantur, non hi excelsi sunt, quia diuites, nobiles, & potentes; sed quia iusti: quod si pauper & ignobilis iustior fuerit diuitibus & aliis, ipse sublimior illis erit. Præterea oculi totum corpus dirigunt, atque regunt; sic iusti sunt, qui vias cæli speculantes, reliquos per vias regni in cælum ducunt. Præterea oculi sunt symbolum iustorum, quia natura curâ multâ oculos custodit: sic Deus iustos. Vnde
Zach. 2. Zach. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Sed tamen, ideo iusti, qui se inuicem amant, oculis comparantur; quia sicut oculi simul ita vident, vt vnus ab altero in videndo non separetur; ita qui charitate vniuntur, simul tendunt in
S. Ansel. vnum. audi S. Ansel. lib. de similitudinibus c. 36. qui agens de vnione beatorum, quorum charitas eadem est cum nostra, dicit: Omnes iusti concordia tanta erunt, quanta sunt in præsenti oculi nostri. Sicut enim oculus vnus verti non potest quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper voluuntur: sic societas illa iustorum, nihil enim poterunt velle diuersum, sed eandem vnionem semper habebunt. ita S. Ansel. Quanta autem sit huius vnionis & charitatis excellentia,
constat ex illis verbis Dauidis Ps. 132. *Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Ps. 132.
Dic ergo nobis propheta Dei, quàm bonum & iucundum hoc sit. rectè quidem vir quidam doctus in hunc locum: hanc, inquit, vnitatem admirari potuit Dauid, sed explicare non potuit, ita ille. Nimirum, quia inter tres virtutes Theologales quæ cæteris sublimiores sunt, maior est
charitas, sicut ait Apost. 1. Cor. 13. 1. C. 13. 13.

Amare Deum.

1. *Amor Dei ad obediendum facilè Deo conducit.*
2. *Quantum Deus zelum amoris nostri habeat.*
3. *Deus amorem nostrum potius quàm bona nostra quærit.*
4. *Quod pro Dei amore cuncta pati debeamus.*
5. *Ad amandum Deum ipsius Dei amor vrget nos.*
6. *Amor Dei leues facit labores nostros.*
7. *Amor Dei alios amores excludit.*
8. *In dilectione Dei nostra consistit perfectio.*

Propositio I.

Amor Dei ad obediendum facilè Deo conducit.

EXod. 32. Post adorationem vituli dixit Exod. 32. 27.
Moyses ad filios Leui: *Hæc dicit Dominus: Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum & proximum suum (brauo mandato.)* Non ne satius, Domine, fuisset fulmine quodam illos interficere, quàm præcipere Leuitis vt proximos, & amicos, & fratres gladiis perimerent? Si inimicos occidere iussisset, facilius id Leuitis foret: at amicos & fratres? occidat, inquit, fratrem & amicum? ita quidem, quia *hæc dicit Dominus*, &c. Quod & Leuitæ illico executioni mandarunt. *Fecerunt*, inquit, *filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Quanta strages? quomodo non
renuerunt tantum suorum effundere sanguinem? S. Ambr.
S. Ambr. Epist. 56. Ea est enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus: nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt, quia sanctis omnia Deus est. ita ille. Id est, quia sancti Deum super omnia diligunt, ideo ad nutum illi parent, quamuis in fratres sic sæuire videantur: non enim est ista sæuitia, sed obedientia ea Dei amo-
re orta. Matt. 11. 30.

Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum*

leue. Lete, inquit, sed quomodo leue? cum inimicos amare præcipiat & bene facere persequentibus nos, & nos ipsos abnegare, & tollere crucem nostram, &c. S. Aug. lib. de bono viduitatis c.21. Nullo modo laboriosi sunt labores amantium; in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipse amatur. ita S. Aug.

Genes.1. Vnde Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Aquæ in sacris scripturis labores & ad-

Cantic.8. uersa significant, secundum id Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, Es el amor como el fuego de alquetran que las aguas por muchas que sean no lo matan:* hoc est labores, & tribulationes non valent extinguere verum Dei amorem, & iuxta id Dauidis, *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, idest, labores. Aquæ igitur symbolum sunt laborum. Super aquas ergo ferebatur Spiritus sanctus, quia amor, (Spiritus enim sanctus amor est:) supernatat in laboribus, & non suffocatur & extinguitur in eis: si Dei amorem habueris, non submergetis in laborum aquis, quia aquæ licet multæ non possunt obruere & extinguere charitatem.

Propositio II.

Quantum Deus zelum amoris nostri habeat.

Exod. 7. EXod. 7. prima plaga quam intulit Deus Ægyptiis fuit conuersio aquæ in sanguinem. Cur

S.Theod. ita? S. Theodo. q. 19. in Exod. quia valde gloriabantur Ægyptij in flumine suo, & hoc pro Deo habebant, vt qui parem vsum illis præberet, quem nubes, ita ille. Deos enim zelator cordis & amoris nostri est, & non patitur sic nos diligere & æstimare creaturas.

Propositio III.

Deus amorem nostrum potius quàm bona nostra quærit.

Gen.4.3. GEn. 4. *Factum est vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain verò & ad munera eius non respexit.* Vbi *respicere* idem est quod acceptare, & complacere. Modus autem huius acceptionis fuit mittendo ignem de cælo, sicut fecit 3.Reg.18. cum acceptauit

S. Hier. sacrificium Eliæ. ita S. Hiero. in quæstionibus Hebraicis dicens: Vera huius loci interpretatio est Theodotionis dicentis: Et inflammauit Deus super Abel & super sacrificium eius, super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit.

Procopius ita S. Hieron. & idem affirmat Procopius in hunc locum. Cur autem ita respexerit Deus sacrificium, & personam Abelis, non Cain, videamus,

S. Chrys. S. Chrysost. hom. 18. in Gen. Quia Abel, inquit, obtulit primitias gregum suorum, Cain verò non obtulit primitias frugum suarum. ita ille. S. Amb. in Ps. 35. post initium, quia Abel statim obtulit, Cain autem non nisi post multos dies. Lyranus verò, quia Cain obtulit de peioribus, & corrosis, Abel autem de animalibus melioribus, & quia tales oblationes non erant acceptæ ex se ipsis, sed ex bonitate offerentium, ideo *Dominus respexit ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non aspexit.* ita Lyranus. Animad- Lyra.
uertant hoc qui quæ peiora sunt in domo sua, Deo in pauperibus tribuunt, &c.

Sed ad rem modò Rupertus sic respondet quæsito, *respexit Dominus ad Abel*, &c. Quia prius cor suum obtulit Deo, deinde rem suam; Cain verò obtulit Deo rem suam, cor verò suum retinuit sibi. ita ille. Deus autem in obsequiis nostris cor attendit, sine quo, idest, sine amore nostro in eum non illi cætera placent, ad meritum saltem, sicut Dominus ipse ait Matth. 15. *Populus hic la-* Mat.15.8.
biis me honorat, cor autem eorum longè est à me: ac si dicat: Sine amore laudes eorum non sunt mihi acceptæ. Vnde peccatori dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas?*

Propositio IV.

Quod pro Dei amore cuncta pati debeamus.

MAtth. 27. Sic Christus Dominus in Cru- Matth.27.
ce pendens ad patrem: *Deus meus, Deus* 46.
meus, vt quid dereliquisti me? relinquebat eum pater dum acerbos illos cruciatus, dolores ingentes, & opprobria tali ac tanto Domino indigna pati sinebat. Quare inquit? quasi dicat: Nihil mihi conscius sum, non peccaui, & in amaritudinibus versatur cor meum: cur igitur, ô amantissime pater, sic deseris amantissimum filium?
respondet S. Ambros. serm. 3. de tempore. Hæc S. Ambr.
Christus dicebat qui secundùm prophetam nesciebat peccatum, vt manifestaret se propter nos Isaæ 53.
derelictum esse, quorum peccata portabat, ac videntes disceremus pro ipso sancto & iusto mori, cum pro nobis peccatoribus ille moreretur.
ita S. Ambr. *Si Dios nos amo asta morir a si des am-* Padre.
parado de su que mucho que nos otros amparados de Dios lo amemos hasta morir por el?

Ego quoque etiam ex hoc loco elicio consequentiam hanc: si propter nostra peccata sic in suis pænis Pater diuinus filium dereliquit, quid igitur mirum si vilissimus peccator & obstinatus in suis pænis torqueri à Domino relinquatur?

Propositio V.

Ad amandum Deum ipsius Dei amor vrget nos.

REctè quidem Seneca: Frustra quæris malefi- Seneca.
cas ad amorem, ostendam tibi maleficium potens, ama & amaberis ita ille. Et meritò, nam nihil potentius ad eliciendum amorem quàm amor. ad hoc igitur *Verbum caro factum est*, vti
ait S. Aug. in manuali, c. 26. tom. 9. dicens: Vt S. Aug.
familiarius diligeretur Deus ab homine, in similitudine hominis apparuit Deus. Quis est tam durus quem non emolliat amor Dei, sic hominem præueniens? Et tam vehemens amor quòd homo propter hominem dignatus est fieri. ita S. Aug. adde quoque quod propter nos homines, & propter nostram salutem, passus est dira supplicia, & mortem, mortem autem crucis. *Vide* eundem S. Aug. lib. 13. de Trinitate c. 10. & 11.

Gen. 22. Sic Deus ad Abraham: *Tolle filium* Gen.22.
tuum vnigenitum quem diligis Isac, & afferes eum in holocaustum. &c. Cur quæso sic tentare voluit Dominus Abrahamum tentatione, vehementi? quod si præcipuè holocaustum volebat, ad quid [illegible] circun

circumstantias illas appofuit, *vnigenitum & quem diligis*, cum hæc maioris doloris causam futuram esse sciret? Respondet Hugo de sancto victore ibidem: Omnibus illis verbis hoc intendebat Deus, vt magis accenderet amorem Patris in filium, vt postea amorem Dei carnali præponeret amori, & eum si vinceret, gloriosior victoria esset. ita ille. Hinc constat quàm Deus velit à nobis diligi super omnia, & constat zelus eius in nos.

Hugo de S.Victore.

Propositio VI.

Amor Dei leues facit labores nostros.

Cant.1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Cantic.1. Hoc loco anima iusti Deum inferentem sibi amaritudines laborum considerat. Cur igitur non faciem myrrhæ sed fasciculum dicit? S. Bern. ser.43. in Cantic. Myrrha amara res, dura, & aspera tribulationem significat; Ea sibi dilecti causâ sponsa imminere prospiciens, gratulabunda id loquitur confidens se omnia viriliter subituram, propterea non faciem sed fasciculum Myrrhæ dilectum dicit, quod pro amore ipsius facile ducat quidquid laboris immineat & doloris. ita ille. Et in confirmationem adducit illud Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Non ait patienter ferentes sed *gaudentes*, quia vero & magno amore Christum Dominum sponsa diligebat, ideo dicit, *dilectus meus mihi.* Sic S. Bern. id est, *dilectus meus mihi*, quem diligo, fasciculus mihi est Myrrhæ. Et subdit, & ideo dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnem amaritudinem superare, quia fortis est vt mors dilectio. ita ille. non diligenti Deum cuncta sunt grauia.

S.Bern.

Prou.14. Prou. 14. *In malitia sua expelletur impius, sperat autem iustus in morte sua.* Expellitur, ait, impius malitia sua, hoc est, impellitur morsibus conscientiæ suæ, ita vt nunquam & vsquam sit securus, nec animo tranquillo secundum id Isai. 37. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* & Ps. 1. postquam de iusto dixerat, *erat tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, subdit: *Non sic impij, non sic; sed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ:* Impellit enim cor impiis malitia sua indesidetia varia, & sæpe contraria, & in timores multos, & passiones vehementes, sicut à vento impellitur puluis. Sic exponit Iansenius hunc locum Prouerbiorum, qui secundam expositionem adhibens ait: Impius ob malitiam suam repellitur à spe cuiuscunque boni post hanc vitam, aut à conspectu Domini mox abiiciendus in damnationem æternam: econtra verò iustus sperat in morte sua, quam scit finem esse omnium miseriarum vitæ huius, & post mortem vitam æternam se consecuturum sperat. ita Iansenius. sed interim de impio tacentes, de spe iusti in morte dicamus.

Isa. 37.

Psal. 1.

Iansenius.

S. Bern. De iusti ergo morte sic S. Bern. Bona mors, quæ vitam non aufert sed transfert. ita ille. qui ad arborum naturam alludere videtur. Si enim arborem iuxta radices scindas, siccam reddes; si verò eum radicibus eam in meliorem transtuleris terram, vegetior & fructuosior reddetur. Etenim impius in morte sua scinditur, & à radice sua separatur, radicem enim suam habet in terra, & ita siccabitur, & in ignem mittetur, & ardet: iustus verò radices in cælo habet, & ideo in cælum omnino translatus viuet in æternum, vegetior & fructuosior in gloria. Meritò ait ergo S. Bern. Bona mors quæ vitam non aufert sed transfert.

Propositio VII.

Amor Dei alios amores excludit.

Genes.32. Gen. 32. Luctans Iacob cum Angelo claudicare cæpit, & tunc Angelum vicisse perhibetur: semper hæc lucta mirabilis visa est. Quomodo enim cum Angelo homo luctari valuit, imo & præualuit, & præualens emarcuit? Quid sibi vult peregrinum luctamen istud? S. Greg. 4. Mor. 30. vel 34. Iacob, qui Angelum tenuit vno mox pede claudicauit, quia qui vero amore sublimia respicit, iam in hoc mundo desideriis duplicibus incedere nescit. Vno enim innititur pede, qui solo Dei amore roboratur, & necesse est vt alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet proculdubio vt carnis fortitudo langueścat. ita ille. Sicut enim vas aliquo liquore plenum, alium liquorem capere nequit, sic nec hominis cor duos amores.

S. Greg.

Gen. 22. Gen. 22. Sic Deus ad Abraham: *Tolle filium tuum quem diligis Isac & offeres eum in holocaustum*, &c. Graue præceptum & humanitati durum videtur. Credo quidem quod facilius fuisset Abrahæ se in holocaustum tradere Deo, quàm dilectissimum filium occidere & cremare. Cur igitur fidelissimum amicum suum sic Deus affligere voluit? S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 8. Volebat Deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui arietem pro filio immolandum obtulit. Sed patris tentabat affectum. ita S. Amb. affectum, inquit, scilicet amoris, vt omnibus constaret quantus esset amor eius in Deum, qui filium, quem supra reliqua mundi amabat, Dei placito sic postponebat, & offerebat, vt nos inde exemplum amoris diuini deduceremus: *Qui enim* (ait Christus Dominus Matth. 10.) *amat filium plusquam me, non est me dignus.* Ideoque dixit Abrahæ: *Tolle filium quem diligis* Quasi diceret: Tu valde amas hunc filium, iubeo tibi vt offeras eum in holocaustum, vt cæteri discant plus Deum amare quàm filios, & alia cuncta. Vnde S. Basilius in Ps. 7. Tentatum est cor Abrahæ an Deum diligeret ex tota anima sua quando Isaac iussus est immolare. ita ille. Non quidem quod ignorat quantum diligeret Deum, ipse enim sciebat quid esset in homine, sed vt nos amare doceret Deum, & vt confunderet nos videntes hominem in sola naturæ lege constitutum sic amore diuino amorem vincentem humanum, &c. Vnde Tertull. lib. de patientia. c. 8. Absit, vt Dominus tentare videatur quasi ignoret cuiusque fidem. Diaboli est hæc infirmitas & malitia. nam & Abraham non tentandæ fidei gratia sacrificare iusserat filium, sed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quod mox præcepturus erat, neque pignora Deo cariora habenda. ita ille. Pignora vocat filios, & alludit ad præceptum amandi Deum: propter quod dixit Matth. 10. *Qui amat filium plusquam me, non est me dignus.* Huic præcepto fecit seu præmisit exemplum Abrahæ, vt & nos similiter Deum diligamus.

S. Ambr.

Matt.10.

S.Basil.

Tertul.

Matth.10

Propo

PROPOSITIO VIII.

In dilectione Dei nostra consistit perfectio.

Gen.17.1. GEn. 17. Sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me & esto perfectus, ponámque fœdus meum inter me & te.* Quodnam est fœdus hoc? Lyranus ibidem: Ponam fœdus tecum per Lyra. specialem amicitiam. ita ille. Quid ergo sublimius quàm amicum habere Deum? quid non habet qui Dei amicitiam habet? ad hoc autem quid Dominus requirit? *Esto*, inquit, *perfectus*. Glossa. Quid est perfectum esse? Glossa interlinearis, Vt non timore sed amore seruias mihi. ita Glossa. Sunt enim, qui timore seruili pœnæ vel ex aliquo humano affectu seruiant Deo. hoc non est esse perfectum.

Gen.17.1. Gen. 17. sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me & esto perfectus.* Quid est, vel quomodo Glossa interl. erit perfectus? Glossa interlinearis id est, vt non timore sed amore seruias mihi. ita Glossa. Sunt enim nonnulli qui seruire & obedire Deo conantur ne damnentur in æternum. bonum hoc, sed non perfectum. perfectio enim nostra in hoc consistit, vt quamuis infernus non esset, vel per reuelationem quis nosset se saluum futurum, nihilominus semper Deo seruire & obedire in rebus omnibus curaret.

Amor inimici.

1. *Quòd amor inimici facilè parcit quamcumque iniuriam.*
2. *Valde gratus est Deo amor inimici.*
3. *Quantum sibi noceat qui odio prosequitur inimicum.*
4. *Quanti valoris sit amor inimici.*
5. *Quàm meritorius sit hic amor.*
6. *Contra eos qui vindictam petunt à Deo.*
7. *Quàm regium & diuinum sit parcere inimicis.*
8. *Fortitudo magna est animi, parcere.*
9. *Quàm iniquum sit reddere malum pro malo.*
10. *Exemplo Christi Domini parcendum est inimicis.*
11. *Propter charitatem æternam tenemur parcere inimicis.*
12. *Amor inimici & venia, magnam mercedem habent.*
13. *Quòd dare locum iræ inimici debeamus.*
14. *Dimitte, & dimittetur à Deo peccata tua.*
15. *Orare pro inimicis efficaces reddit orationes nostras apud Deum.*
16. *Amare debemus inimicos quia Deus præcepit.*

PROPOSITIO I.

Quòd amor inimici facilè parcit quamcumque iniuriam.

Genes.4. GEn. 4. Sic Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quonam pacto sanguis defuncti clamare potest? Ponderat locum istum S. Ambr. lib. de Cain & Abel c. 9. dicens. Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me. hoc enim innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat, non accusat frater ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed sanguinis vox accusat quem tu Cain fudisti: tuum ergo facinus non frater accusat. Et bene ait, *clamat de terra*, non dixit de corpore fratris, sed *de terra clamat*, quia etsi frater parcit, terra non parcit. ita Sanctus Ambrosius. S. Ambr.

PROPOSITIO II.

Valde gratus est Deo amor inimici.

MAtth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris*, &c. Quis non miretur præcepisse Christum, inceptum, & imperfectum dimittere sacrificium propter huiusmodi cum proximo reconciliationem? etenim in hoc vehementer Deus talem reconciliationem commendauit; apud omnes enim (etiam barbaras nationes) maximè obseruata est integritas & consummatio sacrificij. S. Aug. ser. 16 de verb. Matth. Non irascitur Deus, quia differs imponere munus tuum, te enim quærit magis quàm munus tuum; offers munus tuum, & tu non es munus Dei? plus quærit te Christus quem redemit sanguine suo, quàm quæ tu inuenisti in horreo tuo. Ideo ait: *Relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*, ita ille. Matth.5. S. Aug.

PROPOSITIO III.

Quantum sibi noceat qui odio prosequitur inimicum.

EGo autem dico vobis, diligite inimicos vestros, hoc vita animæ quidem est, odio autem habere animæ interitus est. Audi Ioannem Apost. 1. Ioan. 3. *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte.* Ponderat verbum S. Aug. serm. 16. de verbis secundùm Matth. dicens: Fieri non potest, vt qui odio alterum habet, non priùs noceat sibi; illum enim lædere extrinsecùs conatur, se verò intrinsecùs vastat; & quanto anima nostra corpore maior est, tanto magis ei prospicere debemus, ne lædatur: lædit autem animam suam qui alterum odio habet, tollit proximi pecuniam, nunquid fidem? lædit formam, nunquid conscientiam? quidquid nocet forinsecus nocet, sibi attendat quid noceat; intus enim sibi inimicus est; sed quia non sentit quid sibi mali faciat, in alterum sæuit: sed eo periculosiùs quo non sentit: sæuisti in tuum inimicum, te sæuiente ille nudatus est: sed tu iniquus es, ille perdit pecuniam, tu verò animam tuam: quære quis grauius damnum perpessus est; ille perdit rem perituram, sed tu factus es periturus. ita ille. Matth.5. 1.Ioan.3. 14. S. August.

Quomodo hoc non vident odientes proximum? dicat idem Ioan. 1. Ioan. 2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt animam eius.* Vide quoties replicat *tenebras*, quasi dicat: Is in maximis tenebris versatur. Et nota verba illa, *nescit quò eat*, quia de his tenebris ad tenebras pergit 1.Ioan.2. 11.

pergit æternas; hoc nescit, quia si sciret, vtroque brachio amplecteretur inimicum; sed odio prosequitur, quia tenebræ eum comprehenderunt: odium enim est velut nubes in oculo eius visum tenebrescens; ora igitur tu pro eo, ad Dominum, vt tenebras istas expellat ab eo. Hoc illi superest remedium.

PROPOSITIO IV.

Quanti valoris sit amor inimici.

S. Efrem. S. Efrem Syrus tractatu de Margarita pretiosa: Margaritum (inquit) non concharum coniunctio format, sed fulgoris & aquæ commixtio. ita ille. Obserua vnde lapis hic pretiosus formetur, ex concordia scilicet & ex coniunctione duorum contrariorum, ignis scilicet & aquæ, inde margarita resultat: sic quidem ex concordia & conuentione duorum inimicorum resultat margarita amoris inimici, quæ à Deo & hominibus tanquam pretiosus lapis æstimatur.

Apoc. 21. 21. Vnde etiam Apoc. 21. in cælestis ciuitatis muro duodecim portas vidit Ioannes ex margaritis fabricatas, *& duodecim portæ*, inquit, *duodecim margaritæ sunt*. Cum ergo margarita symbolum sit concordiæ, ideo portæ cæli ex margaritis constant, quia amor inimici porta cæli est.

1. Reg. 26. 19. Hinc Dauid 1. Reg. 26. postquam vitæ Saulis inimici sui consuluit, potuit enim facilè eum tollere de medio, sed nolens occidere pepercit, & postea sic eum affatus est: *Si Dominus incitat te aduersùs me, odoretur sacrificium.* Quod sic exponit Lyranus: Patientia mea in persecutione hac accepta sit coram Deo ac si offeram holocaustum ante altare suum. ita ille. Ecce quid sit in oculis Domini amor inimici, holocaustum suauissimi odoris & valde gratum. Lyra.

S. Chrys. Id ipsum S. Chrysost. hom. 2. de Dauid, & Saule: In spelunca, inquit, obtulit sacrificium, non quidem mactato vitulo, aut occiso agno, sed quod his honorificentius erat, mansuetudinem, & humanitatem offerens Deo.

PROPOSITIO V.

Quàm meritorius sit hic amor.

Mat. 5. 46. MAtth. 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Loquitur hic Christus Dominus de his qui non diligunt amicos propter Deum sed propter suum commodum mundanum, vel aliquem respectum, &c. Probario autem dilectionis Christianæ est amor inimici: hic enim non admittit respectum mundanum. Et hac ratione permittit Deus in nos inimicos insurgere, vt meritum magnum dilectionis erga inimicos non amittamus. Vnde S. Aug. ser. 53. de verb. Domini secundùm Ioannem: Non solùm (inquit) reprehensionibus suis inimicus mercedem non minuit, sed & facit ampliorem. Tu tamen pro illo ora, ne mercede tua ille moriatur. Et subdit. S. Aug. Nam & hinc probamur, si enim inimicos non haberemus, non pro inimicis oraremus, secundùm præceptum Domini dicentis, *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos.* Vnde ergo probamus vtrùm hoc facere valeamus, si nullum inimicum, nullum detractorem, nullum maledicum experiremur? Videtis (S. August.) ergo quia & mali necessarij sunt bonis, ita S. Aug. qui hac similitudine, dicta exponit dicens: In fornace quasi aurifici sumus, hoc est, in hoc mundo si aurum non es, simul ardes; si aurum es, palea tibi est malus; quod si tu palea es, simul eritis fumus. ita S. Aug. (Simile.)

PROPOSITIO VI.

Contra eos qui vindictam petunt à Deo.

Ps. 7. 2. PSal. 7. *Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.* Persequebantur multi Dauidem, & quidem immeritò, imò contra meritum eius. erat enim bene meritus de Saule, & cæteris persecutoribus suis, & ideo Dei opem hic postulat, & ab eis liberari. Ponderat locum hunc S. Basil. in scholiis super hunc Psalmum, dicens: Vide animum Philosophicum, non dixit; Deus omnipotens puni hostem, interfice inimicum meum, sed quid? id quod se concernebat, hoc solum quærit, dicens: Serua me, non sinas me affligi. ita S. Basil. non sic impij non sic, sed ita, & odio aduersus inimicum aiunt, O vtinam Deus eum fulmine percutiat, & mala perdat morte. (S. Basil. ibidem.)

Mat. 5. 44. Non hoc docuit nos Magister noster Christus Matt. 5. sed potiùs pro eis Deum orare, dicens: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Quod in Christo Domino ponderauit Dauid Ps. 108. (Ps. 108 3.) Vbi in persona Domini (vti asserunt S. Chrys. S. Hiero. & S. Aug. S. Theodor. imò & S. Petrus in Actis Apostolorum c. 1.) sic ait: *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa*, cum scilicet dicebant: *Magister volumus à te signum videre:* & id: *Magister scimus quia viam Dei in veritate doces:* sed hoc dolosè, *Licet censum dare Cæsari:* item ait Christus: *& sermonibus odij circumdederunt me*, scilicet in templo eum dicerent: *vsquequo animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam*, &c. *& expugnauerunt me gratis*, id est, oppugnauerunt me sine ratione, imò contra rationem, quia reddiderunt mihi mala magna pro bonis magnis. Vnde addit: *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi.* Hoc est, pro multis & magnis beneficiis quibus affeci eos, detrahebant mihi, ita quidem, & insuper crucifixerunt: quid igitur ad eos Christus? *Ego autem orabam.* S. Hieronymus (S. Hier. ibidem.) pro eis nempe, ita est filiali affectu, námque ad patrem orauit dicens, *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*, patrem interpellat, non iudicem, *ignosce*, ait, non damna; non enim verbo solo, sed opere docuit nos pro inimicis orare.

Quod etiam priusquam Christus verbo & facto hoc doceret, fecit Dauid Psal. 34. vbi de inimicis suis agens dixit: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio: & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Quomodo induebatur tunc cilicio? Genebrardus, commiserando, vel pro eis pœnitentiam agendo, & etiam: *Humiliabam*, inquit, *in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur*, Idem Genebrar. sic exponit: Pro eis etiam ieiunabam, & orabam pro eis in sinu meo, hoc est apud me ipsum in corde intus orationem pro eis agitabam & repetebam. Sic Dauid, & in lege illa vbi Dominus, *Deus vltionum*, dicebatur, nunc verò inter nos multi qui legem amoris, qui legem Christi præcipientis pro persecutoribus orare & suo exemplo confirmantis, multi, inquam, qui talem legem profitentur, non solùm

non

non orant pro inimicis, non solùm non amant eos, verum ideo inimicos prosequuntur, & vsque ad mortem prosequuntur, iudicent vel ipsimet quid de illis futurum sit in iudicio Dei.

Propositio VII.

Quàm regium & diuinum sit parcere inimicis.

Seneca. Seneca lib. 1. de clementia. c. 3. Nulla ex omnibus virtutibus magis homini conuenit quàm clementia, cum nulla sit humanior, nullum tamen clementia ex omnibus magis quàm Regem aut Principem decet: nam pestifera res est valere ad nocendum. ita Seneca. & c. 19. confirmat exemplo apis regiæ quæ sine aculeo est. Adde Leonis exemplum, qui regium animal est, & stratis & subiectis sibi parcit, & hoc nomine
3.Reg.10. & hac de causa laudantur Reges Israel 3. Reg. 20.
1.Mac 8. 1. n. 31. & etiam Principes Romani 1. Mach. 8. n. 1. de quibus ibi. Quòd cum essent potentes viribus, acquiescebant ad omnia quæ postulabantur ab eis.

Exod. 34. Vnde Moyses Exodi 34. Deum orans vt parceret populo peccatori, *Dominator* (inquit) *Domine Deus, misericors & clemens*. Vbi in originali Hebræo loco dictionis *Misericors*, ponitur fortis, q. d. O Domine siquidem Dominator & Rex noster es, & fortis atque clemens, parce populo tuo. Vide S. Greg. 3. par. pastoralis c. 10. & hom. 35. in Euang. & 18. in Ezech.

Hinc est quòd vindictam de peccatoribus inimicis suis Deum sumere, vocetur opus peregri-
Isa 28. num & alienum ab eo Isa. 28. n. 21. & cum vindictam sumit, dicatur tactus dolore cordis in-
Genes. 6. Tren. 3. 33. trinsecus. Gen. 6. n. 7. & quod non ex corde suo humiliet & abiiciat filios hominum Threnorum 3. n. 33. Vbi vide S. Hieron. & super Isa. 28. n. 21.

Vnde iratus Dominus in populum Israël ob
Ose. 11. scelera eius ait Ose 11. *Non conuertar vt disperdam Ephraim, quia Deus ego & non homo*, id est, non sum ego sicut miser homo & debilis & vilis, carens animo regio ad parcendum, vbi pro *Deus ego*, ponitur, *quia fortis ego*. Vide Ciceronem oratione pro Marco Marcello, vbi laudans Iulium Cæsarem quòd clemens esset valdè, subdit: In hoc similis, Deo iudicandus videbatur.

Numerorum cap. 14. cum Dominus perdere Israëlem vellet propter multa & grauia eius peccata, sic ad eum Moyses pro illo populo deprecans: *Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti, dicens; Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens peccata & scelera: dimitte ergo obsecro peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.* Obserua quod non dixit, manifestetur clementia tua vel misericordia tua, sed *magnificetur*, hoc est honorificetur, & glorificetur fortitudo tua. Vbi duo dicit. Primum est, quod non solùm ad pietatem & mansuetudinem spectat parcere delinquentibus in eum, sed etiam ad fortitudinem & potentiam aduersus eos qui tunc se fortes præsumunt cum de inimicis vindictam acerbam sumunt. Secundum, quòd magnificum & gloriosum sit parcere inimicis contra eos, qui dedecus esse censent, si vindictam de illis non capiunt, cum potiùs debiles sint, & nullo honore digni, qui vindicari quærunt, & tandem, vt qui peccant confidenter, ad pœnitentiam & ad Deum properant vt per veniam glorificetur Deus. Cum primum enim sic orasset Moyses, audiuit à Domino: *Dimisi iuxta verbum tuum.* Quid est, *iuxta verbum tuum?* id est, quia rogasti me, vt quam Exod. 34.
apud Deum valeat oratio constet: præterea iuxta verbum tuum. Tu enim dixisti, *magnificetur fortitudo tua*, sit ita, sic enim magnifico eam.

Propositio VIII.

Fortitudo magna est animi, parcere.

Naum. 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine.* Cur patientiam cum fortitudine coniun- Naum 1.1.
xit? Theophilac. sic respondet: Quod Deus lon- Theophi.
ganimis & patiens sit semper in peccatores, non propter imbecillitatem hoc facit: est enim magnus fortitudine & ingens robur eius est; ita ille.
Et idem ait S. Theodoretus, & hac de causa Pro- S.Theod
pheta Naum dixit, Deum patientem & fortem esse: quasi dicat: Apud homines multi iniuria affecti vindictam non sumunt de inimicis suis, quia non possunt; Deus verò non sic cum omnipotens sit, sed tolerat diu quia patiens est.

Imò in hoc fortitudinem suam manifestat, quòd non ita subitò iram suam ostendat, vindi-
cans se de inimicis suis. Vnde S. Hiero. sic expli- S.Hiero.
cat hunc locum Naum dicens: Diu quidem sceleris Assyriorum patiens fuit, & magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum sustinuit. ita ille, exponens hunc locum Prophetæ Naum qui de Assyriis agit. Vbi etiam Vatablus sic exponit dicens: Deus non ducitur ira impotente, more hominum, sed potest iracundiam cohibere quan-
diu velit opportuno tempore puniturus. ita Vata- Vatabl.
blus. Hæc igitur laus tribuitur Deo nostro, quòd cum fortis simul & omnipotens sit, & iustè ac facilè possit plenam de peccatoribus sumere vindictam, patienter, & longanimiter ferat, dissimulans peccata propter pœnitentiam, & patientia hac sua, ostendens fortitudinem suam.

Vnde viri potentes in hoc, laude digni iudicantur, quòd patientia & clementia iram & affectum vindictæ vincant. Vnde Marcus Tullius oratione pro Marco Marcello: Hodierno (inquit) die te ipsum vicisti, vereor, vt hoc quod dicam, non perinde intelligi possit atque ego ipse cogitans sentio, ipsam victoriam vicisse videris cum ea ipsa quæ illa erat adepta victis remisisti: nam cum ipsius victoriæ conditione iure victi omnes occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. ita Cicero.

Hinc Ps. 7. Sic ad Dominum Dauid: *Deus* Psal.7 12.
fortis & patiens nunquid irascitur per singulos dies? Vide quomodo Dei patientiam cum fortitudine collocauit; non enim opposita sed composita sunt, vnde meritò ait: *Nunquid irascitur per sin-*
gulos dies? vbi Cassiodorus: Patiens est, quia pa- Cassiod.
tienter ad pœnitentiam expectat, quos perdere pro suorum scelerum qualitate potuisset. ita ille.
Vnde Numer. 14. Moyses petens misericor- Num 14.
diam à Deo irato in populum Israël ob eius peccata dixit: *Magnificetur fortitudo Domini*, &c. Quid ais Moyses sancte, clementiam postulas, & ad fortitudinem accurris? ita quidem, nam fortium, & potentium est propria virtus clementia.

Sed tamen caueat sibi peccator nedum ita pium & clementem Deum considerat, inde occasionem peccandi seu in peccato perseuerandi arri-
piat; quia sic scriptum est Ecclesiastici 5. *Ne di-* Eccl.5.4.
xeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Quasi dicat: Verum

est

est Deum patienter expectare ad pœnitentiam peccatorem, sed simul est redditor, id est, iustus iudex reddens vnicuique secundùm opera sua. Vnde subdit: *Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius*, id est, ne dicas: Quantumuis peccem, & peccata multiplicem, scio Deum esse ita clementum, vt facilè ob id expectem me ab eo misericordiam consecuturum, quia in peccantes respicit ira illius, vt citò puniat, & meritò: nam est hic abominabilis de diuina misericordia abusus.

Propositio IX.

Quàm iniquum sit reddere malum pro malo.

Psal. 16. 3. AGens Daoid de malignitate Saulis inimici sui sic ad Deum: *Probasti cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, vt non loquatur os meum opera hominum.* Locum hunc sic exponit S. Basil. Etenim

S Basil. instar auri probatissimi Domine me putum inuenisti; siquidem non solùm hostem non perdidi, verùm etiam linguam meam a conuitiando ipsum liberam seruaui: *Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras*, id est molestum hoc & onerosum propter obedientiam mandatorum tuorum feci. ita S. Basil. Iniusta prorsus fuit illa persecutio Saulis, pro eo enim vt diligeret Dauidem pro eximiis beneficiis quibus affectus fuit ab eo, persequebatur eum vsque ad necem, inuidia motus, & tamen cum non semel Dauid illum occidere indemnis potuisset, non solùm non nocuit, verùm nec hiscere contra eum voluit, *(ni aũ chistar contra ei)* imò Amalechitam qui moribundum Saolem occidit iubente ipso Saule, Dauid

2. Reg. 1. 10. iussit interficere: nota est historia 2. Reg. 1. disce vltor tuarum iniuriarum quo pacto erga inimicos te gerere debeas.

In huius documenti exemplum Deum ipsum habemus: ob hanc enim causam factus est ho-

S. Bern. mo. Inquitit S. Ber. ser. 1. aduentus, cur ex tribus personis Diuinis non Pater, nec Spiritus sanctus, sed Filius carnem assumpsit, & hominem redemit, & concludit, ideo filium Dei ad redemptionem nostram venisse, quia homo surripere voluit quod proprium, seu appropriatum, filij est, esse videlicet sicut Deus sciens bonum & malum: hæc enim fuit occasio sui casus, *eritis sicut Dij scientes bonum & malum*: filius quippe Dei est imago patris, quique sapientia patris est, & ideo peccatum hominis contra filium directè commissum fuit, & nihilominus filius ipse ad liberandum hominem venit. Cur non, verbi gratia, Spiritus sanctus qui velut in Trinitate tertius, tertius etiam inter filium & hominem esset? Nimirum, vt Dei bonitas & charitas manifestaretur, cum eadem persona aduersus quam ita directè peccauerat homo, ad saluandum hominem eius humanitatem assumpsit, & tot tantaque pro homine passus est, quo nobis exemplum charitatis daret, ac diceret: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.*

Genes. 45. 22. Remittens Ioseph. fratres suos in terram Canaan, dedit singulis binas stolas, id est, vestes duplices: cur ita? Ruper. lib. 9. in Gen. c. 13. res-

Rupertus. pondet sic: Vt eos à quibus vnica tunica exutus fuerat, indueret duplicata, & suo exemplo doceret nos bonum etiam duplicatum pro malo esse reddendum. ita ille.

Propositio X.

Exemplo Christi Domini parcendum est inimicis.

MAtth. 21. & Mar. 11. maledixit Deus ficulneam quandam eo quòd ficus non haberet, sed folia tantùm, & radicitus exsiccata est; cur Christus ficulneam insensibilem & culpæ incapacem sic exsiccauit? & maximè cùm non esset tempus ficorum? respondet Beda in cap. 11. Marci, quia vidit Iudæam habentem eloquia legis, & prophetarum, & venit eam probare docendo, corripiendo, & miracula faciendo: quia sola folia sine fructibus habere reperta est ficulnea, damnatur, quia Iudæa quæ verba scripturæ sine operibus sonabat, digna est vltione punita. ita Beda. Beda.

Aliam rationem adhibet S. Athanasius lib. qq. q. 58. sic ficulneam Dominus exsiccauit, quia iam passurus erat, & ne existimarent eius discipuli eum omnipotentem non esse, sed infirmum, & ideo pateretur. In ea inanimata re suam ostendit potentiam, vt ostenderet se facilè posse omnes suos aduersarios ariditate percutere: sed quia sicut ipse dixit, non venerat perdere mundum sed saluare, potentiam suam in ficu inanimata declarauit, suum verò erga homines amorem patientia exercuit summa. ita S. Athan. Ita quidem: 1. Cor. 13. 6.

nam vti ait Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert.* Exemplum igitur dedit nobis bonus Dominus & magister noster, vt & nos ita faciamus, & inimicis parcamus quamuis illi graui sint pœna digni.

Propositio XI.

Propter charitatem æternam tenemur parcere inimicis.

GEn. 4. Sic Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Cur non ait, frater tuus crudeliter & iniustissimè à te occisus clamat & petit à me vindictam, sed *vox Sanguinis*, inquit, *est quæ accusat te*? Ponderat hoc S. Ambr. lib. de Cain & Abel c. 9. dicens: Bene ait, *Vox sanguinis*, & non, ipse frater, ne videatur parricida, & hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat: non te accusat O Cain vox fratris, non anima eius, sed ipsius sanguinis vox, quem tu fudisti. Tuum ergo facinus te accusat, non frater. & bene ait, *clamat de terra*, non dixit, de corpore fratris, quia si frater parcit, terra non parcit. ita S. Ambr. vsus igitur est hac periphrasi Spiritus sanctus, vt ostendat quàm alienum sit à viris sanctis, & quàm à nobis etiam debeat esse, vindictam quærere, quamtumuis inferantur iniuriæ graues & nocumenta ingentia ab his qui amore nos prosequi deberent.

Propositio XII.

Amor inimici & venia, magnam mercedem habet.

1. REg. 16. Cum Semei malediceret Dauidi, & magna eum afficeret iniuria, & seruis Regis 2. Reg. 16.

Regem volentibus illum vindicare sic locutus est: *Dimittite eum vt maledicat, si forte respiciat Dominus afflictionem meam & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Ponderans S. Ambr. verba hæc 1. officiorum 48. ait: Euangelico Spiritu sanctus Dauid non solùm inoffensus, sed etiam gratus conuitianti fuit, & delectatus potiùs quàm exasperatus iniuriis pro quibus sibi mercedem reddendam arbitrabatur. ita ille. Hæc igitur ratio impatientiæ sæpe solet esse, quòd affectus iniuria non ad præmium, sed ad iniuriam attendit: si enim vel sui amator esset, magna præmia patienter, & charitatiuè ferentibus iniurias promissa aspiciens, libenter eas perferret.

S. Ambr.

PROPOSITIO XIII.

Quòd dare locum iræ inimici debeamus.

Gen. 27.

GEn. 27. Sic ad Iacob mater eius: *Fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisque cum eo dies paucos, donec quiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscaturque eorum quæ fecisti in eum.* Ecce matris Iacob consilium prudens, quo cuncta in bonum cesserunt illi. sic enim ira fratris cessauit, & Iacob non solùm viuus, sed etiam diues euasit. Et ecce quoque nobis exhibitum simile consilium, cum iratum videmus in nos proximum, demus iræ locum, sicut Iacob, vt sicut & ipsius Iacob fœlix sit exitus fugæ, vti super hunc locum monuit S. Chrys. hom. 1. Imperfecti, dicens: Sicut Esau persequebatur Iacob, sic filij seculi huius persequuntur filios seculi futuri; & sicut Iacob non resistendo, sed fugiendo superat malos, iuxta consilium Christi, *Si vos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam.* ita ille.

S. Chrys.

PROPOSITIO XIV.

Dimitte & dimittentur tibi à Deo peccata tua.

DImittite & dimittemini, quà mensura, &c. & Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus*, &c. Exclamat hic Cassianus collatione 9. c. 21. dicens: O ineffabilis Dei clementia, quæ orantibus refecat viam qua clemens ac pium erga se prouocent Dei iudicium! Et quodam modo potestatem tribuit qua iudicis nostri possimus sententiam temperare, ad veniam delictorum nostrorum eum arctantes exemplo remissionis nostræ, dum dicimus ei, *Dimitte nobis sicut dimittimus nos.* Securus itaque huius orationis fiducia de suis admissis veniam postulabit, quisquis remissor erga suos extiterit debitores. Quisquis autem fratri non remiserit ex corde, non indulgentiam sed condemnationem hac deprecatione sibi impetrabit, dicens, remitte mihi sicut remisi. Quare si clementer volumus iudicari, nos quoque erga illos qui in nos delinquunt, oportet esse clementes ita ille.

Cassianus.

PROPOSITIO XV.

Orare pro inimicis efficaces reddit orationes nostras apud Deum.

Iere. 15.

IEre. 15. Iratus Dominus in populum suum sic affatus est, *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum:* Id est, non parcam populo huic. Sed quid est, *Si steterint Moyses & Samuel?* Nunquid horum oratio ira inefficax erat apud Deum, vt propter illos nollet orationem exaudire? Absit, non in contemptum eorum id Dominus asseruit, sed in fauorem, & honorem; sicut si quis diceret, non parcam inimico meo etiam si à me veniam postularet pater meus, hæc quidem verba reuerentiam filij in patrem inuoluunt, sic verba illa Domini honorem præ se ferunt Moysis & Samuelis. Sed dices: Cur potius hos quàm alios sanctos adhibuit Deus? nonne alij erant Sancti honore digni? S. Greg. 9. Matt. 13. sic respondet: Aliud ego in hac re non inuenio, quàm quòd Moyses, & Samuel pro inimicis orauerant. Ita ille. Ecce quàm valeat apud Deum pro inimicis oratio, vt efficaciam magnam orationis horum sanctorum ex eo augeat, quòd hi adeo dilexerint inimicos, vt pro ipsis non petierint à Deo vindictam, sed veniam. S. Greg.

Qui autem inimico non parcit, si orauerit pro se Deum, & petierit veniam peccatorum suorum, non exaudietur: hac enim lege Deus veniam promisit, si nempe & tu pepeceris inimico. *Dimittite*, inquit, *& dimittemini.* Et in oratione Dominica, *Dimitte nobis*, &c. Et meritò nolle parcere inimico, & petere à Deo veniam, est ac si diceret, *Perdonadme vos Señor a mi las offensas vuestras que yo no pienso perdonar las mias anadie.* Quo quid ineptius, & stultius? irridet huiusmodi hominem Ecclesiasticus c. 28. *Homo homini* (inquit) *reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cum caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis eius?* Vide quomodo inculcat, & repetit eandem sententiam & rationem, *Quod scilicet non æquum postulas qui à Deo petis veniam sibi & denegas proximo veniam, & ne dicas, orabit alter vir iustus pro me.* Subdit, *Quis exorabit pro delictis eius?* non ait *orabit*, inuenier enim is forte qui pro venia delictorum suorum oret, sed *quis exorabit*, quia in non dimittendo se propitiatione indignum, & incapacem reddit: memento quæso parabolæ illius qui decem millium talentorum debitor erat, & noluit parcere conseruo, &c. Quamobrem concludit ibi Ecclesiasticus, *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & delicta eius seruans seruabit.* Ecclef. 28.

PROPOSITIO XVI.

Amare debemus inimicos quia Deus præcipit.

PRæcipit quidem & sub æternæ damnationis pœna S. Chrys. hom. 4. in gen. Dei ore; si rex aliquis terrenus legem tibi posuisset vt vel inimico parcas vel morte puniaris, an non metu mortis corporalis omnes accurrerent ad implendam legem? Quanta igitur accusatione dignus erit is, qui ob corporalem mortem quam aliquin naturæ necessitas afferet, omnia facere paratus est, proposita autem pœna mortis æternæ minus curat legem ab vniuersorum Domino latam? ita ille.

**

Amor

Amor proximi.

Propositio I.

Fauere debemus proximo etiam cum detrimento proprio.

Matth. 20. MAtth. 20. petebant filij Zebedæi à Domino primas in regno eius sedes, quibus Dominus: *Non est meum dare vobis*, scilicet quatenus homo sum; bene tamen secundùm quod Deus est, absolutè eis tales sedes denegare posset. cur igitur secundùm quod homo loquitur, & non secundùm quod Deus, cum certè in hoc non nihil deitati derogare videretur saltem apud infideles, qui dicere ex hoc possent, si non est tuum, ergo tu non est Deus, cuius est huiusmodi sedes dare? S. Ambr. Responsio S. Ambr. lib. de fide ad Gratianum c. 3. notanda venit: Prærogatiuam, inquit, paternæ honorificentiæ discipulis reseruauit, non metuens ne quid iuri proprio derogaret qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, quia noluit his quos diligebat videri quod peterent denegasse bonus & sanctus Dominus, qui malit aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere. Charitas enim benigna est, non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt. ita S. Ambr. disce tu à Christo Christiane sic proximum amare, vt non dubites iuri tuo derogare cum charitas id postulat.

Labata loci Mor. Tom. I.

Propositio II.

Amare debemus proximos verè & non tantùm apparenter.

SVnt qui amorem proximi præ se ferant, sed nihil minus in animo habent: sed sicut Dauid ait, *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Ps. 27. Psalm. 27. *Quique corde & corde loquuntur labia dolosa.* Ps. 11. Psalm. 11. *Besan manos que desean vercortadas:* Hi similes sunt Herodi, qui animo fraudulento dicebat Magis: *Ite & interrogate de puero, & cum inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens, adorem eum.* Bona verba, sed quid in corde? S. Ansel. S. Anselmus ibidem: Promisit se, adorare ne dolum eius cognoscerent, sed potius sine suspicione ei de puero renuntiarent. ita ille. Et quidem exitus dolum probauit, vti constat ex occisione Innocentium.

Genes. 6. cum Deus præciperet Noe conficere arcam, inter alia. *Bitumine*, inquit, *eam linies intrinsecùs, & extrinsecùs.* Oportebat quidem sic arcam illam linere ne dum à ventis, tempestatibus, & vndis illa quateretur, à compagibus suis seiungerentur tabulæ, & aqua ingrediens arcam omnes suffocaret. Arca illa Ecclesiæ typus fuit vti asserit Gen. 7. Glossa. Glossa interlinearis, & alij. Bitumen autē charitatis symbolum fuit. Testatur hoc S. Isidor. S. Isido. ibidem, dicens: Arcam construxit Noë de lignis imputribilibus, & Christus Ecclesiam de victuris in sempiternum hominibus: quæ sicut arca in fluctibus natat & ex bitumine conglutinantur ligna intrinsecùs, & extrinsecùs, vt ex compage vnitatis significetur tolerantia charitatis, ne concussa Ecclesia ab his, qui intus sunt, vel ab his qui foris sunt, cedat à fraterna, iunctura. Est enim bitumen feruentissimum, & violentissimum gluten, & significat feruorem dilectionis & magnitudinem virtutis ad tenendam societatem omnia tolerantem. ita S. Isidorus. Vbi duo signa veræ charitatis notanda sunt; est enim charitas erga Deum & proximum virtus occulta. Sicut enim nemo scit vtrùm odio vel amore dignus sit, ita nec si virtutem hanc amoris habeat cognoscit; id enim si nosset, nosset pariter se amore Dei dignum esse. Duobus autem signis ex hoc bitumine sumptis coniectari potest; primum, si non solùm interiùs sed etiam exteriùs proximum amet: sunt enim nonnulli qui dum proximum in aliqua necessitate videant constitutum dicant se propterea compati ac dolere, & tamen cum ei succurrere possint, id non præstant; signum est defectus charitatis, dicente Apostolo Ioanne, 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 3. 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Secundum charitatis signum est tolerantia, & patientia in persecutionibus & iniuriis à proximis illatis: hoc enim importat fortitudo illa bituminis, quæ arcam à fluctibus tuebatur. Cum igitur videris aliquem à proximis malè affectum, & nihilominus à charitatis legibus non recedere, hoc bitumine sancto linitum esse cognosces. Charitas enim patiens est, & omnia suffert.

* * *

PROPOSITIO III.

Quàm gratius Deo sit amor proximi.

Ioan. 19. IOan. 19. *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* In cuius typum Exod. 12. præcepit Deus olim ne agni ossa frangerentur. Cur ita, cùm carnem suam dilacerare omnis permiserit flagellis clauis & lanceea? nimirum, quia ossa Christi symbola sunt Ecclesiæ Christianæ; ex ossibus enim Adæ, ex costa, inquam, educta fuit sponsa eius: ea propter dixit Adam cum proximam vidit mulierem formatam,
Genes. 2. 23. Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Pondera verbum illud. *Nunc*, quid opus erat dicere, *Nunc*? non ne satis erat dicere, *Hoc ex ossibus meis est?* Pendet sensus ex verbis illis Apostoli ad Ephes. 5. vbi agens Apostolus de desponsatione Adam & Euæ, ait, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Dixerat priùs Paulus: *Membra sumus corporis Christi, de carne eius & de ossibus eius:* Sacramentum ergo hoc magnum est, quia sicut Eua de ossibus Adæ, sic Ecclesia de ossibus Christi, de latere eius & de passione eius educta est. Dixit igitur Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Quasi dicat: Nunc videmus ea ossibus meis sponsam meam, sed postea videbimus quid significet hoc, nempe Ecclesiam sponsam Christi educi de ossibus secundi Adam. Hinc patet cur Christus Dominus noluerit in passione frangi ossa sua, quia ossa repræsentabant Ecclesiam Christi, in Ecclesia verò noluit esse scissuras, & diuisiones contra charitatem, quam toties & intensè nobis commendauit,
Ioan. 13. & 19. Ioan. 13. & 19.
2. Reg. 7. 1. Par. 17. 2. Reg. 7. & 1. Paral. 17. Cum habitaret Dauid in domo sua dixit ad Natan prophetam. *Ecce ego habito in domo cedrina, & arca fœderis Domini sub pellibus est*, &c. Placuit voluntas Dauidis Domino, sed domum ab eo construi sibi non permisit, sed remisit domus templi sut constructionem Salomoni. Cur, quæso, Domine, noluisti a Dauide templum ædificari? quid ipse Dominus respondetit. 1. Par. 17. ipsi Dauidi: *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator & sanguinem fuderis.* Ecce rationem. Relictum autem opus hoc fuit Salomoni, qui iuxta nomen suum pacificus fuit. Vide igitur quàm auersetur Dominus & quanto prosequatur odio crudelitatem in proximos, si Danidem qui licitè, & iustè sanguinem hostium Dei effuderat, sic ab ædificatione templi sui excludat, eo solum modo quòd vel licitè eum effudisset.
Gen. 49. Gen. 49. Cum patriarcha Iacob, iam morti vicinus, annunciaret filiis suis quæ ventura erant, & singulis prophetaret quæ illis attingebant, sic ad Iudam dixit: *Iuda adorabunt te fratres tui, non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Vbi S. Patriarcha annunciauit filio suo Iudæ futurum regem, inter fratres suos. Cur ita? nonne Ruben primogenitus erat? Illi ergo principatus inter fratres deberi videbatur. Respondet
Hugo. Hugo Victorinus ibidem: Iacob filio suo Ruben dixerat: *Effusus es sicut aqua, ne crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Id est, non ascendas ad dignitatem principatus, super alios, quam lege natiuitatis debueras obtinere, si non peccasses ita Hugo. Peccauerat Ruben propter illud adulterium magnum, ideo Deus è capite eius abstulit coronam, meritò quidem: sed cur illam dignitatem concessit Deus Iudæ plusquàm aliis fratribus? Respondet Hugo, quia eripuit fratrem suum Ioseph à morte qua illum interficere volebant alij fratres. ita ille. Hugó.
Nota est historia ca cap. 37. Genesis. Ecce quàm Deo charus sit amor & beneficentia in proximos, & maximè in fratres. Gen. 37.

Gen. 1. primum diem benedixit Deus, non verò secundum: cur ita? Quid peccauit secundus dies, vt ei Dominus benedictionem denegaret? S. Hieron. in c. 1. Aggei, quia non poterat, inquit, secundus dies qui numerum facit & ab vnione diuidit, Dei sententia comprobari. ita ille. & lib. 1. contra Iouinia. ait non esse bonum duplicem numerum qui ab vnione diuidat. Scio aliter posse interpretar hūc Genesis locum: sed non ideo reiicienda est tanti patris interpretatio, idem simul cum aliis expositionibus stare potest, & quam ipsemet Hiero defendit in Apologia pro suis libris contra Iouinianum. Gen. 1. n. 6 & 7. S. Hiero.

Adde in hoc 2. die factam esse aquarum diuisionem, aquarum scilicet quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum: & secundùm rationem S. Hiero. merito Deus illam benedictionem primo diei tribuit & non secundo. Ioan. 17. sic Christus ad patrem de discipulis suis: *Pater sancte, serua eos vt sint vnum sicut & nos.* Quod est, *sicut nos?* Etenim non potuit altius commendari charitas fraterna, idem enim fuit ac si diceret, si fieri posset, vel, valde multum, &c. Ioan. 17.

Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Quid sibi vult hæc vnitas oculorum? S. Greg. Papa, S. Anselmus, Beda & Philo Carpatius & alij: per vnum oculum, aiunt significari vnitatem sanctorum Doctorum; per vnum verò crinem multitudinem plebis fidelium, qui simul in Ecclesia vniti sunt. Induci autem hoc sic potest, vt vnitas hæc in oculis sit vnitas illa visionis oculorum, ita vt licet oculi duo sint, visio tamen amborum vnica sit: hæc vnio quæ vnionem explicat charitatis ita grata Deo est, vt Deus asserat se vulneratum esse in corde, à charitate, & vnione nostra. Ecce quanto pretio æstimet Deus charitatem proximorum. S. Greg.

Sed vbi maximè ostendit quàm charus illi sit proximorum amor? sermo ille quem Christus Dominus ad discipulos suos habuit in suprema noctia cæna manifestat. Solent enim parentes instante morte vocare filios suos, & res maiores momenti, & desiderij sui præcipui illis non semel, sed iterum atque iterum commendare. Sic ergo fecit Christus morti vicinus, qui discipulis suis ter præceptum hoc charitatis commendauit, vbi modus quem Christus tenuit in vicibus his considerandus venit. Primo igitur c. 13. Ioan. dixit: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Cur *nouum* vocat hoc præceptum, cum in lege naturæ & à constitutione mundi naturæ nostræ insitum sit? item hoc præceptum in lege scripta traditum est. Ponderat hoc S. Aug tractatu 65. in Ioannem dicens: Non ne erat iam hoc mandatum in antiqua lege, vbi scriptū est (Exod. 20.) *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum?* Cur ergo *nouum* appellatur à Domino quod tam vetus esse conuincitur? & respondet idem S. Aug. An ideo est mandatum *nouum*, quia exuto vetere induit nos hominem nouum? Innouat quidem nos non omnis, sed ista dilectio quam Dominus mandat. ita S. August. Nouum ergo præceptum vocat ab effectu, quia hominem peccatorem & ideo Ioan. 13. S. August.

Ideo pannosum,& attritis vestibus indutum,denique malè vestitum, renouat charitas vera, & ornat habitus a Deo gloriosus, qualis est Christiana
Beda. dilectio. Idem quod S. Aug. asserit Beda, quia sic
S. Chrys. sumus in Christo noua creatura. S. Chrys. hom.
11. in Ioan. *nouum* vocat hoc præceptum propter modum: ait enim Christus Dominus, *sicut ego dilexi vos*, id est, vt si opus fuerit etiam pro inimicis parati sitis crucifigi: quamuis enim secundùm præceptum naturale charitatis parati esse debeamus quando opus est pro nostris proximis animas ponere; non ita hoc erat in vsu vt renouatione non egeret: sed tamen ad rem, meritò Saluator ait *nouum* se dare *præceptum* charitatis proximorum, ac si diceret: Ita vobis hoc præceptum propono, ac si de nouo illud traderem, & quia ob malitiam hominum ita inueteratum est ac si non esset mandatum, nunc renouo illud, & quasi nouum vobis commendo.

S. Cyril. Denique S. Cyrillus, S. Chrys. Ruper. Theo-
S. Chrys. dorus, Theophylac. Euthy. & alij, *nouum manda-*
Rupertus. *tum* appellari dicunt, eo quod in veteri lege iu-
Theophy. beremur proximum nostrum diligere sicut nos;
Euthym. nunc autem nouum modum mensuræ huic præcepto imponit, scilicet, vt diligamus proximum sicut nos dilexit Christus, qui intensissimè nos amauit, quantumuis inimici illi essemus, sic ergo nos, &c. licet enim ad intensionem amoris Christi peruenire non valeamus, faciamus quantum in nobis possibile sit.

Tandem ex his omnibus constat quàm diligat Deus dilectionem istam. siquidem sic enixè Christus Dominus eam nobis commendat.

Item secundò commendat hoc præceptum Chri-
Ioan. 15. 17. stus Ioan. 15. dicens: *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Quid, quæso, est quod cum dilectio proximi vnicum & singulare mandatum sit, quasi de pluribus in numero plurali Dominus dicat, *Hæc mando vobis*, & non potius, *Hoc mando vobis*? Etenim cum quis nostrum ab alio aliquid petit, quod ab illo concedi desiderat, etiam si vnica res sit, tanquam sibi mille beneficia exhibere dicit: *Señor si esto haceis pormi hareisme en ello mill mercedes*; quo significare vult se tanquam pro mille illud æstimare. ita Dominus *hæc* inquit in plurali, cum vnum sit quod à nobis petit, quasi dicat: Quamuis vnum sit quod vobis iniungo, tanquã plura mihi exhibita obsequia æstimabo. Ecce quam Deo accepta sit proximi dilectio.

Sed attende, quasi non satis illi fuisset bis hoc præceptum discipulis & nobis commendasse, ait
Ioan. 15. tertiò in eodem capite 15. Ioan: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Cur hoc præceptum suum speciatim vocat, quasi reliqua præcepta Decalogi eius non essent? S.
S. Greg. Greg. hom. 27. in Euangelia, quia, inquit, omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola dilectione solidatur. ita ille.

Maldona. Sed ad institutum nostrum rectè Pater Maldonatus dicens: Hoc mandatum suum vocat Dominus, non quòd alia non habeat, quæ & ipsa à nobis seruari velit, sed quòd hoc maximè omniũ
Simile. commendet & maximè omnium seruari velit; sicut si pater multos habens filios, de vno aliquo qui sibi obsequentissimus & charissimus sit, dicat; hic est meus filius, non negans alios, sed significans hunc maximè suum esse: docet autem eos vt se inuicem diligant, non verbis solùm, sed etiam exemplo, *Sicut ego dilexi vos.* ita ille.

Cur autem toties repetierit hoc mandatum, rectè idem pater Maldonatus respondet, quia sciebat non satis sua dignitate posse commendari. ita ille. Ecce quanti fecerit Dominus dilectionem proximi, & quàm grata sit ei. Ratio igitur postulat, vt & nos etiam illam magni faciamus & præceptum sic a Deo nostro nobis demandatum libentissimè & totis viribus obseruemus.

Num. 26. præcepit Deus, vt terra promissionis Num. 26.
diuideretur inter tribus Israël proportione serua- 54.
ta; *Pluribus* (inquiens) *maiorem partẽ dabis, & paucioribus minorem.* ita ibi. Et nihilominus ibidem præcepit, vt talis diuisio terræ per sortes fieret, *Sors* (inquit) *terram tribubus diuidat.* Quomodo, quæso, sors quæ de se incerta est poterat diuidere pluribus maiorem partẽ, & paucioribus minorem?
Lyranus ibidẽ & Abulen. in c. 18. Iosue q. 5. aiunt, Lyra.
verè per sortes ita distributionem certam illam Abul.
factã esse, Deo ita prouidente: voluisse autẽ Deum quòd media sorte id ita fieret ad tollendas discordias, quæ ex distributione humano consilio facta poterant suboriri. ita ille Ecce ergo quã amet Deus concordiã in populo suo, vt miraculo sortis partitio potiùs fieret quã discordiæ occasio interesset.

Item Ioa. 19. *Milites ergo cum crucifixissent eũ,* Ioan. 19.
acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor par- 23.
tes, &c. & subdit: *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt autẽ ad inuicem: Non scindamus eã, sed sortiamur de illa cuius sit, vt*
scriptura impleretur, dicens: (Ps. 1.) *Partiti sunt ve-* Psal. 21. 19.
stimenta mea & super vestem meam miserunt sortem. Cur Christus Dominus hanc vestẽ diuidi noluit? S. Ber. Apologia ad Guillelmum, hanc tunicã symbolum Ecclesiæ fuisse ait, & subdit: Hæc tunica polimita & inconsutilis fuit; polimita, ob multorũ ordinũ qui in Ecclesia sunt, multimodã distinctionẽ; inconsutilis verò, propter indissolubilis chari-
tatis indiuiduam vnitatem. ita. S. Ber. & S. Cypr. S. Ber.
Epistola de vnitate Ecclesiæ, tunicã hanc figuram S. Cypri.
Ecclesiæ ait fuisse. Voluit igitur Dominus sic significare, quã illi grata sit pax & concordia fideliũ.

Ps. 128. sic Dauid de Christo in sensu mystico: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatẽ suam.* S. Hier. sic ex Hebræo legit: *Supra dorsum meum arauerunt arantes, prolongauerunt sulcum suum*, quasi Christi Domini nostri impresso vomere caro sulcari videretur, cum tamen nullum vel minimum ossium frangi etiam
post mortem pateretur, dicente Ioan. c. 19. *Ad Ie-* Ioa 19. 33.
sum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mor-
tuum, non fregerunt eius crura. In cuius rei typum Exod. 12.
præceperat Deus, ne agni paschalis ossa frangeren- 43.
tor. Cur igitur Dominus suam carnem sic sulcari
passus est, ossa verò frangi non permiserit? S. Tho- S. Tho.
mas, quia, inquit, ossa Christi robur eius in passione illa acerba significabant, quòd integrum & inuictum permansit semper. ita ille, quo nobis exemplum patientiæ dedit in laboribus perferendis.
Possumus secundò sic exponere, quod sicut agri- Simile.
la agrum suum arat, vt fructum reddat, sic Deus Pater (quem filius agricolam vocauit) permisit filiũ sic arari, vt redemptionis nostræ fructum redderet copiosũ. Sed tertiò & ad institutũ nostrũ, per ossa Christi fideles suos in quibus eius Ecclesia cõsistit,
intelligi voluit, iuxta illud Apostoli loquentis de productione Euę ex costa Adã, ad Eph. 5. *Sacramẽtũ* Eph. 5. 32.
hoc magnũ est: ego autẽ dico in Christo & in Ecclesia. Permisit ergo Christus carnẽ suã grauiter vulnerari, fideles verò suos quasi ossa non scissa esse, sed integra sine diuisione permanere: vt inde significaret eam non solùm vnitam, sed vnam esse debere sine scissura aliqua pacis & concordiæ.

1. Cor. 11. Vnde Apostolus 1. Cor. 11. valde inuehitur in Corinthios, dicens: *Conuenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos*, &c. Emphasim habent verba illa duo, *inter vos*, ac si diceret inter vos Christianos; etenim inter barbaros, & infideles discordiæ damnabiles quidem sunt, at inter vos Christi sectatores damnabiliores multo, cum sic vobis pax ab eo commendata sit,& damnata discordia,vt in Euangelio constat.

Ioan. 17. 39. Denique quàm optet Deus hanc inter nos vnionem, maximè ostendit ea, quam ad patrem fecit orationem Christus Ioan. 17. tempore mortis suæ dicens: *Rogo Pater, vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me & ego in te,vt ipsi in nobis vnum sint*. Non ait, sicut corpus & anima vnum sunt, &c. Sed *sicut ego & tu*, &c. potest ne ampliùs exaggerari vnitas nostra?

Propositio IV.

Quòd proximos quantumuis pauperes amare debeamus.

Cant. 2. SIc Deus ad sponsam suam Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, & veni: iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, vox turturis audita est, in terra nostra*. Pondera quæso verba illa, bis prolata, *in terra nostra*, non ait, in terra, sed consultò addidit, *nostra*. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, ait Dauid Ps. 113. Cur igitur non ait, *in terra vestra*, sed *nostra*? Mirè expendit & exponit S. Bern. ser. 59. in cantica, locum

S. Bern. ser. 59. in Can. istum,di ens: Minimè dissimulare queo quod ecce secundò is qui à cælo est, de terra loquatur, vti qui tam dignanter, tam socialiter, quasi vnus, è terra; ergo ne ratione carebit tam insueta, ne dicam indigna, de Deo locutio? Aduerte igitur quantæ suauitatis sit Deum cæli dicere, *in terra nostra*. Quique terrigenæ & filij hominum audite, magnificauit Dominus facere nobiscum, in terra, inquit, nostra, non planè principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem, tanquam sponsus hoc dicit, non tanquam Dominos, amor loquitur, qui Dominum nescit, neminem suscipit amor, sed nec despicit quidem. ita S. Bern. non est igitur personarum acceptor amor, amat enim personas & non personarum status, nec accidentales personarum conditiones.

Propositio V.

Amor proximi quàm ad salutem & saluationem animæ sit necessarius.

Genes 7. GEn. 7. ex animantibus mundis & immundis iussit Deus seruare Noë in arca, hoc tamen discrimine, vt ex immundis paria, ex mundis imparia esseot. Cur ita? Impari,inquies,Deus numero gaudet, hoc quærimus quid in numero isto

S. Isido. impari amet Deus? S. Isidor. hunc locum explicans, quemque citat Glossa ordinaria,per animalia ista munda viros iustos intelligens, per immunda iniostos: quia, inquit, tosti seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis, mali verò in binario continentur, tanquam diuisibiles & ad schismata faciles. ita S. Isid. Etenim ingressus ille in arcam Noë ingressum in Ecclesiam, quæ bonos & malos fideles in se habet,Importat: sed immundi hi sunt, qui secundùm præsentem iustitiam à cælesti gloria expulsi sunt. Signum igitur damnationis est ista diuisio, & defectus vnionis charitatis. Iusti verò in numero impari qui diuidi nequit, designantur ad cælestem patriam pertinere secundùm præsentem iustitiam.

Matth. 25. Mat. 25. Sic decem virginibus Christus Dominus: *Quinque acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, prudentes vero acceperunt oleum*.

S. Aug. S. Aug ser. 23. de verb. secondùm Mat. Harum virginum alias prudentes, alias verò fatuas Dominus dixit,vnde intoebimur,vnde eos discernemus illas? De oleo? aliquid ergo magnum significat oleum, valde magnum; est ne charitas? dicam vnde mihi videatur per oleum charitas significari. Apostolus dicit, adhuc supereminentiorem viam demonstro: quam viam supereminentiorem demonstrat? *Si linguis*, inquit, *hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens*. Charitas ergo est, supereminens via, quæ meritò oleo significatur. Omnibus enim humoribus oleum supereminet: mitte aquam, & superinfunde oleum, oleum supereminet: mitte oleum & superinfunde aquam,oleum supereminet; si ordinem seruaueris, vincit; si ordinem mutaueris, vincit. Sic charitas nunquam cadit. ita S. Aug. Ecce igitur quàm nobis charitas hæc ad salutem necessaria sit. Sine oleo isto, quinque virgines damnantur, cum oleo isto aliæ quinque virgines saluantor. Hinc est quòd in iudicio causam sic & sententiam profert Christus: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quia esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. Propter opera charitatis dat se regnum bonis præstare, & è conuerso malis, &c.

Propositio VI.

Quanta solicitudine salutem proximi curare debeamus.

Act. 7. 59 ACtor. 7. sic de sancto Stephano lapidibus ad mortem vulnerato, positis genibus clamauit, voce magna dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum,& cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino*. Cur non in articulo illo mortis solùm pro se orauit? eo quidem tempore solent homines aliarum rerum omnium obliti, de salute agere

S. Bern. animæ suæ. Respondet S. Ber. ser. io natali sanctorum Innocentium: vicit in Stephano in articulo mortis sensum corporeæ passionis internæ compassionis affectus, vt magis illorum scelera plangeret, quàm vulnera sua. ita S. Ber. Dixerat quidem prius: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, sed cum pro inimicis orare voluit, positis genibus orauit,& non quomodocumque, sed clamore magno, quod cum pro se oraret non fecit. Talis eius charitas in proximos fuit, tanta cura saluationis eorum.

1. Thess. 3. 1. ad Thessalon. 3. cum magnis laboribus vexaretur Paulus, sic ad Thessalonicenses scribit: *Nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quia in hoc positi sumus*. Ponderat verba

S Greg. ista S. Greg. 3. Mor. 16. dicens: Aliorum casus in sua passione metuebat, ne dum discipuli ipsum afflictum verberibus pro fide viderent, fideles se profiteri recusarent. O immensæ charitatis viscera!

ra! despicit quod ipse patitur, & curat nequid in anima discipuli patiantur. ita ille.

Gen. 20. Gen. 20. Iniuriam intulit Rex Abimelech Abrahæ quando arripuit vxorem eius, quamuis non vxorem, sed sororem eius, quamuis non vxorem, sed sororem aodiuerit esse, quia nec sororem accipere in vxorem debebat inuito fratre;& quamuis non legamus preces fudisse Abrahamum pro liberatione Saræ, Dominus præueniens preces eius mirabiliter eam liberauit, vt & nos disceremos proximis in suis necessitatibus, & periculis subuenire, non expectantes proximi preces. Sic optimè Hildebertus, Epist. 33. Nullus (inquit) vendit amicis obsequium, libenter & gratis subuenit, nescit preces expectare, sed velut egentis vaticinetur voluntatem præuenit rogaturum. Dubitat enim vtrùm sit obsequium quod elicit precum vis, quod non accipit improuidos, sed extorquet importunus. ita ille. Vtinam in hoc Dei imitatores essemus, vt sicut præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, sic nos præuenire mus proximos in necessitatibus suis dulciter ac benignè.

Ps. 40. c. Ps. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*, &c. Non ait, qui eleemosynam egeno & pauperi tribuit, sed *qui intelligit*. Cur ita? quid est intelligere super egenum? S. Aug. in Glossa ordinaria:

S. August. Nota(inquit)qui intelligit vt & non petentibus detur: qui enim petenti dat, bene facit; qui verò tacentem intelligit, beatus proculdubio est. ita S. Aug. Quàm verò sit gratum Deo huiusmodi misericordiæ genus, constat ex his quæ in eodem psalmo sequuntur, *in die mala*, scilicet in die iudicij, *liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra*, &c.

PROPOSITIO. VII.

Amare proximum signum est gratiæ.

1. Ioan. 4. 1. IOan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, id est, *in Deo manet*, sicut palmes vitæ recipiendo vitam à vite, *& Deus manet in eo*, sicut vitis in palmite tribuendo vitam

S. Leo gratiæ. Vnde S. Leo serm. 10. in quadragesima: Discutiant ergo se fidelium mentes, & intimos sui cordis affectus examinent, vt si repositum aliquid in sua conscientia ex fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent, & vt magis magisque tanti hospitis fiant capaces, fiant perseuerantes in misericordiæ operibus ampliores. ita S. Leo. Hoc est, vt magis magisque Deus habitet in eis perampliorem scilicet gratiam à Deo recipiendo, opera misericordiæ multiplicent & amplificent.

PROPOSITIO VIII.

Qui proximum diligit, nocumenta eius vitare debet.

Matth. 2. QVidam quidem similes sunt scribis & principibus synagogæ Hierusalem quos Herodes interrogauit vbi Christus nasceretur, & illi prodiderunt nasciturū esse in Bethlehem Iudæ:

S. Chrys. de quibus sic S. Chrys. hom. 2. in Matth. Celare debebant mysterium natiuitatis Christi in conspectu Regis alienigenæ, qui aduersarius Regi futuro non ignorabatur, si ipsi sapienter voluissent considerare;& non solùm manifestarunt mysterium, sed etiam ad fidem sermonum suorum propheticum protolerunt exemplum, tanquam qui thesauros Domini sui absconditos hostibus eius produnt, & ita facti sunt non prædicatores, sed proditores mysteriorum Dei, & non doctores Herodis, sed irritatores malitiæ regis, & interficiendorum puerorum causa. ita ille. Vide 1. Reg. 22. quanta mala prouenerint propter Doeg, qui verbis inconsideratis excitauit furorem Saulis aduersus Sacerdotes Dei, &c. 1. Reg. 22. 9.

PROPOSITIO IX.

Quàm meritorium sit amare proximum.

2. COr. 11. sic Apost. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* Vbi S. Tho. hoc est, quis infirmatur in fide & in bono, & ego non infirmor in corde dolens de eo sicut de me? quis scandalizatur, id est, quis patitur tribulationes, & ego non vror igne compassionis? ita S. Thomas. Ecce charitatis in proximum effectus, compassionem videlicet proximi patientis. Quanti verò meriti compassio ista sit, dicam expendens verba illa sancti Fulgentij in præfatione lib. ad Mononimum, dicentis: Ecce quantum bonum charitas habeat, ecce quantum laudis apud Deum & homines possideat, vt cum dolet quod accidit illi quem amat, magis ipsa sustineat. ita S. Fulgentius, vbi duo affirmat; primum, quòd plus torqueat compassio compatientem, quàm passio patientem, nimirum, quia laborat v. g. proximus rei familiaris, vel salutis, vel honoris iacturam ferens, at compatiens in anima charitatis & compassionis gladio transuerberatur. Maius igitur est vulnus compatientis ex charitate, quàm patientis. Hinc est secundum quod S. Fulgen. ait: Ecce quantum bonum charitas habeat, hoc est, quàm excelsum meritum huic respondeat charitatiuæ compassioni: si enim vehementior est dolor compatientis, quàm patientis, maius etiam meritum erit compatientis quàm patientis. Magni quidem meriti est gaudere cum gaudentibus, amplioris verò flere cum flentibus, quatenus maioris meriti est charitas quæ maiorem laborem secum defert, &c. 2. Cor. 11. S. Thom. S. Fulg.

PROPOSITIO. X.

Amor proximi in operibus manifestatur.

AD Gal. 4. sic Paulus: *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Ponderans verba hæc S. Chrys. ait: Quem ita suscipiebant, & pro quo oculos erutos dedissent, quomodo non omnia quæ illorum erant possidebat? ita ille. Vide illum vbi infrà. Est quidem optima consequentia: Eum valde Galatæ diligebant, ergo Pauli erant eorum bona. Ideo Apostolus 1. ad Cor. 6. dicebat: *Nihil habentes & omnia possidentes*: quia se ab illis dilectum videns, bonorum illorum se dominum arbitrabatur. Sic locum hunc interpretatur S. Chrys. hom. 12. in 2. ad Corint. Gal. 4. 15. S. Chrys.

PROPOSITIO XI.

Qui verè amat proximum, patienter eum tolerat.

1.Cor.13. 1. COr. 13. *Charitas patiens est, benigna est:* non satis fuit S. Paulo patientiam tribuere charitati, sed etiam benignitatem adiunxit. Benignitas autem idem est quod bonus ignis scilicet interior dilectionis, & beneuolentiæ erga proximum. Si ergo aliquid horum defuerit, deficiat pariter charitas oportet. Sic expendit locum istum S. Greg 8.Mor.1.dicens: charitas patiens est, benigna est; cum vero vnum ex vtroque defuerit, charitas non est, si videlicet malos tolerans absque benignitate non amat, aut rursum si se sine patientia exhibens negligit tolerare quos amat. Vt ergo à nobis charitas vera teneatur, necesse est vt benignitati patientia, & rursus patientiæ benignitas suffragetur. ita ille. S.Greg.

Plinius Plin. lib. 16. c. 1. Abies(inquit)adeo cohæret glutino, vt priùs ex parte scindatur, qua solida est, quàm qua glutino ferruminata: sic arctiùs cohærent quos copulauit mutua beneuolentia. Melius hoc charitati congruit: etenim sæpe sæpius qui se amicissimos iactant, cum discordiæ se obtulerit occasio, amicitiæ vale dicunt, & ex amicis inimici redduntur; hi verò qui vera se charitate diligunt in Deo, etiam rixæ occasione ortâ chari inter se manent, quia *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet.* Id Apostolus affirmat 1. ad Cor. 13.

PROPOSITIO XII.

Quàm eximius debeat esse amor in proximum.

Ioan.17. IOan. 17. sic Christus Dominus Patrem orabat, pro credituris in eum dicens: *Rogo Pater vt sint vnum sicut tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Qui fieri potest vt nos vnum quid simus, sicut Pater & Filius vnum sunt? S. Aug explicans hanc vnitatem ser. 16. de verbis Domini secundùm Lucam, ait: Videte nobis commendari vnitatem: certe Deus noster vnitas est & trinitas; Pater enim non est Filius, & Filius non est Pater, Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed Spiritus amborum, & tamen non sunt tres dij, nec tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, & ipsa trinitas vnus Deus, ad hoc vnum nos oon perduxit nisi habeamus cor vnum. ita S. Aug. Vnitas ergo amoris nos imitatores reddit vnitatis personarum diuinarum, vt sicut tres personæ diuinæ vnum sunt, vnam & vnicam habentes voluntatem, intellectum vnum, potentiam, vnam, &c. Sic nos licet plures personæ simus, per charitatem tamen vnum quid simus, idem sentientes, idem volentes, idem dicentes, &c. Hanc io nobis exigebat Apost. 1. Cor. 1. *Obsecro vos fratres vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Et ad Phil. 2. *Implete gaudium meum vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Quàm rectè inanem gloriam huic opposuit vnitati; speciatim enim contentiones, & dissensiones ex inani gloria oriuntur, vt scilicet notum alijs sit melius me reliquis intelligere, vel iudicare de rebus de quibus agitur, &c. S. August. Phil.2.

Quàm verò necessaria sit hæc vnio & charitas fraterna, Christus Dominus asseruit Luc. 10. Quando Martha querula dixit: *Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic illi vt me adiuuet. Cui Dominus: Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima; porrò vnum est necessarium, &c.* Disputatio ingens, quodnam sit hoc vnum. S. Aug ser. 26. de verbis Domini. Repetitio nominis Marthæ ad hoc fortè fuit, vt audiret attentiùs. Quod igitur hoc vnum? Ecce fratres mei quàm multi estis, quis vos ferret, nisi vnum saperetis? Vnde in multis ista quies? da vnum & populus est, tolle vnum & turba est: quid est enim turba nisi multitudo turbata? ita ille. *Con vnion fraterna lamuchedumbre es vnidad de gente pacifica perosinella es canalla de gente turbada.* Ecce quàm necessaria sit vnitas hæc, sine qua omnia perturbantur & sit intolerabilis turbatio. Luc.10. S. August.

PROPOSITIO XIII.

Quàm graue malum sit non amare proximum.

Ioan.19. IOan. 19. Christus Dominus in Cruce pendens, & siti grauatus (plurimum enim sanguinem amiserat) dixit, *Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum, illi autem spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.* Obserua quo temporis articulo tradiderit Dominus spiritum suum, illo scilicet quo tot tantisque tormentis vexatus sitiens potus refrigerium postulabat, & illi non vinum, non aquam, sed acetum obtulerunt: tunc Christus Dominus è vita recedere voluit, quasi diceret: Inter quos tanta inhumanitas, tanta crudelitas viget, vt homini in maxima necessitate & afflictione constituto vel aqua sitienti valde sic denegetur, ampliùs viuere nolo. Id expendit S. Chrys. hom. 84. in Ioannem dicens: Adstantium prauitatem considera, nam licet innumeros habeamus inimicos qui nos grauissimè persecuti sint, cum tamen eos interimi videmus, misericordia flectimur: hi verò nihil moti magis efferuntur, & irrident, & acetum in spongia porrigunt, quo gustato mortuus est. ita ille. Nota *quo gustato*, ac si dicat: quasi non ferens crudelem charitatis defectum, recedere è vita statim voluit: hanc enim hominum inhumanitatem Deus maximè abhorret. S. Chrys.

PROPOSITIO XIV.

Amor proximi vnit corda.

CHaritas est quæ nos vnit, ita vt non solùm vnum mediante charitate simus, sed vnus omnes homines per dilectionem simus. Vnde Paulus 1. Cor. 9. *In stadio omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis.* Expende hanc similitudinem. Intentio Apostoli fuit dicere quod brauium fælicitatis æternæ non solùm vnus tantummodo apprehendat, 1.Cor.9.

sed

Eadem supra pag. 7. prop. 3. sed omnes iusti; ideo in plurali dicit, *sic currite vt comprehendatis*, & tamen comparatio est de vno qui consequitur præmium. Cur ita? quia loquitur de iustis qui quidem in charitate manent: animaduersio est hæc Origenis homi. de Elcana dicentis: Meritò omnes iusti non solùm vnum, sed vnus dicuntur, sicut Apostolus designauit dicens: *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.* ita Origenes.

Origen.

Cantic. 6. Cant. 6. sic Deus noster, *vna est columba mea, perfecta mea*, de anima sancta hic loquitur Deus. Cum igitur plurimæ animæ sanctæ sint in Ecclesia Dei, cur vnam dicit? S. Greg. in hunc locum sic exponit: Vna dicitur Ecclesia dum fideles habentes cor vnum in charitate se vniunt. ita S. Greg. quasi dicat: Multitudo magna iustorum per mutuam dilectionem in vnitatem coalescit, ita vt idem sapiant, idem velint, idem nolint, idem dicant, idem quærant.

S Greg.

Ezech. 1. Ezechiel. 1. vidit Ezechiel currum oculis plenum, id est, vidit Ecclesiam Dei plenam oculis, id est iustis. Cur igitur iustos per oculos expressit? tum quia oculus princeps, & præcipuus est inter corporis sensus. Sic iusti præcipui & excelsiores sunt in orbe, non diuites, non nobiles & potentes, etiamsi iusti reperiantur, non hi excelsi sunt, quia diuites, nobiles & potentes, sed quia iusti; quod si pauper & ignobilis iustior fuerit diuitibus & aliis, ipse sublimior illis erit. Præterea oculi totum corpus dirigunt atque regunt, sic iusti sunt qui vias cæli speculantes reliquos per vias regni in cælum ducunt. Prætetea oculi symbolum iustorum sunt, quia sicut natura curâ multâ oculos custodit, sic Deus iustos. Zachar. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Zach. 2.

Sed tamen ideo iusti qui se inuicem amant oculis comparantur, quia sicut oculi simul ita vident vt vnus ab altero in videndo non separetur: ita qui charitate vniuntur, simul tendunt in vnum. Audi S. Ansel. lib. de similitudinibus, c. 36. qui agens de vnione beatorum quorum charitas eadem est cum nostra, ait: Omnes iusti concordia tanta erunt, quanta sunt in præsenti oculi nostri. Sicut enim oculus vnus verti non potest quò non vertatur & alius, sed in eadem partem semper voluuntur, sic societas illa iustorum, nihil enim poterunt velle diuersum, sed eandem semper habebunt. ita S. Ansel.

S. Ansel.

Ps. 132. Quanta autem sit huius vnionis, & charitatis excellentia, constat ex illis verbis Dauidis Ps. 132. *Quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum!* Dic ergo nobis Propheta Dei quàm bonum & iucundum sit! rectè quidem vir quidam doctus in hunc locum: Hanc, inquit, vnitatem admirari potuit Dauid, sed explicare non potuit. ita ille. Nimirum, quia inter tres virtutes Theologales quæ cæteris sublimiores sunt, maior est charitas, sicut ait Apost. 1. Cor. 13.

1. Cor. 13. 13.

Propositio XV.

Quod pro amore proximi facimus, sibi factum reputat Christus.

Matth. 25. MAtth. 25. *Esuriui*, &c. Cur sibi attribuit quod proximo vel fecimus vel non fecimus? quia membra Christi nos sumus, vti Apost. ait ad Ephes. 5. *Membra sumus corporis Christi*, &c. Cum autem patitur vnum membrum, totus homo dicitur pati; dolet pes, & dicis, dolorem patior, non dicis tantum, pes meus dolet, sed, ego dolore conficior. Vnde persequente Saule christianos, dixit ei Dominus. Act. 9. *Saule Saule cur me persequeris?* Quid ais Domine? persequi quis poterit, qui in cælo resides in dextera Dei Patris? S. Aug. tract. 10. in Epis. Ioannis to. 9 persecutorem membrorum suorum vocauit persecutorem suum; si diligis caput, diligis & membra; si autem non diligis membra, nec caput diligis. ita ille. Vnde Christus Dominus in dicto c. 25. Mat. dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Quare si pauperi eleemosynam præbes, eam Christo præbuisti: si verò pauperi eam denegas, Christo Domino eam denegasti. Quis ergo ratione prædítus Christo denegare quod potest præstare denegabit petenti?

S. Aug.

Iudic. 7. Iudicum 9. sic ad magnum illum virum Gedeonem Angelus quidam à Deo missus, *Dominus tecum virorum fortissime, cui Gedeon: si Dominus nobiscum, quomodo apprehenderunt nos hæc mala?* Obserua non dixisse Angelum, *Dominus vobiscum*, sed, *Dominus tecum*, in numero singulari. Cur igitur ille in numero plurali, *nobiscum?* nimirum, quia sic cæteros proximos diligebat sicut se ipsum, & propterea quod de se ab Angelo audiebat dictum, de cæteris intelligendum esse censebat: mala enim quæ populus patiebatur, sua, & bona quæ illi soli Angelus tribuebat, aliorum etiam esse existimabat. Vtinam & nos sic proximos diligeremus, &c.

Vnde meritò Angelus virorum fortissimum illum appellauit, in quo talis charitas erat; est enim fortis, sicut mors dilectio, & propter hanc etiam fortitudinem dilectionis, Ducem exercitus & populi sui Deus eum constituit: charitas enim animos addit ad huiusmodi cum hostibus congressum.

Hinc etiam S. Cyprianus lib. de lapsis, videns nonnullos proximos suos in quosdam errores lapsos, noluit consolari. dicens: In prostratis fratribus me prostrauit affectus. ita ille. & quidem ille non cum illis lapsus erat, sed in eos amor quasi lapsum fuisse designabat.

Propositio XVI.

Amor proximi extraneos reputat suos.

Simile. MVsica ex diuersis, imò contrariis vocibus & sonis constat, grauibus scilicet & acutis, &c. & tamen ita consonant illæ voces, & concordant vt gratam & mirabilem consonantiam efficiant. Id igitur quod in musicis ars præstat, charitas in moribus facit: licet enim in eadem communitate diuersæ rationis & conditionis, & complexionis homines sint, hic nempe colericus est. ille phlegmaticus, iste sanguineus, ille melancholicus, hic ad litteras procliuis, ille ad agibilia, &c. Charitas tamen ista ita eos concordat, vt consonantiam iucundissimam faciant in communitate. Hoc illud est quod tanquam mirabile notauit Psalmista Psal. 67. *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Originale Hebræum sic habet: *Qui inhabitare facit vnitos in domo*, id est, vt exponit Cardinalis Belarm vnius sensus, vnius voluntatis, vnius moris, quales erant primi Christiani qui dicebantur esse cor vnum & anima vna, Actorum 4. ita ille. Hoc autem fecit Deus

Ps. 67. 6.



Deus per charitatem quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Propositio XVII.

Quàm secundùm naturam sit amor proximi.

Gen. 2. 7.

GEn. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Cur Deus nobilissimam omnium corporearum rerum creaturam ex terra & non ex altiori alio elemento formauit, cum id facilè præstare posset: S. Ambro. lib. 3. offic. Considera, ô homo, vnde nomen sumpseris, ab humo scilicet quæ nihil à te accipit, sed omnia largitur omnibus, & diuersos in omnium animantium vsum fructus administrat. Inde appellata humanitas specialis & domestica virtus hominis, quæ adiuuet consortem. ita S. Ambr. Auarus autem non sicut terra pium se ac liberalem exhibet, sed sicut ignis omnia consumere & in se conuertere quærit.

S. Ambr. — Simile. — Dissimile.

Id ipsum in sensibus, & partibus corporis nostri à Deo authore naturæ videre licet: vnumquodque enim eorum alteri prodesse curat, nocere nunquam. Qua quidem similitudine vsus Apostolus Paul. in 1. ad Cor. 12. vbi ait: *Non est schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem solicita sunt membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ita Apost. Infert hinc S. Ambro 3. offic. & ait: Vide quam graue est vt detrahamus nos aliquid ei cui nos compati oportet, & videbimus consortium ministerij, ne ei fraudi & noxæ simus: hæc vtique lex naturæ est, quæ nos ad omnem astringit humanitatem, vt tanquam vnius corporis partes alter alteri deferamus, nec detrahendum quidquam vnius corporis putemus, cum contra naturæ legem sit non iuuare; finge hanc & da oculo virtutem, vt possit detrahere, auditum auribus, odoratum naribus, ori saporem & conferat sibi? nonne omnem statum naturæ dissoluet? Sic ergo nascimur vt consentiant membra membris, & alter alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuò in mysterio, ita S. Ambros.

1. Cor. 12. — S. Ambr.

Propositio XVIII.

Amorem proximi tanquam hæreditatem nobis dedit Christus Dominus.

Ioan 13.

IN nocte illa, in qua Dominus morti iam propinquus condidit testamentum, patrimonium filiis suis assignans sic ad eos: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ac si diceret: hoc vobis patrimonium mando & reliquo, &c. Quod quidem sufficere prorsus debet, vt ex vero corde nos inuicem diligamus. 3. Reg. 21. *Petiuit Rex Acab vineam à Naboth, qui respondit: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Indignè tulit responsum istud Rex, indignitius vxor eius Iezabel, quæ propterea mortem machinata est Naboth; quem denique ideo indignissime interficere fecit: meruere hoc poterat Naboth. Quare ergo non elegit potiùs concedere vineam Regi? quia hæreditas, inquit, est, quam a parentibus in patrimonium cepi. Charitas & amor proximi hæreditas est, quam Christus Dominus nobis in patrimonium dedit. Prius igitur mori nos oportet, quàm amittere illam; Cum, inquam, patrimonium sit incomparabiliter pretiosius quam patrimonium Naboth, & cuiuscunque principis terræ. *Demos primero la garganta alenchillo que perder tal patrimonio*: Hæreditas enim est patris nostri Christi in vltimo testamento demandata *hæc mando vobis*, &c. *Funes* (inquit Dauid) *ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Ps. 15. præclarior quidem hæreditas nostra, quàm illa Dauidis: nam illa erat legis timoris, hæc verò amoris, vt scilicet diligamus Deum & proximum; quod si in illa gloriabatur Dauid, quanto magis nos gloriari oportet in nostra?

3. Reg. 21. — Psal. 15.

Angelus.

1. *Angelus custos nos à diabolo defendit.*
2. *Quàm grati esse debeamus Angelo custodi.*
3. *Quàm excellentis naturæ sit Angelus.*
4. *Quàm exactè nos Angeli custodiant.*
5. *Quantum desiderent Angeli salutationem nostram.*

Propositio I.

Angelus custos nos à diabolo defendit.

Matth. 4.

MAtth. 4. *Accedens tentator*, &c. Tentatorem dæmonem vocat quasi ab officio: hoc enim quasi officium proprium sibi præscribit hostis noster, tentare videlicet nos & inde tentatoris nomen habet: sicut enim artifex, v. g. pictor, picturas artificiosè facere curat, sic hostis pessimas tentationes. Vnde 1. ad Thessalon. 3. Paulus, *Ne fortè tentauerit vos is qui tentat.* vbi Glossa, id est Diabolus, cuius officium est tentare. ita Glossa. Quærit igitur S. Th. 1. p. q. 114. art. 1. cur Deus bonus, qui supra modum nostram salutationem sitit & perfacilè illos compescere posset, non prohibet? Arguit ergo sic S. Thom. ibi in argumento 1. Non est æqua conditio pugnæ, vt infirmus contra fortem, ignarus contra astutum exponatur ad bellum; sed homines sunt infirmi & ignari, dæmones autem potentes & astuti; cur ergo permittit iustitiæ author vt homines à dæmonibus impugnentur? Respondet idem sanctus: Ad hoc, vt non sit inæqualis pugnæ conditio inter homines & dæmones, fit ex parte hominis talis recompensatio principaliter quidem per auxilium diuinæ gratiæ, secundario autem per custodiam Angelorum. Vnde 4. Reg. 6. Eliseus dixit ad ministrum suum: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt quàm contra nos.* ita ille. Quare in diuino iudicio nulla erit excusatio peccatoris dicentis, *Peccaui*, quia pugnaui contra hostem fortiorem me, sicut nihil profuit Euæ, Gen. 3. cum dixit: *Serpens decepit me.*

1. Thess. 3. — Glossa — S. Thom. — 4. Reg. 6.

Propositio II.

Quàm grati esse debeamus Angelo custodi.

Leui 23. 34.

LEui 23. Iussit Dominus singulis annis mense septimo celebrare filios Israel festum solemne Tabernaculorum, diebus septem: & *dies primus*

bonum

horum vocabitur, inquit, *celeberrimus atque sanctissimus.* Quare hoc festum celebrari sic iussit? Respondet S. Tho. 1.2. q. 102. art. 4. ad 10. Ad commemorandum beneficium diuinæ protectionis, & deductionis per desertum, vbi in tabernaculis habitauerunt, vnde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, id est, citrum, & lignum densarum frondium, id est myrtum, quæ sunt odorifera, & spatulas palmarum, & salices de torrente quæ diu retinent suum viorem, quæque inueniuntur in terra promissionis, ad significandum quòd per aridam terram deserti eos deduxerat Deus ad terram deliriosam. ita S. Th. Hinc colligere licet quantum Angelis custodibus debeamus, cum duces nostri fidelissimi sint, ducendo nos non in terram promissionis, vbi quam plurimi perierunt, sed in cælestem patriam, vbi in æternum salui cum Deo viuamus atque regnemus. — S. Thom.

Propositio III.

Quàm excellentis naturæ sit Angelus.

Genes. 1. — GEn. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Cur in hac rerum creatione tam exactè conscripta nullam Angelorum fecit mentionem Moyses, cum Angelus omnium creaturarum excellentissima sit? S. Theodot. q. 1. in Gen. sic respondet: Qui lege antiqua tegebantur, post plura, & ineffabilia miracula, imaginem vituli Deum designauerunt; quod si tam facilè sibi Deos finxerunt, quid non perpetrassent inuisibilis naturæ notitiam assecuti? ita ille. — S. Theod.

Ex quo etiam constat quàm oporteat peccatorum occasiones vitare: cum enim valde conueniens esset Angelorum creationem nosse tum in Creatoris laudem, tum vt Angelorum opem homines implorarent, & maximè custodum, melius nos eos ignorare iudicauit Dominus, quàm inde peccandi occasionem subire. Inde de Moyse S. Chrysost. hom. 5. in Matth. Non vtilis fuisset ingressus Moysi in Palæstinam: si enim quia per illum fuerant solùm de Ægypto liberati, relicto Deo tantummodo Moysem requirebant, si introductorem in Palæstinam habuissent, in quæ impietatis præcupia non cecidissent? ita ille. — S. Chrys.

Propositio IV.

Quàm exactè nos Angeli custodiant.

Cant. 3. 6. — CAnt. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel.* Qui sunt fortes isti? & quæ custodia ista? & cur lectum ambiunt Salomonis? S. Athan. in libro quæstionum, q. 121. Fortes hi Angeli Dei sunt, qui perfectum vitum circumeunt, & circa ipsum incedunt. ita ille In eo autem quod lectum circunstant, intelligi datur eximia illa cura, qua seruos Dei Angeli seruant, ita vt dum nos somno damus, ipsi vigilent nos custodientes. Quod etiam significatur in somno illo Iacob. Genes. 27. cum dormiens vidit scalam in cælum protensam & Angelos Dei ascendentes per eam: dormiebat quidem ille, sed Angeli ad eum missi non dormiebant, sed circa illum vigilabant: vt notum nobis esset quòd nec vigilantibus nec dormientibus nobis deserunt nos Angeli sancti. — S. Athan.

Propositio V.

Quantum desiderent Angeli salutationem nostram.

GEn. 19. ex tribus illis Angelis quos tanquam peregrinos inuitauerat Abraham Gen. 18. vnus cum Abrahamo mansit, cum quo Abraham de venia Sodomorum agebat, duo reliqui Sodomam pergebant ad gentem illam subuertendam. De his igitur duobus ait scriptura: *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere*, &c. Cur autem vespere potiùs quàm mane? Abulensis in hunc locum sic ait: Dicunt aliqui quod venerunt vespere, quia per totam diem expectauerunt, vt viderent si Dominus parceret ciuitatibus illis propter Abraham. Angeli enim boni desiderant omnium hominum salutem, & hoc satis bene dicitur. ita Abulensis. Vbi etiam patet misericordia magna Dei, ob eam enim Angeli expectabant. — Gen. 19. 1.

Anima.

1. *Anima laboribus & bonis operibus ditatur.*
2. *Qualis & quanta habenda sit animæ cura.*
3. *Quàm indecens sit animam corpori seruire.*

Propositio I.

Anima laboribus & bonis operibus ditatur.

GEn. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Et infrà. *Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur & custodiret illum.* Qualem agricolam esse voluerit Deus hominem, adnotauit S. Chrys. dicens: vt operaretur non ad victum comparandum, sed ad honestum exercitium, ita vt nec fatigaretur, nec otiaretur. ita ille. Deus igitur hominem de terra formauit, & terram colere voluit. Cur non ex materia cæli, vel ex aliquo alio terra superiori elemento hominem formauit? si quidem homo inter omnia visibilia potior, & sublimior est, & cur illi agricolæ officium iniunxerit; cum tale officium dignitate hominis adeo inferius sit? Etenim de terra hominem formauit, vt notum nobis esset eo modo fructus ab eo reddendos esse sicut à terra: terra enim ligone, & aratro culta, & comminuta fructum edit: sic etiam vt homo bonorum morum, & virtutum fructum ferat, oportet vt ligone & aratro mortificationis, & pænitentiæ & bonorum operum exercitatione colatur & exerceatur. Alioquin sicut terra inculta tribulos & spinas, & herbas profert: sic homo nisi agriculturæ subdatur, pessimas vitiorum herbas dabit: sensus enim & cogitatio humani cordis ab adolescentia sua prona sunt in malum, vti Deus ipse dixit Genes. 8. — Gen. 2. 15. — S. Chrys. — Gen. 8. 21.

Hinc est quòd Deus ipse cum videt nos ab huiusmodi munere agriculturæ vacare, laboribus & aduersitatibus nos afficere solet, vt sic vexati.

&

& attriti fructus vtiles proferamus; ideoque Christus dixit: *Pater meus agricola est*: quid est *agricola* nisi terræ cultor? & quid *homo* nisi terra? cuius autem terræ nisi huius maximè Deus cultor est? Te igitur ipsum cole si vis à tribulationibus liberari.

PROPOSITIO II.

Qualis & quanta habenda sit animæ cura.

Eccl. 30. ECclesi. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Misericors ergo & pius est in se, qui seruit Deo, & econuersò impius & in se crudelis est peccator.

Expendit S. Aug. serm. 31. de verbo Domini secundùm Lucam verba illa Luc 11. ad Pharisæos dicens: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Pharisæi isti baptismo Christi abluti non erant, nec in Christum credebant: quomodo ergo ait Dominus: *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis?* Attende quid sit, *facite eleemosynam*; quid est, *facite eleemosynam?* Vtique facere misericordiam. Si ergo intelligis, incipe à te ipso, fac tibi eleemosynam, fac tibi misericordiam: quomodo ergo misericors es, si crudelis es tibi? Audi scripturam: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quicumque male viuis, redi ad conscientiam tuam, & ibi inuenies egentem, & mendicantem animam tuam. Fac ergo eleemosynam animæ tuæ, & ecce omnia munda sunt tibi. ita S. August.

PROPOSITIO III.

Quàm indecens sit animam corpori seruire.

Gen. 2.7. GEn. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, hoc est, creata est anima per spiraculum illud vitale, & sic factus est homo viuens. Hinc S. Chrys. hom. 12. in Gen. colligit quanta sit supra corpus humanum dignitas animæ, per animam quippe eleuatur caro ad esse quoddam sublime, & ad imaginem Dei, & omnium visibilium dominium. Ait igitur S. Chrys. ille de puluere formatus, inspiratus spiraculo vitæ, *Factus est*, inquit, *in animam viuentem*, hoc est, efficaciter operantem, cui membra corporis seruiant. Cæterum haud scio, quomodo nos hunc subuertetimus ordinem, & vsque adeo inualuerit malitia, quæ in tantum cogit carnis concupiscentiis obsequi, vt deturbetur à throno suo Regina, cuius erat præsidere, ordinare, & imperare: Cogimus, inquam, animam parere carnis voluptatibus, ignorantes generositatem ipsius animæ, & quantam præ carne eminentiam sortita sit. Expende igitur tecum, antequam anima inspiraretur à Domino, quis erat formatus ille, erat inanimis quædam imago, operatione carens, & ad nihilum vtilis, & totum id quod in tantum honorem ipsum prouehit, non est nisi anima nostra. Et vt hoc non solùm ex his quæ tunc facta sunt, sed ex præsentibus videas, cogita tecum quomodo post animæ migrationem, corpus hoc tam insuaue, & iniucundum appareat; sed quid dico insuaue & iniucundum? Quomodo fætore impletum, & deformitate horrendum est, quod antea speciosum, & amabile, & ad bona opera facienda valde amabile erat: hæc cogitanda sunt, ne quid indignum anima operemur, & ne sub carnis seruitutem animam subiugemus. Ita S. Chrys. Qui ad hoc amplificandum subdit eadem hom. Nos qui corpore inuoluti sumus, si velimus propter animam, possumus cum incorporeis virtutibus adiuuante nos diuina gratia certare, & in terra obambulantes quasi in cælo viuere, & nihil minus quàm cælestes facere, & quodammodo aliquid amplius, & quomodo hæc? dicam, quando enim quis inuentus fuerit corruptibili hoc corpore circumdatus, eodem modo vitam agens vt supernæ illæ virtutes, quomodo non propensiorem Dei gratiam sortitus erit? quia & corporeis necessitatibus obnoxius incorruptam, & inuiolabilem animæ generositatem seruauit, sicut sancti fecerunt, qui eandem quam nos naturam habuere & iisdem corporis necessitatibus obnoxij fuere. ita S. Chrysostomus.

Apostoli.

1. *Quàm vtilis nobis fuerit Apostolorum prædicatio.*
2. *Cur elegerit Christus piscatores in Apostolos.*
3. *Apostoli sunt decus & ornamentum Ecclesiæ.*

PROPOSITIO I.

Quàm vtilis nobis fuerit Apostolorum prædicatio.

INstituit olim Deus festum tubarum vti constat ex c. 29. Numerorum, vbi sic: *Mensis septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis; omne opus seruile non facietis in ea, quia dies clangoris est atque tubarum.* Vbi etiam iussit Dominus magna sacrificia in festo illo sibi offerri. Quid igitur nobis hæc tanta solemnitas tubarum innuit? S. Th. 1.2. q. 102. art. 4. ad 10. Per festum tubarum, inquit, prædicatio Apostolorum significatur. ita ille. Etenim mundi illuminatio & ad Deum conuersio Apostolis debetur, per ipsos illuminati sumus, & christianam accepimus religionem, sit Deus in sæcula benedictus: meritò igitur Apostolorum festa celebramus: ipsi enim nos docuerunt legem Christi, & per illam in salutionis via collocati sumus, per eos à potestate tenebrarum liberati sumus, & salutem speramus consequi æternam, &c. S. Tho.

Præcepit Dominus Iosue vt arcam fœderis viri bellatores armati præcederent, sacerdotes autem septem buccinis clangerent, & sic per septem dies mœnia Iericho circuirent; & ita septimo die vociferatio populi tubis clangentibus admiscetur, Iericho protinus mœnia à fundamento collapsa subuersa sunt. Ponderemus hoc pugnandi genus, & hanc victoriam: non enim ad hanc vrbem sic capiendam educitur gladius, non tela vibrantur, non iaculum mittitur, non acies militaris cuncti ad irruptionis murorum impetum constipatur, sed tubis tantùm Sacerdotum clangitur, vt sic victoria obtineatur: quis non mysterium Iosue 6.

aliquod diuinum hîc odoretur? Etenim deliramentum hoc fuisse gentes iudicarent, si non vidissent victoriam subsecutam. Mysterium facti huius explicuit S. Petrus Damianus ser. 57. dicens: Per Iericho quæ dicitur Luna, non incongruè mundus significatur, qui per momenta temporum labentium tanquam per menstrua detrimenta finitur; arca autem Ecclesiæ sanctæ signum erat, tubæ autem Apostoli sunt, vel etiam Doctores Ecclesiæ, quorum admonitionibus semper contra illecebras carnis & hostis insidias pugnamus, & velut tubarum clangoribus incitamur: quæ nimirum tubæ septem fuisse referuntur, quia prædicatores sancti septiformis Spiritus gratia, sunt repleti, septem quippe dierum vicissitudine tempus nostræ mortalitatis euoluitur. Vrbem ergo Iericho sacerdotes arcam ferentes, & clangentes septem diebus circumeunt, & muri eius per arcæ præsentiam, & tubarum sonitum cadunt, quia in huius mortalis vitæ decursu, dum circumquaque per orbem sancta dilatatur Ecclesia, per sanctæ prædicationis instantiam omnis elati mundi superbia & cuncta peccatorum obstacula subruuntur. ita S. Petrus Damianus.

Vbi aduertit non ab hoc genere militiæ seculares excludi, dicens: Notandum est quòd armati milites cum sacerdotibus ire iubentur; vt hi qui non prædicant contra occulti hostis insidias armati nihilominus, & circumspecti semper incedant. ita ille. Non enim sufficit eis audire verbum Dei, nisi audita executioni mandent: beati enim qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Sicut enim in corporali militia non sufficiunt exhortationes optimæ Ducum, nisi milites viriliter pugnent, ad victoriam obtinendam; sic etiam non sufficiunt concionatorum documenta ad victoriam spiritualem, si auditores audita non exequantur.

PROPOSITIO II.

Cur elegerit Christus piscatores in Apostolos.

POtuit quidem Deus in Apostolos viros sapientes, potentes & nobiles eligere, noluit tamen, ne mundi per eos facta conuersio eorum sapientiæ, potentiæ & nobilitati tribueretur.

Dan. 3. Dan. 3. iussit Nabuchod. tres pueros Hebræos in fornacem mitti, quia statuam suam adorare noluerunt. Cur igitur pariter Danielem eodem supplicio non affecit? Siquidem nec ipse adorauit statuam. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 14. respondet Babylonios Danielis nomen mutauisse in nomen Balthasar, quod quidem nomen proprium erat Dei Chaldæorum; vel certè continebat nomen Dei sui Baal: vnde si Daniel missus fuisset cum sociis in fornacem, miraculum quo Deus eos liberauit, & eius gloriam, tribuerent Chaldæi nomini Dei sui. Ne igitur gloria tanti miraculi tribueretur alij quàm Deo nostro, non permisit Dominus Danielem cum sociis mitti in fornacem. Ait igitur Isidorus Pelusiota: Ne impij flammæ extinctionem nomini ascriberent Dei Babylonici, noluit Rex Danielem tradi fornaci. ita ille. Sic etiam noluit Deus eligere in Apostolos viros in seculo gloriosos, ne gloria quam Apostoli consequuti sunt in mundi conuersione, eis tribueretur.

Eadem ratione noluit Christus Dominus inter viros Innocentes, aut martyres crucifigi, sed inter infames latrones, ne miracula quæ in passione Christi intercessere, aliis quàm Christo tribuerentur. ita sentit S. Chrys. hom. 84. in Ioan. Vbi S. Chrys. ait: Crucifixi sunt tres, claruit vnus Iesus, vt intelligeretur, eius virtute miracula & prodigia illa prouenisse. ita ille. vbi nota verbum *claruit vnus*, id est, clarus erat Christus verbis, & exemplis, & miraculis vitæ suæ. Vnde nemo aliis quàm Christo miracula tribuit illa, nimirum, quia dicit Dominus: *gloriam meam alteri non dabo*. Hinc constat quàm Deo iniurij, atque adeò inuisi sunt superbi: nam vt ait S. Bern. dicente Domino, *gloriam meam alteri non dabo*, Superbus tacitè ait, *eam licet mihi non dederis, vsurpabo*.

1. Cor. 1. 26. 1. Cor. 1. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes*, &c. Cur in doctores orbis homines piscatores illiteratos elegit, quonam pacto indocti doctos docere valent? nimirum, quia prædicationis Euangelicæ vim, & infidelium conuersionem ad fidem, facilè poterant multi sapientiæ tribuere Apostolorum. Quærit & disputat Abulensis in c. 7. Exodi. cur Deus Abul. voluerit ad executionem miraculorum, & plagarum Ægypti, virgam illam, qua mediante miracula illa efficiebantur, manu Aaronis applicari, cum Moyses præcipuus nuncius Dei ad Pharaonem esset? Respondet Abulensis: Ne crederent quòd Moyses artem magicam nouerat, & per illam, miracula illa stupenda faciebat, faciente autem Aaron suspicio cessabat. ita ille. Supponendum est, quod Ægyptij arti magicæ vacabant, & nouerant Moysem inter eos versatum fuisse, & virum peritum esse valde, & ideo in ipso magicas incantationes facilè poterant suspicari. Sic ergo Dominus noluit prædicationem Euangelij doctis viris committere, ne eorum sapientiæ, & non Dei virtuti, gentium conuersio tribueretur.

Matth. 4. *Venite post me* (ait Christus ad Petrum & Andream piscatores) *& faciam vos fieri piscatores hominum*, Matt. 4. Cur piscatores ignobiles & idiotas in Apostolos elegit Christus Dominus, cum Apostolicum munus supremum in Ecclesia sit, & maximam requirat sapientiam? S. Hieron. in c. 4. S. Hiero. Matt. Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum Euangelium, ne fides credentium non virtute Dei, sed eloquentia & doctrina fieri putaretur. ita S. Hieron. *Vide* ad Corint. 1. n. 16. & sanctum Chrys. ibi.

PROPOSITIO III.

Apostoli sunt decus & ornamentum Ecclesiæ.

Exod. 25. 31. EXod. 25. Iussit Dominus Moysi facere candelabrum in tabernaculo Dei collocandum: *Faces*, inquit *candelabrum ductile ex auro mundissimo*, &c. Et subdit: *& facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso*. Omnia hæc in figura contingebant illis. Mysterium igitur huius candelabri videamus. S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Candelabrum (inquit) institutum erat ad honorificentiam tabernaculi, pertinet enim ad magnificentiam domus quòd sit bene luminosa. Habebat autem septem calamos, vt Iosephus dicit, li. 3. antiq. c. 7. & 10. ad significandum septē planetas, quibus totus mūdus illuminatur, & ideo ponebatur candelabrū ex parte australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus. ita S. Th. Vbi obserua quòd indicto c. 25. sex ratùm calamos habebat

habebat candelabrum tres ex vna parte & tres ex altera,sed septem luces cōtinebat,vti habetur ibidem: quare in medio ex parte superiori erat alius calamus,& ita erunt septem. Hoc supposito certum est Ecclesiam Christi domum Dei appellari, Apostoli autem lux mundi sunt,vti Dominus eis dixit Mat.5. *Vos estis lux mundi*:si ergo lux decus & ornamentum domus est,sine luce enim nihil in domibus nostris lucet,in Ecclesia Dei,Apostoli decus & ornamentum eius sunt. Et licèt duodecim sint, rectè per septem lucernas septem planetas significantes, designantur:nam sicut septem illi planetæ vniuersum mundum luce sua illustrant;sic etiam Apostoli vniuersum orbem luce veritatis Christianæ illustrarunt. Si ergo sic mundum honorificarunt, meritò & nos illos honorificare debemus,vt debito nostro respondeamus, &c.

Auaritia.

Propositio I.

Auaritia defectum confidentiæ in Deum præsefert.

Exod.16. 19. EXod.16. Sic Moyses ad populum Israël agens de manna: *Nullus relinquat ex eo in mane,qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex is vsque manè, & scatere capit vermibus, atque computruit, & iratus est contra eos Moyses.* Cur hi præceptum hoc non seruauerunt? Hugo. Hugo de S.Victore ibi, diffidentes, inquit, ne in crastino manna non inuenirent.ita ille. Hæc auaritiæ hominum causa, & nimiæ solicitudinis rerum temporalium, diffidentia quidem est diuinæ prouidentiæ,ex qua oritur nō seruari præceptum illud Domini: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius,& hæc omnia adiicientur vobis.* Imò hinc vsuræ, & simoniæ, & furta,& debitorum retentiones, & alia huiusmodi peccata & iniustitiæ:si enim prouidentiæ diuinæ confidentiam homines haberent,haud ista perpetrarent, quorum hac inter alias solent pæna puniri,vt malè parta malè pereant,sicut de manna Hæbræis euenit.

Propositio II.

Quanto odio auaritiam prosequatur Deus.

Leui.11. LEuit.11. aues rapaces Deus immundas haberi voluit, vt Aquilam(quantumuis auium regina dicatur) & haliætum, & miluum, &c. Cur ita? Theod. q.11. in Leuitic. Erudit nos Deus, vt ab auaritia nos abstineamus. ita ille. Immundi ergo in conspectu Domini sunt auari, maximè fures. Vnde Apostolus 1. Cor. 6. specialim de his ait, *Rapaces regnum Dei non possidebunt.* S.Theod. 1.Cor.6.

Propositio III.

Auaritia minuit opes.

AVarus auaritia sua illicitis modis diuitias acquirens censet se opes suas augere,sed nihil minus;eo enim ipso permittit Deus diuitias illum amittere qui malè congregat eas. Petiit prodigus à patre portionem quæ illi contingebat, accepit, abiit in regionem longinquam,peccando scilicet, quia longè à peccatoribus salus; consumpsit patrimonium, & cæpit egere adeo vt cibum desideraret porcorum. Vnde diuiti miseria tanta? S. Petrus Chrys.ser.1. de duobus filiis. Filium, inquit, data fuit egere substantia, quæ diuitem negata seruabat,vt penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundauerat, non habendo. ita ille. Vbi per filium prodigum peccatorem intelligit, qui cum Deo patre degebat,priusquam ab eo recederet peccando. Cum igitur auaritia sua in aliquod incidit peccatum auarus, à patre recedit pecuniis suis;sed quia recedit(iudicio Dei)quæ lucratus malè fuerat amittit, & ad famem magnam inde peruenit. Luc 15. S. Petrus Chrysol.

Propositio IV.

Quàm difficile sit Auaro restituere debita.

HAbac. *Væ ei qui multiplicat non sua,vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum?* Quid est *contra se?* S. Remig. Contra auaros hic sermo dirigitur: omnis enim auarus multiplicat non sua, quia diuitiæ quas per fas vel nefas coadunauit, cum eo perseuerare non possunt. ita ille Hinc eorum stultitia damnatur, qui cum facilius in æternum permansuras acquirere possint, perituras quærunt diuitias, quæ difficiliùs comparantur. Ideo non nostra huiusmodi bona temporalia dicuntur,quia velimus nolimus,ea morientes relinquere cogemur. Sed tamen simpliciùs hic diuitiæ non sua dicuntur, quando iniustè acquiruntur; tunc enim etiam cum eas possidemus,non nostræ dicuntur quia aliorum à quibus eas iniustè extorquemus,sunt, vti explicat S. Greg. 3.p. pastoralis adm.21. quæque,vt explicat Lyranus, hic lutum densum nuncupantur. Cur ita? *lutum* quidem,quia terrea sunt; *densum* dixit,vt exprimeret tenacitatem harum diuitiarum iniustè acquisitarum. Sic explicauit Stanislaus Hosius,& catechismus Concilij Tridentini: Sicut enim qui pedem super lutum valde condensum figit,extrahere illum inde vix potest,sic qui animum adhibuit diuitiis malè partis,difficillimè potest se ab eis expedire. Verba catechismi sunt: Restitutio(cum quis assueuerit,ex alienis locupletari)quantam habeat difficultatem ex aliorum consuetudine & ex testimonio Abacuc. licet intelligere: ait enim, *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?* appellat *densum lutum*, rerum alienarum possessionem, inde enim emergere, & expedire se homines difficilè possunt. ita ibi. Hab.2.6. S. Remig. S. Greg. Stanislaus. Simile.

PRO

Propositio V.

Auaritia seruum pecuniarum hominem reddit.

Iob 21. 16. S. Greg. Simile.

IOb 21. de diuitibus auaris ait: *Quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me*; quomodo non in manu sua habent auari diuitias suas? in cuius igitur manu sunt? sic locum exponit S.Greg. Quisquis temporalia nimis diligit, se magis illis supponit quàm illa sibi. ita ille. hoc est auarus (hic enim est qui nimiùm diuitias amat, auaritia enim nihil aliud est quàm amor nimius diuitiarum:) auarus ergo subdit se diuitiis, sicut seruus Domino suo, serui enim est Domini sui facere voluntatem potiùs quàm prospicere sibi. Sic auarus non vtitur diuitiis ad proprium emolumentum, sed id facit quod diuitiæ volunt; & sicut seruus laborat nimis in obsequium Domini sui, sic etiam diuites laborant & defatigantur in obsequium diuitiarum, curis torquentur, meditantur, negotiantur, itinera plura peragunt, & desudant vt opes acquirant, seruent, & augeant, & eis vti non audent: nonne hanc duram seruitutem dicemus? Sic igitur ait Iob. *Bona auari in manu eius non sunt, sed ipsi potius sunt in manu diuitiarum*, hoc est sub imperio eius; hoc enim est esse in manu alterius vt constat ex c. 16. Gen. vbi dixit Abraham Saræ vxori suæ: *Ecce Agar ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet*, hoc est, sub imperio tuo est. Sub imperio igitur diuitiarum auari sunt, quare meritò concludit S. Iob. *Quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longè sit à me.* Quodnam consilium? consilium scilicet hominis auari, qui inutiliter defatigatur in opibus accumulandis, & fortè damnabitur pro sua auaritia, & nec bonis fruetur temporalibus, nec fructibus æternis. O stultissimum consilium! longè vtinam sit à nobis, sint opes tuæ in manu tua, ita vt de te id dicatur quod dicitur de muliere forti Prou. vltimo: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*, hoc est non manu & pugno clauso eleemosynas præbet, sed manu aperta imò palmis extensis; nec tamen ideo in pauperiem incidit. Vnde subdit: *Non timebit domui sua à frigoribus niuis, omnes enim domestici sui vestiti sunt duplicibus*, nimirum, quia duplicata, & ampliora multùm tribuit Dominus misericordi, non solùm in hac vita, verùm etiam in alia; *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Iob. Gen. 16. Simile. Prou. vlt. Math. 5.

Propositio VI.

Quàm contra naturam hominis sit auaritia.

Gen. 2. 7. S. Ambr.

GEn. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Cur Deus nobilissimam omnium corporearum rerum creaturam ea terra, & non ex altiori alio elemento formauit, cùm id facilè præstare posset? S. Ambr. lib. 3. offic. Considera, ô homo, vnde nomen sumpseris, ab humo scilicet quæ nihil cuique accipit, sed omnia largitur omnibus, & diuersos in omnium animantium vsum fructus administrat, inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quæ adiuuet consortem. ita S. Ambro. Auarus autem non sicut terra pium se ac liberalem exhibet, sed sicut ignis omnia consumere & in se conuertere quærit.

Id ipsum in sensibus, & partibus corporis nostri à Deo authore naturæ videre licet. Vnumquodque enim eorum alteri prodesse curat, nocere nunquã. Qua quidem similitudine vsus Apostolus Paul. in 1. ad Cor. 12. vbi ait: *Non est schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem solicita sunt membra; & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, ita Apost. Infert hinc S.Ambr. 3. offic. 3. & ait: Vide quàm graue est, vt detrahamus nos aliquid ei cui nos compati oportet, & cui debemus consortium ministerij, ei fraudi & noxæ simus. Hæc vtique lex naturæ est quæ nos ad omnem stringit humanitatem, vt alter alteri tanquam vnius corporis partes inuicem deferamus, nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturæ legem sit non iuuare: finge hanc & da oculo virtutem vt possit detrahere, auditum auribus, odoratum naribus, ori saporem, & conferat sibi; nonne omnem statum naturæ dissolues? sic ergo nascimur vt consentiant membra membris, & alter alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio. ita S. Ambros.

Cor. 12. 25. S. Ambr.

Propositio VII.

Auaritia amorem rerum cælestium tollit.

Simile. S August.

QVi visco venantur aues, cum primùm alis suis visco adhærent illæ, ad superiora volare nequeũt. sic ait S. Aug. ser. 33. de verbis Dom. secundũ Lucam: Amor terrenorum viscum est spiritualium pennarum: ecce si concupisti, hæsisti; *Nolite*, inquit, *diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quisquis dilexerit mundum non est charitas Patris in illo, quia omnia quæ sunt in mundo concupiscentia carnis sunt, & concupiscentia oculorum & ambitio vitæ*: Concupiscentia carnis, vxorem duxi; concupiscentia oculorum, quinque iuga boum emi; ambitio seculi, villam emi. ita S. Aug. Adde sicut per illa tria impedimenta priuati illi fuerunt à dominica cæna, id est gloria cælesti, sic per has tres concupiscentias terrenorum; sicut enim impossibile est vno oculo cælum videre & alio terram; sic impossibile est, moraliter loquendo, cælum terramque amare.

S. Nilus.

S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Auarus in cælum contendens, huic similis est qui pedibus vinculis constrictus currere conatur. ita ille. Sunt quidem vincula auari argentea aureáque, sed nunquid compedes aurei minùs cursum quàm ferrea vincula impedirent?

Propositio VIII.

Auaritia Deo negat quod pauperi negat.

Matt 25. S. August. Simile.

MAtth. 25. agens Christus de operibus misericordiæ, vt altius ea nobis commendaret, dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Potuit ne amplius opera misericordiæ exaltare & suadere? Cur, quæso, tantopere ea nobis commendat? Dicerem ego hoc Christum fecisse, vt excellentiam misericordiæ declararet. Sed S. Aug. ser. 64. de tempore, aliam assignat rationem, dicens: ô benignissimum Dominũ, qui ad edomandam hominum auaritiam, sibi dari dicit, quod vel minimo pauperum fuerit datum! ita S. Aug. in quo habet se Deus nobiscũ sicut amans pater, qui vidẽs

in manibus filij sui pomum viride,cuius esus nociuus futurus sit puero,diceret:fili,da mihi pomū, non quia ipse pomo illo vesci velit, sed propter filij bonum:sic Deus videns quam sit nobis auaritia nocioa,petit sibi paupetum eleemosynam,non quia nostris egeat bonis,sed in bonū nostrum,&c.

Propositio IX.

Auaritia pauperem facit illum qui diues est.

Seneca. SEneca: Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia, in nullum auarus bonus est,in se pessimus, ita ille. Econtrà contemptus diuitiarum diuites reddit, vt ibidem Sen. is minimo eget mortalis qui minimum cupit. Quod vult habet qui velle quod satis est potest. ita ille. Et rursus ibidem: In animo diuitiæ sunt non in patrimonio, & ille locuples qui paupertati suæ se aptat, hic paruo se diuitem facit. ita ille.

Laertius. Laërtius lib. 1. Aiebat(inquit)Socrates: Maximè Deo propinquus ille est qui paucis eget. ita ille. Qui enim multa quærit, multis se indigere fatetur; qui autem multis eget,pauperior illo est qui paucis eget; Deo autem nolo is propinquior est, quia Dei proprium est re nulla egere. Dauid: *Ego dixi: Deus meus es tu, quam bonorum meorum non eges.* Consonat dictum Biantis, qui vnos fuit ex septem sapientibus Græciæ, dicentis, vti refert Maximus ser. 1. de castitate:Beatus is qui cum diues sit,possessis potitur;sed ille beatior, qui nihil concupiscit. ita ille. *Concupiscit* dixit,nam qui sine concupiscentiæ immoderatione præcisè necessaria quærit, non ideo illo beatior qui concupiscit multa.

S. Cypri. Epist. 2. ad Donatum, hominem auarum sic depingit: Nulla in clieotes eius largitio est, cum indigentibus nulla partitio; pecuniam suam dicunt quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quicquam, non denique impertiunt sibi, possident ad hoc tantum ne aliis liceat possidere. ita ille.

Propositio. X.

Auaro malè parta malè dilabuntur.

S. Ambr. lib. 3. offic. c. 6. quod non legitimè acquiritur quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur.

Auxilium Dei.

1. *Quàm efficax sit auxilium Dei.*
2. *Deus in aduersis auxiliatur suis.*
3. *Quàm semper nobis necessarium sit Dei auxilium.*
4. *Ita Deus peccatores conuertit, vt vires ad perseuerandum præstet.*
5. *Deus in tentationibus & periculis nobis auxiliatur speciatim.*
6. *Deus auxiliatur nobis in his quæ ad salutem pertinent.*
7. *Auxilium Dei facilia facit quæ difficilia nobis sunt.*
8. *Quàm promptus sit Deus ad auxilium nostrum.*

Propositio I.

Quàm efficax sit auxilium Dei.

IN vocatione Apostolorum constat quàm efficax auxilium Dei sit: vocauit Christus Matthæum cum adhuc in telonio sederet, & statim nullum impedimentum obiiciens secutus est Dominum. Mirantur nōnulli quo pacto homo Itelonarius potuerit ita facile se expedire; impossibile quippe erat (moraliter loquendo) quin plurima obstacula haberet ad Christum Dominum sequendum: erat enim telonij officium illud vel saltem in rationibus dati & accepti valde implicatum,&c. Respondet S. Hiero. Certè fulgor ipse & maiestas diuinitatis occultæ quæ etiam in humana Christi facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu, si enim in lapide magnete hæc esse vis dicitur, vt annulos sibi copulet, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos vocabat? ita S. Hiero. A fortiori igitur auxilium quo interiùs animum hominis mouebat, id præstare valebat, quod fulgor & aspectus ille admirabilis exterior. ita Respondet Abulensis in ferè simili vocatione Apostolorum Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis, qui eom primum audietuot vocem Domini dicentis: *Venite post me*, &c. statim relictis retibus & rebus omnibus secuti sunt eum. Ait ergo Abulensis: senserunt ipsi in se aliquid diuinum. ita ille. In quæstione 99. super Matth. 4. & rursus in quæstione 100. ait: Mutauit Christus voluntatem eorum ad promptè obediendum.ita ille. Non quia abstulerit libertatem vel derogauerit ei, sed quia creator libertatis erat,efficaci auxilio gratiæ suæ(quod congruum esse præsciens donat)rebelles voluntates nostras immutat, & salua libertate efficaciter ad se trahit.

Hinc est quòd qui verè ad Deum conuerti desiderat,Deum humiliter deprecari debeat, vt efficax illi auxilium conferat, quo peccandi affectum deponat, & fortiter, ac viriliter peccatorum vincula rumpat. Peccabat Petrus negans Christum Dominum non semel, nec bis,&c. & ipso feruore negationum respexit Dominus Petrum, & illico fleuit amare. Ponderat S. Ambr. ibi factum hoc, & ait: Negauit primò Petrus & non fleuit, quia non respexerat Dominus;negauit secundò,& non fleuit,quia non respexerat Dominus adhuc;negauit tertiò & respexit Iesus,& ille tunc amarissimè fleuit. Respice Domine Iesu,vt sciamus nostrum deflere peccatum.ita S.Ambr. Respectus ille quidem inspirationem & auxilium Dei efficaciter includebat, quo sic repente & potenter conuertit animum Petri. Si ergo vis efficaciter ad Deum conuerti,roga Deum vt sic te misericorditer aspiciat & respiciat. Luc. 22. 60. S. Ambr.

Et quia post conuersionem perseuerantia opus est ad salutem æternam consequendam, insiet conuersus petens auxilium efficax à Deo; ipsius enim Dei est perseuerantiæ donum. Audi Dominum ipsum ad conuersum id dicentem: Ps. 31. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos*; responsio est Dei ad Dauid petentem auxilium à Deo. Sensus ergo est: Ego docebo te interiùs quod consilium tibi approximatum sit ne erres in via salutis, &

tis, & dirigam te in exterioribus actibus tuis, & denique firmum auxilium dabo tibi ad perseuerandum. ita exponit Cardinalis Bellarminus.

PROPOSITIO II.

Deus in aduersis auxiliatur suis.

AD Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* De iustis hic agit Apostolus vti constat ex contextu. At obiicit sic S. Chrys. ibid. dicens: Quis contra nos, ais Apostole? Etenim terrarum orbis, contra nos, tyranni, populi, & ciues & cognati; sed tamen hi cum contra nos stent, tantum abest vt nobis incommodent, vel nolentes coronarum authores nobis existant, & infinitorum bonorum procuratores, ipsa Dei sapientia ipsorum insidias in nostram salutem, & gloriam conuertente. Etenim Iob hoc ipsum splendidum reddidit, quòd videlicet diabolus, & vxor, & amici eius, & vulnera contra eum militarunt, nihil tamen contra illum effecerunt, sed omnia illi fœlicem exitum attulerunt; siquidem Deus pro illo stabat. ita S. Chrys. & subdit: Si iustum morti tradideris, coronam martyrij illi texueris, ita ille loquitur de persecutione principum tyrannorum contra fideles. Propterea ait Apost. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

PROPOSITIO III.

Quàm semper nobis necessarium sit Dei auxilium.

Psal.7.2. PSal. 7. cum Absalon patrem suum ad necem vsque persequeretur, sic Deum orabat pater: *Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me, nequando rapiat* (Absalon nempe) *vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Quid ais Dauid? nonne & tu exercitum ducis valde potentem, quo te defendere pores ab eo? Cur igitur ais, *quia non est*, &c. Ita quidem & rectè orat, quia sine Dei auxilio quid prosunt fortia castra?

S.Basil. ita perpendit locum hunc S. Basil. in eodem Psalmo dicens: Quia tametsi & ipse exercitum collegisset, & milites multos secum haberet, non tamen auxilij loco ducebat etiam mundum vniuersum, nisi cœlesti auxilio potiretur; sed orabat, ne sibi id accideret vnquam quod Absaloni, qui propter malitiam diuino auxilio destitutus, victus fuit. ita S. Basil. Disce in vtroque in Dauid patre, inquam, & in filio, euentus discrimen, & quàm oporteat diuino auxilio adiuuari.

Magnam nobis ipsis mentimur fortitudinem, quia debilitatem nostram ignoramus, ad studiosè & sanctè viuendum. Dixerat Christus Dominus

Matth.26. 31. Matth. 26. discipulis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Tunc Petrus, etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor. Cui Christus: Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis.* At Petrus imbecillitatem suam ignorans, respondit: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Decepit se Petrus fiducia sua, negauit non semel, nec bis tantùm. Expendens lo-

S. Aug. cum hunc S. Aug. serm. 49. de verbis Domini se-

Simile. eundùm Ioannem, ait: Non se nouerat hic Petrus, & quàm esset infirmus nesciebat; quomodo re vera sæpe ægrotus ignorat ægritudinem suam, medicus autem scit, cum ille ægritudinem patiatur, & medicus non patiatur, magis dicit medicus quid agatur in altero, quàm ille qui ægrotat quid agatur in se ipso. Petrus infirmus erat, Dominus autem medicus; dicebat Petrus se habere vires quas non habebat, Christus tangens venam cordis sui, dicebat, quod ter eum esset negaturus; & ita factum est quomodo dixit medicus, non quomodo præsumpsit ægrotus. ita S. Aug.

Psal. 118. sic Dauid: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Cui dicere possemus: Auerte tu illos, nunquid non oculi tui sunt? Nunquid non sub tua sunt potestate? numquid tu liber non es ad eos auertendos? Etenim experimento cognouit debilitatem suam, cum oculos in vxorem Vriæ conuertit, & ideo de se ipso diffidens, auxilium ad auertendum eos à Domino postulabat. Ps.118. 37.

PROPOSITIO IV.

Ita Deus peccatores conuertit, vt vires ad perseuerandum præstet.

SVnt nonnulli peccatores qui conuerti ad Deum detrectent, eo quod desperent, se posse à peccato cum consuetudine & affectus violentia liberari; ignorant hi quomodo Christus sanet nostrarum animarum infirmitates, non quidem sicut medici corporales qui ita infirmos sanant vt non statim illi à febre liberentur, robur & vires pristinas recuperent, & vigorem, semper enim reliquiæ morbi supersunt, & paulatim ad perfectam perueniunt sanitatem; non sic sanat nos Deus, non sic, sed simul cum salute animæ & peccatorum remissione vires ad perseuerandum præbet, quod in socru sancti Petri Christus Dominus significauit, quæ cum magnis febribus tenetur, à Christo Domino miraculosè sanata quamuis prouectæ esset ætatis, & graui morbo detenta, statim è lecto surgens, Domino ad mensam sedenti ministrauit, & vires omnes ex tempore recuperauit. Quod expendens. S. Petrus Chrysol. ser. 18. ait: Christus sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat; vbi curat ars, ibi infirmitatis remanet lassitudo; sed vbi sanat virtus Dei, ibi languor vestigium non relinquit. ita ille. Sic igitur vbi Deus animam peccatricem sanat, ita perfectè sanat, vt integras ei vires ad perseuerandum tribuat; quod si ex vitiorum consuetudine debilitas aliqua remansisse videatur, & pronitas ad malum, auxilia diuina ad ea superanda sufficientissima non deficient, ita vt cum Paulo dicere quiuis sanatus possit, *Omnia possum in eo qui me confortat.*

PROPOSITIO V.

Deus in tentationibus & periculis nobis auxiliatur speciatim.

EXpetiuit Iob à Deo diabolus vt cribraret sicut triticum, ad quem Deus Iob 2. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam eius serua.* Cur non absolutè concessit vel non absolutè negauit Deus quod Dæmon postulabat? S. Greg. ibi: Sic Deus pios adiutor noster innotuit, quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, in manus aduersarij Sanctus vir traditur, sed tamen in manu Dei adiutoris sui retinetur: diuina igitur dispensatio custodiendo deseruit, & deserendo custodiuit. ita S. Gre. Iob 2. 6. S. Greg.

1. Cor. 10. 13. Hinc Apost. 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.* S. August. vbi S. August. citatus à S. Thom. lect. 3. ibidem. Qui (inquit) dat Diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentatis misericordiam, ita vt possitis sustinere & vt non deficiatis in lucta sed vincatis. ita S. August. Misericordia autem qua nobiscum Deus vtitur in tentationibus nostris, est dare nobis patientiam & fortitudinem qua tentationes superemus; & sic etiam faciet cum tentatione prouentum, quia tali victoria gloriæ coronam promeremur, & maiores vires acquirimus ad cæteras tentationes superandas. S. Ansel. Vnde S. Ansel. super hunc locum Apostuli: Pia, inquit, dispensatione, Deus hostem nostrum nos tentare permittit, & detinet, relaxat & refrænat, vt & teneamur ad profectum nostrum, & non superemur ad hostis desiderium; fidelis autē est, & ideo facit vt citò cesset tentatio, aut si fuerit prolixa, det ipse virtutē tolerandi. ita S. Ans. Dicitur autem Deus fidelis sic ferendo auxilium, quia ad fidelitatem promittentis pertinet seruare & adimplere quod promisit, Deus autem huiusmodi auxilium promisit, cum dixit Mat. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* S. Ansel. Quod sic exponit S. Anselmus vbi supra dicens: fidelis est Deus, id est verax in hac promissione; *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, vt videlicet sit semper nobiscum in omni tentatione, & non sinat nos vltra vires tentari, sed tentationem leuiş et, vt vincamus. ita S. Ansel. Similiter dicitur quis fide is amicus, v. g. qui videns amicum in aliquo periculo constitutum succurrit illi pro viribus suis: maximum omnium periculorum est tentatio, quia est periculum peccandi, atque ideo periculum est damnationis æternæ. Deus autem est fidelis amicus, quia cum videt nos in periculo peccandi secundùm potentiam suam præbet nobis auxilium ad vincendam tentationem necessarium.

Propositio VI.

Deus auxiliatur nobis in his quæ ad salutationem pertinent.

3. Reg. 16. 3. Reg. 16. præcepit Deus Eliæ in montem longè distantem ire, periculum autem imminebat illi deficiendi in via, eo quòd viatico careret, prouidit autem illi Dominus &c. S. Bern. Quod expendens S. Ber. ser. 4. super Ps. *qui habitat*, ait: Quid tibi homo plus afferet Dæmon ad tentandum nisi quod tibi longa restat via? sed cur hoc timeas, cui fortis cibus datur, ne deficere possis in via? Heliæ vtique cibus allatus est ab Angelo quo nullus in humana consuetudine vilior inuenitur, scilicet panis & aqua, tanta vero fortitudo ei collata est, vt quadraginta diebus ambulans nec fatigaretur, nec esuriret. ita S. Bern. Voluit igitur Deus in facto illo nobis suadere in via qua pergimus in cælum, non defuturum nobis diuinum auxilium, in omnibus quæ ad iter hoc peragendum nobis fuerint necessaria.

Quod etiam adumbratum fuit in itinere illo filiorum Israel per desertum in terram promissionis: defuit illis panis, sed panem Angelorum exhibuit illis Dominus; defuit aqua, sed de silice durissimo eduxit eis aquam dulcissimam; commiserunt bella infideles populi aduersus eos, sed pugnauit aduersus illos Dominus, & liberauit eos, &c. Id ipsum dicendum est de itinere quo pergimus in terram promissionis cælestis patriæ: quamplurima quidem se se offerunt impedimenta nobis, sed fauente Deo innumeri sancti illuc peruenerunt, peruenerunt quoque, &c.

Propositio VII.

Auxilium Dei facilia facit quæ difficilia nobis sunt.

S. Cypr. Epist. 2. de baptismo suo quem in adulta iam acceperat ætate, ait: Postquam cælitus spiritu hausto nouum me hominem fœcunda natiuitas reparauit, mirum in modum protinus sensi confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod priùs difficile videbatur, & geri posse quod impossibile videbatur. ita ille. S. Cypri.

Propositio VIII.

Quàm promptus sit Deus ad auxilium nostrum.

S. Cypr. Epist. 2. ad Donatum: Vt sponte Sol radiat, dies illuminat, fons manat, imber irrigat: ita se spiritus cælestis infundit. ita ille.

Beatitudo, *Vide* Gloria. Beneficium.

1. *Quàm potens sit beneficium ad honorem & amorem conciliandum.*
2. *Benefaciendum est sine intuitu retributionis.*
3. *In Beneficiis Dei pro amore quo nobis benefacit, præcipuæ reddendæ sunt gratiæ.*
4. *Beneficium libenti animo conferendum est.*
5. *Quomodo beneficium anticipandum sit.*
6. *Beneficia Dei ad eius amorem nos denunciant valde.*

Propositio I.

Quàm potens sit beneficium ad honorem & amorem conciliandum.

Deut. 34. Deu. 34 *Mortuus est Moyses, & non cognouit homo sepulchrum eius.* Cur Deus abscondit reliquias Moysi, eum potius dignæ essent non solùm ab omnibus visitari, sed etiam venerari? S. Aug. lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, c. 15. Ne sepulchrum, inquit, eius populus Israël, si cognouisset vbi esset, adoraret: vnde & virgam in qua signa fecerat, (vt plurimi censent) ne adoraretur, secum abstulerat, quia & serpentem quē fecerant filij Israël postea adorabant. ita ille. Hinc constat quàm conducant beneficia ad beneuolentiam comparandam. Receperant filij

lij Israël plurima beneficia à Moyse propter quæ in periculum inciderant adorandi eum.

PROPOSITIO II.

Benefaciendum est sine intuitu retributionis.

Seneca. SEnec. lib. 1. de benef. c. 1. Demus beneficia non fœneremus. Hoc enim & boni & magni animi est non fructum beneficiorum sequi sed ipsa, quorum fructus a viro egregio statim perceptus est; etiamsi mihi spes præcidatur reperiendi hominem gratum, malim non recipere beneficia, quam non dare. Dicam quod sentio, qui beneficium non reddit, grauiùs peccat; qui non dat, citiùs. ita ille. Qui in exemplum nobis Deum proponit, dicens: Quàm multi indigni luce sunt, & tamen oritur dies. ita ille. Beneficium igitur vt beneficium sit, ideo dandum est vt detur; quod si retributionem requiras, non beneficium sed pactum & veluti contractus quidam est.

PROPOSITIO III.

In beneficiis Dei pro amore quo nobis benefacit, præcipuæ reddendæ sunt gratiæ.

Seneca. SEnec. lib. 1. de benef. c. 6. Debere se dicit quis pecuniam quam accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam; ista potius sunt meritorum signa quàm merita: non potest beneficium manu tangi, animo geritur: multum interest inter materiam beneficij & beneficium: itaque nec argentum, nec aurum, nec quidquam eorum quæ à proximis recipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas, & ideo beneficium etiam amisso eo quod datum est durat: est enim benefactum quod irritum nulla vis facit. ita Seneca. Quod si temperate libet, dicamus donum esse id quod datur. Est materiale beneficium pro quo etiam Deo donanti gratias reddere debeamus: sed formale beneficium & eximium Dei voluntas est & amor, quem respicere in datis docuit Christus, dicens: Ioa. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, vbi non solùm datum, sed dantis amorem attendere nos voluit, cum sit vtrumque infinitum, & pro vtroque immensæ agendæ sint gratiæ.

PROPOSITIO IV.

Beneficium libenti animo conferendum est.

Seneca. SEnec. lib. 1. de benef. c. 7. Magis nos obligat qui dedit parua magnifice, qui Regum æquauit opes animo, qui exiguum tribuit sed libenter, qui occasionem qua prodesset, occupauit, & quæsiuit, quàm qui specie magna dat, si danti aut extorquentur aut excidunt; & multo gratius venit quod facili quàm quod plena manu datur. ita ille.

Vbi subdit Sene. Exiguum est quod io me contulit, sed amplius non potuit: At illud quod dedit magnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cum daret gemuit, sed superbè dedit, sed circumtulit & placere non ei qui dedit, voluit; ambitioni dedit, non mihi; non igitur quantum sed à quali detur perspiciendum est. ita ille.

PROPOSITIO V.

Quomodo beneficium anticipandum sit.

SEnec. li. 1. c. 11. de benef. Lenocinium est muneri antecedēs metus. ita ille. *Es vna manera grāde el beneficio el solicitar el coraçon el temor axeno.* Aduertit tamen rectè ibi Senec. Nec tamen ideo debemus tardiùs quemquam seruare quàm possumus, vt muneri nostro timor imponat pondus. ita ille. Imponere pondus muneri, est munus & beneficium augere. Hoc enim est magis sibi quàm proximo prospicere. Senec.

PROPOSITIO VI.

Beneficia Dei ad eius amorem nos deuinciunt valde.

S. Chrysost. hom. 9. in Genes. cordatos famulos non tam supplicia quàm beneficia solent emendare. ita ille. S. Chrys.

Bellum.

1. *Vincimur sæpe ab infidelibus in bello propter peccata nostra.*

PROPOSITIO VNICA.

Vincimur sæpe ab infidelibus in bello propter peccata nostra.

S. Hieron. Epist. 3. Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis noster superatur exercitus; infælices nos qui tantùm displicemus Deo, vt per rabiem inimicorum illius in nos ira deseuiat. Proh pudor & stolida vsque ad incredulitatem mens! Romanus exercitus victor orbis, & dominus, hos pauet, ab his vincitur qui ingredi non valent, qui si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur, & non intelligimus prophetarum voces, *Fugient mille vno persequente*, nec amputamus causam morbi, vt ipso morbus pariter auferatur. ita ille. S. Hiero.

Bona spiritualia.

1. *Diabolus in spiritualibus præcipuè, nobis nocere intendit.*
2. *Sola bona spiritualia merentur nomen bonorum.*
3. *Maior solicitudo adhibenda est pro bonis spiritualibus quàm pro corporalibus.*

PROPOSITIO I.

Diabolus in spiritualibus præcipuè nobis nocere intendit.

PSal. 90. sic Dauid ad virum spiritualem & iustum in bello spirituali cum Diabolo: Ps. 90.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; à latere tuo, id eſt, in parte ſiniſtra, vti explicat S. Bern. ſerm 7. in hunc Pſalmum. Quid igitur eſt quod legitimè pugnante iuſto cum dæmonibus à ſiniſtra eius victi cadunt mille hoſtes, à dextris verò decem millia? Cur non cadunt tot à læua, quot à dextera? num quia dextera manus fortior eſt quàm ſiniſtra? S. Bern. ibidem, per ſiniſtram bona temporalia, per dexteram ſpiritualia intelligit; eo quòd ſicut dextera potior pars eſt quàm ſiniſtra, ſic bona ſpiritualia potiora bona ſunt quàm corporalia. Vnde cum potiora bona alicui deſideramus, dicere ſolemus: Deus optimam manum dexteram tribuat tibi. *Dios os de buena manderecha*. Ait ergo: *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis*, S. Bern. quia longè ampliore ſolicitudine, & calliditate pars aduerſa hoſtium vulnerare in nobis dexteram ſatagit, quàm ſiniſtram, nec tam corporis quam cordis laborat auferre ſubſtantiam; vtraque nimirum proſperitatẽ humano generi inuidere noſcuntur; vtraque nos fœlicitate priuare contendunt, cæleſti videlicet & terrena: ſed longè amplius rore cæli quàm pinguedine terræ. ita S. Bern. Et ideo vir iuſtus aduerſus diabolicas poteſtates pugnans & vincens plures vincit à dextris quàm à ſiniſtris. Quid igitur inde? S. Ber. ibidem: Illuc igitur ſtudioſiùs repugnandum vbi grauior neceſſitas vrget, vbi totum belli imminet pondus. ita ille. Etenim cum hoſtis cum Iobo pugnabat, ſubſtantiam ab eo abſtulit corporalem, intentio verò eius auferre gratiam Dei ab eo ſatagebat. Vnde & Deo dixit: *Tange vniuerſa quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*, id eſt, ſine dubio maledicet tibi, ecce eius intentum; ideo dixit ſanctus vir: iuſtificationem quam cæpi tenere non deſeram, hoc eſt, noui Dæmonis aſtum, amiſi ſubſtantiam, ſed iuſtitiam ſeruare curabo, &c.

S. Bern.

Propositio II.

Sola bona ſpiritualia merentur nomen bonorum.

Pſalm. 12. PSal. 12. ſic Dauid: *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi & pſallam nomini Domini altiſſimi.* Quænam ſunt hæc bona pro quibus laudes canit Propheta Deo? S. Aug. ibidem: Bona ſpiritualia ſunt, & non ad humanum diem pertinentia. ita ille. Cur igitur non dixit Dauid: Qui bona ſpiritualia tribuit mihi, ſed ſolùm *bona*? Nimirum, quia per antonomaſiam, & excellentiam bona ſpiritualia, bona abſolutè dicuntur, bona autem temporalia & tranſitoria, bona ſunt ſecundùm quid, bona diminutiuè, quæque comparatione bonorum ſpiritualium, nomine bonorum non ſunt digna. Quid ad hoc? qui ſpiritualia bona ſpernentes, ſolummodo bona temporalia in pretio habent, & auidè quærunt, & ſæpe vt illa acquirant, mortaliter peccant.

S. Auguſt.

Propositio III.

Maior ſolicitudo adhibenda eſt pro bonis ſpiritualibus quàm pro corporalibus.

Pſalm. 90. PSal. 90. ſic Dauid ad virum iuſtum: *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* Cur in latere iuſti ſiniſtro mille occurrunt Dæmones, in dextero verò decem millia? S. Bern. ſer. 7. ſuper Pſ. *qui habitat*, ſupponit, per latus dexterum quod quidem principalius eſt, bona ſpiritualia hominis deſignari, per ſiniſtrum verò bona temporalia, quæ reſpectu bonorum ſpiritualium valde inferiora ſunt, ſicut latus ſiniſtrum dexteri comparatione. Hinc reſponſio conſtat, militant Dæmones contra nos, & quia maius valde nocumentum noſtrum eſt in bonis ſpiritualibus, quàm in corporalibus, ideo hoſtes plures, & fortiùs ruunt in bona noſtra ſpiritualia, quàm in corporalia.

Hinc S. Bern. in eodem loco: Propter hoc, inquit, non ad inſipientiam vobis tundendum liberè aduerſario videmini latus expoſuiſſe ſiniſtrum, vt dexterum proinde tota ſolicitudine conſerueris. Hæc nimirum commendata à Chriſto Chriſtianis omnibus imitanda prudentia ſerpentis eſt, vt ſolùm caput, toto (ſi neceſſe fuerit) expoſito corpore tueatur. ita S. Bern. qui ad monachos ſuos ſermonem dirigebat. Vtinam ab omnibus quoque reciperatur. Hæc enim vera prudentia eſt, maius malum minori malo vitare.

Gen. 33. 2 Gen 33. Iacob in patriam pergens, & timens obuiam fratrem Eſau, *diuiſit familiam ſuam, & poſuit ancillas & filios earum in primo loco, Liam vero & filios*, &c. *in ſecundo loco: Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos*. Nota prudentiam Iacob, quæ minoris æſtimationis erant, in priori & periculoſiori loco locauit; quæ verò maioris, in poſteriori & ſecuriori parte conſtituit: Sic tu ſi ſapis, ſpiritualia bona quæ quidem ad ſalutem & ſaluationem æternam conducunt, præpones cunctis corporalibus & temporalibus emolumentis.

Gen. 1. Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Cur prius, inquit, cælum creauit, & non potiùs terram, cum terra totius creaturæ corporalis velut fundamentum ſit? à fundamento autem ædificatio initium ſumere debet. Vnde Pſalm. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*, hîc recto quidem ordine Pſalmiſta procedit. Cur igitur non ita Moyſes in creationis narratione? Procopius Gazeus hic: Docet (inquit) Creator vt primo loco cælum, deinde terram curemus. ita ille. Quod & Dominus Ieſus Matth. 6. aſſeruit: *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius*, quod pauci, imò plerique Deo oppoſitum faciunt, quærunt primùm terreſtria, deinde ac vix cæleſtia, tanquam animalia bruta quæ terreſtria ſolicitè & tantummodo curant. Pſal. 101. 26.

S. Ambr. 1. offi. 45. Non mediocre eſt rebus ſingulis modum ſeruare & ordinem impartiri. ita ille.

Item 1. offic. 43. Quo præſtantior eſt cauſa, eo debet eſſe attentior cura. ita ille. Hinc conſtat diſcrimen in bonis temporalibus & æternis procurandis. Vnde Apoſt 2. Corint. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ non videntur, æterna.* Nota verbum, *non contemplantibus*, non ait, nullo modo quærentibus, nam humanitas noſtra bonis temporalibus eget, ſed, *non contemplantibus*; contemplari enim vehementem quandam & profundam conſiderationem importat. Mediocris igitur cura rebus temporalibus, maxima verò æternis eſt adhibenda.

Bona

Bona temporalia.

Vide etiam in verbo

Posperitas.

1. *Bona temporalia occasiones sunt sæpe peccatorum.*
2. *Bona temporalia durationis exigua sunt.*
3. *Bona temporalia postponenda sunt bonis spiritualibus.*
4. *Sæpe Deus temporalia denegat, quia abutimur eis.*
5. *Negat & tollit à nobis Deus hac bona, ne amori Dei amorem eorum præferamus.*
6. *Bona temporalia impedimento solent esse bonis spiritualibus.*
7. *Anteponenda sunt bonis temporalibus mundi, bona spiritualia.*
8. *Bona temporalia torquere solent possessorem.*
9. *Bona temporalia captiuare solent corda nostra.*
10. *Bona temporalia decipiunt suo fulgore.*
11. *Bona temporalia non satiant corda nostra.*
12. *Quàm parui momenti sint bona temporalia.*
13. *Amor temporalium ex cordis pusillitate procedit.*
14. *Quàm indignus homine sit amor rerum temporalium.*
15. *Abhorret Deus amatorem magnum rerum temporalium.*
16. *Bonis temporalibus solet Deus remunerare bona opera peccatorum.*
17. *Adhærere nimis bonis temporalibus, signum reprobationis est.*
18. *Nimia solicitudo bonorum temporalium causa multorum peccatorum solet esse.*
19. *Bonis ipsis temporalibus nimiùm amatis solet Deus punire nos.*
20. *Bonorum temporalium possessio probat an verè Deum diligamus.*
21. *Quàm solicitè quærant homines bona temporalia.*
22. *Bona temporalia non sunt bona nostra.*

Propositio I.

Bona temporalia occasiones sunt sæpe peccatorum.

4. REg. 18. *Ezechias* (bonus rex populi Dei) *confregit*, inquit, *serpentem aneum quem fecerat Moyses.* Cur ita? Nonne Deus tanti serpentem illum fecit, vt ad eius intuitum sanaret homines à veris serpentibus lethaliter percussos? Denique nonne visu ipsius Dei Num. 11. factus fuit? Cur ergo eum confregit Ezechias? Ibidem diuinus textus respondet: Siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. Quod exponens S. Aug. 10. de Ciui. Dei, c. 8. ait, serpentem illum propter facti memoriam reseruatum, cum postea populus errans tanquam idolum colere cæpisset, Eaechias Rex, religiosa potestate Deo seruiens cum magna pietatis laude contriuit. ita S. Aug. & ob eandem causam vocauit Ezechias illum serpentem, *Nobestan*. *Nobestan* autem interpretatur cuprum siue cupreum. Vnde Interlinearis ait *Nobestan* hoc est æs eorum, non Deus. ita ibi. Nunc ad rem, sicut ad optimum finem Deus confici & erigi serpentem voluit, abutentes autem filij Israël serpentem adorabant: sic bona temporalia Deus in optimum finem produxit, vt scilicet in necessitatibus nostris remedio nobis essent & decori, nos autem tanto abutentes beneficio veluti adoramus ea & quasi idola amamus illa. Quam ob causam sicut Ezechias serpentem æneum contriuit ne illum adorarent Israelitæ: sic Deus à nobis bona temporalia tollit vt à nobis indebitam æstimationem, & amorem nimium simul tollat, & hoc nos tribulationem & plagam vocamus? Etenim maius nobis Deus beneficium confert cum tollit, quàm eabibuerat cum conferret, est enim velut ab infirmo tollere nociuum cibum vel potum, seu potius è manu phrenetici gladium auferre ne se perimat ipsum.

Gen. 3. sic Dominus ad serpentem: *Maledictus es inter omnia animantia, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Hic, vti explicat Lyranus, dæ- Genes. 3.
monem in serpente maledicit Dominus: quo verò Lyra.
pacto dæmoni conueniat comedere terram, sic idem Lyrannus explicauit: *terram comedes*, id est homines terrena diligentes incorporabis tibi eos decipiendo. ita ille. Incorporantur autem homines Diabolo peccando, quia eo modo adhærent ei & serui eius efficiuntur; terrena igitur bona diligentes incorporat sibi hostis, quia eos facilè ad peccandum inducit: qui enim honorem mundi amat, facilè in superbiam incidit & ambitionem, superbia autem initium est omnis peccati: qui verò diuitias amat, facilè in auaritiam cadit, & auaritia quoque omnium peccatorum fons est: qui verò delicias terræ quærit, facilè luxuriæ & gulæ deseruit, & aliis vitiis multis, inde rectè dicitur Diabolus pasci hominibus terrena diligentibus.

De tauro syluestri qui Latinè *Vrus* dicitur, sic scribit Physiologus: Vrus animal omnium maximum, similis boui, duo habet cornua in modum serræ, pascitur non longè ab Oceano, vbi nascitur arbor quædam nomine *Tamus*, similis viti & & alba ramis, quos cum vrus capite concutit, eis cornu ligatur, tunc accedit venator, & cornibus alligatum deprehendit, & ita opprimit illum. ita Physiologus. S. Epipha. lib. de Physiologo ad mores hoc referens, ait: Oceanus copiam diuitiarum significat. Tamus verò vitæ huius voluptatem, qua implicitus homo, virtutem negligit, & Diabolus tanquam animarum venator tunc illum aggreditur, quem voluptatibus mancipatum in suam dirigit potestatem. ita S. Epipha. Quod autem de voluptatibus seu delitiis dicit, de diuitiis & honoribus, & aliis huius vitæ bonis dicendum est: nam per diuitias capitur auaritia, per honores superbia, per diuitias gula, & luxuria: sic ergo infernalis venator homines capit & secum ad tartara ducit. Præcipuè tamen ad voluptatem & sensua

ſenſualitatem hoc pertinet : nam Tamus idem eſt quod Adonides amaſius Veneris, ſicut conſtat ex Tertulliano, qui vbi nos legimus in Ezechielis c. 8. *Ecce illic mulieres plangentes Adonidem*, legit *plangentes Tamum*. Congruit quod de Samſone legimus, captum ſcilicet fuiſſe à Philiſtæis Dalidæ ſuæ dilectæ cauſa.

Simile. Videas piſcatorem qui magna cura cibos quærit, piſcibus gratos & eos piſcibus tacitè & placidè offert ; attamen vide quid intra lumbricum, & eſcam illam piſcibus lateat, hamus ſcilicet & mors piſcis : ita quidem hoſtis quæ nobis grata, & optata ſunt quærit, & ea nobis tentando defert & offert ; ſed latet anguis ſub herba, latet hamus, latet mors æterna, & multi qui ſe ingenio pollere mentiuntur, latentem hamum, & anguem non aſpiciunt, ſed ſine diſcurſu honores, diuitias, delitias, & bona temporalia ſibi iucunda, deglutiunt, & damnationem ſuam ſimul. Vnde ſicut piſces capiuntur à piſcatore hamo, ſic capiuntur iſti à Diabolo in tempore malo.

PROPOSITIO II.

Bona temporalia durationis exiguæ ſunt.

SI fugacem bonorum mundi naturam agnoſcerent homines, haud quidem in eis amorem, aut ſpem ſuam collocarent, ſed in ſummo illo bono quod ſemper in eodem permanet ſtatu; hinc Dauid Pſ. 9. *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum*. Quodnam eſt nomen hoc, cuius cognitio facit vt in Deum ſpem noſtram reponamus? S. Aug. ibi ſic reſpondet : Dominus dixit ad Moyſem ; *Ego ſum qui ſum, & dices filiis Iſrael : miſit me qui eſt* ; ſperent ergo in te qui cognoſcunt nomen tuum ; ne ſperent in his rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes niſi erit & fuit, quoniam quod in illis futurum eſt cum venerit, fit ſtatim præteritum, expectatur cum amore, ſed amittitur cum dolore; in Dei autem natura non erit aliquid quaſi nondum ſit, aut fuit quaſi iam non ſit, ſed eſt tantum id quod eſt, & ipſa æternitas eſt. Deſinant igitur ſperare, & diligere temporalia, & ſe ad æternam ſpem conferant, qui cognoſcunt nomen eius qui dixit, *Ego ſum qui ſum*, & de quo dictum eſt, *qui eſt miſit me ad vos*. ita S. Aug.

S. Aug.

Luc 4. 5. Luc 4. *Duxit Diabolus Chriſtum Dominum in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis*. Non ſine cauſa hanc oſtenſionem bonorum orbis in monte fuiſſe, explicauit Euangeliſta, vt innueret nobis momentanea eſſe omnia mundi bona. Ita Paſchaſius Abbas in 4. c. Matthæi dicens : Bene in momento, quia omne quod in mundo eſt, breue conuincitur eſſe, ac momentaneum. ita ille. In varias terrarum ac marium partes homines peregrinantur ; hic vt variarum gentium ritus noſcat, ille vt diuitias acquirat, alter vt ſcientiarum, vel artium abdita pertingat, ſicut Apollonius ille apud Hieronymum in Epiſt. ad Paulinum, qui intrauit (inquit) Perſas, pertranſiuit caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum peruenit ad Brachmanas, vt Hiercbam in throno ſedentem aureo inter paucos diſcipulos de natura, & de motibus ſyderum ac dierum curſu audiret dicentem. ita S. Hieron. hic & alij plures non in momento, ſed in tempore longa mundi bona videre voluerunt : at Chriſtus in momento ea ſibi repræſentari voluit, vt momentanea eſſe ſignificaret omnia, quæ hoſtis in pretium ſuæ adorationis offert & promittit.

Sap. 5. talia dixerunt de rebus mundi huius in inferno hi qui peccauerunt : *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens*. Etenim vmbra in ſe nihil eſt niſi luminis priuatio, videtur figuram habere, ac motum, ſed vade & apprehende illam & nihil eſſe inuenies; apparentiam, ſed non exiſtentiam, habet, & inſuper in momento diſparet. Talia (inquit) ſunt mundi bona, apparentiam aliquam boni habent, ſed ferè nihil aliud & tanquam nuncius percurrens ; velut nuncius ſunt bona hæc mundi, quia qualia, qualia ſunt, aliquid nobis annuntiant de bonis æternis : ſi enim ſic nobis placent hæc exigua & parui momenti, & ferè nullius durationis bona, quid præſtabunt bona illa cæleſtia, quæ nec in cor hominis aſcenderunt, nec finem ſunt habitura? Sapi. 5.

Simile.

Animaduertant hoc qui terrenis ita adhærent ac ſi æterna bona eſſent, quæ quidem nec particularibus hominibus æterna ſunt cum nec ipſi æterni ſint, nec etiam vniuerſo generi humano vel ipſa regna & imperia permaneant. Quod optimè expendit S. Aug. ſerm. 29. de verbis Domini ſecundùm Lucam, dicens : Habent mutationes regna terrea, & veniet ille de quo dictum eſt, *& regni eius non erit finis*. Qui verò hoc regnis terrenis promiſerunt, non veritate adducti ſunt, ſed adulatione mentiti ſunt. Poëta illorum induxit Iouem loquentem & de Romanis dicentem: Luc 1. S. Auguſt.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono : Virgilius.
Imperium ſine fine dedi.

Non planè ita reſpondet veritas: quod ſi vellemus inſultare Virgilio quare hoc dixerit, reſponderet nobis : & ego ſcio, ſed quid facerem qui Romanis verba vendebam, niſi hac adulatione aliquid promitterem quod falſum eſſet, & tamen in hoc cautus fui quando dixi, *imperium ſine fine dedi*, Iouem ipſorum induxi, qui diceret hoc, non ex perſona mea dixi rem falſam, ſed Ioui impoſui falſitatis perſonam (ſicut Deus ille falſus erat, ita & vates falſus erat :) nam vultis noſſe quia & iſta noueram? alio loco quando non Iouem lapideum induxi loquentem, ſed ex perſona mea loquutus ſum, dixi, *non res Romana, perituráque regna*. Ecce non tacuit peritura regna, peritura veritate non tacuit, ſed ſemper manſura adulatione præmiſit. ita S. Aug. qui ideo ſubdit : Non ergo deficiamus nos fratres, finis erit terrenis omnibus regnis, figite ſpem in Deum, æterna concupiſcite, æterna expectate. ita ille. Georgicorum.

1. Cor. 7. *Præterit figura huius mundi*. Agit ibi Apoſtolus de huius mundi bonis, & ſubdit : *Præterit figura huius mundi*. Cur bona mundi figuras appellauit? S. Chryſ. hom. 39. ad populum Oſtendit (inquit) Apoſtolus, quòd humanorum quodlibet in figura tantum eſt ; & velut vmbra & ſomnium præterlabitur, nihil habens verum, nihil ſtabile. Quomodo non igitur puerilis mentis ſit, circa vmbras attonitos eſſe? ita ille. qui figuram vmbram dicit, quia vmbra figuram rei habet, cum res nulla ſit. Sic etiam bona temporalia tam parui momenti ſunt, vt pro nihilo, & pro ſola vmbra reputentur, & de breuitate ſubdit Apoſtolus *præterit*. Vbi idem S. Chryſ. Cum audis quòd tranſit ; quid amplius iam quæris? ita ille. quaſi dicat : Bona quæ velut vmbra in ſe ſunt, & citò pertranſeunt, quis ſapiens ea non 1. Cor. 7. S. Chryſ.

contemnet,

contemnet, siue diuitiæ sint, siue honores, siue dignitates, siue voluptates, siue regna vel imperia?

Abul. Abulensis super cap. 19. Genesis ex communi Chronistarum sententia refert in terra Sodomorum quam Dominus sulphureo igne de cælo proiecto, subuertit, arbores quasdam gigni, quæ poma producunt exteriùs pulchra, intus verò nihil aliud habentia quàm cinerem; cinis autem mortis symbolum est, & finis vitæ. Talia quidem sunt omnia hæc temporalia bona, exteriùs enim apparent pulchra, quo nobis arrident, aurum, argentum, honor, imperium, delitiæ, &c. intus verò omnia sunt petituta, cinis, & fauilla, omnia denique finem habent: non ita cælestia. Quid ergo stultius quàm temporalia præponere bonis ineffabilibus & æternis?

S. Chrys. S. Chrys. hom. 1. in Gen. Omnia hæc temporalia bona mundi, nondum rectè aduenerunt & auolarunt; tale quid sunt delitiæ, & diuitiæ, gloria & potentia & prosperitas vitæ huius, nihil firmum habent, nihil permanens, sed magis quàm fluenta fluminum prætercurrunt, nudosque relinquunt eos qui inhiant illis. ita ille. Qui per contrapositionem subdit: Atqui spiritualia non sunt talia, sed firma, immobilia, & ad omne seculum se extendentia. Quantæ igitur desipientiæ erit nutantia cum immobilibus commutare? ita ille. S. Leon Papa serm. 6. Epipha. Quis fructus, quæve vtilitas est, ea indesinenter cupere, quæ etiamsi non deserant, deserenda sunt?

Propositio III.

Bona temporalia postponenda sunt bonis spiritualibus.

Cantic. 2. Ant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Quonam pacto?

S. August. S. Aug. ser. 7. de verb. Domini secundùm Matth. Quid est ordinate charitatem? facite gradus & cuicumque debetis restituite; nolite anteriora posterioribus subdere, amate parentes, sed præponite parentibus Deum. ita S. Aug. qui in confirmationem adducit quod Christus respondit ei qui Matth. 8. vocatus à Christo dixit: *Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.* Cui Dominus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Etenim sepelire mortuum & maximè patrem opus est misericordiæ non contemnendum; primum enim Dei mandatum secundæ tabulæ in repromissione vt ait Apost. ad Eph. 6. est, *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Cur ergo non id permisit illi Christus? S.

S. Aug. Aug. vbi suprà, sic locum istum interpretatur: Ego, inquit Dominus, ad Euangelium te voco, maius est hoc quàm quod tu facere vis; sequere me, & sine mortuos sepelire mortuos suos. ita ille. Cum igitur bona spiritualia incomparabiliter superiora sint temporalibus & corporalibus bonis, stultissimum est his illa non anteponere.

Gen. 1. Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Obserua ordinem narrationis; non enim dixit, *in principio creauit terram, & cælum*, sed econuersò. Cur ita? Rectè Doctor quidam: Terram Deus condidit, & homini tribuit in vsus: sed primùm, & supra condidit cælum, quia pluris ab homine æstimandum, & quærendum esse voluit cælum, & qui priùs terram quàm cælum quærit, & iustitiam Dei, ordinem peruertit. ita ille.

Quàm rectè consonat quod Dominus dixit Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis.* Ponderat eleganter S. Chryso. locum hunc hom. 23. in Matt. dicens: Ethnicorum studium erga præsentem vitam consumitur, quorum nulla cælestium, & futurorum cogitatio est; ideo Dominus dixit: Hæc omnia temporalia gentes inquirunt, nobis autem non sunt ista principaliter quærenda, sed illa. ita S. Chrys.

Vbi etiam obserua verbum illud, *adycientur vobis*, quod sic etiam expendit ibidem optimè S. Chrys. dicens: Non dixit, *dabuntur vobis*, sed, *adycientur*, vt disceremus horum quæ in præsenti dantur, nihil esse magnum, si futurorum magnitudini comparentur; & idcirco nec peti illa iussit Deus, sed adiicienda esse dixit. ita S. Chrys. S. Chrys.

Vbi nota verbum, *adycere*, adiectiua esse hæc bona mundi significare, adiectiua verò, accidentia important secundùm Latinos, vt paries albus, carbo niger, &c. Quo significatum est quàm parui momenti sint bona temporalia, qualia, scilicet accidentia sunt comparatione substantiæ, qualia cælestia bona sunt. *En el cielo esta la substantia de nuestros bienes, en la tierra los bienes son como accidentes sin substanzia, que son de pequissimo ser.* Cum igitur ita sit, *quærite primum regnum Dei*, &c. Insuper attende verbum illud *quærite*, & subintellige, à Deo; donum enim Dei est affectus iste quærendi primò, & principaliter regnum Dei, sicut indicauit Dei sponsa Cant. 2. dicens: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; amoris ordinem tribuit Deus sponsæ suæ, vt nempe ordinatè diligat diligenda, secundùm exigentiam rerum, amando videlicet primo, & præcipuo loco cælestia, deinde moderatè terrestria; id enim est quod religio & virtus Christiana requirit. Virtus enim, vti asserit S. Aug. nihil aliud est, quàm ordo amoris: qui enim ordinatè res amat, ille quidem virtute prædirus est, qui scilicet Deum amat super omnia, proximum sicut seipsum, & temporalia tanquam temporalia, &c.

Apoc. 12. *Signum magnum* (ait S. Ioannes Euangelista) *apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim, & Luna sub pedibus eius.* Etenim Sol, & stellæ bona immutabilia sunt, atque adeo symbola sunt bonorum cælestium, quæ immutabilia sunt; Luna verò quæ assiduè mutatur, mundi symbolum est, & ideo sub pedibus Ecclesiæ collocatur, stellæ verò supra caput, & Sol supra cor Ecclesiæ. Ecce debitus amoris nostri ordo, & situs, vt terrestria pedibus teramus, cælestia verò supra capita nostra constituamus, iuuante Deo, à quo ordo iste procedit. Apoc 12.

Vnde quatuor illa animalia Ezechielis super capita sua firmamentum ferebant, nimirum, quia vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur. Potius igitur à Deo hunc Dei spiritum, vt supra caput non terram, sed firmamentum cæli apponas. Ezech. 1.

Ps. 90. Sic Dauid ad virum iustum: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Cur in latere iusti sinistro occurrunt Dæmones, in dextero verò decem millia? S. Bern. serm. 7. super Ps. *qui habitat*, supponit per latus dexterum quod quidem principalius est, bona spiritualia hominis designari, per sinistrum verò bona temporalia, quæ respectu bonorum spiritualium valde inferiora sunt, sicut latus sinistrum dexteri comparatione; hinc responsio constat: militant dæmones contra nos, & quia maius valde nocumentum nostrum Psalm. 90. S. Bern.

nostrum est in bonis spiritualibus, quàm in corporalibus, ideo hostes plures, & fortiùs irruunt in bona nostra spiritualia, quàm in corporalia.

S. Ber. Hinc S. Bern. in eodem loco: Propter hoc, inquit, non ad insipientiam vobis tundendum liberè aduersario videmini latus exposuisse sinistrum, vt dexterum proinde tota solicitudine conseruatis. Hæc nimirum commendata à Christo Christianis omnibus imitanda prudentia serpentis est, vt solum caput toto (si necesse fuerit) exposito corpore tueatur. ita S. Bern. qui ad monachos suos sermones dirigebat. Vtinam ab omnibus quoque recipiantur! Hæc enim vera prudentia est, maius malum minori malo vitare.

Gen. 33. 1. Genes. 33. Iacob in patriam pergens, & timens obuium fratrem Esau, diuisit familiam suam, & posuit ancillas & filios earum in primo loco, Liam verò & filios eius in secundo loco, Rachel autem & Ioseph nouissimos. Nota prudentiam Iacob: quæ minoris æstimationis erant in priori, & periculosiori loco locauit, quæ verò maioris in posteriori, & securiori parte constituit. Sic tu si sapis, spiritualia bona quæ quidem ad salutem, & saluationem æternam conducunt, præpones cunctis corporalibus & temporalibus emolumentis.

Genes. 1. Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Cur prius, inquit, cælum creauit, & non potiùs terram, cum terra totius creaturæ corporalis velut fundamentum sit, à fundamento autem ædificatio initium sumere debeat? Vnde Ps. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*; hic recto quidem ordine Psalmista procedit. Cur igitur non ita Moyses in creationis narratione? Procopius Gazeus: Hoc docet (inquit) Creator hîc vt primo loco cælum, deinde terram curemus. ita ille. quod & Dominus Iesus Matth. 6. asseruit, *quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius*: quod pauci, plerique verò oppositum faciunt: quærunt primùm terrestria, deinde ac vix cælestia, tanquam animalia bruta quæ terrestria solicitè & tantummodo curant.

S. Ambr. S. Ambrus. 1. offic. 45. Non mediocre est in rebus singulis modum seruare & ordinem impartiri. ita ille.

Item 1. offic. 43. Quo præstantior causa, eo debet esse attentior cura. ita ille. Hinc constat discrimen in bonis temporalibus & æternis procurandis.

2. Cor. 4. Vnde Apost. 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna.* Nota verbum *non contemplantibus*, non ait, nullo modo quærentibus, nam humanitas nostra bonis temporalibus eget: sed, non contemplantibus; contemplari enim vehementem quandam, & profundam considerationem importat. Mediocris igitur cura decet res temporales, maxima verò æternas.

PROPOSITIO IV.

Sæpe Deus temporalia denegat, quia abutimur eis.

EXod. 3. *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis, in medio rubi.* Cur quæso in rubo, & non in alia pretiosiore arbore Deus apparuit Moysi? v.g. in cedro vel in cupresso, &c. S. Theodoretus, q. 6. in Exod. Nonnulli dicunt Deum in rubo & non in alia planta apparuisse, ne quis posset ex rubo Deum effingere; erat enim verisimile Iudæos hoc ausuros esse, si in alia planta apparuisset. ita ille. Nunc ad rem, sicut Deus occasionem idololatriæ ab eis hoc pacto auferre voluit, sic etiam negando nobis temporalia bona, idololatriæ spiritualis à nobis occasionem aufert, dum nobis temporalia bona negat: sic enim temporalibus hæremus, sic illa amamus, vt adorare ea videamur; melius autem nobis est pauperes cælum adire, quàm diuites factos perire.

PROPOSITIO V.

Negat & tollit à nobis Deus hæc bona, ne amori Dei amorem eorum præferamus.

EXod. 27. Tabernaculi Dei structura talis erat, vt illius ianua ad orientem spectaret. Cur igitur potiùs ad orientem quam ad occidentem? S. Theod. quæstione 60. in Exod. A parte, inquit, orientis ostium tabernaculi Deus apponi iussit, vt Sol oriens quasi modo quodam adorans vestibulum tabernaculi radios suos confestim illuc emitteret, ij verò quibus solum Deum adorare mandatum erat, à tergo solem haberent, ad tabernaculum conuersi, & ita non Solem, sed Solis Creatorem adorarent. ita ille. Ne igitur Hebræi Solis pulchritudinem intuentes, ipsum tanquam Deum adorarent, architecturam tabernaculi sic ordinauit Deus, vt Sol primùm exoriens veluti Deum verum in tabernaculo adorans & orans, ipsius tabernaculi fores pulsaret, & Deum eius factorem recognosceret, & ita intelligerent Hebræi, non esse adorandum quem adoratorem viderent. Hoc ipsum ego de bonis temporalibus dico, splendorem gloriæ mundi, honores, diuitias & delitias videntes homines ne ament, imò ne adorent temporalia, propterea ab oculis eorum tollit ea Deus, & quasi a tergo constituit, ne amorem Deo debitum ipsis temporalibus rebus tribuant; ideo parcum se nobis in largitione horum bonorum exhibet se Deus. Exod. 27. 13. S. Theod.

Qui visco venantur aues, cumprimùm alis suis visco adhærent illæ, ad superiora volare nequeunt: sic ait S. Aug. serm. 33. de verbis Domini secundùm Lucam: Amor terrenorum viscum est spiritualium pennarum. Ecce si concupisti, hæsisti: nolite, inquit, diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quisquis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo, quia omnia quæ sunt in mundo concupiscentia carnis sunt, & concupiscentia oculorum, & ambitio vitæ; concupiscentia carnis, vxorem duxi; concupiscentia oculorum, quinque iuga boum emi; ambitio seculi, villam emi. ita S. Aug. adde: Sicut per illa tria impedimenta priuati illi fuerunt dominica cæna, id est gloria cælesti, sic per has tres concupiscentias terrenorum; sicut enim impossibile est vno oculo cælum videre & alio terram, sic impossibile est, moraliter loquendo, cælum terrámque amare. Simile. S. August. Simile.

PROPOSITIO VI.

Bona temporalia impedimento solent esse bonis spiritualibus.

MAtth. 3. *Simile est regnum cælorum grano sinapis*, & reliqua. Expendens S. Ambros. serm. 1.

ferm. 11 locum iustum, ait: Mouet fortasse sensus vestros, cur regnum Dei tam præclarum, atque magnificum, grano sinapis exiguo comparetur: sed si diligenter intendamus, inueniemus rectè à Domino hanc similitudinem comparatam. ita S. Ambros. qui serm. 2. sic rationem similitudinis huius explicauit, dicens: Sicut enim cum sinapi caput curandum est, iubentur abrasos capillos deponere, & impedimenta curis vniuersa deponere, vt nudo corpori fortiùs medicina proueniat: ita & cum anima per fidem curanda est, præcipimur à nobis sobstantiam seculi auferre, & impedimenta auri, argentique deponere, vt nudæ & soli animæ congruentius spiritualis medicina proueniat; quisquis enim rebus mundi, & diuitiis obuolutus non est, huic fidei Christianæ medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. ita S. Ambros. qui per granum sinapis fidem prædicatam, & auditam interpretatur, iuxta illud Christi Domini: *Si habueritis fidem sicut*
Matth. 17. 19. *granum sinapis, nihil impossibile erit vobis.* Matt. 17. Et consonat parabola seminantis Luc 8. in qua sic inter alia Dominus de semine diuini verbi; cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud: quod sic est interpretatus Dominus ipse dicens. *Quod in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum.* Ecce quid diuitiæ & honorum mundi copia præstet.

Videmus nihilominus Christianos impensè optantes & quærentes hanc bonorum abundantiam, ac si nihil tale Dominus docuisset illos, propterea decipiuntur, quòd magnam fælicitatem in horum bonorum possessione sitam esse
Matth. 13. 22. arbitrentur. Audi Christum Dominum Matth. 13. *Fallacia diuitiarum suffocat verbum Dei, & sine fructu efficitur.* Hîc Dominus diuitias mun-
S. Greg. di fallaces vocat. Cur ita? S. Greg. hom. 15. in Euangel. respondet: Fallaces sunt diuitiæ mundi, quia diu nobiscum durare non possunt; fallaces sunt, quia mentis nostræ inopiam non expellunt: solæ autem diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt; si ergo fratres diuites esse vultis, veras diuitias amate; si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite. ita S. Greg. Ecce in quo fallacia, & deceptio diuitiarum mundi consistat: promittunt enim magnam fælicitatem nobis, magna autem quomodo esse potest quæ hac breuissima vitæ clau-
Luc. 12. ditur mora? *Anima mea* (dicebat diues ille Lucæ 12.) *habes multa bona reposita in annos plurimos*, &c. Et tamen eadem nocte mortuus describitur. Ecce fallaciam. Fallaces sunt, quia magnam animæ satietatem promittunt, & falluot; quia anima non satiatur corporalibus bonis, sed spiritualibus, quia ipsa non corporalis, sed spiritualis est. Veræ igitur diuitiæ animæ sunt virtutes; hæ quidem non fallunt, sunt enim bona quibus vitam acquirimus gloriosam, & sempiternam. Fallit honor mundi, quia vanus est & vento similis, & denique gloria vana: culmen autem veri honoris & veræ gloriæ in cælesti gloria consistit.

Simile. Vitis non amputata quanto magis extendit palmites suos, tanto magis minuit fructum suum: sic qui desiderio bonorum temporalium ardent, quanto ampliùs in curas temporales mentem suam distendunt, tanto ampliùs spirituali fructu carent. Sicut enim vitis illa virtutem fructificandi in pampinis, & foliis inutilibus consumit: sic etiam animi virtus in curis rerum temporalium consumitur, & ad fructum animæ non progreditur.

Psalm. 90. sic Dauid ad virum qui sperat in Domino: *Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.* Diuinam protectionem hîc scutum vocat propheta, vti ait S. Bern. ser. 5. in Psal. hunc. Sed cur ita? Respondet ibidem idem sanctus: Non incongruè sanè scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum, & latum est, vt caput, humerosque custodiat, in inferiori verò strictius, vt minùs oneret, maximè quod adeo periculosum non sit in illa vulnerari; sic omnino, sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est carnem: nam vt ita dixerim, penuriam rerum temporalium donat, nec vult eos illarum multitudine prægrauari, sed vt victum & vestitum habentes (vt ait Apost.) his contenti simus; in superioribus verò ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Cæterum quanto in parte inferiori strictius, tanto melius. ita S. Bern. qui nobis meliorem penuriam rerum temporalium esse affirmat; quia quidem, & distractionis animæ occasio est, imò & damnationis æternæ, abundantia diuitiarum & bonorum temporalium, vti Apostolus ibidem ait. Postquam enim dixit, *habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus*, subdit: *nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* ita Paulus, ita Deus per Paulum; & tamen tu anxiè, & hianter huiusmodi bona quæris in damnationem tuam æternam?

1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, Nunquid mundi bona mala sunt, vt propterea diligere non debeamus illa? mala quidem in se minimè sunt: *Vidit*, enim, *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: bona igitur sunt in se bona mundi, aurum scilicet & argentum, & lapides pretiosi, & alia huiusmodi. Sed tamen nobis modò non ita bona sunt, modò inquam: nam si in statu innocentiæ permansissemus, non nobis ita interdicerentur. Sicut enim sanitate gaudenti, non interdicuntur seu prohibentur multi cibi qui negantur infirmis: sic in natura lapsa multa nobis bona interdicuntur, quæ in natura integra concederentur, sunt enim modò animi nostri infirmi, & debiles, & inde est quòd nobis nociua sint, & saluti animæ contraria, & ideo nec vera bona nobis. 1. Ioan. 2. 15.

Probans hanc rationem S. August. tomo 9. lib. de contemptu mundi ait: Si mundana bona vera bona essent, Christus Dominus sequacibus suis non ea diceret contemnenda: ait autem: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*; nec se abscondisset cum turbæ eum regem facere voluerunt, si vera bona essent, non improperaret possessoribus dicens: *Væ vobis diuitibus*, &c. & alibi: *Faciliùs est camelum per foramen acus transire quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* ita S. Aug. Quæris vnde oriatur periculum damnationis ex diuitiis? explicuit id Christus Dominus Matth. 6. dicens: *Non potestatis seruire Deo & mammonæ*, id est, Deo & diuitiis. At di- S August. Luc 6. 24. Matt. 19. 21. Matth. 6. 24.

cet aliquis diues, Ego non seruio sed possideo; quis est diues iste, *& laudabimus eum?* Qui nempe *post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris: & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* [Esse tal haze milagros en vida, tenedlo pot vn Sancto, vesad le la Ropa como aral.] Nota verba illa, *post aurum non abiit*, quæ scripta sunt in Ecclesiastico c. 31. Abire enim post
Luc 31. alium, famulorum, & seruorum est: quare diuitem illum beatum spiritus Dei esse ait, qui habens thesaurum non seruit ei, cui scilicet non dominetur pecunia, & ipse non amanter famuletur ei. Vnde meritò præmisit: *Beatus*, diues, *qui inuentus est sine macula*: nam ex amore diuitiarum sequuntur maculæ animæ, superbia nempe, & ambitio, & gula & vitia plurima; ideo Christus Dominus, *non potestis seruire Deo & mammonæ*, quia quidem non possumus amare Deum & simul diuitias; nam amore amor sicut clauo truditur clauus; non capit cor Deum quod pecunias capit.

Hinc est quod diuiti quærenti Matth. 19. *Magister bone quid faciam vt habeam vitam æternam?* respondit Christus: *Serua mandata.* Cui diues: *Omnia mandata Dei seruaui ab adolescentia mea, quid adhuc mihi*, deest? *Si vis*, inquit Dominus, *perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* Renuit diues, & recessit, tristis erat enim, multas habens possessiones. Tunc Christus ad discipulos suos conuersus dixit: *Amen dico vobis quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Tremendum diuitibus verbum, & amplius si ad dictum, de camelo exemplum addas. Sed pondera consequentiam verborum Christi, diues non quærebat perfectionem cum paupertate coniunctam, sed solùm saluum fieri, & Christus ad relinquenda omnia illa inducebat; & quia talem amplecti perfectionem noluit, subdit quàm difficilè saluatur diues. Videbatur ex dictis non deducendum quòd diues difficilè saluetur: sed difficile esse diuiti perfectionem profiteri, nam hoc detrectauit diues ille. Sed attende sapientiam verbi: videbat Christus perdifficile esse diuitem saluari, qui diuitias possidere mauult quàm eis vale dicere; ideo volenti saluari & præcepta Dei seruare perfectè, consulebat dimittere diuitias, ea propter ex eo quod nolebat eas relinquere subdidit esse difficile valde diuitem saluari; non quia nolebat perfectus esse, sed quia nolens talem perfectionem, inter venena diuitiarum permanebat. Ecce quare dixerit Dominus, *nemo potest seruire Deo & mammonæ.* Nam veluti miraculum est possidere diuitias & non possideri ab eis, & talem sic possessum non damnari.

S. Ambros. 1. de offic. c. 5. Illa quæ videntur bona, diuitiæ, satietas, lætitia doloris expers, non solùm adminiculo non sunt ad vitam beatam, sed etiam dispendio sunt. ita ille. qui sententiam hanc verbis Saluatoris confirmat, dicentis: Luc. 6. *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram: væ vobis qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis ridentibus quia lugebitis*, &c.

Propositio VII.

Anteponenda sunt bonis temporalibus mundi, bona spiritualia.

Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Obserua ordinem narrationis; non enim dixit, *in principio creauit terram, & cælum*, sed econuersò. Cur ita? Rectè Doctor quidam: Terram Deus condidit, & homini tribuit in vsus: sed primùm, & supra condidit cælum, quia pluris ab homine æstimandum, & quærendum esse voluit cælum, & qui priùs terram quam cælum quærit, & iustitiam Dei, ordinem peruertit. ita ille.

Quam rectè consonat quod Dominus dixit Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis.* Ponderat eleganter S. Chryso. locum hunc hom. 23. in Matt. dicens: Ethnicorum studium erga præsentem vitam consumitur, quorum nulla cælestium, & futurorum cogitatio est; ideo Dominus dixit: Hæc omnia temporalia gentes inquirunt, nobis autem non sunt ista principaliter quærenda, sed illa. ita S. Chrys.

Vbi etiam obserua verbum illud, *adycientur vobis*, quod sic etiam expendit ibidem optimè S. Chrys. dicens: Non dixit, *dabuntur vobis*, sed, *adycientur*, vt disceremus horum quæ in præsenti dantur, nihil esse magnum, si futurorum magnitudini comparentur; & idcirco nec peti illa iussit Deus, sed adiicienda esse dixit. ita S. Chrys. Vbi nota verbum, *adycere*, adiectiua esse hæc bona mundi significare, adiectiua verò, accidentia important secundùm Latinos, vt paries albus, carbo niger, &c. Quo significatum est quàm parui momenti sint bona temporalia, qualia scilicet accidentia sunt comparatione substantiæ, qualia cælestia bona sunt. *En el cielo esta la substantia de nuestros bienes, en la tierra los bienes son como accidentes sin substanzia, que son de poquissimo ser.* Cum igitur ita sit, *quærite primum regnum Dei*, &c. Insuper attende verbum illud *quærite*, & subintellige, à Deo; donum enim Dei est affectus iste quærendi primò, & principaliter regnum Dei, sicut indicauit Dei sponsa Cant. 2. dicens: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; amoris ordinem tribuit Deus sponsæ suæ, vt nempe ordinatè diligat diligenda, secundùm exigentiam rerum, amando videlicet primo, & præcipuo loco cælestia, deinde moderatè terrestria; id enim est quod religio & virtus Christiana requirit. Virtus enim, vti asserit S. Aug. nihil aliud est, quàm ordo amoris: qui enim ordinatè res amat, ille quidem virtute præditus est, qui scilicet Deum amat super omnia, proximum sicut seipsum, & temporalia tanquam temporalia, &c.

Apoc. 12. *Signum magnum* (ait S. Ioannes Euangelista) *apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim, & Luna sub pedibus eius.* Etenim Sol, & stellæ bona immutabilia sunt, atque adeo symbola sunt bonorum cælestium, quæ immutabilia sunt; Luna verò quæ assiduè mutatur, mundi symbolum est, & ideo sub pedibus Ecclesiæ collocatur, stellæ verò supra caput, & Sol supra cor Ecclesiæ. Ecce debitus amoris nostri ordo, & situs, vt terrestria pedibus teramus, cælestia verò supra capita nostra constituamus, iuuante Deo, à quo ordo iste procedit. Vnde quatuor illa animalia Ezechielis super capita sua firmamentum ferebant, nimirum, quia vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur. Postula igitur à Deo hunc Dei spiritum, vt supra caput non terram, sed firmamentum cæli apponas.

PROPOSITIO VIII.

Bona temporalia torquere solent possessorem.

S August. RECtè S. Aug serm. 15. de diuersis: Omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis, vt in ipsis bonis crucietur animus, cui viluit, qui tanta largitur. ita S. August. qui hoc dixit de diuitibus, qui cupiditate magna acquirunt & possident bona mundi, qui quærentes in huiusmodi bonis gaudium & quietem cordis, tormenta & dolores animi reperiunt.

Impossibile quidem est sine dolore amittere quæ cum amore possidentur, & rursum impossibile etiam est non sæpe diminutionem bonorum temporalium pati, in diuitiis scilicet, vel in honore, vel in fama, vel in salute, vel in filiis, vel in amicis, vel in voluptatibus, &c. Huius igitur remedium est animum & amorem à temporalibus vindicare, & in rebus diuinis, & æternis collocare. Sicut enim abscissionem capillorum non sentimus, quia eos anima non animat, aliarum verò partium corporis incisio dolorem magnum patit, quia eas anima informat: ita quidem si animum & amorem in rebus mundi constituimus, in earum amissione valde dolemus. Amissio autem earum velut amissio capillorum est.

PROPOSITIO IX.

Bona temporalia captiuare solent corda nostra.

Exod. 15. 12. EXod. 15. *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.* Moralizans locum istum Origen. ait: Impios etiam hodie deuorat terra, qui semper de terra cogitant, terrena sapiunt, de terra loquuntur, terram desiderant, de terra litigant, in terra spem suam ponunt, ad cælum non respiciunt, futura non cogitant, iudicium Dei non timent, nec promissa eius desiderant. Talem eum videris, dicito quia *deuorauit eum terra*: Et si quem videris luxuriæ & voluptatibus deditum corporis, in quo nihil animus valet, sed totum possidet libido, dicito quia *deuorauit eum terra*, ita ille. ita quidem, & mox deuorabit eum infernus. Etenim bona temporalia sic suos deuorare solent possessores: omnem enim curam & solicitudinem cordis sibi solent vendicare.

Genes. 8. Genes. 8. Misit Noë coruum qui amplius non est ad eum reuersus, sicut reuersa fuit columba cum ramo viridi oliuæ. S. August. S. August. in quæstionibus super Gene. Quæritur, inquit, vtrùm coruus mortuus sit, an aliquo modo viuere tunc potuerit; si enim esset terra vbi requiesceret, similiter columba requiem inuenisset: vnde coniicitur quod cadaueri potuit coruus insidere, quod naturaliter refugit columba. ita S. August. Corui ergo similes sunt homines, qui missi à Deo in hune mundum, vt ab eo tamen non recedant sed reuertantur, ipsi verò bonis huius mundi inuentis ita illis adhærent vt ad Deum reuerti nolint, *hazen la ida de el cuerbo*, & ita pereunt & propter bona temporalia amittunt æterna. Sic locum istum expendit Strabus, dicens: Arca continet coruum, & columbam, sic Ecclesia bonos & malos; coruus emissus non reuertitur, quia reprobi illecebris mundi inhærentes pereunt; columba verò rediit portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo, quia sancti columbina simplicitate gaudentes munus pacis in ore portant. ita ille.

PROPOSITIO. X.

Bona temporalia decipiunt suo fulgore.

IOb 31. Sic S. Iob: *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè*, &c. quasi dicat, magni flagitij reus habear, si videns Solem fulgentem & Lunæ claritatem, & vtriusque sideris pulchritudinem adorauerim. Iob 31. 26. Alludit S. Iob ad eorum errorem, qui Solem & Lunam adorabant pulchritudine horum syderum decepti, Simile. quibus aliquo modo similes sunt, qui auri, & argenti, & lapidum pretiosorum splendore capti, & cæterorum mundi bonorum vtilitate seducti, ita perditè amant illa, ac si magna, & excelsa bona essent, & veluti ipsa adoratione digna videantur; quapropter diuinorum bonorum obliti, & salutis animæ, ea plusquam Deum desiderant, quærunt, ambiunt, & denique propter ea peccant, & damnantur.

Huius periculi & damni remedium tetigit ibidem S. Iob. dicens: *Si vidi*, &c. hoc est, nolui splendorem Solis, nec Lunæ claritatem aspicere, ne ab aspectu ad cultum eius deuenirem; etenim mundi sectatores diuitias, & delitias, & honores veluti adorant, quia animi aciem his bonis vehementer applicant. Vnde Apost. 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.* 2.Cor.4. 18. Non ait, *omnino non videntibus*, sed, *non contemplantibus*, quasi diuina quædam bona, sed quasi post tergum reiecta illa contemplantur vti par est.

Hinc in structura illa tabernaculi Dei Exod. 27. ianua ad orientalem plagam spectabat, cuius Exod.27. 13. structuræ mysterium sic expendit S. Theod. q. 60. S Theod. in Exo. Apertè (inquit) orientis ostium construi præcepit, vt Sol oriens quasi modo quodam adorans vestibulum tabernaculi, radios suos illuc confestim emitteret, hi verò quibus solùm Deum adorare mandatum erat, à tergo Solem haberent ad tabernaculum conuersi, & ita non Solem, sed eius creatorem adorarent. ita S. Theodore. Ratio igitur hæc in hoc consistit: Sol inter omnia visibilia creata splendoris primum tenet locum, quo facilè homines decipi possunt, pro Deo illum habentes: quare sic ostium tabernaculi (in quo Deus adorabatur) constituebatur ad ortum Solis, vt Sol cum oritur quasi adorans Creatorem suum illico per ostium illud ingrederetur, antequam suum apud nos cursum inciperet, vt talem adoratorem homines non adorarent, sed adoratum à Sole; & præterea vt homines qui in tabernaculum ingrediebantur, Deum à fronte haberent, & à tergo Solem, ne forte illius pulchritudine capti censerent Soli diuinos esse tribuendos honores. Nunc ad rem, lucent in oculis hominum bona temporalia hæc, & animos eorum ita alliciunt, vt Deo debitum amorem in eiusmodi transferant bona, & quasi adorare illa videantur. Qui ergo sapit, in æterna & ineffabilia bona aciem conuertat, & terga in hæc bona cadu-

ea vertat, ne deceptus ab eis ita ea amet & quærat, vt propterea damnetur.

Pereunt & damnantur homines decepti rerum temporalium nitore & apparentia; sic Eua in primi peccati perniciem incidit, dicente scri-
Gen. 3. 6. ptura Genes. 3. *Vidit igitur quod bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit deditque viro suo*, &c. Ecce vnde ottum habuit mundi vniuersi perditio. Sic etiam Genes. 13. cum optio daretur Lot ad eligendam terram in qua simul cum familia sua habitaret, elegit terram maledictam Sodomæ quam postea Deus propter maxima peccata habitantium in ea igne sulphureo de cælo misso consumpsit. Quomodo igitur
Gen. 13. terram illam elegit? Audi sacrum textum Gen. 13. *Vidit Lot circa regionem Iordanis sicut paradisum Domini, & elegit eam sibi Lot.* Pulchritudo & vbertas, & amænitas terræ fefellit eum: sic duobus iudicibus Babylonia qui adulterium Susannæ adoriri non fuerunt veriti, & delictum falso testimonio, & crudeli operari tentarunt, euenisse asserit scriptura, dicente Daniele vni eorum quod vtrique pertinebat, Dani. 13. *Semen Canaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Etenim ea tali specie imprudenter inspecta, oritur concupiscentia, ex vtraque autem perditio, *mirepues el euerdo como mira, mire queno es oro todo loque reluce.*

Propositio XI.

Bona temporalia non satiant corda nostra.

Luc. 15. 16. Filius prodigus *cupiebat saturari de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* In parabola hæc locutus est Dominus. Sed quid, inquies, sibi vult parabola ista? ita ne parui pensus esse potuit homo prædiтus ratione, vt porcorum cibo indignus iudicaretur? Respondet S.
S. Petrus Chrysol. Petrus Chrysologus serm. 2. quia Diabolus non finit peccatores ex ipso porcorum cibo pastuque saturari, vt esurientes vitia plus delinquant. ita ille. Qui enim ex aliquo cibo saturantur, statim est illis fastidio cibus ille, vti exemplo Hebræo-
S. Hiero. rum id probat S. Hiero. Epist. 11. ad Gaudentium, dicens: cupientibus Hebræis Ægyptias carnes vsque ad nauseam, & vomitum, prouidit Deus examina coturnicum, vt eas postea satiati contemnerent. ita S. Hiero. Ideo igitur Diabolus recusat satiare peccatores peccatis & bonis temporalibus ne satietas odium & fastidium eorum pariat.

Vnde S. Bern. lib. de diligendo Deum: Stultum & extremæ dementiæ est ea semper appetere, quæ nunquam non dico satient, sed nec temperent appetitum. ita ille.

Propositio XII.

Quàm parui momenti sint bona temporalia.

Psal. 9. 10. Psal. 9. sic Dauid: *Factus est Dominus refugium pauperi*, id est, mihi qui pauper sum. Cur se pauperem vocat cum rex & ditissimus esset? S. Basil. in scholiis in hunc locum: Sæpenumero se ipsum pauperem & egenum vocat, tametsi regiis esset facultatibus præditus: sciebat enim omnia humana quasi vmbra esse imbecilliora. ita S. Basil.

Admiratione digna sunt verba illa S. Petri Chrysologi serm. 25. Satis inuidet sibi, qui eleuatus ad summa, ipse ad humilia se deiicit, & ad egena deponit. ita ille. Expendamus verba illa, *satis inuidet sibi* [mucha embidia tiene desi;] qui fieri potest vt quis inuideat sibi? Inuidere aliis quia in re aliqua nos superant, & excellunt, quotidie videmus; at sibi quo pacto quis inuidere possit, non ita constat. Quomodo igitur ait S. S. Petrus
Chrysol. satis inuidet sibi? Vt autem subtilita- Chrysol.
tem huius dicti percipiamus, quod in Regum regiis euenire solet consideremus. Cum quis apud Regem magis quàm cæteri pollet & valet, quando, *Veen en la corte que vno priua mas con el Rey que los demas familiares suyos*, id pro viribus satagunt familiares reliqui, vt Rea illum aliquo munere condecentaum aliò mittat, quo de medio illo sublato plus ipsi apud Regem valere & posse possint, *procuran hecharle de la corte con algun officio honrroso para que no les estorbe suprianza.* Nunc ad rem, si Christianus qui ad æterna & cælestia à Deo vocatus, ad quætenda & obtinenda bona temporalia se demittit, quò se à diuinis & cælestibus rebus abdicat, ipse inuidet sibi: facit enim ipse sibi quod inuidi in Curia faciunt in eos qui præcedunt: quid autem miserius quàm sic inuidere sibi?

Ad Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego* Gal. 6.
mundo. Obseruauit S. Greg. 5. Mors hanc Apo- S. Greg.
stoli gloriationem dicens: Quia nec Paulus gloriam mundi quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebatur, & se mundo & mundum sibi crucifixum esse gloriabatur. ita ille. Etenim crucifixum esse opprobrium magnum censetur. Gloriatur igitur Paulus se à mundo ingiorium, & vilem reputari, sicut & mundus apud Paulum vilis & abiectus habebatur. Etenim mundani in hoc maximè gloriantur quòd mundi opibus, & honoribus, & delitiis, potiantur; sancti verò in hoc gloriantur, quòd huiusmodi bona sæculi despiciunt, gloriantur autem in cruce Christi, sicut Apostolus, dicens: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, [Deloques e glorian los mundanos se à frentan los sanctos, ydeloques eglotian los Sanctos se afrentan los mundanos.] Nunc abs te rogo, quinam horum ettate videntur tibi, quinam verò sapere? Si ergo vis more sanctorum, vt te mundus despiciat, esto mundo & crucifixus & mortuus; optimè enim concludit S. Greg. eapur illud secundùm suprà citatum, dicens: Mare viua corpora in se- Simile.
metipso retinet, mortua verò extra se protinus expellit. ita ille. Sic etiam mundus qui meritò in sacris literis mare nuncupatur, eos in se retinet, & amplectitur, qui non sunt mortui seculo, eos verò qui mortui sunt cum Christo reiicit à se: sed fælix reiectio talis.

Psal. 51. *Quid gloriaris in malitia qui potens es* Psalm. 51.
in iniquitate? tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum. Loquitur hic Dauid aduersum Doeg, Idumæum, qui causa fuit interfectionis Sacerdotum Domini, & gloriebatur in hac iniquitate sua. Ait igitur Dauid: Quid gloriaris in hac tua malitia Doeg, cuius lingua fuit nouacula dolosa? Cur linguam hanc nouaculam vocat? S. August. serm. 6. de verbis Domini ex S. August.
Matthæo: Quare (inquit) dolum potentis nouacu- Simile.
læ comparauit? quia nouacula non admittit ur nisi ad superflua nostra, sicut capilli in corpore nostro, qui tanquam superflui videntur, & sine detri

detrimento carnis raduntur; sic quidquid potest facere tibi iratus potens inter superflua tua numera. Tollit diuitias tuas? paupertas tua diuitiæ tuæ in corde tuo; superflua tua potuit tollere? permissus est vsque ad lædendum corpus? etiam ista vita cogitantibus aliam vitam tanquam superflua deputanda est, nam & martyres contempserunt illam; & non vitam perdiderunt, sed vitam acquisierunt. ita S. Aug. Sic igitur amittere bona temporalia est velut amittere capillos, quos nouacula radit, superflua scilicet adimendo: omnia enim bona temporalia æternis bonis comparata tanquam superflua & parui pendenda videntur; & sicut capillos sine detrimento capitis tollit nouacula, sic lingua vel manus aduersa quæ temporalia tollit, sine detrimento nostro tollit, quia solum quæ ad animam, & Dei obsequium pertinent, cum detrimento auferuntur.

S. August. S. Aug. serm. 12. in Euang. secundum Matth. Quid mussitant, vel contendunt homines inter se dicentes, Quid est bonum? ô si scires quid sit bonum! quod habere vis, non est valde bonum; quod esse non vis, hoc est bonum; vis enim habere corporis sanitatem, non tamen existimes esse magnum bonum quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis? Ecce & hoc dico bonum, sed si bene fueris vsus & per hoc aurum & argentum, malis malum, bonis autem bonum est. Honorem habere vis? bonum est si eo bene vtaris, quàm multis honor exitij fuit occasio. ita S. Aug. Potest in huius rei explicationem prodesse id quod Iosephus ait de aquis illis quas in Ægypto in sanguinem Moyses conuertit. Quæ (inquit) in manu Israelitæ non sanguis sed aqua munda erat, in manu verò Ægyptij sanguis. Sic diuitiæ, & bona temporalia in manu peccatoris sanguinea peccata sunt, in manu autem viri iusti virtutes & merita gloriæ sunt, quod patet in bonis temporalibus diuitis auari & sancti Iob.

Iosephus.

Ioan. 16. 33. Ioan. 16. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* S. Aug. legit, *gaudete, ego vici mundum*: & subdit serm. 21. de verbis secundùm Matth. Dumine, quia tu vicisti, gaude; nos verò quare? Quare nobis dicit, *gaudete*, nisi quia vicit nobis, nobis pugnauit? ita S. Aug. Vicit Christus mundum contemnendo ea quæ mundi sunt, diuitias, delitias, & honores: vicit autem nobis, quia nobis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius: tali autem armati exemplo facilè & nos mundum vincere valemus. Quis enim mundum sic à Christo percalcatum non viriliter (si Christianus est) & ipse calcabit? Confidite igitur, meo exemplo munitos vos victoros esse mundum, & ea quæ in eo sunt; tum etiam confidite, quia qui dedit exemplum, dabit & auxilium, quo facillimo negotio mundum superemus. Quod si mundus insurrexerit in vos, confidite videntes quomodo Christus patienter sustinuit eius persecutiones, *vsque ad mortem; mortem autem crucis. Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, & vos eadem cogitatione armamini*, ait S. Petrus; non ait *induimini*, sed *armamini*; impenetrabilis enim est armatura ista, & prætetea cum Christus sic vicerit; confidite quia victoria sua fauorem & gratiam à Deo patre promeruit, vt & nos pariter persecutiones & tentationes mundi vincamus.

1. Cor. 7. 1. Cor. 7. *Præterit figura huius mundi.* Agit ibi Apostolus de huius mundi bonis, & subdit, *præterit figura huius mundi.* Cur bona mundi figuras appellauit? S. Chrys. hom. 39. ad populum: Ostendit, (inquit) Apostolus, quòd humanorum quodlibet in figura tantùm est, & velut vmbra, & somnium præterlabitur, nihil habens verum, nihil stabile: quomodo non igitur pueriles mentis sit, circa vmbras attonitos esse? ita ille, qui figuram vmbram dicit, quia vmbra figuram rei habet, cum res nulla sit; sic etiam bona temporalia tam parui momenti sunt, vt pro nihilo, & pro sola vmbra reputentur: & de breuitate subdit Apostolus, *præterit.* Vbi idem S. Chrys. Cum audis quod transit, quid amplius iam quæris? ita ille, quasi dicat, bona quæ velut vmbra in se sunt, & citò pertranseunt, quis sapiens ea non contemnet, siue diuitiæ sint, siue honores, siue dignitates, siue voluptates, siue regna vel imperia sint?

S. Chrys.

Eccles. *Vanitas vanitatum* dixit Ecclesiastes; *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Paradoxon quidem videtur sententia ista, & præter omnium opinionem: licet enim de temporalibus mundi bonis loquatur Salomon, sunt namque preciosa multa in mundo, aurum scilicet & argentum, & lapides pretiosi, honor, diuitiæ, & delitiæ, pulchritudo, salus & vita; hæc vt constat in magno pretio habentur; cur igitur vana appellat ea Salomon; imò vanitatem ipsam in abstracto, & quidem non semel aut iterum, sed vicibus quinque? Etenim aut mundus errat, aut Salomon ipse; at Salomonem errare nefas est dicere, eius enim lingua in hoc sacræ scripturæ loco calamus est Spiritus sancti: mundus igitur errat. Quomodo autem vera sit sententia ista, videamus. Sunt in humanis multa in pretio habita, dignitates videlicet Comitum, Marchionum, Ducum, Principum Regum, Imperatorum, diuitiarum, &c. Cur ergo vana hæc vocat? Titelmannus in hunc locum: Quia nihil est in humanis ad hominis desiderium satiandum. ita ille. Rectè quidem, nam vanum id dicimus quod ad desiderium nostrum non est satis, nec ad finem intentum assequendum desiderat, & intendit quis Episcopatum, vel reipub. ducatum, apponit omnia sibi possibilia media ad ea obtinenda, sed frustrà; is rectè dicere valet, in vanum laboraui, non enim ad finem optatum & intentum peruenit: finis hominis est fœlicitas & beatitudo, ad hoc per assecutionem creaturarū perueniri non potest. Vana igitur sunt omnia ista, in sola enim visione Dei requiescere potest desiderium nostrum. Quare à quocumque Monarcha roges an desiderium suum plenum, & satiatum sentiat, negabit quidem, quia vti S. Aug. asserit, fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec quiescat in te: S. Aug. sicut de acu horologij dicimus, nunquam quiescere posse donec directè stellam magnetis à quo tacta est aspiciat, &c. Subiecit sibi Alexander Mag. regna, & Reges terræ, & quia à Philosopho quodam dictum fuit ei alios esse mundos extra hunc quem videmus, tristis effectus; tristitiæ suæ causam esse dixit, quia ad ea obtinenda peruenire non poterat. Etenim si omnes illos reliquos ementitos mundos assecutus fuisset, eandem passus fuisset famem. Vana igitur omnia bona mundi nostro sunt cordi. Vnde rectè subdit ibi Titelmannus: Nihil aliud est quæuis creatura in hominis animo quàm guttula parua in immenso maris alueo, vel atomus in toto ambitus cæli spatio: nam inter finitum, & capax infiniti nulla est proportio. Titelman

S. Hier. in Epitaph. Paulæ. Seculi homines suspiciunt eos qui bonis temporalibus pollent; nos verò laudamus eos qui pro Saluatore ista despexerint: non enim laudis est possidere diuitias, sed pro Christo contemnere illas.

Propositio XIII.

Amor temporalium ex cordis pusillitate procedit.

QVàm plures in mundo videmus qui maiori sollicitudine diuitias terræ, quàm cælestes inquirant, contra id quod Christus Dominus nos apertè docuit Matth. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque erugo, nec tinea demolitur, nec fures furantur.* Cur igitur Christianus qui hæc à Domino audit, relictis cælestibus thesauris, hæc mundi vilia tota auiditate quærit? S. Petrus Chrysolog. serm. 25. hoc pusillitati cordis attribuit, dicens: Deiectæ mentis est, qui familiaris rei meminit cùm vocetur ad regnum: rarens animus numulum thesauris regalibus antepouit, paruus sensus paruis incubans perdit magna, & inhians temporalibus deserit sempiterna. ita ille.

Matth. 6.

S. Petrus Chrysol.

Propositio XIV.

Quàm indignus homine sit amor rerum temporalium.

SIc Dominus ad serpentem: *Super pectus tuum gradieris.* Hoc in maledictionem serpentis asseruit Dominus; sed nunquid ante hanc maledictionem serpens non gradiebatur super pectus suum? Ita quidem, nam inter reptilia produxit Deus serpentem: si ergo naturale hoc illi erat, cur maledictioni Dei tribuitur? Rupertus super Gen. c. 18. Quomodo nunc pro pæna infertur quod à natura priùs illam habuisse negare non possumus? Igitur sub nomine serpentis quem diabolus inuasit, ipse percutitur, qui & per superbiam suam similem se Altissimo esse voluit, propter malitiam suam infimæ creaturæ quam ipse virauit, iudicatur fieri pænaliter similis, & ideo dixit, *super pectus tuum gradieris*, tanquam si diceret: Sicut serpens seipsum in terram premit, sic tu, Diabole, cum sis naturæ intellectualis semper in tentationem tuam conferes deorsum. ita ille. Qui ergo ex nobis terrena sapiunt, & terrena quærunt, similes sunt serpentibus, imò & Dæmonibus parificantur, & vilem ac terrestrem animum sicut Dæmones gerunt.

Genes. 3.

Rupertus.

Quam autem nociuus sit Diabolus his qui terrena bona quærunt, significauit Dominus dicens serpenti: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* At quonam pacto Diabolus comedit terram? Rupertus, terram, inquit, comedes, & non cælum, id est, non eos quorum conuersatio in cælis est, sed eos qui terrena sapiunt; hi enim eibus tous erunt. ita ille. Cibus Diaboli sunt auari, & qui solicitè terrena appetunt & quærunt, quia in his quæstum & saporem inueniunt sibi Dæmones; & sicut qui aliquid manducant, id quod manducant in se conuertunt: sic in Dæmonem conuertitur terrenus talis homo, & similis factus est illius. Vnde sic Dominus de Iuda qui pro terreno & vili lucro tradidit Christum: *vnus vestrum Diabolus est*; vt speciatim auaros similes Diabolos esse doceret.

Simile.

Si igitur nos Dei filios agnoscimus esse, & hæreditatem ac patrimonium nostrum in cælis esse, quid nobis & terræ? cur non ad cælestem patriam tanquam ab ea peregrini non anhelamus?

Propositio XV.

Abhorret Deus amatorem magnum rerum temporalium.

LEuit. 11. ex piscibus illos immundos reputari voluit Deus qui squammis & pennis carent, quales sunt Anguillæ, & alij huiusmodi qui ad ima aquarum descendunt, & inter lutum morantur; mundos verò illos qui squammas & pennas habent, & aquis supernatant. Huius rei rationem adhibens Theodor. q. 11. in Leuit. ait: quia inter homines mundi sunt illi, qui animum ad terrena non appellunt. ita ille. Leuit. 11.

Propositio XVI.

Bonis temporalibus solet Deus remunerare bona opera peccatorum.

GEn. 15. sic Dominus ad Abraham: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Hoc dixit Deus Abrahæ statim postquam insignem quandam de inimicis victoriam reportauerat. Cur igitur tunc dixit, *ne timeas?* ante pugnam hoc dicendum videbatur & non post victoriam partam; quid enim tunc poterat timere? Respondet Nicolaus de Lyra, ibi secundùm doctores Hebræus: Ex victoria tam excellenti de quatuor regibus timuit ne foret ex hoc iustitia eius remunerata, & propterea dixit ei Deus, *ne timeas, quia ego merces tua magna nimis*, ita Lyranus. Nimirum, quia solet Deus bonis temporalibus remunerare obsequia nonnulla. Gen. 15. 1. Lyra.

Hinc Luc. 16. sic Abraham ad diuitem ex inferno paululum aquæ postulantem: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Vnde quæso locus iste? nunquid hic dives non poterat ibi etiam & hîc simul cruciari, cum esset iniquus, & Lazarus non poterat ibi & hîc consolari cum esset iustus? Respondet S. Chrys. hom. 6. in Epist. ad Hebræos: Fieri non potest in hac vita vt malus sit ex omni parte malus, sed potest ipse quoque habere aliqua bona; & bonus sit ex omni parte bonus, sed potest ipse habere aliqua peccata. Vt ergo malus paucorum bonorum accepta hîc remuneratione, illic deinde perfectè puniatur, ea de causa hic accipit: at ille est maximè beatus qui hîc punitur, vt omnibus depositis peccatis, probatus hinc abeat. Audi igitur Abraham dicentem diuiti, *recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*: dicens *hic recepisti*, non autem *accepisti*, ostendit, vtrunque affectum pro debito, & illum cui fuerunt res secundæ, & illum cui aduersæ. Ne ergo tristes simus cum viderimus peccatores hîc bonis affici, & quando nos viderimus hîc malè affici lætemur: ea enim res peccatorum exolutio est. ita S. Chrys. Luc. 16. S. Chrys.

Propo

Propositio XVII.

Adhærere nimis bonis temporalibus signum reprobationis est.

Gen. 3. GEn. 3. sic Dominus ad Diabolum in serpente: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* quomodo cibus terræ dæmoni conuenire potest, qui spiritus cum sit, corporeo cibo vesci nequit? Glossa ordin. Respondet Glossa ordinaria, quasi dicat Dominus: Ad te pertinebunt quos terrena cupiditate decipis. ita Glossa. Decipit autem homines cupiditate terrena, tum eos lethale peccatum committere faciens, tum eos adhærere ita faciens rebus terrenis, vt moraliter loquendo, impossibile sit non ita cadere: ea propter dicimus hanc nimiam animi adhæsionem ad bona temporalia reprobationis signum esse.

Gen. 4. de Cain, qui prauorum & reproborum figuram gerebat, & ipse reprobationis, dicit S. Bern. serm. 61. in Cant. hic ædificauit primus ciuitatem quam vocauit Henoch, quod interpretatur dedicatio; secundùm naturæ ordinem Adam ciuitatem ædificaturus erat qui prius creatus & parens omnium erat. Cur igitur non ille, sed Cain talis fuit ædificator? S. Isido. in hunc locum: Figuratè, inquit, progenies impiorum in ipsa origine fundamentum quærens in hac vita, ciuitatem struxit quam vocauit Henoch, id est dedicatio, quia in primordiis se dedicant, dum in hac vita quæ ante est radicem cordis plantant, vt hîc ad votum floreant & à futura gloria arescant: Abraham verò in caulis habitabat, quia sancti in hac vita hospites & peregrinos se esse cognoscunt, expectantes ciuitatem habentem fundamentum, cuius artifex Deus est. ita ille. Sicut qui ad Indos proficiscuntur, non vt ibi remaneant, sed vt diuitiis ibi acquisitis ad propria reuertantur, negotiantur hi in India, non bona radicalia quærunt, sed monilia quæ secum in patriam ferre possint: sic electi in hac vita non bona radicalia mundi satagentes quærunt, sed monilia quæ secum ferre in cælestem patriam possint, merita scilicet & opera bona, &c.

S. Bern. — S. Isidor. — Simile.

Propositio XVIII.

Nimia solicitudo bonorum temporalium causa multorum peccatorum solet esse.

Gen. 3. GEnes. 3. sic Dominus ad serpentem, *Maledictus es inter omnia animantia, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Hîc (vt explicat Lyranus) Dæmonem in serpente maledicit Dominus; Lyra. quo verò pacto Dæmoni conueniat comedere terram, sic idem Lyranus explicauit, *terram comedes,* id est, homines terrena diligentes incorporabis tibi, eos decipiendo. ita ille. Incorporantur autem homines Diabolo peccando, quia eo modo adhærent ei, & serui eius efficiuntur: terrena igitur bona diligentes incorporat sibi hostis, quia eos facilè ad peccandum inducit: qui enim honorem mundi amat, facilè in superbiam incidit, & ambitionem; superbia autem initium est omnis peccati: qui verò diuitias amat, facilè in auaritiam cadit, & auaritia quoque omnium peccatorum fons est: qui verò delitias terræ quærit, facilè luxuriæ & gulæ deseruit, & aliis vitiis multis: inde rectè dicitur Diabolus pasci hominibus terrena diligentibus.

De tauro syluestri qui Latinè *vrus* dicitur, sic scribit Physiologus: Vrus dicitur animal omnium maximũ, similis boui, duo habet cornua in modũ serræ, pascitur non longè ab Oceano, vbi nascitur arbor quædam nomine Tamus, similis viti, & alba ramis, quos cum vrus capite concutit, eis cornu ligatur, tunc accedit venator, & cornibus alligatum deprehendit, & ita opprimit illum. ita Physiologus. S. Epiphan. lib. de Physiologo ad mores hoc referens, ait: Oceanus copiam diuitiarum significat, Tamus verò vitæ huius voluptatem, qua implicitus homo, virtutem negligit, & Diabolus tanquam animarum venator tunc illum aggreditur, quem voluptatibus mancipatum in suam redigit potestatem. ita S. Epipha. Quod autem de voluptatibus seu delitiis dicit, de diuitiis & honoribus, & aliis huius vitæ bonis dicendum est: nam per diuitias capitur auaritia, per honores superbia, per delitias gula, & luxoria. Sic ergo infernalis venator homines capit, & secum ad tartara docit: præcipuè tamen ad voluptatem & sensualitatem hæc pertinet similitudo; nam Tamus idem est qood Adonides amasius Veneris, sicut constat ex Tertulliano, qui vbi nos legimus in Ezechielis capite 8. *mulieres plangentes Adonidem,* legit, *plangentes Tamum.* Congruit quod de Samsone legimos, captum scilicet fuisse à Philistæis Dalidæ suæ dilectæ causa, &c.

Simile. — Epipha.

Plutar. in Laconicis, temporibus Lycurgi Spartiatarum Legislatoris, tanta erat inter Lacedæmonios pudicitia, vt incredibile censeretur reperiri in eis adulterij crimen; vnde cum Geradam Lacedæmonem interrogasset quidam eius hospes, quam pœnam darent apud Lacedæmonios adulteri, neque enim videbat legem aliquam pœnalem pro adulteriis statutam in Lacedæmonia, respondit Geradas: Nullus, inquit, amice apud nos adulter est. Cui hospes, quid ergo si esset? Respondit ille: Quo pacto Spartæ existat adulter, in qua delitiæ & diuitiæ & corporis cultus habentur probro? & econtra verecundia, & modestia & obedientia magistratibus, decori, laudique dantur. ita ille. Pudet inter Christianos hæc referre. Etenim adulteros interdos audies, quia delitiæ, & diuitiæ, & corporis cultus in pretio habentur: quod si vitiorum hæ radices sunt, quid mirum si vbi hæ sunt, pullulent vitia? quàm autem Deus adulterium detestetur, vide Iudicum historiam grauem. Plutarc.

Videas piscatorem magna cura cibos quærentem piscibus gratos, & eos piscibus tacitè & placidè offerentem; attamen vide quid intra lumbricum, & escam illam piscibus lateat, hamus scilicet & mors piscis: ita quidem hostis, quæ nobis grata & optata sunt, quærit, & ea nobis tentando defert, & offert; sed latet anguis sub herba, latet hamus, latet mors æterna, & multi qui se ingenio pollere mentiuntur, latentem hamum, & anguem non aspiciunt, sed sine discursu honores, diuitias, delitias, & bona temporalia sibi iocunda deglutit, & damnationem suam simul; vnde sicut pisces capiuntur à piscatore hamo, sic capiuntur isti à Diabolo in tempore malo. Simile. — Eccles.

***

Propositio XIX.

Bonis ipsis temporalibus nimium amatis solet Deus punire nos.

Ioan. 19. 15. IOan. 19. sic Pilatus ad Pharisæos instanter petentes Christum crucifigi: *Regem vestrum crucifigam? Cui illi. Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Pro Cæsare hi Christum Dominum reliquerunt, quid inde? Optimè id expendit S. Basil. (S Basil.) in scholiis super Psalmum secundum: Quia Christum regem propter Cæsarem abnegarunt, Deus illis Cæsarem imposuit quem petierant, & per (Simile.) Cæsaris exercitum de illis pænas impietatis sumpsit. ita ille. *El mismo Cesar por qui entrocaron à Dios, le vengo à Dios de ellos.* Idem quod de Cæsare, dicendum de bonis temporalibus, quando pro ipsis Deo vale dicunt peccatores: dimisit Iudas pro pecuniis Christum, pecuniæ igitur illum suspenderunt, & triginta denarij laqueum illi confecerunt, vt illi dicere possimus, pecunia tua tecum sit in perditionem; propter honorem, primus homo Deum offendit, & ob id, cum in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; propter delitias & voluptatem subiecit se Dalidæ Samson; propter Dalidam visu vitaque orbatus interiit, *Ya si los mesmos bienes por los quales, dexan los peccadores à D. le vengan à Dio de los peccadores.*

Propositio XX.

Bonorum temporalium possessiones probant an verè Deum diligamus.

Gen. 22. GEn. 22. sic Deus ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & offeres illum in holocaustum*, &c. Cur præceptum istud adeo seuerum dilecto suo Abrahæ iniunxit Deus, & aggrauans illud dixit, *Tolle filium suum vnigenitum quem diligis Isac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*, &c. Omnia verba hæc circunstantias continent aggrauantes, esse scilicet filium vnigenitum, dilectum, & Isaac, quod importat *gaudium patris*, & non Ismaelem eiectum è domo sua, & non domi, sed, *in terram visionis*, vt tribus diebus dolor protenderetur, & denique vt ipsemet pater non manu alterius, sed propria eum occideret, & cremaret in holocaustum. Cur ita dolorem, & afflictionem cordis sancti huius sic augebat Deus? (Hugo.) Hugo de S. Victore annotatione 22. in Genes. respondens ait: Intendebat Deus his verbis magis ac magis accendere amorem humanum patris in filium; vt postea præponens amorem Dei amori filij, victoria gloriosior esset. ita Hugo. Etenim sic manifestauit Abraham magnitudinem amoris sui in Deum, pro quo talem filium non dubita- (S. Ambr.) uerit immolare. Vide S. Ambro. paraphrasticè sic auget has circunstantias aggrauantes, amorem, & simul dolorem patris, dicens: Tolle filium quem vnicum suscepisti tanquam fidei tuæ præmium & remunerationem operum tuorum, quem suscepisti ex promissione Dei, & non ex coniugis fæcunditate, & ex qua alium habere non speras. ita S. Ambros.

Propositio XXI.

Quàm solicitè quærant homines bona temporalia.

ASserunt Anatomistæ cor in nobis in sinistram partem declinare. Cur ita natura disposuit? S. Bern. serm. 7. super Psal. 90. Meritò (S. Bern.) quidem in sinistro latere positum dicitur hominis cor, quod affectio eius prona sit semper & procliuis in terram; nec sanè ignorabat hoc qui miserabiliter ingemiscens: *Adhæsit* (inquit) *pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.* (Psal. 118) ita S. Bern. Vbi supponit per sinistrum latus intelligi bona temporalia quæ comparatione bonorum spiritualium sinistra bona sunt, spiritualia verò bona dexteræ partis.

S. Greg. 4. Math. 2. Qui hic multiplicandis (S. Greg.) diuitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? ita ille. quasi dicat: Difficillimum est hos saluari, qui ita inhiant & nimia solicitudine diuitias quærunt.

Propositio XXII.

Bona temporalia non sunt bona nostra.

ECcles. 1. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* (Eccl. 1.) ita quidem. Sed quid his verbis sibi Salomon voluit? Titelman. sic respondet ac si Salomon dicat: Prætereuntibus patribus filij succeduot, & filiis morte decedentibus posteri aduenient, terra autem inuariata persistit, similis amplo diuersorio quod (Simile.) idem manens, quotidie hospites diuersos egrediente vno, & ingrediente altero, suscipit transeuntes; sic non est nostrorum singulorum mora, nisi quasi noctis vnius, & vbi paulùm hic egerimus, erit nobis è terra emigrandum; qua de causa Partes antiqui (vti Paulus ait ad Hebr. 11.) (Hebr. 11.) peregrinos se testati sunt super terram, dicente etiam Dauid Ps. 38. *Aduena ego sum apud te sicut omnes patres mei*, ita Titelm. vbi nota beatorum & peregrinorum morem, qui tanquam citò ex diuersorio egressuri nihil in eo quærunt ex eo, nisi qualem qualem victum, & lectulum, solùm de (Simile.) itinere, & termino eius cogitantes. Sic nos terram hanc hospitium censeamus, & tanquam citò ab ea egressuri & ad terram viuentium profecturi, vbi habemus permanentem ciuitatem, & domum non manu factam: habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus, semper hospites, & peregrinos nos existimantes.

Caro.

1. *Quàm necessaria sit carnis mortificatio ad virtutem obtinendam.*
2. *Quàm perniciosæ animæ sint carnis delitiæ.*
3. *Quàm conducat ad veterem & vitam malam commutandam in melius carnis mortificatio.*
4. *Ad vincendas tentationes conducit.*

Propositio I.

Quàm necessaria sit carnis mortificatio ad virtutem obtinendam.

Leuit.1.17. Leuit. 1. sic Deus ad Moysem de auium sacrificio agens, *Confringet sacerdos ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito.* Quid ad sacrificium holocausti hæc alarum confractio? Isichius ibi holocaustum hoc eorum esse ait, qui se Deo dicant, iuxta id Apostoli ad Rom. 12. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*: Ergo (ait Isichius) placens sacrificium Deo, corporum nostrorum mortificatio est. ita ille. Quid autem sibi vult, *ascellas frangere?* Isichius: Quia oportet membra conterere, & affligere eum qui Deo sacrificium fieri cupit. ita ille. Attendant hoc religiosi, hanc enim carnis mortificationem speciatim exigit religionis status, cuius est perfectionem profiteri, primus autem ad perfectionem gradus est mortificatio carnis. (Isichius.)

Propositio II.

Quàm perniciosæ animæ sint carnis delitiæ.

Genes. 21. Genes. 21. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptia ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eyce ancillam, & filium eius*, &c. Magnus Saræ rigior esse iste videtur, quid enim mirum quòd pueri sic ludant? sic delicientur? ita ne propter hoc solùm eiicienda est Agar, quæ iam vxor secunda erat Abrahæ, & eiiciendus Ismaël, qui legitimus erat filius eiusdem Abrahæ? ita quidem, & Deus ipse Saræ consilium approbauit. Cum enim durè acciperet Abraham quod Sara dicebat, facta est vox Domini ad Abraham dicentis, *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Quid igitur mali lusus ille continebat? Apostolus Paulus huius rei mysterium indicauit ad Galat. 4. dicens: *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera; sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.* Ex loco isto constat Isaac spiritus formam tenere, Ismaël verò carnis; lusus ille Ismaëlis cum Isaac lusum carnis cum spiritu significabat; ludit autem cum spiritu caro, quando caro suis blanditiis, ac delitiis delinire, & mollescere spiritum contendit; blanditiæ verò istæ persecutiones aduersus animam sunt. Quapropter subdit Apostolus, ibidem: *Quomodo tunc is qui secundùm carnem natus erat persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc.* Ecce ludum illum persecutionem vocat Apostolus, quia tunc caro spiritum nostrum persequitur cum ad voluptates & delitias suas trahit. Obseruatio & expositio hæc Origenis est hom. 7. in c. 21. Gen. dicentis: si ergo eios personam gerit Ismaël qui secundùm carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac; huiusmodi ludum carnis cum spiritu persecutionem iudicat Paulus. ita Orige. Ideo igitur eiiciendum seu reiiciendum esse Ismaëlem asserit Dominus, quia blandimenta homini quæ ex Agar nascuntur, (hoc est carne) reiicienda sunt tanquam in animam persecutiones. (Gal.4.22. — Origen.)

S. Bern. Ponderat S. Bern. serm. 3. in natiuitate Domini tempus natiuitatis Christi quod scilicet fuerit in asperiori tempore totius anni, & ait: Hyeme, & nocte natus est Christus, nunquid credimus casu factum, vt in tanta aëris inclementia & in nocte nasceretur, cuius est hyems & æstas, dies & nox? non eligunt cæteri paruuli hæc quando nascuntur, quibus quippe nullus sit rationis vsus, nulla eligendi libertas, Christus tamen etsi puer erat, & Deus erat & eiusdem cuius nunc est sapientiæ & potestatis. Nasciturus itaque Dei filius in cuius arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod molestius erat præsertim paruulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum, præsepe ad reclinandum, & cum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem, non est tale iudicium mundi; aut iste fallitur, aut mundus errat; sed impossibile est diuinam sapientiam falli, Christus autem qui non fallitur, elegit quod molestius est carni: id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum, & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendum. ita S. Bern. Vnde conuersus ad mundi amatores idem S. ibidem ait: Christus eligit quod salubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat ille; quis prudenter è duobus? cuius iudicium iustius? cuius sententias sanior? ipse est paruolus, qui, vt ait Esaias, scit reprobare malum, & eligere bonum: malum ergo voluptas corporis, bonum verò affectio est. ita ille. (S. Bern.)

Ioan 12. Ioa. 12. Vitam corporalem vocat Dominus animam, quam illi amare dicuntur qui carnis curam nimiã habent, & indulgent corporis deliciis vacãtes hi perdent vitam corporis, & similiter animæ.

Vnde rectè S. Bern. serm. 10. in Ps. *qui habitat*, ait: Dicunt nobis carnales homines, crudelis est vita vestra, non enim parcitis carni vestræ. Esto, sed in quo ei magis parcere poteramus? sed simus crudeles interim non parcendo, at vos placendo crudeliores; siquidem, & caro nostra tunc requiescit in spe. Videte vos interim quid vestræ maneat in futurum. ita S. Bern. & meritò: qui enim pro Christo corpus mortificant, & carnem suam crucifigunt cum vitiis suis, magnam inde mercedem sperant; qui autem delitiis vacant, quid inde sperant? audi quid de Babylone & mundo dicitur à Deo Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Ecce, ecce inquam delitiatum, & superbiæ mundanorum præmium, & mercedem.

Fugiunt dæmones à præsentia crucis Domini veluti canes cum vident baculum quo vulnerati sunt; vnde sic ad eos Ecclesia: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ.* Eademque ratione nos cruce signantes dicimus, *per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* Hinc S. Chrysost. oratione in adoratione S. Crucis: Crux armatura Domini est insuperabilis. & addit: vides quomodo Rex cælorum milites suos armat? Non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, sed quod his omnibus firmius & valentius præsidium est, hoc gladius est, hoc clypeus, hoc galea, hoc thorax, hoc propugnaculum tutum. ita ille. Armamur autem cruce Christi, cum Christum crucifixum imitamur, & carnem nostram cum vitiis suis crucifigimus: & hostis sicut horret Christum crucifixum, sic etiam horret Christianum eo modo crucifixum. (S.Chrys.)

Imo

Imo sola crucis Christi, & passionis eius cogitatio dæmones, & tentationes fugat. Audi Apostolum Petrum: *Christo in carne passo & vos eadem cogitatione armamini*: non dixit, *eadem passione*, vel *cruce*, sed *eadem cogitatione*: quam enim tentationem peccandi non vincet, qui attento animo Deum pro peccatis nostris crucifixum considerat? Vnde Hugo Cardinal. locum hunc Petri exponens ait: sola memoria seu cogitatio passionis & crucis Christi maxima est fortitudo, & armatura contra dæmonis potentiam: ita ille, & addit hanc sancti Bernardi sententiam, quam priùs protulit Origen. lib. 6. in epist. ad Romanos. Tanta est virtus crucis Christi, vt si mente fideliter habeatur, continuò ad solam memoriam eius totius peccati fugetur exercitus. ita Hugo & S. Bern. & Origenes.

1. Let. 4.

S. Ber.

Propositio III.

Quàm conducat ad veterem, & vitam malam commutandam in melius carnis mortificatio

Simile. S. Epipha. S. Epiph. in Physiologo sic de serpente: Serpens cum senio grauatur, iterum iuuenescere parat. Quadraginta diebus abstinet à cibo, & tandem emollita cute, pettam quærit, per cuius foramen nisu contendens, nititur transire, & ita exuit cutem, qua deposita gaudet, atque iterum iuuenescit. Et tu spiritualis homo si per angustam, & arctam viam veterem mundi senectutem deponere vis, corpus tuum macera ieiunio: est enim angusta porta, & arcta, quæ ducit ad regnum cælorum.

Propositio IV.

Ad vincendas tentationes conducit.

S. Nilus. S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Sicut obtruncatus hostis nemini terrorem incutit; sic etiam corpus per continentiam domitum, animam non perturbat. ita ille. Per continentiam intelligit abstinentiam: sed id ipsum dicendum est de quauis corporis virtuosa castigatione flagellorum, & ciliciorum, & vigiliarum & duritiei lecti.

Charitas.

1. *Qui charitatem habet, pænis proximorum torquetur.*
2. *Charitas nos Deo vnit.*
3. *Charitas patiens est.*
4. *Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum.*

Propositio I.

Qui charitatem habet, pænis proximorum torquetur.

2. Cor. 11. 2. Corint. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Ponderans verba hæc sanctus Chrysost. & simul cum eo S. Theodor. aiunt, non dixit *compatior*, aut *misereor*, sed *infirmor*; tanquam enim ipsa infirmitate circundatus ita excrucior & angor. ita illi. & addit Chrysost. vide quanta excellentia doloris, accendor & *vror* dixit, quod certè omnium maximum est. ita ille. non enim ait Apost. *ego scandalizor*, sed *vror*; adustio autem & maximè in anima dolorem vehementem, & tormentum maximum insinuat. In hoc igitur charitatis suæ veritatem manifestauit Apost. quòd scilicet ampliùs in anima ipse torqueretur quàm proximi torquerentur laboribus suis. Vnde S. Fulgentius in prologo ad Mononimum, qui propter pænas ipsius sancti Fulgentij compassionem magnam præ se ferebat, dixit: Ecce quantum boni charitas habeat! ecce quantam laudem coram Deo & hominibus possideat, vt cum dolet quod accidit illi quem amat, frequentius recordando magis ipsa sustineat. ita ille. Hinc colligere licet quomodo & quantum quis proximum diligat; & consonat quod Ioannes ait 1. Ioan 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Obserua verba illa, *& clauserit viscera sua ab eo*, non ait, *& non dederit ei eleemosynam*, sed, *clauserit viscera*, id est, non habuerit compassionem interiorem mali proximi, quomodo charitas Dei manet in illo? vnde meritò subdit: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*; parum enim refert dicere, amo, cupio tibi fauere, si cum possis non faues; imò nec sufficit dare, nisi dederis, motus charitatis compassione, vt signum veræ charitatis in te colligere possis.

Propositio II.

Charitas nos Deo vnit.

Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, ait Ioannes. Quàm verò necessaria sit hæc cum Deo coniunctio, rectè S. Cyprianus explicauit, epistola de vnitate Ecclesiæ, dicens, sic nos à Deo dependere, sicut radij solares à sole, & sicut rami arboris à radice, & sicut riuuli à fonte. ita ille. Vide quomodo subsistere possit ramus separatus à radice, & riuus à fonte, & radius solaris à sole: sic separatus iustus à Deo, iustus permanere non potest. S. Cypri.

Propositio III.

Charitas patiens est.

Plin. lib. 16. c. a. Abies, inquit, adeo cohæret glutino, vt prius ea parte scindatur qua solida est, quàm qua glutino ferruminata; sic arctus cohærent, quos copulauit mutuæ beneuolentiæ glutinum, quàm quos natura coniunxit. ita ille. Sed quod ille beneuolentiæ tribuit, meliùs charitati congruit: etenim sæpe sæpius, qui se amicissimos iactant, cum discordiæ se obtulerit occasio, amicitiæ vale dicunt, & ex amicis inimici redduntur; hi verò qui vera se charitate diligunt in Deo, etiam rixæ occasione orta, chari inter se manent, *quia charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet*, vti Apos. affirmat 1. ad Cor. 13. Plinius.

PROPO

9. *Quàm necessaria sit ad salutem animæ confessio.*
10. *Confessio bona in Dei honorem cedit.*

PROPOSITIO IV.

Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ altorum.

Exod 32. EXod. 32. Cum Moyses Dominum deprecaretur, ne populum Israël deuastaret, propter vituli erectionem & adorationem, sic Dominus ad eum: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam,* id est in sobolem magnam, ita vt non solùm sis dux, sed etiam pater populi mei magni. Quid autem ad hoc Moyses? *Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per te metipsum,* dicens: *Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli,* & inferius: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti*: mira res! decernit populo Deus supplicium iustum, & offert Moysi ingentem mercedem, si supplicio non obstet, & renuit ille? Cur ita? S. Bern. serm. 30. in Cantic. renuit Moyses ob nimiam dilectionem qua fortiter populo illi deuinctus tenebatur; non enim requirebat, quod sibi vtile foret, sed quod multis. Ita sanct. Bernard. Quos nunc reperies qui legem hanc charitatis sic obseruent? omnes quæ sua sunt quærunt, &c.

Castitas.

Quàm grata Deo sit.

Gen. 5. GEnes. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, Chaldæus interpres sic. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non ipse, quia non mori fecit eum Dominus.* Cur ita? Doctus quidam Author; Castitatem, inquit, coluit Enoch. sic mortem ignorauit. ita ille.

Idem de Helia quod de Enoch factum esse scimus. Cur ita? Etenim eadem ratione. ita S. Hier. S. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, vbi Heliæ, inquit, virginitas demonstratur, in Moyse nuptiæ. Moyses mortuus, & sepultus est, Helias verò igneo curru raptus, antè immortalis esse cæpit, quàm mortuus. ita ille. Immortalem dicit, quia vsque ad finem mundi viuet sicut Enoch. Propter puritatem illam in tantum Deus diligit castos, &c. Vide S. Ambros. lib. 1. de Virginib.

Confessio.

1. *Omnium peccatorum remedium est.*
2. *Debet ex vero corde procedere.*
3. *Bene confessus occasiones peccatorum in posterum vitare debet.*
4. *Quàm perniciosum sit tegere, & excusare peccata.*
5. *Quàm Deo placeat bona confessio peccatorum.*
6. *Vitanda est verecundia confessionis.*
7. *Confessionem comitari debet firmum propositum nunquam amplius peccandi.*
8. *Ad confessionem eligendus est confessor iustus.*

PROPOSITIO I.

Confessio omnium peccatorum remedium est.

GEnes. 4. sic Dominus ad Cain post peccatum fratricidij perpetratum, *vbi est Abel frater tuus?* Ad quid interrogatio hæc, cum sciret Dominus obitum Abelis, & delictum Cain? S. Ambros. lib. de Cain & Abel c. 9. quod ad rationem profundam attinet, peccantes admonet ad pænitentiam; confessio enim pænarum compendium est. ita ille. Requisiuit ergo Deus à Cain peccatum, vt confessio & pænitentia delicti veniam consequeretur; talis verò ac tanta pænitudo esse potest, vt non solùm culpæ sed etiam promeritæ pænæ remedium sit; hoc importat verbum illud sancti Ambrosij, *pænarum compendium est.* Gen. 4

Genes. 3. postquam Eua transgressa est Dei præceptum, sic ad illam Deus: *quare hoc fecisti?* cur sic interrogat Deus, quasi nesciret quod nouerat melius quàm ipsa peccatrix? Rupertus Abbas in hunc locum c. 15. Dominus quidem dicendo *quare hoc fecisti*, mulierem ad conscientiam reuocare voluit, vt cogitaret & confiteretur peccatum suum; at illa intelligere nolens alia pro aliis respondit; non enim dixit, *decepta spe mea peccaui*, sed, *serpens decepit me*; scutum prætendens ad excusandas excusationes in peccatis. ita ille. Etenim is idem hostis, qui Euam ad peccandum induxit, ne culpam confiteretur suasit, sciens quia pænitentia confitentis peccatorem reconciliat Deo. Genes 3. Rupertus.

Quamuis grauissima mala sint peccata mortalia, efficacissimum remedium illorum est sacramentalis pænitentia, dicente Domino confessariis: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis,* Ioann. 21. & insuper remedium facile; si enim eis qui in carcere detinentur & ad mortem damnati sunt, diceret Dominus: *Confitemini peccata vestra sacerdoti secreto, & ego à morte hac infami liberabo vos*: quis tunc cum magna gratiarum actione non assentiret? Cum igitur confessio à carcere & morte æterna liberet peccatores, quis non auidè si peccator est ad confessionem properet? Etenim nescio vnde potiùs admirer, an de immensa hac indulgentia Dei, an de ignauia peccatorum nolentium conuerti? Attende quid super huiusmodi re dicat Dominus Ierem. 8. *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quomodo ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Ponderat locum hunc S. Hieron. & explicat, dicens: *Resina Galaad*, pro pænitentia ponitur, & miratur Deus quare vulnera Hierusalem nequaquam curata sint, & nedum cicatrices obduxerint callum. ita S. Hieron. Vbi pondera Deum mirari super negligentia peccatorum nolentium ad pænitentiam properare, in qua talis, ac tanta, & tam facilis medicina illis est parata; imò Ieremias non solùm admirationem, sed stuporem vocat, *stupor* (inquit) *obtinuit me.* Tanta igitur est iniuria hæc peccatorum, vt dicat Deus, se obstupefactum detineri, ac si diceret: Ita hoc admiratione dignum est, vt si in Deum stupor cadere Ierem. S.Hiero.

eadere posset, nb id(etsi Deus)obstupesceret. Vide hinc quanta sit negligentia, imò stultitia peccatorum, qui in peccato detenti manent,& quàm meritò dicere eis possimus: *Nunquid resina non est in Galaad?* [por ventura noay aqua en la mar,] nunquid in Ecclesia non sunt confessarij? non est sacramentum pænitentiæ ad delenda peccata, qua serui diaboli in filios Dei facilè mutari possint? & ex odio Dei in eius gratiam reuocari? væ peccatoribus desidiosis, quia quanto facilius est remedium, tanto erit atrocior pæna, & punitio diuina, *en vostra obstinacion iustifica Dios la grandeza de vostra condenacion peccadores.*

Propositio II.

Confessio debet ex vero corde procedere.

Psalm. 31. PSalm. 31. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec inuentus est in spiritu eius dolus.* Loquitur hic Propheta de pænitente, vt sentit S. Augustinus, & dictio illa *nec* secundùm sanctum Remig. & S.Greg. Nazianz.est causalis, *nec*, id est quia. Hunc sensum sic colligo: Beatus ille pænitens cui Deus peccata dimittit, quia ita perfectè pænitens delicta sua confitetur, vt non remaneat dolus in corde: sed quod ore fatetur, id ipsum in corde verè habet: fieri enim potest, & vtinam non sæpe contingat, quòd peccator ore dicat *peccaui*, corde verò non debitè doleat, qood apud Deum & notissimum est (ipse enim nouit abscondita cordis) & non ad remissionem satis; quod ex loco alio colligere licet, Matth. 8. homo quidam ad Christum accedens dixit: *Domine, sequar te quocumque ieris.* Quod expen-

S. August. dens S. August. serm. 7. de verb. Domini secundùm Matt. ait: Quid tam promptum? quid tam impigrum? qoid tam paratum & quid ad tantum bonum aptissimum, quàm sequi Dominum quocumque ierit? ita S. Aug. & nihilominus Christus reiecit illum, & noluit in discipulum recipere illum, dicens: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Typice hic Christus respondet, ac si diceret: Tu, sicut vulpes dolosa,dolosè accedis ad me,non enim habes in corde quod ore demonstras; ore enim ostendis te velle me paoperem sequi, qui paupertatem non amas, sed commoda temporalia: fictè denique accedis, & ideo nolo te in discipulum meum: sic interpretatur locum

S. Aug. hunc S. Augustin. vbi suprà, dicens: vulpes foueas habent, in corde tuo quia dolosus es, dolosus non me sequeris. ita S. August. Idem igitur de pænitente doloso dicendum est, nouit Dominus dolos intrinsecos humani cordis, scit quis verè pæniteat, quis dolosè ac fictè; forte peccator ipse qui pænitere se ostendit, dolum sui cordis non percepit: *Prauum enim est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus;* non ait, *ipsemet homo, & ego*, sed, *ego Dominus*, quia sæpe decipit te cor tuum, dicis enim, *ore peccaui, Domine miserere mei*, & tamen te cogitante verè pænitere deciperis.

Hinc est quod Sauli dicenti, *peccaui*, 1. Reg. 15. Deus non pepercit, Dauidi autem dicenti etiam, *peccaui*, illico dictum est illi à Deo per Natan Prophetam, *Dominus transtulit peccatum*

1 Reg. 12. *tuum.* 1. Reg. 12. ambo Reges eiusdem populi Dei, ambo peccauerant, & quidem grauius videtur peccasse Dauid, quia Saul parcendo aliquibus Amalechitis, Dauid verò occidendo, & adulterando, & tamen Deus Dauidi pepercit,non verò Sauli:nimirum, quia non ita ex corde pænituit Saul, sicut Dauid. Cum ergo vulpina sæpe & dolosa sit pænitentia exterior, curet pænitens verè, & ex corde confiteri, *Y no por cumplimiento que nosea verdadero cumplimiento del precepto*, sed iuxta illud Ioelis 1. *Conuertimini ad me ex toto corde vestro*, &c.

Propositio III.

Bene confessus occasiones peccatorum in posterum vitare debet.

MAtth. 2. admoniti per Angelum Magi, *Ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Nunquid non poterat Deus liberare seruos suos Magos de potestate Herodis, quamuis per eandem viam reuerterentur? poterat quidem tanquam Deus, sed mysticè voluit nos docere, qualiter recedens homo per pænitentiam ab Herode infernali, debeat occasiones & vias illas effugere, per quas venerat ad illum. ita S. Chrysost. in imperf. hom. 2. dicens: Qui enim à diabolo venit ad Deum, nunquam debet per viam illam ambulare, per quam ad diabolum venit; venisti per viam fornicationis,ambula de cætero per viam castitatis: venisti per viam auaritiæ? ambula de cætero per viam eleemosynarum: si autem per eandem redieris viam, iterum sub regnum Herodis vadis, & eris proditor Christi. ita ille. Matth. 2.

Ecce sanus factus es,iam noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; sic Christus paralytico iuxta piscinam Ioan. 5. Sunt quidem multi qui post confessionem & absolutionem suorum peccatorum reincidunt in peccata; hi merito timere possunt, ne deterius illis aliquid contingat, quàm quod ille infirmus patiebatur. Deus enim pro beneficio maximo absolutionis perseuerantiam in sua gratia poscit. Vnde in c. 1. Leuitici in sacrificio pro peccatis postulabat offerri sibi aliquod animal, non viuum quidem sed mortuum; cur quæso mortuum exigebat, qui autor est vitæ,& non mortis? S. Thom. 12. q. 102. a. 3. ad 5. animalia illa in sacrificio oblata occidebantur, vt per occisionem eorum significaretur destructio peccatorum,& quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco peccatorum occiderentur, ad significandam expiationem peccatorum. ita S. Tho. Cum ergo vicem peccatorum tunc haberent animalia illa occisa, quasi occisum esse peccatorem quatenus peccatorem, existimabatur; quod autem moritur, in perpetuum moritur vsque ad mundi finem. Sic igitur post expiationem delicti quasi ad nunquam ampliùs peccandum offertur homo Deo, & speciatim quia post remissionem iterum peccare est eximia in Deum ingratitudo, quia peccati remissio est maxima Dei misericordia; vnde maximam à peccatore gratitudinem requirit, & reincidentia maximum supplicium; sicut ille qui à peccato læsæ Maiestatis absolutu, iterum in peccatum læsæ Maiestatis cadit. Ioan. 5. Leuit.1. S.Thom.

Hinc est quod legitima confessio debet esse cum firma determinatione firmoque proposito nunquam ampliùs peccandi; qui enim citò post confessionem relabitur in peccatum, videtur non habuisse propositum requisitum, iuxta illud prouerbium,

uerbium, *cum inimico non statim quis redit in gratiam*: timeo quidem in multis huiusmodi propositom deesse, & quòd sibi ipsis mentiantur, dicentes, *propositum habeo nunquam amplius delinquendi.*

Propositio IV.

Quàm perniciosum sit tegere & excusare peccata.

Iob 31. IOb 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam?* Quid est, *quasi homo?* originale Hebræum sic, *quasi Adam*, Adam quidem interrogatus à Deo post peccatum vbi esset, & de peccato eius agente Deo cum ipso, *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Sic Adam vxorem accusauit, & se ipsum excusauit. Item sicut primus pater, sic prima nostra mater requisita respondit, *serpens decepit me*; eodem modo & nos quasi hæreditario quodam iure excusare peccata nostra solemus, ideoque ait Iob, *si abscondi quasi*
S.Greg. *homo peccatum meum.* vbi S. Gregor. 22. Mor. 13. *quasi homo*, inquit, hominis quippe conspicit Iob esse proprium, quod ex parentis primi imitatione descendit, qui cum argueretur à Domino, quod de ligno vetito tetigisset, illico respondit, *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Vnde nunc quoque humani generis rami adhuc ex hac radice amaritudinem trahunt. ita S. Gregor. Nota verba illa *amaritudinem trahunt*; sicut enim qui fideliter peccata confitetur, dulcedinem, & consolationem quandam intra se experitur; ita qui abscondunt, & excusant per conscientiæ remorsum amaritudinem sentiunt.

S. Greg. Ponderat autem S. Gregor. ibidem magnam hanc sancti viri Iob humilitatem, qui sic peccata sua confitebatur ibidem c. 14. dicens: Videatur vir iste aliis magnus in virtutibus suis, mihi autem sublimis apparet etiam in peccatis suis; mirentur in eo qui voluerint castitatis continentiam, integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis; ego verò non minùs admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum: scio enim quòd per infirmitatis verecundiam plerumque grauioris est certaminis commissa peccata prodere, quàm non commissa vitare, & vnumquodque malum quamuis robustius vitetur, humilius tamen proditur. ita S.
S. August. Greg. de S. Iob. quod meliùs de sancto Augustino dicere valemus: mirentur alij ingenium, & sapientiam eius, mirentur doctrinam, mirentur virtutem, & zelum fidei; ego autem miror peccatorum eius talem confessionem, vt omnia peccata sua scripta reliquerit, vt ea legant & sciant & nati natorum, & qui nascentur ex ipsis, denique ad perpetuam rei memoriam; & tu sub sigillo confessionis vereris ea conficeri?

Radix autem mali huius superbia est, superbi enim est confessionem vitare, ignominiosa tegere, quæ verò gloriosa videntur manifestare. Humilium verò est honorifica celare, & quæ in se
S. Greg. humilia sunt detegere. Vnde S. Greg. 22. Mor. 13. hæc sunt veræ humilitatis testimonia, iniquitates suas agnoscere, & agnitas voce confessionis aperire. ita ille.

Quid autem ex tali occultatione consequatur, accipe ex eodem S. Greg. ibidem. Interrogatus fuit Adam à Deo vbi esset, vt perpetratam culpam confiteretur, sed adhibere magis defensionem quàm confessionem eligit; cúmque excusare peccatum vellet, auxit culpam, ita vt sic culpa atrocior esset, quàm fuerat perpetrata. ita ille.

Hinc est quod Christus Dominus resuscitans Lazarum dixit: *Lazare veni foras.* Cur non dixit, *Lazare surge*, vel, *resurge à mortuis*, sed, *veni foras?* Etenim resurrectio illa corporalis, resurrectionis spiritualis symbolum fuit. Vnde S. Greg. vbi suprà: Non dicitur, inquit, Lazaro, *reuiuisce* sed, *veni foras*, vt homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis iam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à se ipso foras per confessionem exeat ita ille. Tunc enim peccator à morte culpæ liberatur, cum per legitimam confessionem foras peccatum emittit. Inde Dauid tunc quidem audiuit à Propheta Nathan, *Dominus transtulit peccatum tuum*, cum dixit, *peccaui Domino.*

Vtrumque autem asseruit Salomon prouerb. Prou. 28.
28. dicens: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quid est, *non dirigetur?* ex eadem contrapositione constat; si enim qui confitetur, ex tali confessione consequitur misericordiam, qui non confitetur, non consequetur misericordiam, sed tremendam iustitiam; vnde in Hebræo habetur, *non prosperabitur*, id est, non consequetur misericordiam, & remissionem peccatorum, in qua prosperitas peccatoris consistit.

Propositio V.

Quàm Deo placeat bona confessio peccatorum.

GEnesis 3. sic Dominus ad Euam post trans- Genes. 3.
gressionem præcepti: *Quare hoc fecisti?* numquid ignorabat Deus quid, & cur fecerat Eua? minimè quidem, cum intima etiam cordis attingat infinita Dei sapientia; cur ergo interrogat? S. Greg. 22. Moral. 9. Ad hoc requisiti sunt primi parentes, vt peccatum quod commiserant, confitendo delerent: vnde & serpens ille persuasor non est de culpa requisitus, quia non erat reuocandus ad veniam. Interrogatus est Adam vbi esset, vt confitendo cognosceret, quàm longe à facie sui conditoris abesset; sed cum excusare peccatum voluit, vir per mulierem, & mulier per serpentem culpam auxerunt quam tueri voluerunt. ita S. Greg.

Ioannis 11. sic Dominus ad Lazarum sepul- Ioan 11.
tum, *Lazare veni foras.* Cur sicut dixit filio viduæ Naim, *Adolescens tibi dico surge*, non etiam dixit, *tibi dico Lazare surge?* S. Greg. vbi suprà. In illa, inquit, resurrectione, quæ facta est in corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cum dicitur illi, *veni foras*: vt nimirum homo in peccato mortuus & mole malæ consuetudinis iam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à se ipso foras exeat per confessionem, sicut Dauid à morte facinoris reuiuiscens quasi foras exiit dum per Nathan correptus, quod fecerat accusauit, dicens, *peccaui Domino.*

Genesis 13. peccauit Adam & statim Dominus Gen. 13.
apparens illi dixit *Adam vbi es?* Numquid ignorabat Dominus vbinam ille esset? Cur igitur quærit vbinam sit? Etenim non de loco, sed de statu agit Dominus, vt in fælicitatem suam

S. Ambr. agnoscat & deploret. Audi S. Ambrosium lib. de paradiso c.14. Vbi es, inquit, id est non in quo, sed in quibus es, de quibus bonis, de qua beatitudine, in quam miseriam cecidisti? vbi est illa tua bene conscia sibi confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem, vbi ergo es? non in quo loco quæro, sed in quo statu? Quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem antea quærebas? Denique hoc ipsum, quod Deus eum vocat, indicium est sanaturi, quia Dominus quem miseretur, etiam vocat. ita S. Ambros. sic etiam postquam Cain Gen. 4. occidit Abelem, vocauit eum Dominus, Gen. 4. & dixit: *vbi est Abel frater tuus?* nouerat Dominus vbinam esset Abel, & quomodo eum Cain occidisset, sed tamen vt eum ad confessionem & confusionem prouocaret, dixit: *vbi est Abel frater tuus?* Ita exponit locum Oleaster dicens: sic solet Dominus occasionem petendi veniam peccatoribus dare, exigit autem à Cain Dominus confessionem, ipse verò prætendit excusationem, dicens, *nescio? nunquid custos fratris mei sum?* ita ille. *salio Cain a su Padre.* Adam, requisitus à Deo de culpa, eam in vxorem reiicit, sed vide quam parum excusatio profuit sua; sic & plures peccatores peccata excusantes sibi pernicies sunt.

PROPOSITIO VI.

Vitanda est verecundia in confessione.

Iob. 7. IOb 7. postquam sanctus Iob multa de malorum malis dixit, subdit: *Quapropter ego non parcam ori meo.* Quid est, *non parcam ori meo?* Supponendum est ad intelligentiam loci huius, quòd præ verecundia ita nonnulli confiteri grauentur, vt eorum ora veluti occludi, & claudi videantur, vt laborem maximum oris reputent peccata proferre; ait ergo S. Iob: Tot tantaque sunt peccatorum damna, vt quamuis in confessione peccatorum difficultatem, & laborem patiar, non tamen ori meo parcam. Sic interpreta- S. Greg. tur locum S. Gregor. 8. Mor. 10. dicens: Ori etenim suo non parcit, qui confiteri malum quod fecit, non erubescit; in laborem quippe os mittere, est hoc ad peccatorum confessionem occupare: iustus ergo ori suo non parcit, quia iram districti iudicis præueniens, verbis contra se confessionis sæuit. Vnde scriptum est, *Iustus in principio accusator est sui.* ita ille. Quamuis enim iustus à peccatis mortalibus caueat, timens ne quæ leuia sunt apud homines, grauiora sint apud Deum; vel ne pro eo quod in anteriori vita negligenter commisit, non plenè satisfecerit; vel quia pœnas leuiorum peccatorum timet, & ipsa leuia peccata non leuiter abhorret, ori suo non parcit, nouit enim, quod Prouerbior. 28. scriptum est, *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Pondera verbum, *qui reliquerit ea*, non satis fuit Salomoni dicere, *qui fuerit ea confessus*, sed, *reliquerit ea.* Sunt enim nonnulli qui confitentur peccata, sed fallentes se ipsos, non relinquunt illa, quia proposito firmo carent nunquam ampliùs peccandi.

PROPOSITIO VII.

Confessionem comitari debet firmum propositum nunquam amplius peccandi.

S. Iob in persona peccatoris contriti loquitur sic c. 7. *Loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Explicans Iob 7. mirè locum hunc S. Greg. 8. Mor. 11. ait: habet S. Greg. in corde iustorum amaritudo animæ linguam suam, quæ tanto ei subtiliùs loquitur, quanto interiùs auditur; vnde nequaquam dicitur, *Fabulabor in amaritudine animæ meæ*, sed, *confabulabor cum amaritudine animæ meæ*, quia vis doloris quæ peccata singula reputans animum ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format, in quibus se correptum inueniat, & in sui custodiam solicitior exurgat. ita S. Greg. Etenim experimento constat, verum pænitentem dolentem conscientiam quasi confabulantem, & loquentem audire, dicentem sibi: Quem fructum habuisti ex his in quibus nunc erubescis? subditus iam esto Domino & pœnitentiam age: caue in futurum, & noli amplius peccare ne deterius aliquid tibi contingat, &c. Sic confabulatur pænitens cum amaritudine animæ suæ: confabulatio enim loquutio inter duos vel plures esse debet.

Hannibal Carthaginensis apud Liuium, videns Liuius. suos antequam bellum committeretur, animi constantiam, & fortitudinem præseferentes, dixit illis: *Si tales animos in prælio habueritis, quales hic & nunc ostenditis, vicimus.* ita ille. *Dadnos anosotros por vencedores y alos enemigos por vencidos.* Id ego dico pænitentibus qui dum confitentur, & tentationes non vrgent, dicunt priùs se quoduis genus martyrij passuros, quàm in posterum peccare; etenim si tempore tentationis a tali proposito non reciditis, vicistis. Sed tamen plures videmus quibus dicere possumus, quod in Psalm. 77. dictum fuit filiis Efrem: *Filij Efrem intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die Belli.* Cardinalis Bellarminus sic explicat sapienter locum hunc: filij Efraim seu Israëlitæ (idem enim est) similes sunt militibus, qui incipiunt præliari cum hostibus, & mox hostibus terga vertunt: sic filij Israël in deserto non semel proposuerunt se Deo parituros, & facturos quæcumque illis mandasset, & statim mutata voluntate cogitabant de reditu in Ægyptum. ita ille. Sic nunc multi pænitentes, &c.

PROPOSITIO VIII.

Ad confessionem eligendus est confessor iustus.

SVnt forte nonnulli pænitentes qui adulantes potiùs quàm corripientes confessarios quærant non quasi sapientes, sed quasi insipientes; sapientes enim pænitentes medelam non adulationes quærunt. Vide sapientem virum Dauidem dicentem Psal. 140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quod paraphrasticè sic Psal. 140. exponit S. August. serm. 23. de verbis secundùm S. August. Matth. emendet me iustus, arguat me iustus, colaphizet me iustus, corrigat me iustus, melius quam

quàm impinguet caput meum oleum peccatoris, quid est oleum peccatoris nisi blandimenta adulatoris? ita S. Aug. Ponderandum est verbum illud *in misericordia*, quasi dicat, non est seueritati & auctoritati tribuendum, quod iustus emendat, & corripit, sed potius misericordiæ; nimirum, quia magna miseria, & super omnes miserias est culpa, ergo magna misericordia est culpam delere: hoc autem non fit blandimentis adulationis, sed asperitate correptionis.

PROPOSITIO IX.

Quàm necessaria sit ad salutem animæ Confessio.

Luc. 18. DEus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. verba sunt cuiusdam Publicani pænitentis, quæ sic ponderat S. August. serm. 49. de verbis Domini in Euangelium secundùm Ioannem, dicens: Appareat in confessione macula cordis tui; & pertinebis ad gregem Christi, quia confessio peccatorum inuitat medicum sanaturum: ad templum ascenderant Pharisæus & Publicanus; ille de sanitate sua gloriabatur, iste vulnera sua medico ostendebat, Deus, gratias tibi ago quia non sum sicut Publicanus iste; gloriabatur super alterum, non erat vtique sanus, & cum se sanum diceret, non descendit curatus. Publicanus autem non audens oculos in cælum leuare, percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, & quid dicit Dominus? Amen dico vobis quia descendit iustificatus de templo, magis quàm Pharisæus.

PROPOSITIO. X.

Confessio bona in Dei honorem cedit.

S. August. S. August. serm. 8. de verbis Domini secundùm Matth. quando nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus. ita S. Augustin. Dices vnde gloria Deo, quia confitemur peccata nostra? Nimirum, quia si quis industria alicuius medici à mortali morbo liberatur, tanto magis medicum laudat, quanto grauitatem morbi sui fatetur; sic qui peccatorum suorum confitetur morbum, Christum Dominum, qui medicinam illi adhibuit, honorat.

Christianus.

PROPOSITIO I.

Quàm super infideles teneatur rectè viuere Christianus.

ad Rom. 2. AD Roman. 2. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci; tribulatio*, scilicet exterior, *& angustia animi & cordis erit operanti malum*, ait Apostolus: sed cur quæso primùm Iudæo, deinde Græco? Ratio est, quia Græci tunc gentiles erant, & carebant lege scripta, & sola naturæ lege ducebantur; Iudæi verò vltra legem naturæ, scripta lege gaudebant, & hac ratione ampliori obligatione tenebantur rectè operari. Expositio hæc S. Anselmi est, dicentis ibidem: Iudæus Gentili in culpa præfertur, quia præter naturalem legem, legem scriptam habuit, quam præuaricabatur. ita ille. & S. Thom. Lect. 2. Dicit Paulus *Iudæis primùm*, quia Iudæis maior pœna debebatur tanquam cognoscentibus Dei voluntatem per legem; vnde Luc. 12. *Seruus sciens voluntatem Domini sui*, &c. Similiter Christiani quantum ad idem peccatum grauiori pœna punientur, quàm infideles, iuxta id ad Hebr. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia*, &c. ita S. Tho. Hinc colliges quanto magis Christianus teneatur sanctè viuere quàm reliqui Gentiles, seu Israëlitæ, cum non solùm lege naturæ & scripta fruantur, verùm etiam lege gratiæ, & etiam Euangelicis consiliis, in quibus summa totius perfectionis continetur.

Rom. 2. Hinc etiam infertur maiori & grauiori pœna dignum esse peccatorem Christianum quàm Gentilem, & quàm Israëlita olim erat, sicut subdit ibi Paulus, dicens: *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quid est *sine lege peccasse*? S. Anselm. ibidem, id est sine legis transgressione, hi sine lege peribunt, id est, minùs punientur. ita ille.

PROPOSITIO II.

Quàm ingens Dei beneficium sit esse Christianum.

Psalm. 8. PSalm. 8. *Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Cur Dauid Domini nomen bis nominauit? nunquid ex abundantia interioris affectus solummodo? S. Basilius in scholiis huius Psalmi. Est, inquit, S. Basil. Deus Dominus etiam eorum qui in eum non credunt, hac vna ratione & nomine, quòd condidit eos, noster verò duplici nomine Dominus est, tum quòd ex non existentibus nos fecit, tum quòd à nobis cognoscatur. ita ille. Hac igitur de causa & nos duplici nomine & ratione illum colere, seruire, & amare debemus, quòd nos ex nihilo & creauerit, & Christianos regenerauerit, quod non fecit omni nationi, nec iudicia sua manifestauit illis.

PROPOSITIO III.

Quàm ingens dignitas sit Christianum esse.

Matth. 6. Matth. 6. sic nos orare Christus monuit: *Pater noster*, &c. Cur non, Domine Deus noster, cum verè Dominus noster sit, & nos vere serui eius? Cassianus coll. 9. de oratione, quia eum vniuersalitatis Deum ac Dominum Patrem nostrum esse voce propria confitemur, profectò de conditione seruili in adoptionem filiorum Dei nos profitemur adscitos. ita ille. Adde non solùm voce propria nos Deum Patrem nostrum confiteri, verùm etiam ipsius Dei ordinatione sic Deum appellare, sicut mater Ecclesia in Missæ officio adnotauit, dicens: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster*, &c. Cum igitur Dei præceptis nos Deum Patrem nominemus, nos in filios ex seruis eleuatos esse gloriemur in Domino.

Cassianus.

Adiecit deinde, *qui es in cælis*, vt commorationem vitæ præsentis, qua in hac degimus terra velut peregrinam & à nostro patre nos longissimè separantem toto horrore vitantes ad illam potiùs regionem in qua Patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, & nihil admittamus, quod indignos nos hac nostra professione, ac nobilitate adoptionis tantæ faciat, & hæreditate paterna velut degeneres priuet, & iram nos faciat iustitiæ eius incurrere. ita Cassianus. Si igitur nos Dei filios agnoscimus, & hæreditatem ac patrimonium in cælis esse, quid nobis & terræ? cur non ad cælestem patriam tanquam ab ea peregrini non anhelamus?

PROPOSITIO IV.

Ad quantam perfectionem aspirare debeat Christianus.

Psalm. 4. Psal. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.* Vbi S. August. per *sanctum suum* intelligens Christum Dominum, ait: Dominus magnificauit sanctum suum, iam Christus venit, iam magnificatus est, iam surrexit, & ascendit in cælum, iam nomen eius in toto mundo prædicatur; quousque igitur graui estis corde, vt quid diligitis vanitatem? Adhuc vana? Adhuc inutilia? & volatica? ita Christo iam magnificato, adhuc ista requiruntur? iam clamat veritas & adhuc quæritur vanitas? Quousque graui corde? meritò fortiter flagellatur hic mundus, cognouit enim iam verba Domini, & seruus, inquit, nesciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit paucis. Quare? vt quærat voluntatem Domini sui. Seruus nesciens voluntatem Domini sui erat mundus antequàm magnificaret Dominus sanctum suum, & ideo vapulabat paucis; seruus autem iam sciens voluntatem Domini, hoc est, modò mundus ex quo magnificauit Dominus sanctum suum, & ideo non faciens voluntatem eius vapulabit multis. Quid ergo mirum si modò multis vapulet mundus, cum sit seruus sciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis? ita S. Augusti. Non igitur mirum, si ante Christi Domini aduentum mundus imperfectus erat: non enim ita manifesta illi perfectio erat, sed iam à tali ac tanto magistro edoctus si perfectione careat, vapulare multis valde meretur, ipsi audite ait pater, audiuimus ab eo magnos humilitatis fructus, quid igitur meretur superbus Christianus? & sic de reliquis.

Concordia.

PROPOSITIO VNICA.

Quàm grata Deo sit concordia & pax inter nos.

Genes. 1. creans Dominus mundum, simul singula quæ creabat per singulos dies benedicebat, sed opus secundæ diei non benedixit. Cur ita? S. Hiero in cap. 1. Aggei, & lib. 1. contra Iouinia. Quia secundus dies ab vnione recedit, noluit eum benedicere Deus. ita S. Hier. & quia aliquibus hæc interpretatio non placuit, in Apologia pro suis libris contra Iouin. eam defendit. Adde, quia in eodem secundo die facta est aquarum diuisio. Vt ostenderet igitur Dominus diuisionem animorum inter nos inuisam illi esse, ideo quamuis illa aquarum in se bona esset diuisio, benedictionem & approbationem actualem illi denegauit. Genes. 1. S. Hiero.

Hac etiam ratione Exod. 28. ordinans Deus vestes sacerdotales, quibus indutus sacerdos ad orandum Deum accedere debebat: Inter alia, *facies*, inquit, *vncinos ex auro & duas catenas ex auro purissimo sibi inuicem cohærentes quas inseres vncinis*, &c. & infra eodem c. n. 22. *Facies in Rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo.* Nota quam specialiter cohærentiam harum catenarum exigat Deus, quia scilicet ad orandum sic ornabatur sacerdos, & vt placita ei sacerdotis esset oratio, quam pro populo facturus erat, ideo illam concatenationem popularium petebat & catenas ex auro; aurum enim in sacris litteris charitatis & amoris symbolum est, vti ait S. Aug super Psal 67. & S. Greg. 10. Mor. 30 & S. Hilar. in eodem Psal. 67. nimirum, quia sicut inter omnia metalla supereminet aurum, sic inter omnes virtutes charitas: dicente Apost. *Maior autem horum est charitas.* Agebat autem ibi de fide, spe & charitate, quæ omnium virtutum maximæ sunt. Cor. 13. Ecce quàm Deo grata fit vnio, & concordia nostra ex charitate procedens. Exod. 28.

Ioan. 17. sic Christus ad Patrem de discipulis suis: *Pater serua eos vt sint vnum sicut & nos*: quid est, *sicut nos*? etenim non potuit altius commendari charitas fraterna: idem enim fuit ac dicere, *si fieri posset*, vel, *valde multum*.

Correctio fraterna.

1. *Quòd non sit inhumanum corrigere peccantem.*
2. *An correctio sit semper secretò facienda.*
3. *Correctio fraterna opus charitatis est.*
4. *Quàm honorificum sit correctionem suscipere animo grato.*
5. *Quàm meritoria sit correctio corrigenti.*

6. Quo

6. *Quomodo peccet qui fratrem non corrigit.*

7. *Quòd adhibenda sit correctio, etiamsi peccator nolit moneri.*

PROPOSITIO I.

Quòd non sit inhumanum corrigere peccantem.

Matth. 8. MAtth. 8. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum*, &c. Correctio huiusmodi exacerbare proximum solet, omnes enim laudari potiùs amant, quàm verbis asperioribus tractari, & velut contrarium & inimicum eum censent, qui verbis correptoriis eos afficit. Vnde cùm Elias reprehenderet Regem Acab 3. Reg. 21. respondit Rex: *Num inuenisti me inimicum tibi?* Cum tamen vera amicitia sit, proximum peccantem reprehendere & castigare. Audi S. August. in
S. August. locum hunc Matthæi serm. 15. de verbis Matth. exponentem: Quid tam pium quam medicus ferens ferramentum? plorat secandus, & secatur, plorat vrendus & vritur, non est illa crudelitas, absit vt sæuitia medici dicatur; sæuit medicus in vulnus, vt homo sanetur, quia si palpatur vulnus, perditur homo; sic ergo fratres nostros, qui peccauerunt, omnimodo amemus, & disciplinam cum opus fuerit demus, ne per defectum disciplinæ nequitia crescat. ita S. August.

PROPOSITIO II.

An correctio sit semper secretò facienda.

Matth. 8. MAtth. 8. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Ita Christus: sed aliud videtur dicere Paulus 1. ad Timoth.
1 ad Tim. 5. *Peccantes coram hominibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* S. August. serm. 16. de verbis Domini Matth. Scriptura sacra in nulla parte discordat, vtrumque ergo verum est; sed discernere debemus, aliquando illud, & aliquando aliud faciendum est, aliquando corripiendus est frater inter te & ipsum solum, aliquando verò coram omnibus, vt & cæteri timorem habeant. Ea igitur corripienda sunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus, ipsa verò corripienda sunt secretiùs quæ peccantur secretò: distribuite tempora & concordat Scriptura. ita S. August.

PROPOSITIO III.

Correctio fraterna opus charitatis est.

Luc. 11. 39. LVc. 11. inuitauerat Christum Dominum ad prandium Pharisæus quidam, & recumbens Dominus & videns eorum animam, quam habebat lauandam, non solùm manus, sed etiam vasa, dixit. *Nunc vos ò Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.* Quærit S. Aug. serm. 30. de verbis Domini secundùm Lucam, quomodo non pepercit Dominus homini, à quo fuerat inuitatus? Et respondet: Magis obiurgando pepercit, vt correcto parceret in iudicio. Ita ille. Etenim qui correctiones superficialiter intuentur, iræ, vel odij opera esse arbitrantur; qui verò interiora considerant, opera charitatis & amoris esse cognoscunt; & ideo correctio fraterna inter opera misericordiæ computatur. Vnde ibidem Christus Dominus subiunxit: *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quia ergo remedium animæ correctio adhibebat, non iram, sed misericordiam præseferebat.

PROPOSITIO IV.

Quàm honorificum sit correctionem suscipere animo grato.

PRouerbio 25. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Per inaurem auream intelligit Interlinearis ipsum qui sapienter reprehendit: sed Glossa moralis ipsam reprehensionem gratè acceptam: sicut, inquit, illa ornamenta sunt gratiora corporaliter, ita correctio facta sapienti. ita Glossa, & etiam Iansenius; & quidem experimento constat: quæ hodie enim laudatur Dauid, quia cum Rex esset illustrissimus reprehensus à Natan non in illum insiliit, neque indignationem aliquam prætulit vt Reges aliqui faciunt: sed æquo animo eam fercus pro culpa sua, & Deum exorauit, & pœnitentiam egit; huic quidem inauris aurea & margaritum pretiosum fuit reprehensio; nimirum sapiens erat. Ideo enim ibi ait Sapiens, *qui arguit sapientem*: insipiens enim homo correctus indignatur, oonne stultum & mente iudicares infirmum, qui manum Chirurgo non det volenti eum curare à vulnere lethali? Prou. 25. 12. Glossa Iansen.

S. Hieron. epist. 4. de nonnullis vitiis acturus præmisit: scio me offensurum esse quamplurimos, qui generalem de vitiis disputationem in suam referunt contumeliam; sed dum mihi irascuntur, suam indicant conscientiam, & peius de se iudicant, quàm de me; ego enim neminem nominabo; prudentis est dissimulare, imo emendare, quod in se intelligant, & indignari sibi, non mihi. ita ille. S. Hieron.

PROPOSITIO V.

Quàm meritoria sit correctio corrigenti.

QVia non solùm correctionis fratris, sed omnium bonorum quæ ex conuersione sequuntur, & consequuntur, causa est secundùm commune philosophorum proloquium, quod est causa causati; Genes. 4. dixit Dominus ad Cain: *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4.
Originale Hebræum sic habet, vox sanguinum. Erant ne plures sanguines in corpore Abel, vt in plurali sanguines emisisse dici possit? Lyranus sic respondet: Dicunt Hæbræi quòd dicitur, *sanguinum* in plurali, eo quod Cain interficiendo fratrem suum fuit reus sanguinis non solùm ipsius Abel, sed etiam omnium, quos genuisset, si vixisset. ita ille. Eodem pacto dicendum est de illo qui alium conuertit: non enim solùm est causa conuersionis eius, sed etiam omnium meritorum, quæ per omnia bona opera consequitur is qui sic conuersus est. Lyra.

Propositio VI.

Quomodo peccet qui fratrem non corrigit.

S. Ambr. S. Ambros. serm. 6. quisquis fratrem peccantem non arguit, quodam modo hortatur vt peccet. ita S. Ambros. Sicut enim qui hominem vitiosum ad peccandum allicit, facilè ille inde maiorem ansam ad peccandum sumit; sic etiam peccator ad peccandum procliuis cum se videt a nullo corripi, occasionem, & maiorem licentiam ad peccandum resumit.

Propositio VII.

Quòd adhibenda sit correctio etiam si peccator nolit moneri.

Cato. Sic in distichis Cato.

Cùmque mones aliquem, nec se velit ipse moneri,
Si tibi sit charus, noli desistere captis.

Etenim hoc veri amoris proprium est; sicut enim bonus pater non ideo castigare filium cessat eo quòd filius ægrè id ferat, amor enim paternus nescit parcere virgæ: sic ad amorem in proximum spectat eum sæpe admonere, quamuis tenuat accipere disciplinam.

Consolatio spiritualis.

1. *Non datur amantibus voluptates corporales.*
2. *Consolatio spiritualis iustorum tantùm est.*

Propositio I.

Non datur amantibus voluptates corporales.

Luc 2. Lvc 2. appatuit Angelus pastoribus dicens: *Euangelizo vobis gaudium magnum*, &c. Pon-
S Bern. derat S. Bernard. serm. 3. natiuitatis Domini verbum illud, *vobis*, dicens: Quàm multi nobiles secundùm carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes sæculi huius hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo illorum dignus habitus est, nouam videre lucem, scire gaudium illud magnum, Angelos audire cantantes gloriam in excelsis Deo ita S. Bernar. Sed causam inquiramus, cur fauorem hunc potius pauperibus, quàm diuitibus, idiotis quàm sapientibus, pastoribus quàm principibus Deus exhibuit. Insinuat S. Bernard. ibi rationem, dicens: Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram, vt iam non mereamini habere cælestem. ita S. Bern. quia vt ipse alibi dixit, delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam. ita ille. Imaginare huiusmodi principes venisse ad videndum Dominum in stabulo, quam inde consolationem ex his quæ in Christo viderent, sibi hausissent? Rectè idem sanctus ser. 5. de natali Domini: Non consolantur Christi lachrymæ ridentes, non consolantur panni eius in stolis ambulantes, non consolantur stabulum, & præsepe amantes primas cathedras in synagogis, sed lugentes, sed pannosos, sed pauperes consolantur. ita S. Bernard.

Propositio II.

Consolatio spiritualis iustorum tantùm est.

Iob 5. Iob 5. sic Eliphas amicus Iobi, *homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Per hominem
S Greg. in hoc loco S. Greg. intelligit peccatorem, dicens: Potest hominis appellatione carnalium vita designari, vnde & Paulus ait (1. Corint. 3.) *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* quibus paulò pòst subiicit dicens, *nonne homines estis?* Ita S. Greg. Per auem autem idem sanctus intelligit hominem iustum, & vitum sanctum, quia ad cælestia vsque volare nouit. Sensum igitur huius loci sic explicat S. Greg. 6. Mor. *homo nascitur ad laborem*, quia homo carnalis cum transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit, grauis quippe labor est præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam quandoque percipere, perceptam custodire, & cum magna fatigatione apprehendere quod diu stare non potest, vnde meritò subdit: *& auis ad volatum*, quia tanto se animus à labore subtrahit, quanto per spem sustollitur ad superna; an non quasi auis Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduersa sustinens dicebat (ad Philip. 3.) *nostra conuersatio in cælis est* ita S. Gregor. Et rursus Apostolus ad Eph. 2. *Conresuscitauit & consedere nos fecit in celestibus.* Ponderat hæc verba S. Greg. 6. Mor. 10. dicens: fortasse Paulum exteriùs tunc catena religabat, mente tamen in sublimibus positus erat, quia iam per spei suæ certitudinem in cælestibus sedebat. ita S. Greg. & quidem constat, quod tunc in vinculis erat Paulus, quia in eadem epistola c. 4. dixit: *Ego vinctus in Domino*, &c. attamen animo & spiritu tanquam auis suaui consolatione in cælos euolabat.

Vnde etiam Prou. 12. ait Salomon, *non contristabit iustum, quidquid ei acciderit*: quia (inquit) Prou. 12.
S. Gregor. ibidem, rectus quisque in alto intentionis suæ vertice positus est. ita ille. S. Greg.

Mat. 1. sic de Baptista, *Ioannes mel syluestre edebat*: mel in diuinis propter dulcedinem & suauitatem suam dulcedines & consolationes animæ significare solet; vnde meritò Ioannes mel comedebat, non tamen quodcumque, sed syluestre. Mat. 1.
Cur ita? ex eo quod Theophylactus ibi adnotanit, colligere causam valemus: dicas in hoc differre mel syluestre a melle domestico, quod mel domesticum industriam & laborem exigit Domini alueatij; mel verò syluestre nequaquam, sed apes ipsæ tantùm inter arborum & rupium concaua mella conficiunt. Ecce discrimen inter delitias diuinas sanctorum & humanas mundi: sancti enim potiuntur delitiis non à se exquisitis & elaboratis, sed à Deo immissis; mundani verò industria & labore non exiguo delitiis mundi gaudent, sed tanto minùs desiderabilibus, quanto corporales sunt & terrestres. Sancti consolationes habent, tanto quidem sublimiores, quanto spirituales & cælestes sunt. Theophy.

Conscien

Conſcientia.

1. *Conſcientiam torquet peccatum.*
2. *In ſola virtute reperitur gaudium bonæ conſcientiæ.*

Propositio I.

Conſcientiam torquet peccatum.

Geneſ. 3. GEneſ. 3. de primis parentibus dicitur: *Conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi perizomata.* Cur, inquies, ex foliis ficulneæ quæ aſperitatem & pruritum moleſtum præſe ferunt? nunquid in paradiſo non erant vites, & platani, ex quorum ſuauiotibus foliis indui poſſent? S.Hypolitus martyr ſic reſpondet: Folia fici ſigna peccatorum fuerunt, nam ſicut huius arboris folia ſi corpus tetigerint, pruritum gignunt, ita pruritum (in conſcientia videlicet) gignunt & excitant tranſgreſſiones. ita ille. Non enim Deus vniuerſam peccati pœnam in futurum ſæculum remittit, ſed in iſto peccatorem punit, conſcientiam torquens vt patet in Cain, & Iuda proditore; & hoc iudicium tranſgreſſionis vocat S. Hypolitus, quia tranſgreſſio diuini præcepti huiuſmodi torſione digna eſt, quamuis & diuinæ miſericordiæ effectum dicere valemus; eſt enim veluti admonitio quædam aſſidua, qua Deus optimus peccatorem ad pœnitentiam inducit. S.Hypoli.

Exod. 16. Quid eſt quòd manna Exod 16. in vermes conuertebatur bis qui illud colligebant in diem craſtinum contra Domini præceptum? etenim hoc nequaquam ex natura ſeu qualitate ipſius manna procedebat, ſiquidem in diem ſequentem feſti non conuertebatur in vermes. Reſpondet S. Ambroſ. ſerm. 3. Manna illis contra diuinum præceptum tractantibus vermes effecti ſunt, id eſt contumaciæ iudices & vltores. ita S. Ambroſ. etenim Manna reſeruatum in diem ſabbati non producebat vermes, quia Deus facultatem dederat præcolligendi ſic illud: ſcatebat autem vermibus cum contra Dei præceptum reſeruabatur. Ita quidem eſt & nunc pecunia malè parta, vel honor ambitiosè comparatus; Euchariſtia indebitè ſumpta in vermem vertitur conſcientiæ mordentem animam peccatoris *Taladray varre na el coraçon loque ſe adquiere o haze contra la voluntad de Dios.* S. Ambr.

Propositio II.

In ſola virtute reperitur gaudium bonæ conſcientiæ.

Seneca. SEneca epiſt. 23. volo tibi lætitiam domi naſci, naſcitur ſi intra te ſit, cæteræ hæ charitates non implent pectos, leues ſunt, niſi fortè tu iudices illum gaudere qui ridet, hilari oculo mortem videre, paupertati domum aperire, voluptates tenete ſub freno, meditari dolorum patientiam; hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando vulgus perfunctoriam habet voluptatem & fundamento carentem. ita Seneca.

* *

Conſuetudo.

Propositio Vnica.

Quàm difficilis ſit curatio conſuetudinis malæ.

1. IAcobi: *Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Quodnam vocat *peccatum conſummatum?* S. Tho. ibidem: Hoc, inquit, propriè de peccato conſuetudinis dictum eſt; nam cum peccatum in conſuetudinem fuerit protractum, nulla in peccatore apparent ſigna vitæ, & ſpes de reditu eius parua eſt. ita ille. *Que apenas ay eſperança de ſu ſaluaçion tremenda coſa.* Imò & Seneca epiſt. 39. definit eſſe remedij locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores ſunt. ita ille. Vnde merito dici ſolet: *Conſuetudo eſt altera natura*; quod autem eſt naturale, aboleri nequit; eſt conſuetudo altera ferè natura, non naturale quid, ſed quidquam naturale, & ideo ait S. Iacobus peccatum huiuſmodi generare mortem ſcilicet æternam, *dadlo por condenado ſi Dios no toma la mano y conſu omnipotentia le ſana.* Denique perdifficilis eſt eius ſanatio. Vide ſanctum Auguſt. ſerm. 44. de verbis Domini propè fine. Vbi optimè de hoc, tomo 10. Iaco. 1 S. Tho. Seneca

Contemplatio.

1. *Paucorum eſt contemplatio.*
2. *Qui perfectus eſſe deſiderat, ad contemplationem aſpirare debet.*

Propositio I.

Paucorum eſt contemplatio.

LEuit. 1. ſic Dominus ad populum ſuum: *Si de auibus fuerit holocauſti oblatio Domino, de turturibus aut pulis columbæ offerat eam ſacerdos ad altare*; alias oblationes filius Aaron commiſerat antea Deus, nunc autem ſacerdoti vni committit hoc ſacrificium turturis vel columbæ. Cur ita? Iſichius in Leuit. c. 1. reſpondet volatilia iſta viros contemplatiuos deſignare; de turture quidem notum eſt auem eſſe eremiticam, ſemper enim habitat in eremo, ſicut monachi eremitæ qui contemplationi vacant. De columba ait Ezechias, *meditabor vt columba.* Hoc ſuppoſito, ait Iſichius: hanc oblationem vnus ſacerdos offert, non multi; non eſt enim multorum contemplatiua vita qui ſcilicet aſſiduè cæleſtia contemplentur & ea quæ ſurſum ſunt ſapiant, ſicut Apoſtolus ait. ita ille. Leuit. 1. Iſichius.

Propositio II.

Qui perfectus eſſe deſiderat, ad contemplationem aſpirare debet.

LEuit. 1. iuſſit Deus animalia ſibi offerenda in fruſta diuidi, non tamen ſi ſacrificium de auibus eſſet. Cur diſcrimen iſtud conſtituit?

 S. Theo

S Theod. S. Theodor. q. 1. in Leuit. sicut Abraham volatilia non diuisit (Gen. 15. n. 10.) ita nec Legislator ea diuidi inbet. Nam qui volant, Deum toto corde diligentes, non partiuntur animum, collocantes illum partim in terrenis, partim in cælestibus, sed totum sursum ferunt. ita ille. Sic de se fatentur Apostolus & de consortibus suis, *Conuersatio nostra in cælis est*, scilicet tota.

Contritio.

1. *Quàm Deus in pænitentia attendat dolorem interiorem.*
2. *Qui lethalia peccata committit, magnam debet contritionem habere.*
3. *Confessionem comitari debet contritio cordis.*
4. *Contritio maximè conducit ad obtinendum quod in oratione postulamus.*

Propositio I.

Quàm Deus in pænitentia attendat dolorem interiorem.

Ionæ 3. IOnæ c. 3. *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Verba hæc sententiam Dei criminalem contra Niniuen continent iustam, propter magna crimina eius, & quidem secundùm ipsam omnes Niuitæ nemine excepto perituri erant, & tamen de facto nec vel vnus periit. Cur ita? Nunquid quia omnes ieiunauerunt? Quia omnes etiam Rex ipse cilicio induti fuerunt? Audi quid scriptura dicat, *Vidit Deus opera eorum*, non ait, *quia ieiunauerunt, quia induti sunt ciliciis*, &c. Sed *quia conuersi sunt de via sua praua.* Licet enim ieiunia, & aliæ exteriores pænitentiæ Deum ad misericordiam verè prouocabant, veniam tamen conuersio illa à vitiis suis malis impetrauit: conuersio autem illa dolor & pænitentia interior
S. Chrys. etiam fuit. Sic expendit locum hunc S. Chrysost. hom. 3 ad populum, dicens: Vides quod non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & beneuolum reddidit. ita ille. Nimirum quia mutauerunt illi pænitentes vitam, Deus etiam decretum illud mutauit, erat enim non omnino absolutum, sed virtualiter conditionatum.

Propositio II.

Qui lethalia peccata committit, magnam debet contritionem habere.

S. Greg. POnderat S. Gregor. hom. 33. in Euangelia contritionem Beatæ Mariæ Magdalenæ, quomodo in conuiuio vbi omnia læta, ipsa tam ingentem fletum, & tot lacrymas fuderit, vt rigare pedes Domini potuerit, & perseueranter doluerit: Discite, inquit, quo dolore ardet; quæ flere & inter epulas non erubescit. ita ille. Etenim quod peccator in contritione, in qua de grauitate peccatorum & de magnitudine diuinæ agitur offensæ, abundantes effundat lacrymas, non mirum, at inter epulas? Magna profectò confusio peccatorum, qui non solum non lacrymantur propter delicta sua, verum nec intus dolent in corde.

Propositio III.

Confessionem comitari debet contritio cordis.

IOb 7. sic S. Iob postquam peccatorum damna expresserat, *Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei.* Quem lo- Iob 7. 11.
cum sic interpretatur S. Gregor. 8. Mor. 10. & 11. S. Greg.
ori suo nun parcit qui confiteri quod fecit, non erubescit: loquitur in tribulatione spiritus sui, quando sic reatum lingua loquitur, vt nequaquam expers à mœroris stimulo per alia spiritus vagetur. ita ille. Sunt enim (& vtinam non multi) qui non parcunt ori suo, dum vulnera peccatorum confitentur, sed non loquuntur in amaritudine animæ suæ, quia non verè dolent illa commisisse. Cuius rei manifestum indicium est, reuersio facilis ad reatum; in persona verò pænitentis veri ait S. Iob, *non parcam ori meo, loquar in tribulatione*, seu contritione, *spiritus mei*, in tali enim persona ait sanctus Gregorius hic loqui sanctum Iob.

Propositio IV.

Contritio maximè conducit ad obtinendum quod in oratione postulamus.

GEn. 21. de Ismaele mortali siti laborante in Genes. 21.
solitudine dicitur quòd *exaudiuit Dominus vocem eius, & prouidit illi aquam*, &c. Etenim Ismael eiectus tunc erat è domo patris & fortè ob peccata sua, sicut eiectio ipsa insinuare videtur; quod si peccator erat, quomodo exauditus fuit?
Abulen. quia cum videret se Ismael in angustia Abul.
mortis constitutum, pænituit de commissis, quia fortè mala cogitauerat contra Isaac, & rogauit Deum pro vita, quem Deus exaudiuit, concedens ei vitam magnam. ita Abulens. Est quidem optimum consilium ante orationem actum contritionis habere, vt Deus postulata concedat.

Conuersio.

1. *Conuersio debet fieri statim.*
2. *Quàm Deus desideret peccatoris conuersionem.*

Propositio I.

Conuersio debet fieri statim.

S. August. serm 16. de verb. secundùm S August.
Matth. res est, quæ multos occidit cum dicunt, *cras cras*, & subitò clauditur ostium, & talis remansit foras cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Ita S. Aug. qui videtur his verbis alludere ad id quod in Genes. legimus, coruum scilicet simul & columbam ex arca exiuisse, sed columbam rediisse, non verò coruum, sed foris remansisse. Ecce mirabilem typum peccatorum quorum alter saluatur, & alter perit; peccator qui velut columba gemit

gemit & pænitentiam statim debito tempore facit, recipitur manu sancti Noe, mano Christi, & saluatur ; qui verò non ita gemit, sed velot coruus dicit, *cras, cras*, istum inter pereuntes computato.

Iocl. 2. Iocl. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro,* &c. Faciam, inquies, sed non modò, cur non modò ?

Eccl. 5. Ecclesiastici 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Dei verba sunt ista, quis ergo adeo stupidus est, vt nihilominus differat conuersionem ?

At forte scripturæ scripturam sacram oppones ex c. 18. Exechielis, vbi sic Deus : *Conuertimini & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas :* Ego pænitere decerno, & ex loco isto certo gratam Deo futuram conuersionem meam eadem hora qua con-

S. Aug. uertar ad Deum. Audi S. Aug. ser. 16. de verbis secundum Mat. Indulgentiam conuersioni tuæ promisit Deus, negare non possum : sed dic mihi, rogo te, si indulgentiam sic promisit tibi Deus, crastinum diem quis tibi promisit ? vbi legis indulgentiam te accepturum si te correxeris, lege mihi ibi quantum victurus sis, non lego, inquis; nescis ergo quantum victurus sis, esto igitur correctus & paratus semper, quid differs in crastinum? ipsa res est quæ multos occidit, cum dicunt *cras, cras,* vox coruina hæc est, tu verè geme sicut columba. ita ille.

Sapi. 2. Sapientiæ 2. sic peccatores sensuales : *Vmbra transitus est tempus nostrum: venite ergo & fruamur bonis quæ sunt: coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra* [Por cierto que en esto ollos se tratan como ellos merezen, que mas dixeran vnas bestias si hablar supieran sino vamonos por esos prados]&c. sic & similea quidam apud Isaiam dicebant. c. 22. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur* Etenim si non vt bestiæ, sed vt participes rationis loquerentur, sic arguere deberent : *non comedamus & bibamus, sed ieiunemus & pænitentiam agamus, cras enim moriemur.* Sed hic euidentem dæmonis tentationem & fallaciam attende, ad voluptates breuitatem vitæ proponunt, ad pænitentiam longam sibi promittunt vitam dicentes: Postea pœnitentiam agemus, longa enim nobis

S. Ber. restat via vitæ. Consideratio est hæc S. Bernar. ser. de nimia quadam fallacia præsentis vitæ, vbi ait: qui totos se carnalibus voluptatibus tradiderunt, dicunt, *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur :* sed sanè si ipsis aliquando imminentis sibi mortis cœperint horrere memoriam, & terribilem expectationem Iudicij contremiscere, continuò vitam quam paulò antè breuem esse peccato dolebant, eandem inuenient vsque adeo prolongatam, vt securè se posse censeant non modicam adhuc partem consumere in peccatis, & quod reliqua longa sit & sufficiens ad pænitentiam pro delictis agendam, quibus cum dixerint, *pax & securitas*, repentinus superueniet interitus. ita S. Bernar. Expresè asserit Spiritus sanctus Ecclesiastici 5. vbi, *Non tardes*, inquit, *conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem : subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Pondera verbum *subitò*, & aduerte verbum Spiritus sancti esse.

Sunt qui in futurum imò & in senectutem conuersionem differant suam, cum ætas senectutis non ad pænitentiam nec ad virtutum exercitia apta sit, sed ad quietem & delitias potius. Seneca Senec. epist. 108. sicut ex amphora primum quod effluit sincerissimum & optimum est, grauissimum verò & turbidum, subsidit : sic in ætate nostra quod optimum est, primum est. Inhæreat animo & tanquam missum oraculum placeat sententia hæc :

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit. subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Quare optima ? quia restat quod incertum est; quare optima ? quia iuuenes possumus facilem animum & adhuc tractabilem ad meliora conuertere, quia hoc tempus idoneum est laboribus & exercendis per opera corporibus ; quod superest segnius & languidius est. In hanc ergo rem vnam intendamus, ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possumus, inutiliter amittamus. ita Seneca.

Propositio II.

Quàm Deus desideraret peccatoris conuersionem.

GEnes. 3. sic ad primum peccatorem Deus: Gen. 3. *Adam vbi es ?* Quid rogo intendebat Dominus sic quærens & interrogans Adamum? Rupertus Rupert. in Genes. lib. 3. c. 14. sic respondet : Non præuaricator & reus homo Deum Iudicem prior inuocauit, sed Deus Iudex priùs præuaricatorem vocauit, cum magis hoc reo conueniret vt præoccuparet Dei faciem in confessione ; hoc autem benignitas quærentis intendebat, vt is qui quærebatur, seipsum inueniret, & sciret quid perdidisset, & quid commeruisset. Ita ille.

Crux Christi.

Propositio I.

Quàm gloriosum fuerit Christo Domino pro nobis in cruce pati.

AD Rom. 1. *non erubesco euangelium, virtus* Rom. 1. *enim Dei est, in salutem omni credenti.* Non erubesco, ait, euangelium, bene ; sed quid mirum quod non erubescas euangelium ? euangelizare videlicet, cum potius id tibi gloriosum & etiam Angelis sit? S. Anselmus sic exponit locum istum: S. Ansel. Ideo sum promptus ad euangelizandum, quia non erubesco

erubesco euangelium, id est nulla est mihi erubescentia ex prædicatione euangelij, sicut nonnullis, qui erubescebant prædicare Christum crucifixum, non intelligentes nil dignius Deo, quàm quod ad humanam proficit salutem; insigne quippe virtutis & pietatis est, quod Dominus propter salutem imaginis suæ dignatus est vsque ad passionem crucis humiliari, quod nunc Apostolus intuens ait, *non erubesco euangelium*, & quare non erubescis? quia ipsum Euangel. *est virtus Dei*, id est quod in euangelio prædicatur, videlicet crux & mors: est enim hoc virtus Dei, quamuis stultitia incredulis videatur: nulla maior virtus est quàm deuicta morte homini perditam reddere vitam, quia virtus Dei est in salutem omni credenti. ita S. Anal.

Ps. 92. Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se.* S. Hieron. Cassodor. & alij, de Christo Domino locum istum interpretantur, & S. Amb. qui lib. 1. offi. c. 45. Qui venerat (inquit) in forma serui & in hominis specie assumpsit decorem, & ideo di-
S. Ambr. xit Propheta: *Dominus regnauit, decorem indutus est.* ita S. Ambr. Sed insurgit nunc dubium, quomodo Christus Dominus carnem assumens fuerit decorem indutus? cum potius de ipso Isaias dicat c. 53. *non species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus.* Quo igitur pacto ait Dauid quia *induit decorem?* Cassiodorus sic respondet. Decorem induit Christus quando transfiguratus est in monte Thabor. S. Hieron. cum resurgens à mortuis sanctorum sibi chorum adiunxit. ita ille. Ita quidem, sed liceat dicere etiam decorem induisse Christum non solùm in transfiguratione sua, & resurrectione sua, & cum miracula operabatur, sed etiam in humiliatione sua, cùm scilicet in præsepio iacebat & cum in circuncisione habitum non solùm serui, sed etiam peccatoris præseferebat, & in passione, in cruce inter latrones pendens, ibi vbi ait Isaias quòd *non erat ei decor:* duplex enim distinguenda est Christi Domini consideratio, inquantum scilicet Deus omnipotens & rerum omnium creator est, & Iudex noster, & in hac consideratione præcisa alienum & peregrinum est ei, humiliari, & pati, & nil ad decorem eius pertinens; in quantum verò saluator noster est, decebat illum sic humiliari, sic pati, sic mori. Vnde talis humiliatio, & passio ad decorem eius valde pertinens est, sicut si
Simile. Rex sedeat in solio gloriæ suæ, sceptrum, corona & purpura congruunt ei; si verò ad bellum procederet, arma offensiua, & defensiua illi conuenirent; si autem mutata veste vellet ignotus pergere ad redimendos captiuos, ac si esset homo communis, & mercator, veste communi & mercatori congruenti incedere illum oporteret. Cum igitur Christus Dominus inter Angelos in throno maiestatis constitutus glorificatur, maiestas & gloria illum decet; at cum ad bellandas aereas potestates venit, arma bellica; & cum ad redimendos captiuos ignotus venire dignatus est, oportebat illum humiliari, pati, & mori. Hæc enim sunt media redemptionis nostræ. Quare hoc præstans decorem indutus est, & fortitudinem etiam, quia humiliatione & passione & morte sua mortem & peccatum & diabolum vicit: victoria autem ad fortitudinem spectat. Dicat ergo de Christo Domino Dauid: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.*

Math. 5. Mat. 5. *Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Quænam est lux & lucerna est hæc? quodnam candelabrum in quo posita lux ista luceat? S. Paschas. Abbas in eodem loco: si Paschas.
de seipso insinuat non esse sub obscuro legis (vt quidam volunt) ponendum, tunc rectè per candelabrum crux passionis super quam leuādus erat, & per lucernam intus lucentem diuinitas in carne reserata monstratur. ita ille. At dices, in cruce Christus non videtur luxisse, sed potius obscuratus fuisse, sicut significasse ita videntur tenebræ illæ, quæ tunc factæ sunt super vniuersam terram: lucebat quidem Christus cum cæcos illuminabat, cum dæmones effugabat, cum mortuos suscitabat, & omnem languorem sanabat: lucebat in monte Thabor in transfiguratione sua, lucebat etiam valde in resurrectione sua, & in ascensione sua; at in cruce in qua vt Isaias prædixerat, *non erat ei species, neque decor, & in qua vidimus eum nouissimum virorum, virum dolorum, despectum & humiliatum*, ibi, inquam, quomodo luxit? luxit quidem & perluxit valde, tum propter miracula & prodigia quæ in cruce visa fuerunt, quando supra cursum naturæ sol obscuratus fuit, terra tremuit, petræ scissæ sunt, velum templi vltro scissum fuit in duas partes à summo vsque deorsum, & monumenta aperta sunt, & multa corpora quæ dormierant surrexerunt. Præterea propter virtutes eximias Christi in cruce v. g. charitatis magnæ, qua pro crucifixoribus exorauit, & patientiæ tantæ, ex qua non leue argumentum sumpsit centurio vt diceret: *Verè filius Dei erat iste:* & vt alij abirent percutientes pectora sua, & latro ad Christum conuersus clamaret: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*; & denique luxerunt tunc aliæ plures virtutes erga illos, qui illuminatos oculos habebant, videntes quomodo filius Dei humiliaret semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. &c.

Hinc Christus ipse ad Patrem orans proximus passioni dixit Ioan. 17. *Pater venit hora, clarifica* Ioan. 17.
filium tuum vt filius tuus clarificet te. Miratur expendens hunc locum S. Chrys. hom. 8. in S. Chrys.
cap. 4. ad Ephes. & ait: Quid dicis Domine? ad crucem cum latronibus ac prædonibus ducendus maledictorumque necem subiturus, deinde & conspuendus & virgis percutiendus es, & alapis, & istam vocas clarificationem? vtique, inquit: nam pro dilectis ista patiar, ideo ea nunc pro gloria duco. ita ille. Ecce qualiter inter opprobria crucis luxit Deitas Christi, luxit bonitas eius, luxit charitas, luxit omnipotentia, luxit sapientia (*endar tan sabio corte en nuestra redempcion*) luxit misericordia, luxit iustitia, luxerunt denique cætera Dei attributa.

PROPOSITIO II.

Christus Dominus in cruce se Deum esse manifestauit.

REum esse mortis Christum Dominum populo suadere voluerunt Scribæ & Pharisæi, & Principes Iudæorum, & ob eam causam eum crucifigere decreuerunt; sed tamen omnipotens Pater in eadē cruce filium esse Dei ostēdit prodigiis illis quæ tunc acciderunt, de quibus S. Mat. c. 27. Mat. 27.
à sexta hora vsque ad horam nonam tenebræ factæ

sunt

sunt super vniuersam terram. Et infrà, *& ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, quæ dormierant surrexerunt,* &c. Quid autem inde subdit Euangelium? *Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Ecce quomodo in cruce apparuit Christum esse filium Dei etiam custodibus illis.

S. Chrys. Hinc S. Chrysost. hom. 81. in Ioan. colligit rationem cur Christus inter latrones tunc esse voluit cruci affixus, & non inter sanctos simul cum eo crucifixos: Crucifixi (inquit Chrysost.) sunt tres, claruit vnus Iesus, vt intelligas eius causa omnia prouenisse, nemo tamen illi latronum hæc attribuit sed soli Iesu. ita ille. Etenim si cum Christo viri virtute præditi crucifixi fuissent, multi fortè dubitarent, cuius illorum causa prodigia illa euenissent: at cum malefactores illi tanto euentu longè satis apparerent, necessariò Christo Domino, ob sanctitatem vitæ & miracula ab eo perpetrata, illa tribuenda supererat. Sic igitur æternus Pater crucem filij sui clarificauit, secundùm quod & ipse filius à Patre postulauerat Ioan. 17. dicens: *Pater venit hora (passionis nempe,) clarifica filium tuum,* &c.

Propositio III.

In cruce nos Christus redemit.

Psal. 9. PSal. 9. *Fecisti iudicium meum & causam meam: sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Quisnam est thronus iste de quo agit hic Propheta? ex hoc enim dependet intellectus huius loci. Agit Psal. de redemptione generis humani per Christum, & thronum eius vocat crucem

S. Leo Christi, quam eodem modo vocat S. Leo Papa ser. 8. de passione Domini, dicens: O ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi: Ait ergo David: *Fecisti iudicium meum & causam meam.*

Cardin. Bellarm. Cardin. noster Bellarm. id est, absoluisti litem & controuersiam, quæ erat generi humano cum diabolo. Diabolus enim prætendebat genus humanum à se teneri captiuum, sed Christus in throno crucis absoluit hanc litem, & pretio persoluto hominem esse liberandum & diabolum spoliandum, & re ipsa, *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis tulit de medio, affigens illud cruci, spolians principatus, & potestates,* vt scribit Apost.

ad Colo. ad Col. 2. ita Bellarm.

Propositio IV.

Crucifixi Domini imitatio ad vincendum dæmones conducit.

FVgiunt dæmones à præsentia crucis Domini veluti canes cum vident baculum quo vulnerati sunt, vnde sic ad eos Ecclesia. *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ.* Eadémque ratione nos ipsos cruce signantes dicimus: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* Hinc

S. Chrys. S. Chrysost. oratione in adoratione S. Crucis: Crux armatura Domini est insuperabilis, & addit: Vides quomodo Rex cælorum milites suos armet? non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, sed quod his omnibus firmius, & valentius ad præsidium est, hoc gladius est, hoc clypeus, hoc galea, hoc thorax, hoc propugnaculum tutum? ita ille. Armamur autem cruce Christi, cum Christum crucifixum imitamur, & carnem nostram cum vitiis nostris crucifigimus; & hostis sicut horret Christum crucifixum, sic etiam horret Christianum eo modo crucifixum, imò sola crucis Christi & passionis eius cogitatio dæmones & tentationes fugat. Audi Apostolum Petrum: *Christo in carne passo, &*, vt ipse, *eadem cogitatione armamini*; non dixit, *eadem passione*, vel, *cruce*, sed, *eadem cogitatione*: quam enim tentationem peccandi non vincet, qui attento animo Deum pro peccatis nostris crucifixum considerat? Vnde Hugo Cardin. locum hunc Petri exponens ait: Sola memoria seu cogitatio passionis & crucis Christi, maxima est fortitudo & armatura contra dæmonum potentiam. Ita ille. Et addit hanc S. Bernard. sententiam, quam prius protulit Origen. lib. 6. in Epist. ad Rom. Tanta est virtus crucis Christi, vt si mente fideliter habeatur, continuò, ad solam memoriam eius, totius peccati fugetur exercitus. ita Hugo ex S. Bern. & Origene. 1. Pet. 4.

Propositio V.

Quanta deuotione crucis festa celebrare debeamus.

QVam ob causam ieiunia quadragesimalia ab Ecclesia instituta sunt? ideo quidem, vt conuenienter parati & præparati simus ad crucem & passionem Domini nostri Iesu Christi. ita S. Leo Papa serm. 10. de quadragesima: Considerantes, quia per crucem Christi adepta est vniuersitas mundi, cognoscimus ad celebrandum paschæ diem merito nos quadraginta dierum ieiunio præparari, vt digni possimus diuinis interesse mysteriis. ita S. Leo, quasi dicat, vt hilari corde possimus celebrare festum Paschæ resurrectionis Christi, & immediatè crucem & passionem cum debita compassione celebrare. Ad hoc igitur instituta est quadragesima Christiana. S. Leo.

Propositio VI.

Quàm diabolus detestetur crucem.

QVæris S. Athan. lib. qq. q. 15. cur diabolus crucem tanto prosequatur odio, & eam detestetur, & fugiat; si enim hoc, quia in crucem ascendit Christus; etenim & in iumentum etiam ascendit, & tamen non ideo iumentum abhorret. Respondet S. Athan. quia Christus Dominus diabolum non per iumentum deuicit, sed per crucem; quare dæmones videntes crucem terrentur, fugiunt, & euanescunt: videntes autem iumentum non metuunt. ita S. Ath. vnde sicut videns fustem canis quo percussus est, timet, & fugit, licet tunc à nemine percutiatur: sic & Dæmon crucem aspiciens. S. Athan.

Propositio VII.

Pro Christo cruces pati, Dei beneficium est.

MAtth. 27. *Inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt vt tolleret*

S. Leo. *leret crucem eius*. S. Leo. Papa ser. 8. de passione Domini: Non fortuitum, sed figuratiuum fuit,
S. Hilar. sed mysterium: hoc aperuit S. Hilarius hoc loco, dicens; quia indignus erat Iudæus Christi crucem ferre. ita ille. Vt ita innotesceret nobis ideo multis non communicare Christum crucem suam, quia digni non sunt, dare verò illam qui propter bonitatem suam illam promerentur. Nec miteris pro meritis suis dari homini crucem Christi, quia secundùm Apostolum pro meritis Christi, eam bonis communicat Deus pater, *Vobis*, inquit, *datum est pro Christo, vt non solùm in eum credatis, verùm etiam vt pro eo patiamini*. Pro
S. Ansel. Christo inquit, vbi S. Anselmus *pro Christo*, id est *pro meritis Christi*. Quale igitur ac quantum erit donum, quod non solum pro meritis nostris, sed etiam pro meritis Christi donatur à Deo nobis?

Propositio VIII.

In cruce Christus inimicos vicit.

S. Theod. Exod. 17. Sanctus Theodor. q. 34. in Exodum, quærit, qui fiebat vt Exod. 17. extensis manibus Moses Israel vinceret hostes Amalechitas, remissis verò ab illis vinceretur? & respondet, dum extendebat manus Moses, præseferebat typum eius qui crucifixus est pro nobis; declarata est igitur sub illa signa vis ipsius veritatis: sicut enim Mose manus extendente cecidit Amalech, ita eùm Dominus manus extendit in cruce, dissoluta est diaboli acies. ita ille. Etenim etux gladius Christi fuit, quo inimicos nostros superauit, &c.

Curiositas.

Propositio Vnica.

Curiositas erga temporalia quàm nociua sit.

Eccles. Ecclesiast. 1. Sic Salomon: *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Hierusalem, & proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum vt occuparentur in ea*. Dedit, inquit, id est permisit. Cur quæso inquisitionem hanc pessimam occupationem dicit? meritò quidem; quia curiositas erat sciendi ea quæ sub sole fiunt, qualis non fuisset cura sciendi & considerandi ea quæ supra
Titelma. solem sunt; quod sic expendit Titelmannus in hunc locum. Verè malam esse talem occupationem monstrat idem Salomon, qui postquam sic contemplatus ea fuisset, & dissetuisset, ita vt nec hyssopum in pariete intactam relinqueret, maximum Deum creatorem perdidit, fœdissimè mulieres alienigenas sequutus, qui vtilius vacasset recogitans mandata Dei. ita ille. Quod si curiositas hæc cognoscendi creata nimiùm sic nociua est, qualis erit sciendi impertinentia, quæ in mundo fiunt? Sed dices, nunquid creaturarum cognitio bona non est, dicente Apostolo ad Rom. 1. *inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque gloria eius & diuinitas?* Cur ergo Salomon damnat studium creaturarum? Respondet Titelmannus, Vtilis quidem est creaturarum consideratio, si absit superba curiositas & ad Creatoris gloriam dirigatur. Ita ille.

Cultus diuinus.

Propositio Vnica.

Quæ requirat cultus diuinus.



Quamuis paupertas nostra grata sit, in nobis quidem ac rebus nostris Deo placita est: at in eius obsequio pretiosa quæque secundùm possibilitatem nostram adhibere oportet. Cuius rei rationem optimè reddit S. Tho. 22. quæst. 102. art. 4. dicens; Totus exterior cultus Dei, ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeant; habet autem hoc humanus affectus, vt ea quæ communia sunt & non distincta ab aliis, minus reuereatur; ea verò quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur, & reueteatur: & inde etiam hominum consuetudo inoleuit, vt Reges & Principes, (quos oportet in reuerentia à subditis haberi) pretiosioribus vestibus ornentur, & ampliores, & pulchriores habitationes possideant; & propter hoc oportuit vt aliqua specialia tempora & speciale tabernaculum, specialia vasa, & speciales ministri ad Dei cultum ordinarentur, vt per hoc animi hominum ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur. ita S. Thomas. S. Tho.

Christus, & eius vitæ mysteria.

1. *Christus diuinitatem suam quomodo probauerit.*
2. *Christi amor in nos quantus fuerit.*
3. *Christus exemplar nostrum.*
3. *Christus redemptor.*

Propositio I.

Christus diuinitatem suam quomodo probauerit.

Mat. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Audierunt verba hæc quidam scribæ, & dixerunt intra se, hic blasphemat*. Nimirum, quia hoc pro indubitato illis erat neminem posse dimittere peccata præter Deum ipsum: quo supposito optimè Christus Dominus se Deū esse probauit, cum illico in confirmationem eius quod dixerat, paralyticum sanauit, dicens; *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam, qui surrexit & abiit in domum suam*. Cùm igitur miraculo probauerit se posse dimittere peccata, & miraculū fieri non possit nisi in confirmationem veri, non Matt. 9.

verò

verò falsi, consequens manifestum est potuisse Christum dimittere peccata: peccata verò non posse dimittere, nisi solum Deum ipsi scribæ, qui doctores & legis periti erant, confitebantur. Posset autem aliquis in contrarium opponere, quod de Ioanne Baptista ait Euangelista Marcos cap. 1. *Erat Ioannes prædicans baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum, & egrediebatur ad eum omnis Iudea regio & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine confitentes peccata sua.* Ecce Ioannem etiam peccatorum remissionem concedentem; non igitur hoc Dei ita proprium est, vt ex hoc Christi Deitas probari sufficienter possit. Theoph. in cap. 1. Marci. Theophy.
Prædicauit baptismum pœnitentiæ, nempe in remissionem peccatorum, vt quando dicimus: venit quidam satelles Regis prædicans ciborum præparationem, vt bene fiant; illa qui præparant cibos Regios, non dicimus ex hoc, quòd satelles benefacturus sit his qui præparant cibos Regios, sed quòd ipse prædicarit præparationem ciborum, vt hi qui illos præparatint Regemque susceperint, beneficia consequantur. Sic igitur præcursor prædicauit baptisma pœnitentiæ, vt hi qui pœnitentiam egerint, suscepto Christo, remissionem peccatorum consequantur. ita Theoph.

PROPOSITIO II.

Christi amor in nos quantus fuerit.

IN tantum diligit nos vt discedere à nobis etiam in cælum peregrè se proficisci sentiat, quod ex
Matt 25. eo constat Matth. 25. vbi postquam in parabola talentorum diuisisse talenta dixisset, *peregrè*, subdit, *profectus est*. Quid hoc? ad Patrem vadit, in cælum pergit, & peregrinum se dicit? Cùm in terram descendit, meritò se peregrinum poterat appellare: at in cælum pergens, cur ita?
S. Chrys. S. Chrysost. in imperfecto hom. 53. Homo peregrè profectus Christus est post victoriam passionis ad Patrem iturus: commendat autem Christus dilectionem suam quam habet in sanctos; ad regna enim cælestia ascensurus & ad Patrem suum iturus, peregrè se iturum dixit propter charitatem sanctorum quos relinquebat in terris, cum magis peregrè esset in mundo. ita ille. Sit Christus in sæcula benedictus. Hinc intelligere licet Eucharistiæ mysterium; si is qui ad peregrina ducitur, posset simul inter dilectos remanere, absque dubio remaneret; peregrè Christus proficiscebatur in cælum habens dilectos suos in terris, potuit simul ire & remanere, remansit, ne amori suo in nos aliquo modo deesse videretur.

Luc. 22. Luc. 22. sic de Christo Domino (orante in horto instante eius passione) *Factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Mirabilis prorsus talis sudor, vnde quæso promanauit? Expendere oportet priùs quid significet *Agonia*; dictio Græca est, & significat bellum & pugnam interiorem in corde; erat igitur in corde pugna quædam, sed inter quos pugnantes? Colligitur quidem ex circunstantiis præcedentibus, *cæperat enim Christus pauere & tædere*, sed tunc orans dixit: *Pater si possibile est transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Post hæc iterum orans, *factus est in agonia*, & pugna intrinseca cordis. Pugnantes ergo erant timor & obedientia; timor, vt constat ex illis verbis, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; timebat ergo naturali eatus timore mortem. Obedientia verò patet ex illis verbis, *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; timor ergo mortis & obedientia patris, patiendi nempe & moriendi litigabant in corde Christi. Quonam, inquies, modo? Accipe, timor sanguinem deducebat ad cor: sic enim natura habet, vt cum quis timore vexatur in corde, sanguinem ducat ad cor vt faueat illi. Cum enim sit cor præcipua hominis pars, vitæque principium, & timore nimis vexetur, prouidens natura sanguinis auxilio cordi succurrit: at obedientia Patris in corde Christi existens vehementer ad passionem & crucem Christum Deum inclinabat, & vrgebat. Sic facta est agonia & pugna inter mortis timorem & obedientiam Patris in corde Christi; superans autem obedientia timorem, fauorem illum sanguinis, quem timor administrarat, sic à corde reiicit pariter cum timore, vt non solùm sanguinem ad venarum locum pristinum reuocaret, verùm spiritus vehementia extra venas & vltra corpus ad terram vsque fortiter exeluserit & repulerit, tormenta passionis, & acerbitatem mortis toto corde amplectens. Et inde Christus factus est in agonia & sudor sanguinis processit vsque ad terram. Excogitauit hæc S. Laurent. Iustinianus lib. de triumphali Christi agone dicens: Qualis conflictus? S. Laurent. Iustin.
qualis pugna? quale spectaculum? impellebat spiritoa Christi, reclamabat natura passibilia, pœnarum immanitate perterrita: in horum medio Christus constitutus tam strenuus ac insuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, spiritus iussa implere curauit, & paternæ se voluntati subdidit, dicens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Tali prolatione verborum, talique mentis assensu, renitentis carnis spiritus palmam obtinuit, huiusque pugnæ celebrato triumpho sub oratione surrexit. ita S. Lauren. Vides obedientiæ veræ optimum exemplum? sic se parendum est Deo, nullis obstantibus difficultatibus vsque ad mortem crucis. Sic ponderat Paulus paruitle Christum, dicens: *Christus factus pro nobis obediens*, &c.

Sed quia Paulus dixit, *pro nobis*, id est amore nostri, obserua quòd in dicto agone Christi non solùm contra timorem pugnabat obedientia, sed etiam amor patris & nostri, atque adeo conceptus iste potest pariter accommodari imò amori potiùs: *in passione enim sua Christus*, vt idem Apostolus ait, *commendat charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Amor ergo piè expellebat timorem à corde Christi. ad Rom. 5. 8.

Cuius amoris vim in tali agone latentis alia via manifestat S. Epiphanius in Anchorato dicens: Prouocat per hunc modum aduersarium Christus diabolum, vt illo opinante timere Saluatorem, inferat illi mortem. ita S. Epiph. Stratagemate bellico sic vtente Domino, quo desiderium pro nobis, & pro Patre maximè moriendi manifestaret. Vnde qui se Deo parere & illum amare verè nosse desiderat, attendat an vt obediat & amet, sic difficilia occurrentia vincat.

* * *

Propositio III.

Christus exemplar nostrum.

4. Mac. 1. 16. 1. MAcbab. 16. sic de Ioanne filio Simonis Machabæi, qui aduersus exercitum Regis Antiochi pugnaturus properabat, *Vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus, & viderunt eum viri & transierunt post eum.* ita ibi. Offenderant enim fluuium, quem ad pugnandum pertransire oportebat, recusante populo (timebat enim aquæ periculum) dux ipse Ioannes primus pertransiuit, vt sic ad sequendum se milites permoueret, quod & fecerunt, & tanto duce præeunte, hostes superarunt. Ingens torrens fuit passio Christi, sed fortissimo corde pertransiuit eum Dominus, quamuis intrarent aquæ vsque ad animam eius; de torrente in via bibit, sed inde exaltauit caput; neque enim inter vndas periit, sed inde exiuit vincens vt vinceret dæmones, mundum, mortem & peccata; præiuit autem & præcessit nos, vt exemplo suo nos ad sequendum se prouocaret. Trepidabant quidem milites Machabæi, & recusabant transire per torrentem illum priusquam viderent ducem suum transire; sed postquam ipse in aquam se egit, animos recuperantes ducem viriliter sequuti sunt. Sic Apostoli antequam Christus Dominus passionis torrentem pertransisset, pati trepidabant, & duce in acie relicto fugiebant: sed post Domini passionem timore deposito virili animo labores, tormenta & mortem subiere similiter & martyres, &c. Sequuti quidem sunt Ioannem Machabæum viri, sic & apud nos, qui viri sunt & virilem animum gerunt, sequuntur Christum, cæteri autem tanquam pusillanimes & effæminati Christum Dominum sequi reformidant. Quid times ô Christiane vbi præcedit Christus, cum tuam vt agat causam, talem pertransiuerit torrentem anima eius? &c. Vnde prælati discant præire in his quæ præcipiunt, & ab inferioribus exequi optant. Præstat opus sermo-
S. Chrys. ni. Rectè S. Chrys. super c. 1. de act. Nihil (inquit) doctore frigidius, qui verbis dûtaxat philosophatur, neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis & hypocritæ. Ita S Chrys. item S. Greg. lib. 1. epistolarum, epist. 24. illa, inquit, vox fortiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis actio commendat. ita S. Greg.

S. Greg. Ioan 13. Ioannis 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Etenim non solùm eum discipulorum pedes lauit, se nobis Dominus in exemplar dedit, sed in omnibus virtutum operibus quæ operatus est à præsepio ad crucem vsque, væ autem nobis si talia exempla non imitati fuerimus, meliùs nobis fuisset illa nescire.

S. Bern. S. Bernard. serm. 3. de natali Domini agens de huiusmodi exemplis Christi, quæ nobis exhibuit in natiuitate sua Dominus: Obsecro, inquit, vos fratres, considerate quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, nec infructuosus inueniatur in vobis sermo tam viuus & efficax, sermo fidelis, & omni acceptione dignus: sermo non tam oris quàm operis. Existimatis fratres parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum, & sine vtilitate deperire in cordibus vestris nossem? Quod si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihil, quàm iustiùs indignabitur Dominus maiestatis, si tanta eius opera, nostrâ aut duritiâ, aut negligentiâ contingat euacuari? auertat hoc à nobis Christus Dominus. ita S. Bern.

Mirum quidem est, quod antiqui gentiles passi fuerint Diis suis tribui scelera & facinora magna; hoc enim non ad eorum venerationem, sed ad eorum detestationem faciebat; & similiter quòd dæmones id ita fieri curauerint, imò & sibi ipsis talia imputari. Sanctus August. lib. 2. de Ciuit. cap. 10. sic respondet: Maligni spiritus, quos gentiles Deos censent etiam flagitia, quæ non admiserunt, de se dici voluerunt, dum tamen humanas mentes his opinionibus velut retibus inuoluant, & ad prædestinatum supplicium secum trahant, siue homines ista commiserint, quos Deos haberi volebant, qui humanis erroribus gaudebant; siue etiam nullorum hominum illa crimina vera sint, quæ tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, vt ad scelesta & turpia perpetranda velut ab ipso cælo traduci in terra satis idonea videatur authoritas. Cum igitur Græci talium numinum seruos se esse viderent, vel diis suis sic consimilari voluerunt, vel metuerunt ne honestiorem famam ipsi requirendo & eis se hoc modo præferendo, illos ad iracundiam prouocarent. ita S. August. August.
Fuit itaque dæmonum adinuentio flagitia magna Diis gentilium adscribere, vt hoc pacto vitia honorata & sanctificata essent, & nemo illa committere erubesceret, videns exemplaria Deorum esse: *Quisieron los demonios probisar alos Dioses delos gentiles los peccados paraque con eso que das en los vicios acreditados en las personas de sus Dioses y que le preciassen de cometerlos, por ser semesantes aellos*; ideo Iouem adulterum esse dicebant. Martem crudelem, Mercurium vsurarium, Bacchum gulosum, Venerem lasciuam, &c. Nunc ad rem, quia Deorum mores ita honorabiles & imitabiles videntur, voluit Deus noster fieri homo, & in exemplar se nobis exhibere, vt quemadmodum ille fecit, & nos faciamus; sanctificauit in se humilitatem summam, vt nos humiles esse non erubescamus; paupertatem spiritus professus est, vt & nos pauperes spiritu esse non dedignemur; obediens vsque ad mortem fuit, vt inde nos obedire vsque ad mortem addisceremus; pepercit inimicis, vt nos parcamus. Quod si gentiles illi inhonesta & turpia & detestabilia (secundùm rectam rationem) vitia adeo amplectebantur, quia illa Dij eorum fuerant amplexati; quanto magis nos mores sanctos amplecti debemus, quos à Deo nostro vero amplexatos videmus?

Matth. 4. sic de Christo Domino: *Cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Cur quæso Christus Dominus ieiunauit? nos quidem ieiuniis indigemus, vt carnem spiritui subiiciamus, & passiones eius moderemur, & pro peccatis satisfaciamus: at Christus Dominus cum Deus sit & nihil horum indigeat, cur ieiunat? S. Basil. ser. 1. de ieiunio, sic respondet: Dominus Iesus, qui carnem humanam causa nostri assumpsit, ieiunans priùs diabolum vicit, profectò nos instruere volens vt ieiuniis ad certamen cum ini- Matt. 4.

micis

inicis paratos reddamus. ita ille. Chriſtus enim non ſolùm verbis, ſed etiam exemplis docuit, ſicut in lotione pedum diſcipulis ſuis dixit: *Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Vnde Dauid Pſalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Gratias ibi agit Dauid Deo, qoia docuit eum pugnare, & vincere Gigãtem Goliath: non ait, quia robur mibi dedit ad ſuperandum viribus, ſed, *quia docuit* eum in funda & lapide militare, & occidere illum; quod ſi tanti fecit & tales refert gratias Deo Dauid, quia è cœlo docuit ſic corporaliter militare; quales nos dignas Deo gratias reddere valemus, qui factus homo in terra opere & exemplo ſuo docuit nos contra diabolum, & contra mundum, & carnem pugnare, & facile eos ſuperare? vicit in deſerto diabolum non conſentiendo tentationibus eius, & opponendo voluntati eius voluntatem Patris ſui; docuit nos vincere mundum recedens ab eo in deſertum; docuit nos vincere carnem ieiunio ſuo; reſtat nos eius ſumere exemplum, & practicam doctrinam, vt facilè & nos victores euadamus. Concludit igitur ad rem S. Baſil. ibi: Si mentem robuſtam ac valentem tibi eſſe volueris, carnem per ieiunium ſubiugabis; hoc enim eſt quod Apoſtolus ait, *quantum exterior homo corrumpitur, tanto interior de die in diem renouatur*, & rurſus, *quando infirmor, tunc potens ſum.* ita S. Baſil.

Ioanne 16. *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum*, S. Auguſt. ſerm. 21. de verbis ſecundùm Matth. Domine, inquit, tu qui viciſti, gaude; nos verò quare? quare nobis dicit *gaudete*, niſi quia vicit nobis, nobis pugnauit? ita S. Auguſt. Vicit Chriſtus mundum contemnendo ea quæ mundi ſunt, diuitias, delitias, & honores: vicit autem nobis, qoia *nobis reliquit exemplum vt ſequamur veſtigia eius.* Tali autem armati exemplo facilè & nos mundum vincere valemus: quis enim mundum ſic à Chriſto percalcatum non viriliter ſi Chriſtianus eſt & ipſe calcabit? Confidite igitur meo exemplo munitos vos victuros eſſe mundum, & ea quæ in eo ſunt: tum etiam confidite, quia qui dedit exemplum, dabit & auxilium, quo facillimo negotio mundum ſuperemus; quod ſi mundus inſurrexerit in vos, confidite videntes, quomodo Chriſtus patienter ſuſtinuit eius perſecutiones vſque ad mortem, mortem autem crucis. *Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius, & vos eadem cogitatione armamini*, ait S. Petrus, non ait *induimini*, ſed *armamini*: impenetrabilis enim eſt armatura iſta; & præterea cum Chriſtus ſic vicerit, confidite quia victoria ſua fauorem & gratiam à Deo patre promeruit, vt nos pariter perſecutiones & tentationes mundi vincamus.

Geneſ. 28. Iacob in itinere conſtitutus requieſcere volens tulit lapidem quendam, & capiti ſupponens dormiuit, & vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cœlum. Omnes ſacri expoſitores myſteriis refertum aſſerunt eſſe ſomnium iſtud, nunc verò quæ ad præſens intentum agunt conſideremus. Lapis ille capiti ſuppoſitus quid deſignat? S. Greg. 5. Mor. 22. caput in lapide ponere, eſt mente Chriſto inhærere. ita ille. Et meritò, in ſacris enim litteris Chriſtus Dominus lapis nuncupatur, in lapide illo figuratus, ex quo Moyſes aquam eduxit. Vnde Apoſtolus ait: *Petra autem erat Chriſtus.* Caput igitur ſuper lapidem ponere, eſt mentem Chriſto applicare; quod quidem fit, cùm mente noſtra opera eius mira conſideramus; tunque ſcalam in cœlum facile eleuatam aſpiciemus, hoc eſt facilè vias quibus in cœlum aſcendamus, inueniemus. Si enim v.g. natiuitatem eius perpendimus, & in præſepio Dominum iacentem expendimus, cum omnis actio eius noſtra ſit inſtructio, vti ait S. Gregor. paupertatem, & humilitatem & carnis mortificationem viam eſſe cæli repetiemus. Et ſic de reliquis operibus Saluatoris, Circunciſionis ſcilicet, & Paſſionis, &c.

Pſalm. 118 *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, S. Ambroſ. ſerm. 1. in hunc Pſal. quærit, quis eſt *immaculatus in via*? Reſpondet, non vtique qui in quacumque via ambular, ſed qui ambulat in Chriſto. Ipſe enim dixit: *Ego ſum via*: in hac via qui ambulat, errare non nouit, ſi tamen ab hac via nunquam recedat. ita ille. Ambulare autem in Chriſto nihil aliud eſt quàm illum imitari in humilitate, charitate, obedientia, & ſanctitate, &c.

S. Leo Papa ſerm. 1. de Natiuitate Chriſti, niſi Chriſtus eſſet Deus verus, remedium nobis non afferret; niſi eſſet homo verus, nobis non præberet exemplum. ita ille.

Propositio IV.

Chriſtus redemptor.

Geneſ. 8. *Ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Vbi Rupert. lib. 9. in Geneſ. cap. 27. Altare qood ædificauit Noë, & holocauſta, quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, beneficiorum memoriam recolentes, vt dignum erat. ita Rupert. Ob id nempe quòd à diluuio liberauerat Deus Noë, & familiam eius, & in arca ſeruerat eos: quod ſi propter ſalutem corporalem ita gratus fuit Noë, & acceptum à Deo ſacrificium illud gratitudinis; quanto magis nos grati Deo eſſe debemus, quos à diluuio peccatorum noſtrorum, & à morte æterna Chriſtus Dominus liberauit? & quanto ipſi gratior erit gratiarum actio propter excellentiam beneficij redemptionis?

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret*, &c. Poterat quidem alio modo ſeu per aliam tertiam perſonam hominem redimere, ſed amor in nos effecit, vt per ſe ipſum Deus hoc præſtaret; etenim ab ipſo hominis exordio Deus huiuſmodi beneficij genus cœpit manifeſtare. Cùm enim fructuum terræ productionem, terræ commendaſſet, & piſcium auiumque, aquæ; productionem tamen hominis ſibi reſeruauit. *Faciamus* (inquit Deus Pater Filio ac Spiritui ſancto) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sicut enim Pictor regiam quandam imaginem depingere volens licet circundantem ornatum diſcipulis ſuis fidat & committat, imaginem tamen Regis nequaquam, ſed propria manu illam effingit; ſic Deus mundum hunc viſibilem propter hominem produxit: eſt enim homo imago Dei, reliqua viſibilia ſunt velut huius imaginis Re-

Pſal.143. S. Baſil. Ioan 16. S. Auguſt. 1 Pet.4. Gen.28. S. Greg. Pſ. 118. S. Ambr. S. Leo. Geneſ.8. Ioan. 3. Simile.

Regiæ ornamenta; hæc ideo aliis creaturis commisit, *Poner por las orlas pagaritos flores y frutas*, imaginem verò suam qualis homo est, sibi soli formandam reseruauit: *Formauit*, inquit, *hominem de limo terræ*, Genes. 2. *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*. Sed insuper aduerte imaginem istam post peccatum reformatam fuisse, & quamuis eius reformationem Angelo committere potuisset, noluit tamen, sed sicut formauerat ipse solus, sic etiam solus voluit hominem reformare; quod Isaias antea multùm vaticinatus est c. 63. dicens nomine Christi: *Torcular calcaui solus*, &c. & c. 53. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Pondera repetitionem illius pronominis, *ipse*, quasi diceret, ipse & non alius cum ipso, sed ipse solus. Vnde tempore passionis militibus volentibus capere illum dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire*; nolens Apostolos secum pati, ne redemptio passioni eorum pariter tribueretur: latrones secum admisit, quia tam excelsum opus scelestis illis tribui minimè poterat.

Genes. 2.

S. Theod. S. Theodor. q. 24. in Exod. sic quæstionem proponit super cap. 12. Exodi. Quare præcepit Hebræis ad fugam ex Ægypto præparatis Pascha celebrare? & respondet: perpetuam voluit seruari salutis memoriam, propterea dum leges conderet, inquit, cum interrogauerit te filius tuus dicens, quid est Pascha? Respondebis quòd hodierna die Dominus Deus eduxit patres nostros ex Ægypto & redemit primogenita nostra, quando perdidit & percussit primogenita Ægyptiorum; hac de causa præcepit festum hoc celebrari. ita ille. Vbi nota in vulgata nostra, non eodem modo locum hunc haberi, sed ita legit Theodoret. si ergo eductionem ex Ægypto & profectionem in terram promissionis, sic Deus voluit obseruari, & tanquam pascha celebrari; quali nos obseruatione oportebit celebrare eductionem & liberationem ex captiuitate peccati & profectionem in cælum, &c. subdit idem sanctus: Cum lactucis agrestibus agnum manducari iussit, in memoriam durissimæ seruitutis, & acerbissimæ vitæ in Ægypto transactæ. ita S. Theodoretus. O quanta nos deuotione & in Deum amore beneficium redemptionis nostræ celebraremus, si acerbitatem seruitutis peccati, à qua nos Dominus liberauit, consideraremus attentè, & cælestis gratiæ & gloriæ separationem.

Grande quidem opus cælorum: *Cæli enim enarrant gloriam Dei*: sed tamen in scriptura Sacra vocatur opus digitorum Dei, Psalm. 8. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum*, cur non ait *manuum tuarum*, sed *digitorum*? quia sicut ceræ figuræ facile digitis fiunt, *Con los dedos de zera se hazen diges y cosas menudas*, sic quamuis cælorum opus, magni momenti respectu hominum sit, in ordine tamen ad Deum parui momenti est; sic exponit locum hunc S. Basil. in scholiis in Psal. 18. dicens: Non dixit *opera manuum tuarum*, sed *opera digitorum tuorum*, vt quæ videntur minimæ operationis esse ostendebat. ita S. Basil. Verumtamen opificium hominis non digitorum, sed manuum dicitur esse, Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, &c. Ita quidem, nam illustrius opus est hominis creatio, quàm cælorum. Sed ad rem, opus incarnationis & redemptionis non opus solum digitorum aut manuum esse dicitur, sed brachij Dei, Luc. 1. sic Beata Maria in suo Cantico, *Fecit potentiam in brachio suo*, opus scilicet incarnationis, vti exponunt S. August. in exposit. huius Cantici, & S. Cyrillus apud S. Thomam in catena. Dicitur autem opus nostræ redemptionis per Christum opus brachij Dei, quia in eo maximè omnipotentiam suam manifestauit, &c.

Ps. 18.

S. Basil.

Luc. 1.

Christi incarnatio.

1. *Quanta sit felicitas nostra frui incarnatione & aduentu Christi.*
2. *Quàm excellens sit beneficium incarnationis.*
3. *Quàm digna bonitate Dei fuerit incarnatio.*
4. *Incarnatio Christi valde vendicat sibi amorem nostrum.*
5. *Quàm conueniens opus fuerit nostræ redemptioni.*
6. *Quàm sublime opus Dei sit incarnatio.*
7. *Quàm honorifica & gloriosa fuerit nobis incarnatio Christi.*
8. *Incarnatio perfectio est mundi vniuersi.*
9. *Quanta gratitudine digna sit incarnatio.*
10. *Quàm bonis in bonum cedat incarnatio & malis in malum.*
11. *Quàm dignum admiratione sit opus incarnationis.*
12. *Quomodo per incarnationem Christus datus sit nobis.*
13. *Quàm ingentes diuitias attulerit nobis aduentus Christi.*
14. *Quàm lætus sit dies incarnationis.*
15. *In incarnatione resplendent attributa diuina.*

Propositio I.

Quanta sit felicitas nostra, frui incarnatione & aduentu Christi.



Isaiæ 38. Nunciauit Isaias Regi Ezechiæ propinquam mortem, & propterea lachrymas fundens dixit: *Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viuentium*. Quid expectabat ne Deum in terra videre? Ita quidem, sciebat enim ex diuina promissione Deum carnem assumpturum ex genere Dauidico, quem ardenti desiderio non solùm ipse, verùm & sancti illi Patriarchæ & prophetæ videre optabant, dicentes: Isai. 64. *Vtinam disrumperes cælos & descenderes!* Ægrè igitur ferebat Ezechias præcidi sibi spem videndi Deum hominem factum, ideo plorans ait: *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium*: vel vt clariùs Septuaginta vertunt, *nequaquam*

Isa. 38.

quam vltra videbo salutare Dei in terra viuentium. Quod sic in hanc sententiam interpretatur sanctus Hier. dicens : hoc est omne quod metuit. ne ductus ad inferos salutare Dei nequaquam aspicere mereatur. ita S. Hieron. Vel vt emphaticè magis transfert Complutensis : *Dixi, non iam non non videbo salutare Dei in terra viuentium.* Notum autem est in sacris litteris sumi *salutare Dei*, pro Deo saluatore. Vnde August. in serm. 3. de verbis Apostoli explicans illud Psalm. 95. *Annuntiate de die in die salutare eius*; Quid est (inquit) salutare eius nisi Christus eius? ita ille. Nec mirum eum ipsemet Dominus prædicauerit
Luc 10. 24. visionem hanc beatam esse, dicens, Luc. 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt:*

Luc. 2. Vnde Simeon cùm primùm vidit in vlnis suis Christum Dominum, exclamauit, dicens, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum*, &c. Quasi dicat, iam lætus moriar, quia vidi Christum saluatorem meum.

Imò de supremo illo Patriarcha Abraham di-
Ioan 8. xit Christus Dominus Ioan. 8. ad quosdam Hebræos. *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est*; vidit quidem spiritu, & ita gauisus est; quod si eo quod spiritualiter viderit venturum, ita gaudio repletus est, quid nos facere oportet, qui iam venisse & inter nos eum in Eucharistia esse confitemur, & fructibus incomparabilibus aduentus sui fruimur?

Propositio II.

Quàm excellens sit beneficium incarnationis.

Grande quidem opus cælorum : *Cæli, enim, enarrant gloriam Dei*: sed tamen in scriptu-
Psalm. 8. ra Sacra vocatur opus digitorum Dei, Psalm. 8. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum*, cur non ait *manuum*, sed *digitorum*? quia sicut ceræ figuræ facile digitis fiunt, *Con los dedos de zera se hazen diges y cosas menudas*. sic quamuis cælorum opus, magni momenti respectu hominum sit, in ordine tamen ad Deum parui momenti est; sic
S Basil. exponit locum hunc S Basil. in scholiis in Psal. 8. dicens : Non dixit *opera manuum tuarum*, sed *opera digitorum tuorum*, vt quæ videntur minimæ operationis esse ostendat. ita S. Basil. Veruntamen opificium hominis non digitorum, sed manuum dicitur esse, Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, &c. Ita quidem, nam illustrius opus est hominis creatio, quàm cælorum. Sed ad rem, opus incarnationis & redemptionis non opus solum digitorum aut ma-
Luc. 1. nuum esse dicitur, sed brachij Dei, Luc. 1. sic Beata Maria in suo Cantico, *Fecit potentiam in brachio suo*, opus scilicet incarnationis, vti exponunt S. August. in exposit. huius Cantici, & S. Cyrillus apud S. Thomam in catena. Dicitur ergo opus nostræ redemptionis per Christum opus brachij Dei, quia in eo maximè omnipotentiam suam manifestauit, &c.

Gen. 28. Genes. 28. vocauit Isaac Iacob & benedixit eum, præcepitque ei dicens, *Noli accipere coniugem de genere Chanaan, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ*, &c. Quid sibi vult missio ista, qua Isaac misit peregrè filium suum ad vxorem ducendam? S. August. serm. 79. de S August. tempore, respondet : Isaac hoc loco Dei Patris typum præfigurabat, Iacob verò Christum Dominum designabat. ita S. August. & meritò, nam Deus Pater filium suum in terram misit, vt sibi Ecclesiam desponsaret, & sicut Iacob duodecim Patriarchas & filios habuit populi Israël, qui totius populi capita fuerunt; sic vt ait S. Irenæus S. Iren. 4. contra hæreses 38. Christus duodecim Apostolos instituit, qui Patriarchæ & capita totius populi Christiani fuerunt; & sicut Iacob baculo suo transiuit vndas Iordanis, sic Christus Dominus, vt ait S. August. vbi suprà, baculo cru- S. Aug. cis suæ vndas passionis transiuit. Sed quid est quod peregrinus tunc fuit Iacob, Christum autem quomodo peregrinum in aduentu suo dicemus, cùm Deus vtique sit? nusquam (ait S. August. in Psalm. 149 peregrinus est qui condidit omnia, sed tamen sicut Iacob peregrinum Christum dicere valemus, quia ab statu nostrarum pænalitatum, & humanitatis, & mortalitatis, quam assumpsit longè distabat, quod & S. Isaias Isa 28 Propheta prædixerat cap. 28. dicens : *Sicut in* 21. *monte diuisionum stabit Dominus, vt faciat opus suum, alienum opus* [illegible]: *vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Quodnam opus hoc Dei, quod suum, id est proprium, & simul peregrinum est & alienum? si alienum & peregrinum, quomodo suum? quomodo proprium? dixerat paulo antè Isaias, siue Deus per illum : Isa. ibid. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem*, &c. Quod de Christo dici manifestum est, sicut patet ex vtraque glossa, S. Cyrillo & Lyrano. Christus er- S. Cyril. Lyra. go à Patre missus per incarnationem faciet opus suum, quia opus redemptionis & misericordiæ summæ fuit; proprium autem Dei est misereri semper & parcere. Opus etiam alienum & peregrinum ei, quia quid alienum magis à Dei celsitudine, quàm flere, & in præsepio iacere, & passibilem, & mortalem esse, qui impassibilis & immortalis est? Explicatio hæc Hugonis Cardinalis est & aliorum, & Hugo. præcipuè S. Gregorij Papæ homil. 16. in Eze- S. Greg. chiel. vbi ait exponens hunc Isaiæ locum : Opus enim Dei est animas quas creauit colligere, & ad æternæ lucis gaudia reuocare : flagellari autem, crucifigi, mori & sepeliri, non hoc in sua substantia opus eius est, sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum, sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum. Alienum ergo & proprium opus est, quia incarnatus Deus, vt nos ad suam iustitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare. ita sanctus Gregorius. Denique proprium illi fuit, si charitatem & misericordiam eius attendas; alienum, si naturam & essentiam.

Sed dices : Commune hoc beneficium est hominibus cunctis. Ita est, sed si eo amore, quo nobis à Deo exhibitum est illud reciperemus, tanquam proprium existimaremus, ponderat sanctus Chrysostom. homil. 34. in Ge- S. Chrys. nes. verba illa Pauli ad Roman 8. *Qui me dilexit & tradidit semetipsum pro me*, quia dixerat idem Apostol. *Qui pro nobis omnibus tradidit illum*, &c. Quomodo ergo ait Apostolus, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me?* quasi solum illum dilexisset, & pro se solo Chri-

ftus feipfum tradidiffet? Refpondet S. Chryf. ibi: Peculiare hoc eft amori, vt ex communibus propria faciat. ita ille. Sicut igitur, qui folis luce
Simile. gaudet, quamuis pro omnibus fol oriatur, ita illi procefsit ac fi pro eo folùm fol oriretur; atque adeo gratias pro tali beneficio agere Deo debet, ac fi folus ipse fole potiretur: fic etiam pro beneficio redemptionis, &c.

Luc. 1. Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ cui nomen Nazareth*, &c. Cur in Nazareth voluit Dominus incarnari, potiùs quàm in Hierufalem, aut in alia orbis parte? S. Bernar. hom. 1. *Super miſſus eſt*, quia Nazareth interpretatur flos, & in flore fperatur fructus proceffurus: fed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne figura pertranfiit; vnde
Simile. & Nazareth ciuitas dicitur Galileæ, id eft transmigrationis, quia veniente Chrifto illa tranfierunt, quæ, vt ait Apoftolus, in figura illis contin-
S. Ber. gebant, nos verò fructum iam tenemus. ita S. Bern. Ecce cur Dominus in Galilæa & Nazareth concipi voluit. Confidera igitur fœlicitatem noftram fupra populum Ifraël; Ifraëlitæ namque flores, nos verò fructum poffidemus; illi promiffa, nos promiffórum adimpletionem; illi vmbram, nos corpus; illi figuras, nos veritatem adepti fumus. Nam & patres illi antiqui, iuxta fidem defuncti funt, non acceptis repromiffionibus, quibus nos viui potimur. Sit Deus in fæcula benedictus, & benedicat nos, vt tanto bono frui fciamus, ne in maiorem damnationem redundet noftram.

Cum promiffionem accepiffet à Deo Dauid nafciturum ex femine fuo Chriftum Dominum,
2. Reg. 7. fic retulit gratias Deo 2. Reg. 7. *Quis ego ſum Domine Deus & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque? Sed & hoc paruum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo*
Caiet. *ſerui tui in longinquum.* Obferuat Caietanus in Hebræo effe hæc verba *Domine mi Deus*, & non femel fed fæpiùs in hac gratiarum actione reperta, quæ verba affectum magnum cordis important, videbat enim Dauid beneficium hoc eximium effe, & totis vifceribus amplectendum, & ideo concludens ait. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? quafi dicat, *no yo tengo mas que pedir ni vos ſeñor mas que me dar, que mas ſe ay valga pues me das à vueſtro hyo, por hyo ymas que eſto que coſa ay que loſea.*

Eadem ratione cum Deus filij fui incarnationem promitteret Abrahamo, nafciturum fcilicet
Genes. 17. Chriftum ex femine fuo, Genef. 17. quamuis obfcuris verbis, *Cecidit*, inquit, *Abraham pronus in faciem*, nimirum, quia pondus promiffionis adeo ingens fuit vt fuftinere Abraham illud non poffet, inde pondere victus cecidit in terram, *no pudiendo ſufrir el peſo de tan grande beneficio Dio con-*
Gen. 22. *ſigo en tierra.* Expreffioribus verbis c. 22. idem promifit Deus Abrahæ dicens: *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Ponderans verbum femi-
Gal. 3. minis Apoft. ad Galat. 3. ait. *Non dicit, in ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno, in ſemine tuo qui eſt Chriſtus.* Promifit igitur hoc pacto Dominus Abrahæ incarnationem Chrifti ex femine fuo, quod poftquam promifit, nunquam ampliùs ei apparuit, nec dixit ampliùs ei quidquam omnibus diebus vitæ fuæ. Cur ita? Nonne vfque ad mortem amicus Dei fuit Abraham? fuit quidem. Cum igitur fæpe ei Deus loqui foleret poft illam promiffionem, cur nunquam ampliùs ei locutus eft? Quia fcilicet poft tantam promiffionem non erat quod illi amplius defiderandum fupereffet, *Fue como de zirle tras hauerte prometido ana hyo por hyo no aymas que prometerte, ni dezirte, que lo dicho y prometido te ſobra.*

In Pfal. 71. agit Dauid de incarnatione verbi diuini, & vt patet ex origin. Hebræo fic Pfalmo finem impofuit: *Defecerunt laudes Dauid*, hoc eft, adeo excelfum eft beneficium incarnationis, vt ad illud laudandum, & fublimandum deficiant laudes, & defit copia requifita verborum & laudatorum; & ego quidem ingenuè fateor (ait Dauid) non poffe me laudes debitas pro tali ac tanto beneficio exhibere. Psalm. 71.

Genef. 17. *Apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ei, ambula coram me & eſto perfectus, ponámque fœdus meum inter me & te. Cecidit Abraham pronus in faciem.* Quodnam eft fœdus hoc propter quod fic cecidit Abraham pronus in faciem? Rupert. lib. 15. in Genef. cap. 19. De Chrifto eft hoc pactum. Bene ergo cecidit in faciem, adorans nempe, & gratias agens. ita ille. Promifferat ita Dominus Abrahæ ex femine fuo Chriftum Dominum nafciturum, nunc promiffionem fœdere confirmat, & propterea fe facie in terram demifit, quafi pondus tanti beneficij fuftinere non valens; quod fi Abrahamo in lege illa naturæ & tam à longè tam gratum fe Deo exhibuit, quanto magis nos facere oportet, Chriftiani cum fimus, qui non iam in fpe, fed in poffeffione degimus muneris tanti? fic ille in fæcula benedictus. Gen. 17. Rupertus.

Rurfus Gen. 17. fic Dominus ad Abraham: *Ex Sara dabo tibi filium cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuam.* Vbi gloffa interlinearis fuper illa verba, *erit in nationes & Reges populorum*, &c. ait, quia Chriftus dominaturus erat in gentibus. ita gloffa. Itaque in hoc loco promifit Deus incarnationem fui filij ex femine Abrahæ. Tunc igitur Abraham cecidit in faciem fuam. Cur ita? Nicolaus de Lyra, cecidit in faciem fuam in gratiarum actionem pro tanto beneficio. Ita ille. Nec mirum quod fic in terram ceciderit Abraham, quia pondus beneficij adeò ingens erat, vt minimè potuerit ftare. Vnde & nos omnes cum in facrificio Miffæ verba illa audimus, *verbum caro factum eſt*, genuflectimus propter iftud grauiffimum beneficij pondus. Quare credibile videtur, quod de quodam homine fuperbo refertur, quòd cum in Miffa audiret verba illa fymboli, *Et homo factus eſt*, cum omnes flecterent genua & ipse nequaquam, fed inflexus ftaret, acceffiffe aiunt dæmonem quendam, & alapa cum percuffiffe, & dixiffe: *Si Angelus Dei filius factus fuiſſet, omnes Angeli venerarentur eum adorarent: nunc verò cum factus ſit homo, cur ita homo non genibus flexis eum adoras?* Etenim non fecit id Dæmon à fe, fed Dei nutu vt patet: vt inde difceremus, omnes tam ingens beneficium magnificare, cum per illud magnificauerit Deus facere nobifcum. Interlin. Lyra.

Propositio III.

Quàm digna bonitate Dei fuerit incarnatio.

Verbum caro factum eſt, Ioan. 1. Cur Deus carnem noftram affumere dignatus eft? Etenim ab æterno in fe habuit, quidquid ad noftram fœlicitatem, & effendi integritatem pertinebat, ita vt nihil boni vel perfectionis accrefcere poffet illi. Ioan. 1.

illi. Cum ergo ab æterno sine assumptione humanitatis esset ita fælix & perfectus vt dixi, cur incarnari decreuit? Respondet S. Thom. 3. parte q. 1. art. 1. Vnicuique rei conuenit id quod competit ei secundùm rationem propriæ naturæ, sicut homini conueniens est ratiocinari, quia hoc conuenit sibi in quantum est rationalis, secundùm naturam suam; ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis, vt patet per Dionys. c. 4. de diuinis nominibus. Vnde quidquid pertinet ad rationem boni, Deo conueniens est; pertinet autem ad rationem boni se aliis communicare, vt patet per eund. Dionys. c. 4. de diuinis nominibus. vnde ad rationẽ summi boni pertinet, quòd summo modo se creaturæ communicet: quod quidem maxime fit per hoc quòd naturam creatam sic sibi coniungit. Vnde manifestum est, quòd fuit conueniens Deum incarnari, ita S. Thom. Vide ad hoc S. August. lib. 13. de Trinitate cap. 17. non procul à principio illius capitis, & hinc patet solutio ad propositum argumentum; etenim non assumpsit Deus ad vnionem personæ suæ naturam humanam, vt inde accresceret ei aliqua perfectio, cum fuerit ab æterno perfectissimus, sed vt perfectionem suam naturæ humanæ communicaret, sicut summa bonitas eius requirebat: & hæc ratio S. Thomæ probat quòd etiamsi homo peccasset, Deus nihilominus incarnatus fuisset, non vt redimeret hominem, sed vt se homini communicaret.

S. Dionys.

Et vt ad mores nostros doctrinam hanc deriuemus, hinc constat quam meritò dixerit Spiritus sanctus de homine auaro, Eccles. 10. *Auaro nihil est scelestius.* Quid? nonne alia peccata maiora sunt v. g. quæ sunt contra virtutes theologales? sunt quidem, ergo scelestior erit qui contra eas delinquit, quàm auarus. Iansen. ideo dictum censet, tum quia *auaritia est Idolorum seruitus*, vti ait Apost. ad Ephe. 6. tum quia *est initium omnis peccati*, sicut ait idem Apost. 1. ad Timot. 6. radix omnium malorum est cupiditas. ita ille. Addam ego si præcisè sumatur auaritia, in ordine ad bonum vt bonum est præcisè, est directè maximum malum, quia de natura boni est esse communicatiuum, vt dictum est ex S. Thom. & S. Dionysio. auarus autem est, qui nullo modo est communicatiuus eorum, quæ habet. aliis, imo nec sibi, ideo dixit Ecclesiasticus, *Auaro nihil est scelestius.*

Eccles. 10.

Iansen.

Ex eadem ratione S. Thom. 1. contra Gentes c. 93. ratione 6. ait liberalitatem esse maximè propriam eius, qui bonus est, & quodammodo soli Deo conuenire, quia solus ipse se communicat, quia ipsum communicare est ei conueniens sicut fonti bonitatis, nulla inde expectata commoditate. ita S Tho. Sed vt ad institutum reuertamur, adeo naturæ nostræ honorifica & gloriosa est hæc communicatio incarnationis Christi, vt excellentior dici possit, quàm communicatio gloriæ cœlestis, qua se Deus hominibus beatis, & Angelis communicat, per modum obiecti & proximi, tum influendo, tum etiam terminando, vnde tota illa coniunctio & communicatio Dei per seipsum dicitur accidentalia: at verò in mysterio incarnationis, ita Verbum diuinum communicat se naturæ humanæ, vt verè & substantialiter se illi vniat, vti docet Pater doctor Franciscus Suarez in commentario primi articuli totius tertiæ partis. vnde meritò dicit S. August. lib. de prædest. Sanct. c. 15. tanta & tam excellens est hæc humanæ naturæ subiectio, vt quò attollatur altiùs non habeat. Ita S. Augustinus.

S. Thom.

Fr. Suarez.

S. August.

Denique fuit hæc communicatio incarnationis quasi complementum totius communicationis, quæ Deum & eius bonitatem decebat: communicauit Pater *ad intra* diuinam naturam Filio & Pater cum Filio Spiritui sancto: at personæ diuinæ *ad intra* commuoicabiles erant; igitur, ne incommunicata omnino remaneret persona diuina per incarnationem communicata est persona verbi naturæ humanæ, per assumptionem ad personam verbi; natura igitur diuina communicata est *ad intra* personis, persona verò naturæ humanæ *ad extra*, ita vt iam desiderari nequeat à Deo communicatio Dei in se amplius; per creationem autem ac productionem ac conseruationem creaturarum communicauit bona sua. Sit bonitas eius in sæcula benedicta. Adde communicationem gratiæ & gloriæ. Rursus S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. Ad rationem boni pertinet vt se aliis communicet, vt patet per Dionysium c. 4. de diuinis nominibus. Vnde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se communicet creaturæ: quod quidem maximè fit cùm naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus verbo, anima, & carne, sicut dicit August. 12. de trinit. c. 17. Ita S. Thom.

At dices inconueniens esse videtur, quòd Dei magnitudo in vnius humanitatis includatur angustiis. Respondet S. Thom. ibidem ad vltimum: Deus non mole, sed virtute magnus est; vnde magnitudo virtutis eius nullas in angusto sentit angustias, neque est incredibile si verbum hominis transiens simul auditur à multis & à singulis totum, quòd verbum Dei permanens simul vbique sit totum: vnde nullum inconueniens sequitur verbo Dei incarnato. Ita S. Tho.

S. Thom.

PROPOSITIO IV.

Incarnatio Christi valde vendicat sibi amorem nostrum.

RECtè quidem Seneca: Frustra quæris malesicos ad amorem, ostendam tibi maleficium potens, ama & amaberis. ita ille. Et meritò, nam nihil potentius ad eliciendum amorem, quàm amor. Ad hoc igitur Verbum caro factum est, vti ait S. August. in manuali c. 26. tom. 9. dicens: Vt familiarius diligeretur Deus ab homine, in similitudine hominis apparuit Deus; quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei sic hominem præueniens? tam, inquam, vehemens amor, quod homo propter hominem dignatus est fieri. ita S. August. Adde, qui propter nos homines & propter nostram salutem, passus est dira supplicia & mortem, mortem autem crucis. Vide eundem S. August. lib. 13. de Trinitate cap. 10. & 11. & S. Tho. 3. p. q. 46. art. 1. & 2.

Seneca.

S. Aug.

PROPOSITIO V.

Quàm conueniens opus fuerit nostræ redemptioni.

LVc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Pondera verbum *oportuit*; nunquid non aliis modis poterat Christus redimere genus humanum? S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. quærit, an fuerit necessarium ad reparationem generis humani Deum incarnari, & respon

Lucæ 24.

S. Thom.

respondet: Ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter; vno modo, sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conseruationem humanæ vitæ; alio modo, per quod meliùs & conuenientiùs peruenitur ad finem: sicut equus necessarius est ad iter. Primo modo Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ, Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Ita S. Tho. consonat S. Aug. lib. 13. de trinitate c. 10. dicens: sanandæ miseriæ nostræ nullus alius modus conuenientior fuit quàm incarnatio. ita S. August.

S. Thom. Quænam autem conuenientia hæc fuerit, ostendit S. Thom. ibidem in solutione ad secundum argumentum, dicens; quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis, tanto enim offensa est grauior, quanto maior est ille in quem delinquitur: vnde oportuit ad condignam satisfactionem vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei & hominis existens. ita S. Thomas. Conueniens insuper fuit ad fidei nostræ conseruationem & spei nostræ in Deum maiorem firmitatem, & etiam ad charitatis nostræ in Deum augmentum. Vti docet S. Thomas ibidem in corpore articuli, & q. 41. art. 1. & 2.

S. August. Sed speciatim fuit valde conueniens incarnatio Christi ad exemplum vitæ nostræ, sicuti ait S. August. in quod in sermone de natiuitate Domini, qui est 9. de natiuitate Christi, & 13. in ordine sermonum de tempore, eleganter: homo, inquit, sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat; vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. ita S. Augustinus.

S. Bern. S. Bernard. serm 7. de aduentu, de incarnatione Domini agens ait: Indigentiæ nostræ quantitatem ipsa dignationis Dei indicat magnitudo, & periculum ægritudinis ex ipso pretio medicamini
Simile. nis innotescit. ita ille. vbi nota metaphoram ægritudinis & medicinæ quam tangit.

Propositio VI.

Quàm sublime opus Dei fuerit incarnatio.

Ioan. 1. IOan. 1. *& homo factus est*; breuis sermo sed stupore dignus; deficiunt quidem verba ad exprimendum *hoc verbum caro factum*, & omnem superat eloquentiam non dicam Demusthenis, seu Ciceronis, sed etiam Angelorum, ineffabile quippe est mysterium incarnationis. Dixi omnem superare intellectum, ita vt non solùm explicari non possit, verum nec cogitari; etenim priusquam fieret, cui vnquam in mentem veniret talè Dei consilium. si alicui post peccatum Adæ dictum esset, nullum illius peccati remedium superesse, nisi Deum ipsum hominem fieri, & pro nobis pati, & in cruce in tolli? Quis fide humana crederet sic futurum? excedit eloquentiam, ergo excedit humanam fidem; excedit cogitatum res ista, excedit denique omne meritum creaturæ. Quis enim hominum vel Angelorum operibus suis quantumuis excellentibus, incarnationem verbi poterat promereri? Quapropter id nobis
Simile. agendum quod de Alexandro magno eius narrat historia, qui in templo quodam Persidis laqueum quendam miris quibusdam inuolucris confectum inuenit, sub quo talis erat inscriptio: *Qui nodum istum soluerit, totius Asiæ Princeps erit:* Alexander igitur regnandi cupidissimus, aspexit, respexit, iterum atque iterum attentè considerans quomodo laquei inuolucra dissoluere valeret; cumque modum non inueniret, accipiens pugionem laqueum intercæcauit, dicens: *tantumdem est, tanto monta certar como desatar.* Incarnatio verbi, in qua Deus & humanitas conueniunt, tam admirabili connexione iuncta est, vt nodum soluere mysterij tanti impossibile prorsus sit humanæ sapientiæ: solum igitur superest nobis pugionem fidei diuinæ arripere, & eo nodum credendo firmiter incidere, quia modo id sufficit credentes id Deum præstare potuisse, & de facto præstitisse. Tanta est huius articuli celsitudo, tantum in eo nobis præstitum beneficium, vt supra meritum nostrum, supra eloquentiam, supra intellectum & cogitatum nostrum sit, in quo ad firmandum cor syncerum sola sufficiat fides. Sit Deus benedictus in sæcula.

Gen. 2. Hinc est quod in formatione hominis Deus ipse voluerit lutum nostrum manibus suis diuinis contrectare, corpus formare, & in illud insufflare, & altissimo illo flatu vitam homini dare; etenim cum reliqua creabat, non nisi *fiat* dicebat; *fiat lux, fiat firmamentum*, &c. At cum ad hominis formationem deueniret, non dixit *fiat homo in animam viuentem*, quamuis sufficeret hoc, *producat terra hominem*; sicut dixit, *producat animalia viuentia*, sed per se & ita speciatim hominem formauit. Cur ita? quia hominem formabat & primum Adamum, qui secundi Adami figura
Tertull. erat. Cogitabit hoc Tertullia. lib. de resu. carnis dicens; Recogita, totum Deum illic occupatum ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat; quocumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, ita limus ille tunc imaginem Christi induens in carne futuri, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus. Ita Tertul. in quibus verbis illa nota, *& ipsa in primis affectione*, id est affectu dilectionis, quo lineamenta Christi iam illic ducebat, quia videlicet quasi pingens Christum ibi lineamenta illa faciebat in limo, & meritò addit, *non tantum Dei opus erat, sed & pignus* nobis præstabat Christi futuri Saluatoris nostri; ideo tam accuratè limum ineffabili consilio & modo tangebat & subigebat, & honorabat; res enim tanta tantum artificem exigebat. Tale igitur ac tantum est incarnationis mysterium, vt tanto honore figurâ illam adeo remotam & antiquâ Christi in ipso infimo luto voluerit Dei maiestas glorificare.

Propositio VII.

Quàm honorifica & gloriosa fuerit nobis incarnatio Christi.

EClesiastict 36. sic ad Dominum sapiens ille: Eccl. 36.
Innoua signa, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum; de incarnatione Christi intelligit Glossa interlinearis locũ istum, Glossa
& Glossa ordinaria ex August. Optat, inquit, vt diuina maiestas per manum & dextrum brachium, August.
id est per Christum, per quem antiqua miracula facta sunt, innouat tempore gratiæ, ita gloss. vbi nota

notà quòd non solùm Dominus innouauit mira-
cola antiqua, tot, & tanta miracula faciens, quæ in
euangelio continentur, verùm etiam immutauit
Genes. 28. mirabilia, v. g. vidit Iacob scalam Genes. 28. in qua
suprà Dominus erat gloria & maiestate plenus,
inferiùs verò homo, Iacob nempe fatigatus ex
itinere, & à facie fratris irati fugitiuus: veniens
autem Christus immutauit hoc signum incarna-
Simile. tione sua. Quod similitudine hac constat: Cum
faber aliquid ponderosum eleuare optat instru-
méto quodam quod Hispanè *alcaprima* vocatur,
eleuat illud; dum autem eleuat pondus istud, ipse
artifex illud eleuans in tantum inferius descendit,
in quantum eleuat illud: sic immutauit Deus mi-
raculum scalæ; dum enim eleuare voluit homi-
nem, factus est Deus homo, & ascendit homo
vsque ad Deum per ipsam incarnationem. Sic im-
mutata sunt Dei mirabilia per Christum. Sit ille
in sæcula benedictus. Hoc autem significare vo-
luerunt Euangelistę Matthęus & Lucas, dum Mat-
thæus descensionem Christi narrat ab Abraham
vsque ad Iosephum fabrum lignarium virum
matris, & Lucas ascensionem eius à Iosepho vs-
que ad Deum ipsum: ad Iosephum, inquam, qui
pater putatiuus Christi fuit, & vir eius, quæ verè
mater Christi fuit: vt eo pacto & descensionem
Dei ad nos, & ascensionem hominis ad Deum
per incarnationem demonstrarent.

Propositio VIII.

Incarnatio perfectio est mundi vniuersi.

Gen. 1. IN *principio creauit Deus cælum & terram*, &c.
meritò quis poterit interrogare, quis finis im-
mediatus fuerit creationis orbis? quia licet tan-
dem & veluti mediatè seu vltimatè Deus propter
gloriam nominis sui condiderit vniuersas creatu-
ras, non obstat aliquem immediatum finem etiam
intendisse. Ad cuius intelligentiam nota quòd in
hoc loco Genes. nomine *principij* intelligitur Dei
S. August. filius. Sic habet S. August. qui ait, *in principio*, id
est, in Dei sapientia quæ filius Dei est, quique se
principium asseruit Ioannis 8. de se dicens, *prin-*
S. Ambr. *cipium, qui & loquor vobis*. Item S. Ambr. in exaë-
Anastas. meron. c. 4. *in principio*, inquit, id est in filio. Ana-
Origen. stasius. Sinayta in Genes. & Origen. expendens
hunc locum ait: Quodnam est omnium princi-
pium nisi Dominus noster Iesus Christus primo-
Rupertus. genitus omnis creaturæ? Idem sentit hic Ruper.
S. Hiero. & denique S. Hieron. quem Doctorem maximum
in exponendis sacris Scripturis vocat Ecclesia, qui
in quæstionibus super Genesim ait: Magis secun-
dùm sensum, quàm secundùm verbi translatio-
nem de Christo accipi potest, qui tam in ipso
fonte Geneseos, quàm in ipso principio Ioannis
cœli & terræ conditor approbatur; vnde & in
psalterio de se ipso ait in Psal. 39. *In capite libri
scriptum est de me*, id est, in principio Geneseos, qui
liber caput librorum omnium est: & in euange-
lio Ioannis dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt, &
sine ipso factum est nihil*, sic S. Hiero. Ait ergo scri-
ptura, *In principio creauit Deus cælum, & terram*,
hoc est propter principium: nam præpositio He-
bræa hîc significat *propter*. Cum igitur per prin-
cipium Christus Dei filius intelligatur; sensus
legitimus erit, propter Christum Dominum crea-
uit Deus cœlum & terram, cum omnibus rebus
quæ in cœlo & in terra conditæ sunt. Vnde ele-
S. Irenæus. ganter S. Irenæus dixit lib. 4. c. 23. Dei filius vbi-
que inseminatus est in scripturis. ita ille. quia sci-
licet germen & fructus & finis omnium creatu-
rarum seu creationis rerum omnium Christus no-
ster est, sicut fructus arboris finis & radix & ramo-
rum, &c. Hac etiam ratione Paul. ad Colos. c. 1. ad Colos. 1.
vocat Christum Dominum primogenitum omnis
creaturæ, *qui est*, inquit, *primogenitus omnis creatu-
ræ*. vbi S. Hier. & S. Ansel. & Concilium Sardicen- S. Ansel.
se accipiunt hæc verba de Christo secũdùm quod
homo est, quia scilicet Christus vt homo finis est,
quem Deus primò intendit & propter quem om-
nia creauit. Christus enim vt Deus non proprie
dicitur primogenitus, sed vnigenitus. Ait ergo
Apostolus, *ipse est primogenitus omnis creaturæ,
quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlo & in
terra*. Et subdit iterum, *omnia per ipsum & in ipso
condita sunt*. vbi præpositio, *per*, non denotat
causam condentem & creantem, quia quatenus
homo Christus non condidit vniuersa in terra &
cœlo; sed (*per*) idem erit quod *propter*, tanquam
per causam finalem; *& in ipso* inquit, vbi lectio
Græca ait *in ipsum*, id est in ipsius honorem &
gloriam. Videndus est Doctor noster Pater Fran-
ciscus Suarez 3. p. disp. 5. sect. 2. vbi doctè & Suarez.
piè docet Deum primaria intentione & prima vo-
luntate, qua voluit se creaturis communicare, vo-
luisse mysterium incarnationis, & Christum
Deum simul & hominem esse caput & finem
omnium operum diuinorum sub ipso Deo. Idem
testatur Rupert. Abbas 13. de Trinit. c. 20. vbi Rupert.
ait: Religiosè dicendum & accuratè est audien-
dum, quia propter Christum hominem gloria &
honore coronandum, Deus omnia creauit; &
subdit: Rectius dicitur non hominem propter
Angelos, sed Angelos propter quendam hominem
esse quoque factos.

Hac igitur ratione in sacris litteris Christus
Dominus dicitur *germen*, vt videre est apud
Isaiam c. 9. & 5. & 60. & Ierem. 24. & Ezech. 39. Isaias 4.
& Zachar. 3. Ierem. 23.
Ezech. 34.

Huius autem discursus ratio est, quia Deus in
rerum creatione, non alicuius boni sui incremen-
tum intendebat, cum infinitum bonum ipse sui
sit, cui additio fieri non possit. Creauit igitur om-
nia, non vt reciperet bonum aliquod in se, sed bo-
num suum creaturis communicaret, eo modo
quo creaturæ capaces sunt; vti asserit Prosper Prosper.
in sententiis dicens: Si quæris cur creauerit crea-
turas Deus, nulla causa melior quàm vt bonum
crearetur à bono; cum autem ordo bonitatis sit
inter res factas, dicendum est bona naturæ ordi-
nati ad bona gratiæ, bona autem gratiæ ad incar-
nationem Verbi, quæ summa communicatio Dei
bonitatis est. Incarnatio igitur filij Dei cum sum-
mum bonum inter effecta à Deo sit, ipsa finis
operum Dei est, tanquam suprema communicatio
bonitatis Dei.

Ex quo excellentia humanæ naturæ constat; Hebr. 2.
non enim inter Angelos vel supremos etiam, ali-
quis Angelus reperitur, qui Angelus & Deus sit:
sicut inter homines reperitur qui homo & Deus
sit. Quod ponderans Apostolus ait: *Nusquam
Angelos apprehendit*, &c. sit Dominus à nobis in
æternum benedictus.

Ecce igitur hodiernæ festiuitatis, incarnatio-
nis, inquam, Christi vrgens & iustissima ratio. Ce-
lebramus Deum non Angelum sed hominem fa-
ctum, in quo mundi perfectio & fælicitas nostra
gloriosa consistit.

Propo

Propositio IX.

Quanta gratitudine digna fit incarnatio Verbi.

Rom. 8. S. Auguft. ROm. 8. *qui proprio filio non pepercit, fed tradidit illum.* Expendens hunc locum S. Auguft. fer. 15 de fanctis tom. 10. ait: O miræ pietatis affectus, &c. O inęftimabilis ardor charitatis! quis vnquam fperare poffet vt ex Deo ante tempora natus pro hominibus nafceretur ex fæmina homo factus? Quis ante charitatem tam ineffabilem nõ contremifcat? Cur ait *non contremifcat*, cum beneficium hoc redemptionis noftræ & charitatis Dei, gaudij potius ac lætitiæ materia & occafio effe videatur? nimirum, quia munere tanto ita nos deuinxit charitas Dei, vt merito pauere debeamus ingratitudinem noftram. Quis enim pro eo debitas Deo gratias poterit referre? quod fi quas reddere poffumus non præftiterimus, qua non grauiffima pæna digni erimus? Meritò ergo S. Auguft. ait: Quis ante charitatem tam ineffabilem non contremifcat? & fubdit: Quis vnquam poffet æftimare vt portaretur manibus fœminæ portator orbis & panis Angelorum aleretur, & omnium vita moreretur?

Propositio. X.

Quàm bonis in bonum cedat incarnatio & malis in malum.

Luc. 2. LVc. 2. fic Simeon ad virginem: *Ecce hic pofitus eft in ruinam, & in refurrectionem multorum?* in refurrectionem, id quidem non mirum, venit enim faluum facere quod perierat, & ipfe Ioan. 11. in hoc gloriatur dicens: *Ego fum refurrectio & vita*; hoc autem mirum, quòd in ruinam pofitus fit is qui fufcitat de terra inopem, & de Beda. ftercore erigit pauperem. Beda in hunc locum: Quomodo, inquit, in ruinam eft Chriftus Dominus, nifi quia lapis offenfionis eft his de quibus ipfe dixit: fi non veniffem, & loqutus non fuiffem, peccatum non haberent, nunc autem excufationem non habent de peccato fuo? Ita Beda.

Expendit Rup. Abbas locum illum Genef. 18. Rupertus. vbi Dominus antequam euerteret Sodomam & Gomorrham Abrahamum conuenit, & filium illi promifit nomine Ifaac, & in eo Chriftum Dominum, & inde in Sodomam progreffus eam incendit igne de cœlo miffo, tam fuauis in domo Abrahæ, tam feuerus & terribilis in Sodomis? Ait ergo Rupert. promiffio filij Dei feu aduentus eius ficut eft electis in multitudine mifericordiæ, fic reprobis eft in abundantia iræ atque vindictæ: ideo penes tabernacula iuftorum caftis delitiis indulget, & eam confirmat rifus æternus, & deinde Sodomam diuertens terribilem fuper peccatores iram pluit in fimilitudinem ignis æterni; illic manfuetudinem, hîc iuftitiam præoftendit. ita Rupert. vbi rifum feciffe in domo Abrahæ Dominum dicit, quia dedit Abrahæ filium Ifaac, Ifaac autem rifus interpretatur, & fignificat Chriftum ex progenie venturum, qui bonis rifus, malis verò luctus eft; & ideo Simeon dixit futurum Chriftum in ruinam & refurrectionem multorum.

Propositio XI.

Quàm dignum admiratione fit opus incarnationis.

IErem. 31. *Nouum creauit Dominus fuper terram, mulier circumdabit virum* Miratur valde Iere. 31.
fuper hanc nouitatem S. Bernard. hom. 2. *fuper* S. Ber.
miffus eft, dicens: Quæ eft hæc fæmina? quis verò ifte vir? & fi vir, quomodo à fæmina circundatus? aut fi à fæmina circundari poteft, quomodo vir? & vt apertiùs dicam, quomodo poteft fimul & vir effe & in vtero matris? hoc eft enim virum à fæmina circumdari: fi dixiffet, *fæmina circumdabit infantem*, nec nouum videretur, nec mirum: fed nunquid poteft homo renafci cum iam eft vir? Sed verto me ad conceptum partúmque virginalem, & ibi hanc reperio nouitatem. Ibi enim agnofcitur longitudo breuis, latitudo angufta, altitudo fubdita, profunditas plana; ibi agnofcitur lux non lucens, verbum infans, aqua fitiens, & panis efuriens; videas fi attendas potentiam regi, fapientiam inftrui, virtutem fuftentari, Deum denique lactentem; numquid non facile ibi eft inter hæc fæminam agnofcere virum circundantem? Vir erat Iefus etiam nondum natus, fed fapientia, non ætate; maturitate fenfus, non corpulentia membrorum, femper Iefus virilem animum habuit, etfi femper in corpore vir non apparuit; fed quid mirum fuiffe virum in vtero, quem inibi fuiffe Deum non ambigimus? minus quippe eft effe virum quàm effe Deum, ita S. Bernard.

Propositio XII.

Quomodo per incarnationem Chriftus datus fit nobis.

ISai. 9. *Paruulus natus eft nobis, & filius datus* Ifa. 9.
eft nobis. Magnam vim & emphafim habet pronomen illud *nobis*, & non femel dictum, fed iterum repetitum. Quod ponderans S. Ber. hom. 3. S. Ber.
fuper miffus eft, ait: Nobis datus, nobis natus non fibi, qui vtique ante tempora multo nobilius natus ex patre, nafci temporaliter non indigebat ex matre: nõ Angelis quoque, qui cum illis magnum iàm haberent, paruulum non requirebant; nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis neceffarius. ita ille. Cum igitur nobis datus fit, videamus, quæ vtilitas in aduentu eius. S. Ber. ibidem: Vt nos faceret magnos, ipfe factus eft paruulus. ita ille. Magnificauit igitur facere nobifcum, magnitudo autem noftra, ex eo eft; vt nos efficeret filios Dei. factus eft filius hominis, qui vere eft filius Dei, vt tu fieres filius Dei qui es filius hominis: ecce quare datus & natus fit nobis; nobis, inquam, qui puluis & cinis fumus; nobis, inquam, qui peccatores & inimici eius eramus; denique nobis, qui non folùm fic extolli digni non eramus, fed infuper æternam damnationem merebamur. Sit ille in fæcula benedictus.

Præterea nobis natus & datus eft in præceptorem fcilicet & magiftrum, qui doceret nos non phyficam feu metaphyficam, fed fanctitatem vitæ & omnimodam perfectionem. Ifai. 55 *Ecce* (ait Ifai 55.
æternus Pater) *teftem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*: teftem inquit, Septuaginta

inter

interpretum translatio habet, *testimonium gentibus dedi eum.* Quo nam pacto Christus testis
S. Aug. seu testimonium est? August. in psal. 18. con. 6.
in illa verba, *in via testimoniorum tuorum delectatus sum*, ait viam hanc testimoniorum Christum
Rom. 5. esse, quia testimonia Dei sunt, inquit, quibus quàtum nos diligat nobis probare dignatur: commendat enim Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, ita ille. Etenim verbia amoris Dei in nos, testis fuit Christus dicens: *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3. & factis etiam: *commendat enim charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, ipse pro nobis mortuus est*, vt ait Apost. ad Rom. 5. Quæ quidem magna nobia consolatio est; quid enim felicius quàm sic diligi à Deo? *qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cũ illo nobis donauit?* Vti asserit idem Paulus.

Præterea præceptorem talem se quidem esse affirmat & confirmat Christus, dicens: *Vos vocatis me, magister, sum etenim.* Ioan 13. Ipse enim docuit nos salutis viam, Isa. 30. *Erunt oculi tui
Ioan. 13. Isai. 30. videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis:* Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Manifestauit autem Christus viam hanc celestem, vt iam vel idiotæ & rudes facile eam & norint, & per eam incedere valcant, sicut ipsemet Isaias prædixit c. 35. agens de Ecclesia Christi, &
Isa. 35. dicens: *Erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Aurea verba & consideratione digna, quæ sic facilè explicat Lyranus. Erit ibi semita quantum
Lyra. ad obseruationem consiliorum, & via quantum ad obseruationem mandatorum. ita ille. sicut enim semita strictior & laboriosior est quàm via communis, sic etiam iter per consilia Euangelica
Simile. difficilius est, quàm via communis mandatorum. Et subdit: Via sancta vocabitur, quia sanctitatis via est; vnde non transibit, inquit, per eam pollutus: qui polluti hîc dicuntur, cum per immaculatam sanctitatis viam non incedant, quæ ad cœlum ducit, sed per viam maculatam delictorum, quæ ad infernum tendit: subdit Isaias: *& hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Lyranus, hoc est, directa via perueniendi ad beatitudinem, ita vt stulti, id est simplices, & illiterati sciant eam. Vnde August. cum legisset vitam sancti Antonij monachi simplicis dixit: Sim-
S. August. plices & illiterati rapiunt cœlum, & nos cum litteris nostris trahimur ad infernum. Ita Lyranus. Docuit autem nos Christus, non solum verbis, sed etiam factis, & exemplis, vnde postquam Apostolis dixit, *sum etenim magister vester*, subdidit, *exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, hoc est, non sum vester magister vt solùm me audiatis; neque vt solùm videatis opera mea, & admiremini; verum etiam vt sicut ego feci, & vos faciatis; non enim doctrina mea speculatiua tantùm est, sed practica etiam; ad hoc igitur Christus datus & natus est nobis.

Vnde concludens S. Benar. in dicta hom. 3. ait: studeamus ergo effici sicut paruulus iste; dis-
S. Bern. camus ab ipso, quia mitis & humilis corde; amplectamur eius dilectionem, & communicemus passionibus eius, ne magnus Deus sine causa factus sit paruus homo, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. ita sanctus Bernardus.

PROPOSITIO XIII.

Quàm ingentes diuitias attulerit nobis aduentus Christi.

Sanctus Bernard. ser. 1. in vigil. Natiuitatis Christi ponderans verba huius vigiliæ in eius Kalenda, *Iesus Christus filius Dei nascitur in* S. Ber. *Bethlehem, Iudeæ*; singula verba expendens, maximè illa tria priora, *Iesus Christus filius Dei*, sic ait: Ecce Dominus venit cum salute, venit cum vnctione, venit cum gloria; neque enim sine salute Iesus, neque sine vnctione Christus, neque sine gloria venit filius Dei; siquidem ipse salus, ipse vnctio, ipse gloria: respirate ergo perditi, venit enim Iesus saluum facere quod perierat; morbidi conualescite venit enim Christus qui contritos corde sanat vnctione misericordiæ suæ; exultate quicumque estis grandia concupiscentes, descendit enim ad vos filius Dei, vt regni sui faciat cohæredes. Hæc tria, dilectissimi, sapit mihi quod audio nasci Iesum Christum filium Dei. Ita Sanctus Bernardus.

Nos igitur modò hæc tria maxima beneficia expendamus; nos enim plenè respiciunt, quæ quidem tribus quibus maximè egebamus respondent. Indigebamus enim primò remissione peccatorum: ò quanta hæc indigentia! ponderet qui rectè, nouit quid sit in peccato & sine gratia esse; esse ne potest miseria maior? In huius igitur remedium venit Iesus, hoc enim importat hoc nomen, dicente Angelo ad Ioseph, *vocabis nomen eius Iesum: ipse, enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Secundò per peccatum mansit in nobis debilitas, & infirmitas magna cordis, propter vehementes appetitus passionesque; mittat vnusquisque nostrum manum in sinum suum, & quàm sit lepra interior ipse testetur in huius mali antidotem venit Christus; Christus enim vnctum significat: vnctione igitur spiritus sui sanat omnes infirmitates nostras. Tandem post remissionem peccati, post sanationem passionum, æterna egebamus gloria, hanc secum attolit nobis filius Dei, qui potens est depositum nostrum seruare in illum diem, &c. Hæc tria sunt de quibus & pro quibus Dauid Psal. 101. ingentes gratias referebat, dicens: *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt nomini sancto* Psalm. 102 *eius. Benedic anima mea Domine, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Quænam sunt hæ retributiones? Subdit: *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum*; in gloria scilicet quam spero; ecce tria hæc immensa beneficia, quæ Christus attulit nobis. Noli ergo tu obliuisci retributiones tantas.

Genes. 3. sic Dominus ad serpentem, *maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.* Obserua quàm aliter Deus cum homine peccante se gessit: non ei sicut serpenti maledixit, sed dixit, *maledicta terra in opere tuo.* Sicut enim pius Pater, qui virga minatur percutere filium, & tamen non filium sed terram percutit; sic etiam Deus pius hominis Pater non ipsum, sed terram maledicit cæditis, dicens, *maledicta terra in opere tuo*: & quidem tunc homo propter peccatum suum maledictione dignus erat. Cur igitur non eum personaliter maledixit Oleaster ibi sic respondet: Nouerat omnipotens

uipotens Deus quòd aliquando esset naturam humanam assumpturus, ideoque maledicere eam noluit. ita ille. vide quot sæculis antecedentibus Deus mysterio incarnationis suæ detulerit honorem.

Propositio XIV.

Quàm lætus sit dies incarnationis.

Genes. 1. 1. IN *principio creauit*, &c. Genes. 1. hæc præpositio *in*, in originali Hebræo idem est quod *propter*, vnde transferri sic potest; propter principium creauit Deus cælum & terram. Principium autem hoc loco significat Christum Dominum, qui de se ipso dixit, *ego sum principium, qui & loquor vobis.* Ioan. 8. & ita sentiunt hoc in loco genesis per principium debere intelligi Christum, S. August. hìc, & S. Ambros. in exaëm. 4. & Rupert. Abbas hìc, Iunilius Episcop. hìc, & Anastasius Synaita hìc, & alij. Propter Christum igitur æternus Pater vniuersa creauit. Diximus suprà Deum creasse cælum & terram propter hominem; hìc dicimus propter Christum; nec vlla est in dictis contradictio, quia quidem propter homines secundariò, propter Christum & honorem, vniuersa quoque, hominem ipsum & omnes Angelos fecit. Vide Patrem Franciscum Suarez id late disputantem 3. p. disput. 5. sect. 2. quapropter Christus Dominus in sacris litteris *germen* appellatur, v. g. Isai. c. 4. & 5. & 60. & Ierem. 13. & Ezech. 39. quasi dicatur fructus quem ex rerum creatione colligit Deus Pater, Filius eius homo factus censendus est. Vnde Rupert. Abbas 13. de Trinitate, c. 20. religiosè, inquit, dicendum, reuerentérque audiendum est, quia propter hunc hominem gloria & honore coronatum Deus omnia creauit. ita ille. & paulo post. Rectius dicitur non hominem propter Angelos, sed propter quendam hominem Angelos quoque factos. ita ille. Quæ omnia pro mysterio incarnationis & natiuitatis Christi deseruire possunt; tunc enim velut totius operationis Deus attigit finem, & melius quam in septimo die quieuit ab omni opere quod patrauit. Quid igitur si in tali die non solùm Ecclesia militans, sed etiam triumphans exultet? & non solùm homines, sed etiam multitudo cælestis exercitus choreas ducant, cantent, ac tripudient, & nos non tam quia redempti sumus, quàm quòd Pater ita glorificetur in filio? Quare meritò Angeli primo loco, gloria, inquiunt, in excelsis Deo, deinde pax hominibus bonæ voluntatis.

Ioan. 8.

D. Suarez.

Rupert.

Sed libet his attexere quod non solùm à Catholicis, verùm etiam à magistris Hebræorum scriptum habemus in honorem matris Christi: *Rabi Hoccados*, quod interpretatur, *magister noster sanctus*, in quodam libro, qui *reuelator arcanorum* inscribitur, sic ait: Amore matris Messiæ, & ipsius Messiæ filij eius creauit Deus mundum, ob quod arcanum dictum est. Ierem. 33. nisi pactum meum esset, diem ac noctem leges cælo & terræ non posuissem. ita ille. Quamuis enim vulgata nostra editio aliis verbis vtatur in illo Ierem. loco n. 20. hic tamen Hæbreus Doctor in magno habitus pretio apud Hæbreos, sic legit locum illum. Vt autem arcanum eius percipiatur, notandum est quod illa dictio, *pactum*, in Hebræa lingua *Berith*, dicitur, hoc est pactum. *Berith* autem constat ex litteris quæ important numerum 612. Hebræi enim litteris pro numeris vtuntur, quo etiam numero 612. constant hæc duo nomina *Iesus*, *Maria*. Sensus igitur secundùm hunc Magistrum est; *Nisi propter Iesum & Mariam mundum ego non creassem.*

Item Rabbi Anchelos hunc locum Genes. versans, *in principio creauit Deus cælum & terram*, sic dixit: *in principio*, nimirum propter sapientiam, *creauit Deus cælum & terram*, hoc est amore virginis Matris Messiæ, quæ est mundi sapientia, creauit Deus mundum, propter illam creatus est mundus, & propter illam sustentatur. ita ille. Nec mirandum est nomine *principij* hic intelligi *sapientiam*; nam S. August. super hunc locum Gen. sic interpretatur, *in principio*, id est, *in sapientia*: quod autem nomine *sapientia* intelligi possit *Maria*, ex authoritate constat Ecclesiæ, quæ ea quæ de sapientia dicuntur in libris sapientiæ maximè Ecclesiastici c. 24. applicat Dei Matri. Rectè igitur exponi potest, *in principio*, seu, *propter principium*, seu, *sapientiam*, quæ mater Dei est, Deus omnes creauit creaturas. Igitur sicut de festiuitate incarnationis & natiuitate Christi philosophati proximè sumus, ita etiam de conceptione Virginis, & eius natiuitate in suo gradu dicendum est. Et insuper hìc colligendũ est, quanto amore Deus Virginẽ prosequatur, propter quam etiam mundum creauit, & per consequens, quantum post Christum apud Deum eius valeat deprecatio; facilè enim amato concedimus postulata, & tanto minus magisve, quanto minor maiorve fuerit amor. Cum ergo super omnes creaturas Deus Virginem amet, quid illi non concedet?

Propositio XV.

In incarnatione resplendent attributa diuina.

S. Ioann. Damascenus lib. 3. c. 1. per incarnationis mysterium simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & Dei potentia demonstratur; bonitas quidem, quia non despexit proprij plasmatis infirmitatem; iustitia verò, quoniam homine victo, non alio quàm homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem; sapientia verò, quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem; potentia verò infinita, quia nihil est maius, quàm Deum hominem fieri. ita sanctus Damascenus. S. Damas.

Christi natiuitas.

1. *In natiuitate sua Christus pœnas suas pro nobis subire cæpit, & peregrinus esse.*
2. *Christus natus est filius hominis, vt nos filios efficeret Dei.*
3. *Quàm eximium beneficium Dei fuerit pro nobis nasci.*
4. *Dies natalis Christi quàm lætus sit.*
5. *Christus natus nobis non temporalia bona nobis adduxit, sed spiritualia.*
6. *Natus est Christus, vt nos à potestate dæmonis liberaret.*

7. In

7. *In natiuitate sua Christus nobis humilitatem maximè commendauit.*
8. *Quomodo pro nobis natus sit Christus.*
9. *Christus in natiuitate sua quomodo diabolum superauerit.*
10. *Quàm amabilis sit Christus natus.*
11. *Quanta animæ puritate sit celebranda natiuitas Christi.*

PROPOSITIO I.

In natiuitate sua Christus pœnas suas pro nobis subire capit & peregrinus esse.

Gen. 28. GEnes. 28. *Vocauit Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ*, &c. Quid sibi vult mistio ista, qua Isaac misit peregrè filium suum ad vxorem ducendam? S. Aug. Sanctus Augustinus serm. 29. de tempore respondet hoc loco: Dei Patris typum Isaac præfigurabat, Iacob verò Christum Dominum designabat. Ita sanctus Augustinus: & meritò, nam Deus Pater Filium suum in terram misit, vt sibi Ecclesiam desponsaret; & sicut Iacob duodecim Patriarchas filios habuit populi Israël, qui totios populi capita S.Irenæus. fuerunt, sic, vt ait sanctus Irenæus 4. contra hæreses 38. Christus duodecim Apostolos instituit, qui Patriarchæ & capita totius populi Christiani fuerunt; & sicut Iacob baculo suo transiuit vndas Iordanis, sic Christus Dominus, vt S. August. ait S. Augustin. vbi suprà, baculo crucis suæ vndas passionis suę transiuit. Sed quid est quod peregrinus tunc fuit Iacob? Christum autem quomodo peregrinum in aduentu suo dicemus, cum Deus vbique sit? Nusquam (ait S. Aug. in Ps. 149.) peregrinus est qui condidit omnia: sed tamen sicut Iacob Christum peregrinum dicere valemus, quia ab statu nostrarum pœnalitatum & humanitatis & mortalitatis quam assumpsit, longè distabat. Isa. 28. Quod & Isaias Propheta prædixit c. 28. dicens: *Sicut in monte diuisionum stabit Dominus vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Quodnam opus hoc Dei, qood suum, id est proprium, & simul peregrinum est & alienum? si alienum & peregrinum, quomodo suum? quomodo proprium? Dixerat paulò ante Isaias siue Deus per illum: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem*, &c. Quod de Christo dici manifestum est, sicut patet ex vtraque Glossa, S. Cyrillo & Lyrano. S. Cyril. Lyranus. Christus ergo à Patre missus per incarnationem facier opus suum, quia opus redemptionis & misericordiæ summæ fuit; proprium autem Dei est misereri semper & parcere. Opus etiam alienum & peregrinum est, quia quid alienum magis à Dei celsitudine, quàm flere, & in præsepio iacere, & passibilem & mortalem esse, qui impassibilis & immortalis est? Explicatio hæc Hugonis Cardinalis est, & aliorum, & præcipuè S. Greg. Papæ S. Greg. hom. 16. in Ezech. vbi exponens hunc Isaiæ locum ait: opus enim Dei est animas quas creauit colligere, & ad æternæ lucis gaudia reuocare: flagellari autem, crucifigi, mori, & sepeliri, non hoc in sua substantia opus eius est, sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum, sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Alienum ergo & proprium est opus, quia incarnatus Deus vt nos ad suam iustitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare. Ita S. Greg. Denique proprium illi fuit, si charitatem & misericordiam eius attendas; alienum, si naturam & essentiam.

PROPOSITIO II.

Christus natus est filius hominis, vt nos filios efficeret Dei.

S. Leo Papa serm. 6. de natiuitate Domini: Ideo filius Dei filius hominis factus est, vt nos filij Dei esse possemus; nisi enim ille humilitate descenderet, nemo ad illum vllis suis meritis perueniret. ita S. Leo. S.Leo. Pondera verbum illud *possemus*, non ait vt de facto eo ipso quòd filius Dei factus sit homo, nos omnes per gratiam Dei iam etiam simus filij Dei, sed *possemus*; qui loquendi modus est Euangelistæ Ioannis c. 1. Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Recipimus eum per fidem, sed vt simus filij Dei per gratiam non satis est fidem habere, sed oportet nos ex parte nostra requisita præstare, per sacramentorum perceptionem & vitiorum expulsionem, & virtutum operationem, &c. Ideo quàm plures effectu natiuitate Christi minimè fruuntur, quia quod in se est, non præstant.

PROPOSITIO III.

Quàm eximium beneficium Dei fuerit Christum pro nobis nasci.

MAgnum beneficium Patrum antiquorum fuit promissionem accepisse Christi venturi, sed considera, quàm maius beneficium sit promissis iam frui.

Moribundus Patriarcha Iacob Genes. 47. benedixit filios Ioseph; præsente ipso Ioseph, Gen. 47. *& adorauit*, inquit. *Israël Dominum conuersus ad lectuli caput?* Nunquid erat ibi aliqua Dei imago? Nequaquam. Quid ergo, vel quo pacto ibi adorauit? Etenim S. August. q. 162. in Genesin, August. hîc mysterium magnum odoratus est, & similiter S. Chrys. in cap. 7. ad Hebræos. S Chrys. Procop. Procopius, aliquid amplius explicauit, sed non sicut Apost. Paulus c. 11. ad Hebræos dicens, *Fide Iacob moriens filiorum Ioseph singulos benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius.* Quid igitur habebat fastigium virgæ Ioseph, quia illud adorauit? ex Propheta Isaia cap. 12. constabit, vbi Isai. 12. ait: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* S.Hiero. Sanctus Hieronym. per virgam, Mariam virginem intelligit; per florem, Christum Dominum, qui in canticis Canticorum dicit: *Ego flos campi.* Liquet iam quid adorauerit Iacob in virga Ioseph, Christum scilicet Dominum, sed tamen adorauit eum tanquam florem, seu in flores; *adoro te co-*

adorole como en flor, no como en fruto aun, quia sicut flos est spes fructus, ita Christus erat tunc in flore, & in spe tantùm, *passoseles a ellos Christo señor nuestro en flor, en esperança*. Nos autem Christum in fructu habemus. Vnde Luc. 1. dixit Elizabeth Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui*, non ait, *flos*, sed *fructus*. Fuit Christus promissus patribus antiquis, nobis autem exhibitus, nobis datus, nobis natus.
S. Aug. S. August. ser. 32. de verbis Domini secundùm Lucam: Non dictum est Ecclesiæ, *vide filia & audi*, sed, *audi & vide*: audi prædicta & vide completa; non erat Christus natus de virgine, promissus est, & natus est; non erant miracula eius, promissa sunt, & fecit; nondum erat passus, promissum est, & factum est; non resurrexerat, prædictum est & impletum est. ita S. August. & similiter
S. Berd. S. Bernard. expendens hoc speciale Dei beneficium in nos, ait ser. 2. de Epiphania: Multifariè, multisque modis loquebatur Dominus in Prophetis: *Ego*, inquiens, *cogito cogitationes pacis & non afflictiones*. Sed quid respondebat homo afflictionem sentiens, & pacem nesciens? Quousque dicitis: *pax, pax, & non est pax?* Ecce nunc non promissa sed missa; non dilatata sed data; non prophetata sed præsentata. Ita S. Bernard. & denique hoc idem expendens Apostolus ad Hebræos 11. de fide antiquorum patrum agens, ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed à longè eas aspicientes & salutantes.* Vnde moriens Iacob Patriarcha dixit: Salutare tuum expectabo Domine; *murieron con la fey esperanza de Christo mas no con la posesion como nosotros.* Habuerunt illi promissionem, nos verò habemus promissum; illi vmbram, nos corpus; illi figuram, nos figuratum; illi spem, nos possessionem; illi florem, nos fructum; sit Dominus in sæcula benedictus, & gratiam nobis exhibere dignetur, qua tanti beneficij fructum excipiamus, & debitas ei gratias pro viribus exhibeamus.

Genes. 17. *Apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ei, ambula coram me & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me & te, cecidit Abraham pronus in faciem.* Quodnam est fœdus hoc, propter quod sic cecidit Abraham pronus in terram? Rupert. lib. 15. in Genes. c. 29. In Christo est hoc pactum, bene quidem cecidit in faciem adorans nempe & gratias agens. ita ille. Promiserat iam Dominus Abrahæ ex semine suo Christum Dominum nasciturum, nunc promissionem opere confirmat, & propterea se facie in terram demisit, quasi pondus tanti beneficij sustinere non valens: quod si Abraham in lege illa naturæ, & tam à longe, tam gratum se Deo exhibuit, quid nos facere oportet. Christiani cum simus, qui non iam in spe, sed in possessione degimus muneris tanti? Ideoque in Missæ officio cum in Symbolo dicitur, *& homo factus est*, omnes flectimus genua, pondere tanti beneficij deuincti, & grauati. sit ille in secula benedictus.

Sanctus Bernard. ser. 1. in vigil. Natiuitatis Christi ponderans verba illa huius vigiliæ in eius Kalenda, *Iesus Christus filius Dei nascitur in Bethlehem Iudaæ*, singula verba expendens, maximè illa tria priora, *Iesus Christus filius Dei*, sic ait: Ecce Dominus venit cum salute, venit cum vnctione, venit cum gloria; neque enim sine salute Iesus, neque sine vnctione Christus, neque sine gloria venit filius Dei; siquidem ipse salus, ipse vnctio, ipse gloria: respirate ergo perditi, venit enim Iesus saluum facere quod perierat; morbidi conualescite, venit enim Christus qui contritos corde sanat vnctione misericordiæ suæ; exultate quicumque estis grandia concupiscentes, descendit enim ad vos filius Dei, vt regni sui faciat cohæredes. Hæc tria, dilectissimi, sapit mihi: quod audio nasci Iesum Christum filium Dei. Ita Sanctus Bernardus.

Nos igitur modò hæc tria maxima beneficia expendamus; nos enim plenè respiciunt, quæ quidem tribus quibus maximè egebamus respondent. Indigebamus enim primo remissione peccatorum: ô quanta hæc indigentia! ponderet qui rectè nouit quid sit in peccato & sine gratia esse; esse ne potest miseria maior? In huius igitur remedium venit Iesus, hoc enim importat hoc nomen, dicente Angelo ad Ioseph, *vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Secundò per peccatum mansit in nobis debilitas, & infirmitas magna cordis, propter vehementes appetitus passionesque; mittat vnusquisque nostrûm manum in sinum suum, & quàm sit lepra interior ipse testetur; in huius mali antidotum venit Christus; Christus enim vnctum significat: vnctione igitur spiritus sui sanat omnes infirmitates nostras. Tandem post remissionem peccati, post sanationem passionum, æterna egebamus gloria, hanc secum attulit nobis filius Dei qui potens est depositum nostrum seruare in illum diem, &c. Hæc tria sunt de quibus & pro quibus Dauid Psal. 102. ingentes gratias referebat, dicens: *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Quænam sunt hæ retributiones? Subdit: *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum*; in gloria scilicet quam spero; ecce tria hæc immensa beneficia, quæ Christus attulit nobis. Noli ergo tu obliuisci retributiones tantas.

S. Theod. q. 24. in Exod. sic quæstionem proponit super c. 12. Exodi: Quare Deus præcepit Hebræis ad fugam ex Egypto præparatis Pascham celebrare? Et respondet: Perpetuam seruari voluit salutis memoriam. Propterea dum legem conderet, inquit: Cum interrogarit te filius tuus dicens, quid est Pascha? Respondebis quod hodierna die Dominus eduxit Patres nostros ex Ægypto, & redemit primogenita nostra, quando perdidit, & percussit primogenita Ægyptiorum: hac de causa præcepit festum hoc celebrari. ita ille. Vbi nota in vulgata nostra non eodem modo locum hunc haberi, sed ita legit Theodoretus ex Hebræo: si ergo eductionem ex Ægypto, & profectionem in terram promissionis sic Deus voluit obseruari, & tanquam Pascha celebrari, quali nos obseruatione oportebit celebrare eductionem & liberationem ex captiuitate peccati, & profectionem in cœlum? &c. Et subdit idem sanctus: Cum lactucis agrestibus agnum manducari iussit, in memoriam durissimæ seruitutis & acerbissimæ vitæ in Ægypto transactæ. ita S. Theod. ô quanta nos deuotione & in Deum amore beneficium redemptionis nostræ celebraremus, si acerbitatem seruitutis peccati à qua nos Dominus liberauit, consideraremus attentè, & cælestis gratiæ & gloriæ reparationem. Theodor

PROPO

Propositio IV.

Dies natalis Christi quàm lætus sit.

Gen. 17. GEnes. 17. sic Dominus ad Abraham; *Omne masculinum in generationibus vestris tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra.* Si circumcisio signum fœderis seu amicitiæ erat: inter Deum & Abraham, cur non solum Abraham circumcidi, verùm omnes circumcidi iubet? Respondet Glossa ordin. Seruos etiam vernaculos & emptitios circumcidi præcepit Dominus, vt doceret ad omnes pertinere redemptionis gratiam. ita glossa, quæ in sensu allegorico supponit datum fuisse circumcisionis signum, in signum redemptionis nostræ, per Christum, quam ad vernaculos & ad emptitios seruos & ad gentiles extendi voluit Dominus. Quare huius Diei lætitia ad vniuersos pertinet Adæ filios, vnde Angelus ad pastores Luc. 2. *Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo*, &c. non ait, *vobis tantum*, sed *omni populo*. Et S. Leo Papa serm. 1. de natiuitate Domini: Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus; neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ, quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam: nemo ab huius alacritatis participatione secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster, peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet ergo sanctus, quia appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam; animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. ita S. Leo. Ecce qualis quantaque sit (nemine excepto, lætitiæ ratio; etenim non omnibus Deus diuitias concessit, nec generis claritatem, nec aliorum bonorum mundi copiam, quæ quid refert, si homo non saluetur? quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Sic etiam dicam ego: quid obest homini quod rebus omnibus mundi careat, si saluatur? Deo igitur æternas gratias qui pauperes & seruos & reliquos omnes in redemptionis & saluationis causa pares & æquales fecit.

S. Leo

Genes. 21. vocauit Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara Isaac. Isaac autem interpretatur *risus*, siue *gaudium*. Isaac (ait S. Chrysostom. in Imperf. hom. 1. fuit per omnia mysterium Christi: sicut Isaac ligna portabat vbi fuerat incendendus, sic & Christus lignum portauit vbi erat crucifigendus: & sicut Isaac non restitit Patri eum cum occidere vellet, sic nec Christus contradixit Patri, sed paratus respondit. *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste, sed non sicut ego volo, sed sicut tu Pater.* Sic etiam sicut vocatus est Isaac, quia suis parentibus gaudium fuit, sic & Christus natus est in gaudium multis, sicut dicit Angelus ad pastores: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis saluator.* Ita ille. Vbi nota exaggerationem in ore Angelico, *gaudium*, inquit, *magnum*; nimirum, quia in huius comparatione cætera gaudia mundi non magna, sed perexigua sunt; gaudia multa habuit diues ille auarus, sed non magna; & sicut magna est infelicitas eius modò & magnus in inferno dolor, &c. Talem verò ac tantum saluatorem habere, gaudium ab Angelo appellatur, quia gaudium magnum in saluatione consistit. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur? Conatur quidem hostis inutiles nobis esse dies istos.

S. Leo serm. 3. de ieiunio: Inimici nostri, qui nostra sanctificatione torquentur, in his diebus quos ad maiorem obseruantiam nobis dispositos esse nouerunt, vehementius sæuiunt, & subtiliori insidiantur astutia. ita S. Leo, qui loquitur ibi de quatuor temporum diebus, sed tamen idem & eadem ratione de festiuis diebus natalis Domini est dicendum.

S. Leo Papa serm. 2. de Christi natiuitate. Quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur. ita ille.

Propositio. V.

Christus natus nobis non temporalia bona nobis adduxit, sed spiritualia.

AVarum genus humanum temporalia potiùs, quàm spiritualia bona desiderat, quærit, & postulat à Deo. Venit ad nos filius Dei, & mundus eum non recepit, sed abiecit, *nolumus*, dicebat, *hunc regnare super nos.* Cur ita? Nonne videtis miracula, quæ operatur, sapientiam quam docet, æterna bona, quæ promittit, quique peccata dimittit? Respondet S. Chrysost. homil. 2. in acta Apost. Messiam quærebant, qui eos ditare, non qui eos sanare posset. ita ille. Quærite primùm regnum Dei, aiebat Christus, illi verò non primùm Regnum Dei, sed opes terræ volebant; eadem ergo ratione mundi & sæculi huius filij in oratione maiori feruore terrena postulant, quàm æterna.

Propositio VI.

Natus est Christus, vt nos à potestate diaboli liberaret.

ADuenientibus Magis Hierosolymam, *turbatus est Herodes Rex, & omnis Hierosolyma cum illo.* Cur ita? Si enim sic à Deo statutum esse, & in sacris litteris sic Prophetatum, cur Herodes vsque ad necem crudelissimam innocentium, imò & ipsius Christi Domini turbatur? quî posset ille Dei decretum infirmare? Et id magis mirum, quòd Hierosolyma omnis cum illo turbetur, cum illos gaudere oporteret, cum Christum redemptorem suum crederent futurum. Respondet S. Chrysost. homil. 2. in imperfecto: Existimo quòd non tantum hæc turbatio ab Herode, quantum à diabolo procedebat; Herodes enim timebat, quod suspicabatur, diabolus autem timebat, quia iam audierat Angelos clamantes in aëre, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; ideo magis timebat diabolus potestatis suæ destructionem; Iudæi verò turbabantur timentes, ne forte iratus Herodes Iudaico regno genus eius vexaret. Nam sicut certantibus ventis mare concutitur, sic certantibus S. Chrys. Simile.

tantibus Regibus populi turbantur; vnde & ipse diabolus fecit vt scribę interrogarentur, vbi secundùm scripturas Christus nasci deberet. Vt quid enim sic interrogaret Herodes, qui scripturis non credebat? sed instigabat diabolus, qui credebat quòd scripturæ non mentirentur. Denique hæc turbatio à diabolo promanauit instigante Regem & populum eius: timebat enim imperij sui destructionem à Christo.

Propositio VII.

In natiuitate sua Christus Dominus nobis humilitatem maximè commendauit.

Ps. 17. S. Hieron. PSal. 17. *Inclinauit cælos & descendit, & caligo sub pedibus eius.* S. Hieron. & alij locum hunc de aduentu Christi interpretantur, vbi duo notanda occurrunt. Primum est, quòd quando Christus Dominus carnem assumpsit, secum cælos inclinauit, ipse se in terram inclinauit & secum cælos; quomodo cælos inclinauit? S. Hier. sic respondet: Cæli sunt Angeli qui inclinati sunt, quando venit Christus in carne velatus. ita ille. Ita quidem, quia tunc facta est multitudo cælestis exercitus cantantium & dicentium, *Gloria in altissimis Deo*, &c. Inclinauit igitur Christus tunc ad nos velocitatem Angelorum, Principatuum excellentiam, Thronorum maiestatem, Cherubinorum scientiam, & Seraphinorum charitatem. Inclinauit ad nos etiam potentiam Patris & amorem Spiritus sancti: inclinauit ad nos sedes illas quas præ altitudine contingere non poteramus. Quid igitur cælestium secum ad nos non inclinauit? sit ille in sæcula benedictus.

Sed non contenta maiestas illa tanta, quòd sic se per incarnationem voluerit inclinare, iterum se inclinauit magis. Audi Euangelistam, *& reclinauit eum in præsepio*: non ait, *inclinauit*, sed *reclinauit*; reclinare autem idem est, quod iterum inclinare, & quidem non solùm iterum, sed amplius se inclinauit quàm per incarnationem, quando vsque ad vile tugurium & vsque ad præsepium se inclinauit. Cur se adeo inclinauit? etenim vt nos pariter inclinaret, clamat exemplo quod postea prædicaturus est verbo: humiliat se

S. Ber. modò vt nos secum humiliet, vt ait sanctus Bernardus.

Psal. 7. Orabat Dauid Dominum dicens Psalm. 7. *Descende Domine in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.* Aduentum Filij Dei postulat hoc loco Dauid, & specialiter petit vt descendat implens præceptum quod ipse mandauit. Sed quodnam, inquies, est hoc præ-

S. August. ceptum, quod ita seruari mandauit? sanctus Augustinus sic exponit: *Descende in præcepto quod mandasti*, id est, quia humilitatem præcepisti, humilis appare, & tu prior imple quod præcepisti, vt exemplo tuo vincentes superbiam non possideantur à diabolo, qui aduersus tua præcepta persuasit dicens: Manducate, & aperientur vobis oculi, & eritis sicut Dij. ita S. August. Subdit autem Dauid, *& synagoga populorum circumdabit te*; quasi dicat: Quis in populis terræ humilis non erit? quis non libenter humilitatem amplectetur, videns Dominum nostrum in stabulo & præsepio sic humiliatum? *Discite*, inquit, *à me quia mitis sum & humilis corde.* Non igitur est discipulus Christi, qui humilitatem non profitetur.

Propositio VIII.

Quomodo pro nobis natus sit Christus.

ISai. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Habet emphasim magnam pronomen illud *nobis*, vti expendit S. Bernard. hom. 3. *super missus est*, &c. dicens: Nobis, inquam, non sibi, qui vtique ante tempora multo nobiliùs natus ex patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre; non Angelis quoque qui cum magnum eum haberent, paruulum non requirebant; nobis ergo natus, nobis & datus, quia necessarius nobis. ita S. Bern. Quantum sit beneficium nec æstimare possumus, nec explicare: hoc tamen curandum nobis est valde, ne tantam gratiam in vanum imò in præiudicium nostrum recipiamus. Rectè huc animaduertit ibidem S. Bern. dicens: Si nobis Christus est natus & datus, vtamur nostro in vtilitatem nostram, de saluatore salutem operemur; paruulus natus est nobis, studeamus fieri sicut paruulus iste: discamus ab ipso, quia mitis est & humilis corde, ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lauemur in sanguine eius, & ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris, quoniam ad hoc ipse natus & datus est nobis; ipsum oculis Patris offeramus & suis, æqualiter ab vtroque sperāda est venia, quibus æqualis est in pietate, & misericordia, quia & Pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, & ipse filius semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit vt non perirent. ita sanctus Bernard. Isa. 9. S. Bern.

Propositio IX.

Christus in natiuitate sua quomodo diabolum superauerit.

GEnes. 3. sic Dominus ad serpentem antiquum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum*, vel, *ipsum conteret caput tuum.* Cur ita? S. Leo Papa serm. 1. de natiuitate Christi: quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, & se in malis suis, quoddam de præuaricatoris consortio solatium inuenisse; Deum quoque erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam, opus fuit dilectissimi secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas non potest sua benignitate priuari) primam pietatis suæ dispositionem, sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret. ita S. Leo.

***

PROPO

PROPOSITIO X.

Quàm amabilis sit Christus natus.

ad Tit. 3. AD Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Ponderans verba hæc S. Bernard. serm. 1. de natiuitate Domini

S. Ber. air: Apparuerat antea potentia in rerum creatione, sapientia in rerum gubernatione, innotuerat Iudæis potestas in signis atque portentis; vnde in ea lege sæpius inuenies, *Ego Dominus, ego Deus.* Philosophis etiam maiestas innotuit, quoniam iuxta Apostoli verba, *quod notum est Dei, manifestum est in illis*: Sed nunc apparuit nobis benignitas Saluatoris. Quid tu times ô homo? quid trepidas à facie Domini quoniam venit? venit non iudicare sed saluare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam seruo vt furtum tolleres, & imponeres Regium diadema capiti tuo, deprehensus in furto quidni timeres? quidni fugeres à facie Regis? fortè iam gladium vibrabat ignitum, sed nunc noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non venit ad puniendum sed saluandum requirit, & ne dicas nunc: Quia vocem tuam audiui, abscondi me; ecce infans est; ac sine voce, & vagientis vox miseranda magis est, quàm tremenda. ita sanctus Bernardus.

PROPOSITIO XI.

Quanta animæ puritate sit celebranda natiuitas Christi.

S. Leo. FEsta principaliora præcipua sunt deuotione, & animæ puritate celebranda. Audi S. Leonem serm. 3. in Quadragesima: Semper nos, dilectissimi, sanctè viuere decet, & in id voluntates nostras, & actiones dirigere; sed in his diebus, quæ illustriores nobis salutis nostræ Sacramenta fecerunt, diligentiori solicitudine sunt corda nostra mundanda, & studiosiùs est exercenda disciplina virtutum; vt sicut ipsa mysteria maiora sunt, ita & nostra obseruantia superet in aliquo consuetudinem nostram; & cui festiuitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile, & quodammodo religiosum videtur in die festo in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, & Dei templum propensiore cura & ampliore cultu quantum possumus adornamus; nonne dignum est vt anima Christiana, quæ verum & viuum Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & nulla eam macula iniquitatis offuscet? nam quid prodest homini cultus exterior, si eius interiora sordeant contaminatione peccati? Scrutetur igitur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat, & censura iudicij videat in secreto cordis sui, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, & quàm citò ab his, quæ noxiè blandiuntur, animum abducit. ita sanctus Leo.

***

Labata loci Mor. Tom. I.

Circuncisio Christi.

1. *Christus sanguine suo nos redemit.*
2. *Circumcisio Christi, quàm admirabile opus Dei sit.*
3. *Quàm decens fuerit circumcisio Christi.*
4. *Circumcisio Christi amorem eius in nos manifestat.*
5. *Circumcidi voluit Christus vt diminutam suam diabolo celaret redemptionis nostræ causa.*
6. *De circumcisione nostra spirituali.*

PROPOSITIO I.

Christus sanguine suo nos redemit.

PSalm. 27. sic ad Dominum Dauid: *Protector meus*, &c. Vbi sanctus Hieron. sic ex Hebræo traducit. *Sol & clypeus Dominus.* Eodem modo transfert Psalm. 30. n. 5 & Psalm. 83. n. 12. quod de Domino nostro Iesu Christo propriissimè dici potest. Ipse nobis sol; quia sicut sol mundum vniuersum illustrat, sic Christus, Ioan. 1. *illuminat hominem venientem in hunc mundum.* Er vsque hodie nos Euangelio suo illuminat & illuminabit vsque in finem sæculorum. Est etiam scutum nostrum; sicut enim scutum hominem protegit & defendit ab ictibus ferientis, & tamen scutum manet confractum, *que da que brado y echo rasas*; sic cum diuina iustitia aduersus nos peccatores militaret, se Christus mediator opposuit tanquam scutum vt protegeret nos, quo ipse attritus mansit propter scelera nostra, nos tamen eo protecti salui manemus. Psalm. 27. S. Hiero. Simile.

PROPOSITIO II.

Circumcisio Christi, quàm admirabile opus Dei est.

GEnes. 28. *Vocauit Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ*, &c. Quid sibi vult missio ista, qua Isaac misit peregre filium suum ad vxorem ducendam? sanctus Augustinus serm. 79. de tempore respondet: Isaac hoc loco Dei Patris typum præfigurabat, Iacob verò Christum Dominum designabat. Ita sanctus Augustinus: & meritò, nam Deus Pater Filium suum in terram misit, vt sibi Ecclesiam desponsaret; & sicut Iacob duodecim Patriarchas filios habuit populi Israël, qui totius populi capita fuerunt, sic, vt ait sanctus Ireneus 4. contra hæreses 38. Christus duodecim Apostolos instituit, qui Patriarchæ & capita totius populi Christiani fuerunt; & sicut Iacob baculo suo transiuit vndas Iordanis, sic Christus Dominus, vt ait S. Augustin. vbi suprà, baculo crucis suæ vndas passionis suæ transiuit, sed quid est quod peregrinus tunc fuit Iacob? Christum autem quomodo peregrinum in aduentu suo dicemus, cum Deus vbique sit? Nusquam (ait S. Aug. in Ps. 149.) Genes. 28. S. August. S August.

peregrinus est qui condidit omnia: sed tamen sicut Iacob Christum peregrinum dicere valemus, quia ab statu nostrarum pœnalitatum & humanitatis & mortalitatis quam assumpsit, longè distabat. Quod & Isaias Propheta prædixit c. 18. dicens: *Sicut in monte diuisionum stabit Dominus vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Quodnam opus hoc Dei, quod suum, id est proprium, & simul peregrinum est & alienum? si alienum & peregrinum, quomodo suum? quomodo proprium? Dixerat paulò ante Isaias siue Deus per illum: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem,* &c. Quod de Christo dici manifestum est, sicut patet ex vtraque Glossa, S. Cyrillo & Lyrano. Christus ergo à Patre missus per incarnationem faciet opus suum, quia opus redemptionis & misericordiæ summæ fuit; proprium autem Dei est misereri semper & parcere. Opus etiam alienum & peregrinum est, quia quid alienum magis à Dei celsitudine, quam flere, & in præsepio iacere, & passibilem & mortalem esse, qui impassibilis & immortalis est? Explicatio hæc Hugonis Cardinalis est, & aliorum, & præcipuè S. Greg. Papæ hom. 16. in Ezech. vbi exponens hunc Isaiæ locum ait: opus enim Dei est animas quas creauit colligere,& ad æternæ lucis gaudia reuocare. flagellari autem,crucifigi, mori, & sepeliri, non hoc in sua substantia opus eius est, sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum, sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Alienum ergo & proprium est opus, quia incarnatus Deus vt nos ad suam iustitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare. Ita S. Greg. Denique proprium illi fuit, si charitatem & misericordiam eius attendas; alienum, si naturam & essentiam.

Isa 18.

Hugo. S. Greg.

De Pelicano fertur, quòd cùm filij eius morsu mortifero à serpente afficiuntur, rostro proprio sanguinem suum extrahit, & eo vulnera filiorum curat: est enim antidotum contra venena serpentis; & quia ex amissione sanguinis debilis & exanguis remanet mater, filij ad cibos matri quærendos properant, gaudet tum mater filiorum: quod si aliquis eorum non curat idem quod alij in obsequium matris, seu patris præstare, pelicanus ingratitudine eius permotus, rostro filium illum ingratum percutit & occidit. Christus Dominus pelicanum se vocat Psalm. 101. *Similis*, inquit, *factus sum pelicano solitudinis*, vbi sanctus August. Pelicanus Christus dicitur, qui sanguine suo viuificat pullos suos. ita ille. Cum igitur nos serpentis veneno infectos sanguine suo sanauerit, meritò à nobis gratitudinem exigit: quòd si aliquem viderit ingrato animo aduersus eum peccatis mortalibus insurgere, meritò illum vita æterna priuabit.

Psal. 110. Simile. S. Aug.

Propositio III.

Quàm decens fuerit circumcisio Christi.

Ps. 92. PSal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* S. Hieron. Cassiodorus & alij de Christo Domino locum istum interpretantur; & S. Ambros. qui lib. 1. offic. cap. 45. Qui venerat, inquit, in forma serui, & in hominis specie, assumpsit decorem, & ideo dixit Propheta: *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Ita S. Ambros. Sed insurgit nunc dubium, quomodo Christus Dominus carnem assumens fuerit decorem indutus, cùm potius de ipso Isaias dicat cap. 53. *Non species ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus.* Quo igitur pacto, ait Dauid, quia induit decorem? Cassiodorus respondet: Decorem induit Christus, quando transfiguratus est in Monte Thabor. S. Hieron. cum resurgens à mortuis, Sanctorum sibi chorum adiunxit. ita ille. Ita quidem, sed liceat dicere etiam decorem induisse Christum, non solùm in transfiguratione sua & resurrectione sua, & com miracula operabatur; sed etiam in humiliatione sua, cum scilicet in præsepio iacebat, & cum in circumcisione habitum non solùm serui, sed etiam peccatoris præferebat, & in passione in cruce inter latrones pendens, ibi vbi ait Isaias, quod *non erat ei decor.* Duplex enim distinguenda est Christi Domini consideratio, in quantum scilicet Deus omnipotens & rerum omnium creator est, & Iudex noster, & in hac consideratione præcisa alienum, & peregrinum est ei humiliari, & pati, & nihil ad decorem eius pertinens. In quantum verò Saluator noster est,decebat illum sic humiliari, sic pati, sic mori; vnde talis humiliatio & passio ad decorem eius valde pertinens est: Sicut si Rex sedeat in solio gloriæ suæ,sceptrum,corona & purpura congruunt ei; si verò ad bellum procederet, arma offensiua & defensiua illi conuenirent: si autem mutata veste vellet ignotus pergere ad redimendos captiuos: at si esset homo communis & mercator, veste communi, & mercatori congruente incedere illum opporteret. Cum igitur Christus Dominus inter Angelos, in throno maiestatis constitutus glorificatur, maiestas & gloria illum decet: at cum ad bellandas aëreas potestates arma bellica, & cum ad redimendos captiuos ignotus venire dignatus est, oportebat illum humiliari, pati & mori. Hæc enim sunt media redemptionis nostræ; quare hoc præstans decorem indutus est, & fortitudinem etiam, quia humiliatione, & passione, & morte sua, mortem, & peccatum, & diabolum vicit; victoria autem ad fortitudinem spectat. Dicat ergo de Christo Domino Dauid, *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.*

S. Ambr.

Propositio IV.

Circumcisio Christi amorem eius in nos manifestat.

MAtth. 1. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Miratur hic sanctus Chrys. & ait: Quid agis ô Euangelista? Quid nobis infers talis historiæ recordationem, in qua turpe adulterium continetur? Respondet illicò sanctus: Si nudi hominis genus quis referret, meritò id reticuisset; si verò de genere incarnati Dei, non modò tacere ista, verùm ostentare debet: venit enim non vt nostra fugeret opprobria, sed vt tolleret ea. Sic etiam, sed mirabilis iudicatur, non tam ex eo quòd mortuus est quàm ex eo quòd crucifixus est: quanquam res ista sit exprobratione plenissima;

Matth. 1. S. Chrys.

plenissima: sed quanto magis exprobrabile istud est, tanto magis ostendit illum esse hominem amatorem. Sic etiam in generatione Christi dici potest, quia non solùm quia suscepit carnem & homo factus est, admiratione sit dignus; sed quia etiam tales cognatos habere dignatus est, nihil ob mala nostra erubescens. ita ille. Idem etiam de circumcisione dici potest, habet enim abiectionem magnam circumcisio, amplius quidem quàm ex his progenitoribus discendisse: illud enim opprobrium generis est, hoc personæ: supponere enim videbatur peccatum originale in Christo. Cuiusuis autem peccati dedecus & maius & grauius est secundùm se, & secundùm æstimationem veram, quàm quæuis generis nota, imo & quàm fuisse Christum crucifixum, eo modo quo fuit: licet enim crucifigi titulo malefactoris res indigna valde sit, in cruce tamen Christi prodigia talia interuenerunt, & miracula, & mirabilia, vt & latro conuersus sit, & Centurio dixerit, *verè filius Dei erat iste*, & alij reuerterentur percutientes pectora sua. In circumcisione verò nihil tale visum est, quod circumcisionis notam resarcire videretur.

Psal. 101. Psal 101. *Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio*: locum húc

S. Epipha. de Christo Domino interpretantur S. Epiphan.

S. August. in Physiologo, & S. Aug. in hoc psal. in quo duabus se auibus Christus Dominus comparauit pe-

Cassiodor. licano & nycticoraci. *Nycticorax* ait Cassiodorus) Græco vocabulo dicitur *nocturnus coruus*, quem quidam *noctuam* esse dixerunt, quæ nocte quærit escas. ita Cassiod. Hoc supposito Christus (inquit S. August.) dicitur nycticorax, quæ à Iudæis tanquam ab stantibus in nocte ignorantię & nescientibus quid facerent, occisus est. ita ille. *Pelicanus* autem Ægyptis auis est, quæ sanguine suo mortuos filios reuocat ad vitam. Vnde S. August. Pelicanus Christus dicitur, qui sanguine suo viuificauit nos. ita ait S. August. Pelicani omnes mirantur amorem erga filios, quia vt eis tribuat vitam, sanguinem suum effundere non detrectat: sic est Christi in nos amor: hinc mirè patescit, quòd sanguinem suum etiam vix natus pro nobis effundere non dubitauerit, pro nobis, inquam, non filiis amore dignis, sed inimicis supplicium promerentibus; nonne charitatem suam eximium in nos sic valde commendat?

Propositio V.

Circumcidi voluit Christus, vt diuinitatem suam diabolo celaret redemptionis nostræ causa.

INter varia Christi nomina, leonis nomen cōnumeratur: de eo quippe dictum est Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*, & Genes. 49. *Catulus leo-*

S. Epipha. *nis Iuda*, &c. In quo, inquies, assimilatur leoni Christus? S. Epiphan. in Physiologo: Cum leo, inquit, in monte oberrat & venatorem odoratur, sua vestigia cauda obtegit, ne illis insistentes venatores lustrum inueniāt atque ipsum capiant. Sic Dominus noster Iesus Christus spiritualis leo, qui vicit ex tribu Iudæ radix Dauid à Patre missus, sui ipsius spiritualia vestigia cooperuit, id est, diuinitatem suam; se enim exinaniuit, vt saluaret deceptum hominum genus. ita ille. Etenim Dominus Iesus exinaniuit se maximè in circuncisione sua; exinaniuit se in baptismo, sed ibi & columba super caput eius constituta, & vox Patris manifestauit; exinaniuit se in cruce, sed ibi eclipsis Solis, & terræ motus ingens, & lapidum collisio, & veli scissio, & mortuorum resurrectio diuinitaté eius propalabant: at in circuncisione sua non solùm formam serui, sed etiam peccatoris assumens, nullo miraculo diuinitas eius apparebat. Ibi ergo se maximè exinaniuit. Cur ita? nimirum vt diabolo qui vestigiis suis insistebat, vt eum agnosceret, & an verus Deus esset sciret, opera eius considerabat, sic celaretur, visurus erat hostis miracula Christi, quæ Deum illum esse præseferebant. Ne igitur ex miraculis deitatem agnosceret, peccatoris vestem in circumcisione induere voluit; vt ita diceret hostis: Si Deus esset, formam peccatoris non accepisset; abhorret enim prorsus peccatorum vmbras Deus.

At dices: Cur diuinitatem suam diabolo celare voluit? Quia si diabolus Christum Dominum Deum agnouisset, nunquam eum crucifigere fecisset: Christus autem pro nobis crucifigi volebat, ideo ab illo deitatem suam occultabat. O charitas! ô amor verè Deo dignus! sic Christus nos dilexit, vt modos, & inuentiones adinuenerit, quibus crucis mortem pro nostra redemptione subiret. Vtinam & nos pro eius amore aliquid pati desideremus.

Propositio VI.

De circumcisione nostra spirituali. Genes. 17.

Lyranus. GEnes. 17. præceptum circumcisionis dedit Deus Hebræis, causam verò assignans sit: *vt sit in signum fœderis inter me & vos*. vbi Lyranus: Circūcisio signum fecit Israelem à gentilibus distinguens. ita ille. Sed à circumcisione corporali ad spiritualem ascendo: dixerim ego esse quidem signum prædestinatos à reprobis distinguens; est enim circumcisio spiritualis cordis circumcisio, qua affectus deordinatos circumcidimus & moderamus, reprobi autem effrænatè appetunt corporalia bona & voluptates, sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Quis non dicat hoc reproborum signum esse? prædestinati autem sensus & potentiæ interiores circumcidentes ita moderantur passiones, vt rationi obediant.

Genes. 17. Punit Deus præceptum circumcisionis. Rationē huius institutionis reddit Abrahæ dicens: *vt sim Deus tuus & seminis tui post te*, hoc est, erit circumcisio hæc signum inter me & Glossa vos, quòd ego sim Deus vester. Cur non aliud signum benignius apposuit, & non circumcisionis, in qua sanguis effundebatur? Respondet glossa ordinaria: Non intendebat Deus vt tantùm præputium carnis circumcideretur, sed cordis. Circumcidamus ergo labia, ne aliquid indecens dicamus: circumcidamus ergo manus, ne mala faciant: pedes, ne in malum currant; visum, ne illicita concupiscat; gustum, vt ad gloriam Dei manducet & bibat; & sic reliquos sensus & potentias, vt in officiis suis seruiant Deo. Ita Gloss.

):(

Passio Christi.

1. *Passio Christi amorem eius in nos manifestat.*
2. *Passio Christi cælum nobis aperuit*
3. *Christus morte sua à morte æterna nos liberauit.*
4. *Passio Christi spem remissionis peccatorum nobis prabèt.*
5. *Quàm ingens beneficium sit Christi passio.*
6. *Passione Christi creuit Ecclesia.*
7. *Quàm fortiter tulerit Christus passionem suam in nostrum exemplum.*
8. *Consideratio attenta passionis Christi remedium peccatorum est.*
9. *Quanta cum deuotione passionem Christi celebrare debeamus.*
10. *Passio Christi conducit nobis ad omnes labores perferendos.*
11. *Passione sua Christus de inimicis suis & nostris victoriam reportauit.*
12. *Quàm honorifica Christo fuit Passio.*

Propositio I.

Passio Christi amorem eius in nos manifestat.

Ioan. 15.



Oannis 11. in morte Lazari *lachrymatus est Iesus.* A derant autem nonnulli, qui lachrymas Christi Domini videntes dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum,* Lazarum nempe. Verè quidem vel vna lachryma Christi pro nobis eff ssa magnum erga nos sui amoris testimonium fuit; quanto magis cruciatus tot, & tanti,& denique in cruce mors? Etenim cum Rebecca filium Iacob suum hortaretur vt patris benedictionem furaretur, priùs quàm frater eius Esaü eam obtineret, timere se dixit Iacob, ne pro benedictione sic occulté obtenta, maledictione Patris feriretur. Ad quem sic mater: *in me,* inquit, *sit ista maledictio fili mi.* Ponderat locum istum Isidorus Pelusiota lib.2. Epistolar. epistola 38. Rebecca Apostolica, (Isid Pelusiota.) vt sic loquar, imprecationem illam suscipere minimè dubitauit, vt filius suus benedictionem Patris consequeretur, atque bonis quidem filio cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata, dicens, *in me sit ista maledictio fili mi.* ita ille. Quod si tantus censetur amor iste matris in filium, & filium magno amore dignum, nullo discrimine vitæ tunc interueniente; quantus dicendus erit amor Christi Dei nostri intercedente sæua illa passione & morte sua, & hoc pro peccatoribus & inimicis? Meritò quidem expendens ista dixit Apost. ad Roman. 5. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum ad huc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* (Rom. 5.)

Mat. 1. *Iudas autem genuit Phares & Zaram, de Thamar.* Miratur hic S. Chrysol. & ait: Quid agis ô Euangelista? Quid nobis infers talis historiæ recordationem, in qua turpe adulterium continetur? Respondet illico sanctus: Si nudi hominis genus quis referret, meritò id reticuisset: si verò de genere incarnati Dei, non modo non tacere ista, verum ostentare debet: venit enim non vt nostra fugeret opprobria, sed vt tolleret ea: sic etiam, sed mirabilis iudicatur, non tam ex eo, quòd mortuus est, quam ex eo, quòd crucifixus est: quanquam sit res ista exprobratione plenissima, sed quāto magis exprobrabile istud est, tanto magis ostendit illum esse hominum amantem. Sic etiam in generatione Christi dici potest, quia non solùm, quia suscepit carnem & homo factus est, admiratione sit dignus, sed quia etiam tales cognatos habere dignatus est, nihil ob mala nostra erubescens. ita ille. Idem etiam de circumcisione dici potest: habet enim abiectionem magnam circūcisio, amplius quiddam, quàm ex his progenitoribus descendisse: illud enim opprobrium generis est, hoc verò personæ: supponere enim videbatur, peccatum originale in Christo. Cuiusuis autem peccati dedecus & maius & grauius est secundùm se & secundùm æstimationem veram, quàm quæuis generis nota, imò & quàm fuisse Christum crucifixum eo modo quo fuit? licet enim crucifigi res indigna valde sit, in cruce tamen Christi prodigia talia interuenerunt, & miracula, & mirabilia, vt & latro conuersus sit, & centurio dixerit, *verè filius Dei erat iste,* & alij reuerterentur percutientes pectora sua. In circumcisione vero nihil tale visum est, quod circumcisionis notam resarcire videretur. In circumcisione ergo & in passione patet Dei amor in nos.

(Mat. 1. Chrysol.)

Psal. 102. *Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Locum hunc interpretantur de Christo Domino S. Epiphan. in Physiologo, & S. August. in hoc psalmo, in quo duabus se auibus Christus Dominus comparauit, pelicano & nycticoraci. *Nycticorax,* ait Cassiodorus Græco vocabulo dicitur *nocturnus coruus,* quem quidam *noctuam* esse dixerunt, quæ nocte quærit escas. Ita Cassiodot. Hoc supposito S. August. inquit: Christus Dominus dicitur nycticorax, quia à Iudæis, tāquam ab stantibus in nocte ignorantiæ, & nescientibus quid facerent, occisus est. ita ille. *Pelicanus* autem Ægyptia auis est, quæ mortuos filios sanguine suo reuocat ad vitam. Sic ait S. August. Pelicanus Christus dicitur qui sanguine suo viuificauit nos. ita S. August. Pelicani igitur omnes mirantur amoré erga filios, quia vt eis tribuat vitā, sanguinem suum effundere non detrectat: sic Christi in nos amor hinc mirè patescit, quòd sanguinem suum etiam vix natus pro nobis effundere non dubitauerit; pro nobis, inquam, non filiis amore dignis, sed inimicis supplicium promerentibus: nonne charitatem suam eximiam in nos sic valde commendat?

(Psal. 102. S.Epipha. S. August.)

Apoc. 1. sic Ioann. Euangelista de se quasi de tertio quodā, *qui testimonium perhibuit verbo Dei; & testimonium Iesu Christi quæcumque vidit.* Originale Græcum sic habet: *qui testificatus est verbum Dei & testimonium Iesu Christi,* hoc est, Ioannes testimonium perhibuit de Christo (qui est verbum Dei) & etiam perhibuit testimonium de testimonio Christi. Quodnam, dices, est hoc testimonium Christi, de quo testimonium Ioannes perhibuit? Nicolaus Zegerus sic respōdet: Testimonium Christi de quo testificatus est Ioannes, Passio Christi Domini est. ita ille. Sed cur passionem Christi testimonium appellat? Ita quidem, sicut martyrum passiones, & mortes martyria nominamus

(Apoc. 1. Nicolaus Zeger.)

minamus id est testimonia, quia insignia testimonia fidei nostræ & amoris in Deum sunt, quæ patiendo, & moriendo exhibuerunt; sic quidem Christus Dominus pro nobis patiēdo & moriendo excellentissimum amoris in nos testimonium dedit: maiorem enim charitatem nemo habet quàm vt animam det pro alio. Quantum igitur erit testimonium Christi in nos, pro quibus tam dirum mortis genus subire dignatus est? vix, ait Apost. *pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Bene quidem commendat, & valde commendat, id est fulget, vti ait S. Anselmus, charitas Christi scilicet per rimas vulnerum suorum. Vtinam ergo & nos tantæ respondentes dilectioni diuinæ toto eam corde diligamus Per foramen corporis patet arcanum cordis, ait S. Bernard.

Rom 5.

S. Ansel.

Propositio II.

Passio Christi cœlum nobis aperuit.

Erat vtique ante passionem Christi cœlum omnino nobis clausum, post passionem verò etiam latroni pænitenti cœli patuit ingressus, quod scissio illa veli templi designauit. *Velum templi.* ait S. Mat. c. 27. *scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* Cur ita miraculum hoc? Euthymius ibidem duas assignat rationes. Prima est, ad Iudæorum redargutionem, cui contradicere non possent, vt si niterentur causari & ad ea quæ naturaliter accidunt passiones Solis obscurati, terræ motus, petrarumque scissarum reducere, os illis obturaretur per veli scissionem, cum tale quid esse vnquam factum demonstrare non possent. ita ille. Secundam causam adiiciens ait: Quod autem magis mihi placet accipe, quia interiora veli figura cæli erant, exteriora verò terram figurabant, scilicet velum figurauit scissum iam esse medium parietem inter cœlum & terram, nempe inimicitiam, quæ inter Deum & homines erat, & factum esse cœlum hominibus peruium soluto iam per Christum obstaculo medio. ita Euthymius.

Matth. 13.

Enthym.

Propositio III.

Christus morte sua à morte æterna nos liberauit.

Psalm. 17. sic ad Dominum Dauid: *Protector meus,* &c. vbi sanctus Hieron. sic ex Hebræo tradncit: *Sol & clypeus Dominus.* Eodem modo transfert ps. 30. n. 5. & ps. 83. n. 12. quod de Domino nostro propriissimè dici potest; ipse nobis sol, quia sicut sol mundum vniuersum illustrat, sic Christus Ioan. 2. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* & vsque hodie nos Euangelio suo illuminat, & illuminabit vsque in finem sæculorum. Est etiam scutum nostrum; sicut enim scutum hominem protegit & defendit ab ictibus ferientis, & tamen scutum manet confractum, *queda quebrado y echo rajas.* Sic cum diuina iustitia aduersus nos peccatores militaret, se Christus mediator opposuit tanquam scutum vt protegeret nos, quo ipse attritus mansit propter scelera nostra, nos autem eo protecti salui manemus, cui pro tanto beneficio in sæcula immensæ à nobis gratiæ agendæ sunt.

Propositio IV.

Passio Christi spem remissionis peccatorum nobis præbet.

Calicem quidem meum bibetis, &c. Mar. 20. Magnum eximiumque beneficium Christi in nos continent verba hæc. Pro cuius intelligentia supponamus calicem in diuinis litteris hæreditatem significare, vt Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi:* vel vt habet originale Hebræum, *in sortem seu hæreditatem fundas.* Sic loquitur ibi Christus ad Patrem, vti sanctus Hier. exponit: & hinc est quòd Christus in ipso feruore passionis in cruceque constitutus Mat. 27. calicem fellis & aceti non omnino hausit, sed gustauit: partem scilicet assumpsit, sed reliquum nobis reseruauit; & in vltima cæna *accepto calice gratias egit, deditque discipulis suis dicens: Accipite,* &c. Prius ipse bibit, quia prior est in æterna hæreditate: sed dedit & nobis ex eodem calice, quia *hæredes sumus Dei, cohæredes autem Christi,* vti ait Apostol. vbi addidit Dominus: *ego dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater,* id est, ego vobis tribuo per hunc calicem ius ad regnum cœlorum, sicut tribuit mihi Pater. Nunc ad verba Christi ad Iacobum & Ioannem dicta redeamus; *Calicem quidem meum bibetis,* tum per imitationem passionis, tum etiam per communicationem meæ passionis, quam vt hæreditatem preciosam vobis trado, per quam regnum cœlorum in æternam hæreditatem acquiretis. Excogitauit S. Ambros. lib. 5. de fide c. 3 expositionem istam, dicens: *Calicem quidem meum bibetis,* id est passionem quæ carnis meæ est, non negabo, ecce donaui vobis victoriam passionis hæreditatem crucis. Ita S. Amb. Hinc igitur oritur in nobis magna spei ratio, tum acquirendi regnum cælorum, tum obtinendi à Patre veniam peccatorum. Si te sollicitudo saluationis cruciat, dic Domino: Saluum me fac propter misericordiam tuam, & propter passionem filij tui Domini nostri Iesu Christi. Quod si peccata præterita te ad nimium timorem vocant, dic Domino. Peccaui nimis in vita mea, sed in satisfactionem præcipuam peccatorum meorum, offero tibi passionem Domini mei, cuius ipse me fecit hæredem. Quid times anima mea, tanto pignore munita? quid negare poterit tam bonus Pater passioni tam boni filij?

Mar. 20.

S. Ambr.

Frequens est apud nos timor damnationis æternæ, nec mirum; res enim magni momenti est. Sed ne in timendo excedas, audi S. August. lib. de virginitate: Inspice vulnera eius, qui pro te in cruce pependit; inspice sanguinem illum, quem pro te effudit: inspice cor apertum ad te respiciendum, & inspice brachia eius ad te amplexandum aperta. ita S. Aug. Cur igitur tāto timore turbaris? time potius timorē tuum nimium, quia diffidentiā quandam præse fert, & fac vt sensus de Domino in bonitate, spera in Domino, & fac bonitatem, & saluus eris. Nam, vt ait S. Bernard ser. 11. in Cantica, numquid eum quem Dominus quæsiuit & per gratiam suam vocauit, venientem eiiciet foras? ita ille.

S. Aug.

S. Ber.

S. August. ser. 37. de verbis Domini: Dubitas quod dabit tibi sua qui non dedignatus est suscipere S. Aug.

pere mala sua? ita ille. *en que hizo Dios mas empadezer loqui padecio ô endarnos su gloria?*

Propositio V.

Quàm ingens beneficium sit passio Christi.

Sed dices: commune hoc beneficium est hominibus cunctis. Ita est, sed si eo amore, quo nobis à Deo exhibitum est, illud reciperemus, tanquam proprium existimaremus. Ponderat sanctus
S. Chrys. Chrysost. hom. 34. in genes. verba illa Pauli ad Romanos 8. *Qui me dilexit & tradidit semetipsum pro me*, dixerat idem Apost. *qui pro nobis omnibus tradidit illum*, quomodo ergo ait, *qui dilexit & tradidit semetipsum pro me?* quasi solum illum dilexisset & pro se solo Christus se ipsum tradidisset. Respondet S. Chrysost. ibi: Peculiare hoc est amori, vt ex communibus propria faciat. ita ille. Sicut igitur, qui solis luce gaudet, quamuis pro omnibus sol oriatur, ita illi prodest, ac si pro eo solùm sol oriretur, & ideo gratias pro tali beneficio agere Deo debet, ac si solus ipse sole poriretur: sic etiam pro beneficio redemptionis.

De Pelicano fertur, quòd cum filii eius morsu mortifero à serpẽte afficiũtur, rostru proprio sanguinem suum extrahit, & eo vulnera filiorum curat: est enim antidotum contra venena serpentis; & quia ex amissione sanguinis, debilis & exanguis remanet mater, filij ad cibos matri quærendos properant, gaudet tunc mater filiorum: quod si aliquis eorum non curat idem quod alij in obsequium matris seu patris præstare, Pelicanus ingratitudine eius permotus. rostro filium illum ingratum percutit, & occidit. Christus Dominus
Simile. Pelicanum se vocat, ps. 101. *similis*, inquit, *factus sum pelicano solitudinis*, vbi S. August. Pelicanus Christus dicitur, qui sanguine suo viuificat pullus suos. ita ille. Cum igitur nos serpentis veneno infectos sanguine suo sanauerit, meritò à nobis gratitudinem exigit; quod si aliquem viderit ingrato animo aduersus eum peccatis mortalibus insurgere, merito illum vita æterna priuabit.

Rom. 8. Rom.8. *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Expendens locum istum. S. August. ser. 15. de sanctis tom. 10. ait: O miræ pietatis affectus! ó inæstimabilis ardor charitatis! quis vnquam sperare posset vt ex Deo ante tempora natus pro hominibus nasceretur ea fæmina homo factus? quis ante charitatem eam ineffabilem non contremiscat? ita ille. Cur ait, *non contremiscat*, cum beneficium hoc redemptionis nostræ Dei gaudij potius ac lætitiæ materia & occasio esse videatur? nimirum, quia munere tanto ita nos deuinxit charitas Dei, vt merito pauere debeamus ingratitudinem nostram. Quis enim pro eo debitas Deo gratias poterit referre? quod si quas reddere possumus, non præstiterimus; qua non grauissima pœna digni erimus? Meritò ergo S. August. ait: Quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiscat? Et subdit: Quis vnquam posset æstimare vt portaretur manibus fæminæ portator orbis? & panis Angelorum aleretur, & omnium vita moreretur?

S. Bernard. ser. 3. in die Circum. Quid nobis gloriosius, quàm quòd tãti nos æstimauerit Deus? Quæve illi maior gloria, dignatio tanta & tam gratuita? nam pro impiis mortuus est. Videtis, quantum fecit & pro qualibus, ne superbiamus, quantum ne desperemus. ita ille. Etenim gloriosum nobis fuit fecisse nos Deum, non sicut cetera corporalia, sed manibus suis lutum nostrum versando. Formauit, inquit, Deus hominem de limo terræ. Quod ingeniose perpendens Tertul. Tertull.
libro de resurrect. carnis ait: Toties honoratur limus noster, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. ita ille. Vnde S. Iob. gloriam conditionis exprimens dixit: *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu.* Sed tamen quid nobis gloriosius, quàm quod tanti nos æstimauerit Deus, vt pro nobis tot pati, & mori in cruce dignatus sit? Magnum beneficium fuit nos ad imaginem suam fecisse, quo inter corporalia nos tantummodo fruimur; sed quid nobis gloriosius, quam quod tanti nos æstimauerit Deus vt pro nobis voluerit crucifigi? Denique magnum & gloriosum beneficium, nos sua gratia velle ditare in terra & in cœlo: sed tamen, quid nobis gloriosius, &c. Denique in aliis benefecit Dominus, in hoc vero passus est in corpore, in honore, & fama, &c. Quid igitur nobis gloriosius? Equidẽ adeo gloriosum est, vt oporteat cõsiderare pro quibus, ne superbiamus & ad tollẽdã pusillanimitatẽ, quæ inde potest oriri, oportet animaduertere quantũ in hoc præstiterit nobis Deus.

Deo autem quàm fuerit hoc gloriosum quis pro dignitate exprimere valet? attende quantum à maiestate Dei distat infamia illa crucis, & inde facilius colliges gloriam istam: siquidem adeo bonus fuit, vt talia pro talibus pati dignatus sit, & pro bonitate ista gloriam acquisiuerit. Psalm. 99.

Psal. 99. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*, vbi originale Hebræum sic habet: *scitote quoniam Iehouah ipse est Elohim.* vbi *Iehouah.* benefactorem significat. *Elohim* verò iudicem & exactorem. Quid igitur sibi vult ista connexio benefactoris & iudicis? Rectè quidem, quia de beneficiis nobis à Deo collatis exiget Deus rationem tanquam Iudex, non enim Deus contulit bona vt eis abutamur, nec vt ea pro libito expendamus, *no nos dio nuestro señor los bienes paraque vsemos dellos a nuestro albedrio y sin orden alguna*; sed vt in eius obsequium illa sumamus, & taliter in nostrã vtilitatem ea conuertamus, vt simul eorum expensio sit Deo & accepta & grata, v.g in diuitiis, officiis, dignitatibus, cibis, potibus, studiis, negotiis, potentiis & sensibus, &c. Sed vt potissimùm in beneficio redemptionis & passionis Christi, est enim Deus in conferendis beneficiis magnificus, in repetendis autem strictissimus. Vide quantũ de omni verbo otioso reddẽda est ratio, ecce qualẽ vsum linguæ à nobis Deus requirat. sic igitur & de aliis.

Cur Christus Dominus mortem opprobriis & doloribus maximè refertam obire voluit? Ei cur pater eius sic decreuit? Etenim vt in hoc se Deus Deum exhiberet, opus excellentissimum & ipso dignum fecit. Expendamus hoc. Rupert. lib.4. Rupert.
de vict. c. 17. & c. 18. ponderans sacrificium Abrahæ de filio suo Isaac, ait: Ratio docet non multo minoris meriti esse pepercisse inimico propter Deum, quàm non pepercisse proprio filio & vnigenito propter Deum. ita ille, id est, opus quidem insigne est parcere inimico amore Dei, sed amplius est non parcere Abraham vnigeniti sui vitæ, amore etiam Dei: quodlibet horum operum insigne & admirabile quidem est: quid ergo erit vtrumque simul? Tale igitur fuit opus Dei in passione & morte filij sui, quia vt parceret inimicis

micis imo & crucifigentibus, eximia passus est tormenta, & opprobria, & denique mortem, mortem autem crucis; nonne excellentissimum opus excellentissimæ virtutis, nempe charitatis fuit?

Ioan. 3. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, &c. Poterat quidem alio modo seu per aliam tertiam personam hominem redimere, sed amor in nos effecit, vt per se ipsum Deus hoc præstaret; etenim ab ipso hominis exordio Deus huiusmodi beneficij genus cœpit manifestare. Cùm enim fructuum terræ productionem, terræ commendasset, & piscium auiúmque, aquæ; productionem tamen hominis sibi reseruauit. *Faciamus* (inquit Deus

Simile. Pater Filio ac Spiritui sancto) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sicut enim Pictor regiam quandam imaginem depingere volens licet circundantem ornatum discipulis suis fidat & committat, imaginem tamen Regis nequaquam, sed propria manu illam effingit; sic Deus mundum hunc visibilem propter hominem produxit: est enim homo imago Dei, reliqua visibilia sunt velut huius imaginis Regiæ ornamenta; hæc ideo aliis creaturis commisit, *Poner por las orlas pagaritos flores y frutas*; imaginem verò suam qualis homo est, sibi soli formandam reseruauit: *Formauit*, inquit, *homi-*

Gen. 2. *nem de limo terræ*, Genes. 2. *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Sed insuper aduerte imaginem istam post peccatum reformatam fuisse, & quamuis eius reformationem Angelo committere potuisset, noluit tamen, sed sicut formauerat ipse solus, sic etiam solus voluit hominem reformare; quod Isaias antea multùm vaticinatus est c. 63. dicens nomine Christi: *Torcular calcaui solus*, &c. & c. 53. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Pondera repetitionem illius pronominis, *ipse*, quasi diceret, ipse & non alius cum ipso, sed ipse solus. Vnde tempore passionis militibus volentibus capere illum dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire*; nolens Apostolos secum pati, ne redemptio passioni eorum pariter tribueretur: latrones secum admisit, quia tam excelsum opus scelestis illis tribui minimè poterat.

S.Theod. S. Theodor. q. 24. in Exod. sic quæstionem proponit super cap. 12. Exodi, Quare præcepit Hebræis ad fugam ex Ægypto præparatis Pascha celebrare? & respondet: perpetuam voluit seruari salutis memoriam, propterea dum leges conderet, inquit, cum interrogauerit te filius tuus dicens, quid est Pascha? Respondebis quòd hodierna die Dominus Deus eduxit patres nostros ex Ægypto & redemit primogenita nostra, quando perdidit & percussit primogenita Ægyptiorum; hac de causa præcepit festum hoc celebrari. ita ille. Vbi nota in vulgata nostra, non eodem modo locum hunc haberi, sed ita legit Theodoret. si ergo eductionem ex Ægypto & profectionem in terram promissionis, sic Deus voluit obseruari, & tanquam pascha celebrari; quali nos obseruatione oportebit celebrare eductionem & liberationem ex captiuitate peccati & profectionem in cælum, &c. Et subdit idem sanctus: Cum lactucis agrestibus agnum manducari iussit, in memoriam durissimæ seruitutis, & acerbissimæ vitæ in Ægypto transactæ. ita S. Theodoretus. O quanta nos deuotione & in Deum amore beneficium redemptionis nostræ celebraremus, si acerbitatem seruitutis peccati, à qua nos Dominus liberauit, consideraremus attentè, & cælestis gratiæ & gloriæ reparationem.

Propositio VI.

Passione Christi creuit Ecclesia.

IOan. 12. sic Christus Dominus: *Nisi granum frumenti*, &c. Fructus ergo passionis Christi fuit augmentum & profectus totius Ecclesiæ. Ioan 12.
Exod. 1. mortuo Ioseph in Ægypto, *Filij Israel creuerunt & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleuerunt terram.* Mirarur Origen. & ait: Vtique sub patrocinio & defensione Ioseph, magis crescere & multiplicari debuerant filij Israël; sed tamen quæ in illo Ioseph figurata sunt, in nostro Ioseph nempe Christo Domino in veritate completa sunt: prius enim quàm moreretur ille qui à fratribus venditus fuit, id est antequam crucifigeretur Ioseph noster Christus, pauci crediderunt in eum; sed postquam pro omnibus gustauit mortem, per quam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & resurrexit, in vniuerso mundo multiplicati sunt fideles Christiani; vnde ipse Christus in Euangelio ait: *nisi granum frumenti*, &c. Per passionem enim eius per vniuersum mundum de illo vno grano messis pullulauit Ecclesiæ, & in finem terræ exiuit sonus Apostolorum. ita Origen. Origen.

Propositio VII.

Quàm fortiter tulerit Christus passionem suam in nostrum exemplum.

IOan. 19. *Ad Iesum autem cum venissent, & viderunt eum mortuum non fregerunt eius crura.* Ioan. 19.
Quod in agno Paschali præfiguratum fuit. Exod. 12. vbi Dominus præcepit ossa agni (qui figura Christi fuit) minimè frangi. Cur igitur noluit Christus Dominus ossa sua diuidi, cum carnem suam dilacerare permiserit flagellis & clauis? Exod. 12.
Respond. Theod. hoc ideo factum fuisse, quia ossa Christi robur & fortitudinem Christi designabant; corporis enim robur in ossibus est, robur autem & vigorem noluit Christus in sua passione deesse. At, inquies, cœpit pauere & tædere, & tristem esse animam eius vsque ad mortem. Ita quidem voluit pauorem & tristitiam admittere, vt sic passio eius acerbior esset; si enim læto animo passus esset, lætitia illa dolorem & pœnam mitigasset; sed nihilominus fortitudinem ad omnia fortiter subeunda semper retinuit, vt ita amorem in Patrem manifestaret, & nobis exemplum fortitudinis in aduersis præberet. S.Theod.

Propositio VIII.

Consideratio attenta passionis Christi remedium peccatorum est.

GEnes. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Genes 9.
Cur arcum nubium in signum pacis & fœderis posuit Dominus magis quàm nubem ipsam aut sydus aliquod cæli? Lyranus ibidem: Per arcum cælestem

cælestem Christus Dominus significatur, in quo est lignum durum & forte & corda mollis, per quæ significatur virtus diuinitatis & fragilitas humanitatis; & sicut in arcu corda mollis flectit lignū, sic in passione Christi humanitas flectit rigorem Iustitiæ & seueritatis; qui verò fide pura & deuotione respiciunt hunc arcum, à diluuio vitiorum sunt securi. ita ille. Quis enim attentè considerans, quæ & quanta pro nobis passus est Dominus noster Iesus Christus pro peccatis nostris, peccare non abhorret? Simile.

PROPOSITIO IX.

Quanta cum deuotione passionem Christi celebrare debeamus.

QVam ob causam ieiunia quadragesimalia ab Ecclesia instituta sont? ideo quidem vt conuenienter parati & præparati simus ad crucem & passionem Christi Domini nostri celebrandam. ita S. Leo Papa ser. 10. de quadragesima: Cōsiderantes, inquit, quid per crucē Christi adepta est vniuersitas mundi, cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem merito nos quadraginta dierū ieiunio præparari, vt digni possimus diuinis interesse mysteriis. Ita S. Leo, quasi dicat: vt hilari corde possimus celebrare festū Paschę resurrectionis Christi, oportet priùs & immediatè crucem & passionem cum debita compassione celebrare. Ad hoc igitur instituta est quadragesima Christiana. S. Leo.

PROPOSITIO X.

Passio Christi conducit nobis ad omnes labores perferendos.

Cant. 1. CAnt. 1. *fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cur inter vbera? S. Bernard. ser. 43. in Cantica: Myrrha amara res, dura & aspera tribulationem Christi significat; hæc super pectus collocat sponsa. Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de pectore tuo, nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia, quæ pro te Christus pertulit, retinens in memoria & assidua meditatione reuoluens, vt & possis dicere tu: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Hæc meditari dico sapientiam, quia in his suauis vnctio consolationis: hæc me reprimunt in prosperis, & erigunt in aduersis, & inter læta & tristia tutum præbent. Hæc mea sublimior sapientia, scire Iesum Christum & hunc crucifixum. Ita S. Bernard. alludens ad id quod de se Apostolus dixit 1. Cor. 2. *non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum*, quia scilicet fasciculum hunc myrrhæ semper in corde ferebat: vnde non solum patienter, sed etiam gaudenter, graues persecutiones & tribulationes tolerabat. S. Ber. 1. Cor. 2.

Etenim cum infirmus cordis debilitatem patitur, solent medici epitimam quandam superimponere quæ cor ipsum confortet; sic cum anima nostra se debilem ad perferendos labores sentit, nulla potiori epitima vti potest, quàm passionis Christi consideratione; quod alia metaphora expressit Apostolus Petrus 1. Pet. 4. dicens: *Christo igitur passo in carne & vos eadem cogitatione armamini.* [no ay armes tranzado tan apropósito para la guerra temporal como para la milicia espiritual lo es la pasion de Christo] nullum est vita hominis super terrā, armis igitur ind genius, hæc assignat Petrus Apostolus dicens: *eadem cogitatione armamini.* S. Theod. ibidem: Christo igitur tanquam exemplari præcipuo patiendi in carne passo, eius passionem recolite, & pro eo patimini similia. Vbi Glossa: sicut ille sponte, & nos sponte; & sicut ipse omnia tolerauit, sic & nos omnia toleremus. Ita etiam S. Thom. qui hanc sancti Gregorij sententiam refert: Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nil tam durum, quod non æquo animo toleretur. Ita ille. Et addit S. Thom. Nota quomodo Dominus armatus fuit in cruce; habuit enim in capite quasi galeam non de auro vel de argento, sed de spinis; habuit loricam non de ære vel ferro, sed carnem immaculatam; habuit in manibus non gladium vel lanceam, sed clauos magnos affixos, & pedibus quasi calcaria clauos infixos, pro equo verò crucem ipsam. Ita S. Thom. Cum igitur senseris te fame torqueri cum ieiunas vel cibo cares, cogita vinum myrrhatum & felle mixtum Christi; cum videris te paupere vestimento indutum, cogita nuditatem Christi in cruce; cum senseris te doloribus torqueri, cogita illos magnos dolores Christi, quibus totum illud sacrosanctum corpus Christi torquebatur; si te persequuntur & opprobriis afficiunt, cogita persecutiones Christi ad crucem vsque, & opprobria exprobrantium super eum; si quis contra te falsum testimonium dixerit, cogita testimonia in Dominum falsa; quis quæso Christiano dignus nomine non pro Christo quidquid euenerit, æquo animo patiatur, attendens quanta & qualia sit pro eo Dominus passus? Simile. 1. Pet. 4. Theodo. Glossa. S. Theod. S. Greg.

Etenim de quadam Christi famula legi, quòd cum graui dolore esset affecta à quadam socia, et fuisse effigiem quandam Christi crucifixi exhibitam, vt ab eo exigeret doloris ablationem; accepit infirma crucifixum, & attentè illum intuens & considerans dixit: Ita ne à Domino meo crucifixo & magnis doloribus cruciato, dolorum meorum sanitatem petam? absit, erubesco id postulare, sed tolerantiam, sed patientiam. Exemplū.

Nec minus ad rem facit quod de S. Petro martyre legimus, quem duæ sanctæ virgines è cœlo descendentes cum in cella sua visitarunt, audiuit vocem illarum Monachus quidam, qui nesciens sanctas esse, eum apud Priorem accusauit. Interrogatus secretum indicare noluit, quapropter pœna mulctatus, è cœnobio eiectus, aliòque missus tribus mensibus vexatus, tandem sic ad Deum sāctus vir coram crucifixo: Domine tu nosti innocentiam, cur igitur sustines me talia pati? Cui Christus ex cruce: Et ego Petre, quam ob culpam fui crucifixus? Erubuit sanctus, & opprobrium, & pœnam libenter ferre decreuit, vsquequo Dominus eius innocentiam manifestauit. Sic, sic Dominus vult suæ passionis exemplo nos armari. Exemp

Facit etiam ad rem, quod sic scribit Apostol. ad Hebr. 12. *Tantam habentes nubem testium per patientiam curramus ad nobis propositum certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.* Vbi tria proponit Apost. quæ ad tolerantiam nostrorum laborum maximè conducunt. Primum est exemplum sanctorum, de que in c. proximo dixerat, & vocat *nubem testium*; testium, quia tolerantia sua testati sunt posse nos similia pati; erant enim homines Heb. 12.

hominesficut & nos, & auxilio Dei, quod omnibus præsto est, potetimus & nos quod illi potuerunt. Vocat autem *nubem testium*, quia (vt S Ansel. ait S. Anselm. ibidem) exemplo suo in æstu tribulationum dant nobis refrigerium consolationis. ita ille, metaphora sumpta à viatoribus, qui æstu & ardore solis fatigati, interposita nube recreantur, & vires resumunt ad peragendum iter; & nos viatores sumus, & ardore laborum fatigamur, sed exemplo sanctorum, qui talia & maiora passi sunt æquo animo pro Christo & cælesti præmio, animum ad progrediendum inde resumamus.

Secundùm exemplum est Christi, qui propo-S. Ansel. sito sibi gaudio, S. Anselm. id est proposito sibi à turba gaudio, cum vellet eum Regem constituere, noluit gaudium illud admittere, sed instituit crucem & opprobria & illusiones sustinere pro nobis, omnem illam confusionem contemnens. Ita S. Anselm. Quod si hæc pro nobis Dominus & redemptor noster tulit, cur & nos pro Domino & Saluatore nostro minora multo non feremus? Denique proponit præmium incomparabile gloriæ dicens: Atque à dextera Dei sedet. Anselm. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen quod est super omne nomen; sicut ergo Dominus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, contemnens confusionem, sic & nos vt ad sedis eius participationem pertingere mereamur. ita S. Anselm.

Et quia exemplum hoc Christi efficacissimum est ad tolerandos labores nostros, iterum insistit & repetit Apost. dictum subdens: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes.* vbi S. Ansel. ponderat verba illa, *vt non fatigemini animis vestris*, dicens: quasi dicat, licet corpore deficiatis, mente tamen validi & insuperabiles permanete. ita ille.

Gen. 28. Gen. 28. Iacob pergens in Mesopotamiam & à labore itineris requiescere volens, tulit lapidem quendam, & supponens capiti suo dormiuit, & dum dormiret, visionibus diuinis eum valde consolatus est Deus. Non quidem sine speciali causa lapidis huius mentionem hanc fecit scriptura: quis S Hiero. nam igitur hic lapis est? quid importat? S. Hier. super Ps. 133. in ea verba, *benedicat te Dominus*, &c. ait: sub capite ipsius lapis erat Christus, nunquam sibi posuit lapidem ad caput, nisi quando persecutorem fratrem fugit, quandiu erat in domo fratris sui, & habebat refrigeria corporis, lapidem non habebat ad caput, recessit de domo Parentū nudus, statim in ipsa nocte inuenit lapidem & posuit ad caput suum, qui talem habebat puluillum in quo refrigerabatur. Videte visionem eius, *vidit*, inquit, *scalam, vidit Angelos*, &c. ita S. Hier. Etenim laborantibus & defatigatis consideratio passionis Christi qua veluti ictibus elaboratus est, ad nostram redemptionem veluti puluinar requietionis est: quis enim non libenter quasuis laborum ictus ferat pro Christo & saluatione sua, qui rectè considerauerit quæ & quanta pro eo & salute sua passus fuerit Dominus?

1. Pet. 4. Expende id 1. Petr. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*; non ait, vos eadem cogitatione grati estote tantùm, vel læti de S. Greg. vestra salute gaudete, sed *armamini*. cur ita: S. Greg. Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. ita ille. Armatura autem hæc speciatim est ad retundendas diaboli tentationes, vt interpretatur locum hunc S. Tho. dicens: Benedicit, *armamini*, quia memoria passionis Christi contra insidias & tentationes diaboli munit & roborat. ita ille. Et denique aduersus mundum & carnem & omnia vitia nos armat, vti ait S. Bern. ibidem à S. Thoma citatus dicens: Tanta est virtus crucis Christi, vt si in mēte fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati præualere posset inuidia, sed continuò ad memoriā eius totius peccati exercitus fugatur. ita S. Ber. S. Thom. S. Bern.

Propositio XI.

Passione sua Christus de inimicis suis & nostris victoriam reportauit.

IOan. 12. cum iam proximus esset Christus Dominus passioni, & intraret in ciuitatem Hierusalem, *acceperunt*, inquit, *ramos palmarum, & processerunt obuiam Christo Domino.* Palma insigne victorum est, Christus autem in passione sua non victor, sed victus esse videbatur; non igitur tunc temporis palmæ congruebant Christo, sed eius inimicis qui eum occiderunt: sed tamen Christus in passione sua non victus extitit, sed victor; passione quippe redemit nos & lauit nos in sanguine suo à peccatis nostris, vicit tunc mortem & mortis authorem: quod vt significaret Deus Pater ad crucem pergere videns, palmarum ramis voluit eum Hierosolymis recipi, vt non victum sed victorem moriendo demonstraret. S. Ambr. ser. 4. de quadrages. Palmæ, inquit, Domino à populo offeruntur, vt ipsum victorem esse significaretur: Ipse enim planè victor fuit, qui diabolicam destruxit & mortē. ita S. Amb. Ioan. 12. S. Ambr.

Propositio XII.

Quàm honorifica Christo fuit Passio.

PSal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinē, & præcinxit se.* S. Hier. Cassiod. & alij de Christo Domino locum hunc interpretantur, & S. Amb. qui lib. 1. offi. c. 45. qui venerat (inquit) in forma serui, & in hominis specie assumpsit decorem, & ideo dixit propheta: *Dominus regnauit, decorem indutus est.* ita S. Ambr. Sed insurgit nunc dubium, quomodo Christus Dominus carnem assumens fuerit decorem indutus, cum potius de ipso Isaias dicat c. 53. *non species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus:* quo igitur pacto ait Dauid quia induit decorem? Cassiodorus sic respondet: Decorem induit Christus quando transfiguratus est in monte Thabor. S. Hier. cùm resurgens à mortuis sanctorum sibi chorum adiunxit, ita ille. Ita quidem, sed liceat dicere etiam decorem induisse Christum, non solùm in transfiguratione sua, & resurrectione sua, & cum miracula operabatur: sed etiam in humiliatione sua, cum scilicet in præsepio iacebat, & cum in circumcisione habitum non solùm serui, sed etiam peccatoris præseferebat, & in passione in cruce inter latrones pendēs ibi, vbi ait Isaias quod non erat ei decor. Duplex enim distinguenda est Christi Domini consideratio, in quantum scilicet Deus omnipotens & rerum omnium creator est, & iudex noster, & in hac consideratione præcisa alienum & peregrinum est ei humiliari, & pati, & nihil ad decorem eius pertinens. In quantum verò Psalm. 92. S. Ambr. Cassiod.

Saluator

Saluator noster est, decebat illum sic humiliari, sic pati, sic mori; vnde talis humiliatio & passio ad decorē eius valde pertinens est. Sicut si Rex sedeat in solio gloriæ suæ, sceptrum, corona & purpura congruunt ei; si verò ad bellum procederet, arma offensiua, & defensiua, illi conuenirent; si autem mutata veste vellet ignotus pergere ad redimendos captiuos ac si esset homo communis & mercator, veste communi & mercatori congruenti incedere illum oportet. Cum igitur Christus Dominus inter Angelos in throno maiestatis constitutus glorificatur, maiestas & gloria illum decet; at cum ad debellandas aëreas potestates venit, arma bellica; & cum ad redimendos captiuos ignotus venire dignatus est, oportebat illum humiliari, pati & mori. Hæc enim sont media redemptionis nostræ; quare hoc præstans decorem indutus est & fortitudinem etiam. quia humiliatione & passione & morte sua mortem & peccatum & diabolum vicit; victoria autem ad fortitudinem spectat. Dicat ergo de Christo Domino Dauid: *Dominus regnauit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinē & præcinxit se.*

Christi resurrectio.

1. *Christus resurrectione sua victoriam suorum & nostrorum obtinuit hostium.*
2. *Quàm admirabilis fuerit resurrectio Christi.*
3. *Quàm solemne festum sit resurrectio Christi.*
4. *Quanta cum deuotione & puritate celebranda sit.*
5. *Resurrectio Christi mors mortis fuit.*

Propositio I.

Christus resurrectione sua victoriam suorum & nostrorum obtinuit hostium.

Psalm. 9. S. August. PSal. 9. sic ad Christum Dominum Dauid: *Exurge Domine, non præualeat homo.* S. August. serm. 30. de verbis Domini secundùm Lucam ponderans locum istum ait: Quid est, *non præualeat homo?* nonne Apostoli erant homines? nonne martyres homines erant? Ipse Dominus Iesus nonne homo esse dignatus est? Quid ergo est, *Exurge Domine, non præualeat homo?* Etenim de homine dictum est Psal. 115. *Omnis homo mendax:* tam autem præualuit mendacium ante diluuium, vt post diluuium octo tantùm homines remanserint, per ipsos rursus repleta est terra hominibus mendacibus; sed electus est populus Dei, facta sunt miracula multa, prærogata diuina beneficia, ad terram promissionis perductus est, ab Ægyptiorum seruitute liberatus, prophetæ in illo excitati sunt, & de ipso populo postea dictum est; *fily alieni mentiti sunt mihi*; ad extremum missus est Christus ne præualeret homo, sed tamen etiam ipse faciens diuina contemptus est, & præstans tam multa beneficia prehensus est, flagellatus est, suspensus est, hue vsque contra Dei legem præualuit homo, sed quousque? nisi quousque de ligno depositus in sepulchro suit positus; si ibi remansisset, verè homo præualuisset; sed Propheta Dominum alloquutus est dicens: *Exurge Domine, non præualeat homo*; apparebas, & latebas; apparebat infirmitas, latebat potestas, & hoc factum est vt sanguinem funderes, quod est pretium nostrum. Ecce in sepulchro iaces, exurge Domine ne præualeat homo; factum est & omnino factum est. ita S. August. At dices, quomodo resurgendo præualuit Christus contra homines? nunquid resurgens occidit crucifigentes? occidit Pilatum, Annam, & Caypham, qui eum ad mortem damnarunt? occidit eos qui in horto ligauerunt? occidit eos. qui dixerunt, *Crucifige, crucifige?* Occidit pessimos Scribas & Pharisæos? nequaquam. Quomodo ergo præualuit aduersus eos? quomodo illos superauit? superauit illos sicut Deus misericors & bonus, non occidendo sed insigni miraculo resurrectionis illos illuminando; suit enim miraculorum maximum. Ideo dixit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, resurgendo scilicet, post mortem Christi; probauit enim resurgens se voluntariè mortem subiisse vt nos ab æterna morte liberaret. Quod cùm ex sanctis scripturis impletum viderunt homines victi non ferro sed ineuitabili veritate non solum victi, sed etiam conuicti Christum Deum & redemptorem cognoscentes, manibus post terga reuinctis, colla sua iugo Christi subiugauerunt. Sic Christus in sæcula benedictus, sit eius resurrectio in æternum glorificata.

Iterum Psal. 9. *Exurge Domine, non confortetur homo*, vel vt S. August. legit *non præualeat homo?* quid sibi vult ista petitio? S. August. serm. 51. de verbis Domini: Propheta hic Dominum Iesum alloquitur, quasi dicat, Domine in carne venire dignatus es, fecisti miracula tanta, ægrotos sanasti, beneficia multa præstitisti, & recepisti mala pro bonis, insultatum est tibi, pependisti in ligno, & dictum est tibi ab impiis, *si filius Dei es, descende de cruce*; itane perdideras potestiam? an potius demonstrabas patientiam? & tamen illi te occiso tanquam victores discesserunt; ecce Domine in sepulchro iaces, exurge Domine, non præualeat homo, cum esses crucifixus, præualuisse sibi visus est Pharisæus cæcus; exurge Domine, non præualeat homo; factum est omnino, resurrexit, & ascendit in cælum, & inde venturus est iudicare viuos & mortuos. ita S. August. ecce victoriam mirabilem Christi. Psal. 9. S. Aug.

Propositio II.

Quàm admirabilis fuerit resurrectio Christi.

DE Phœnice sic S. Epipha. ex Physiol. refert. Phœnix pauone pulchrior est; pauo enim aureas argenteasque haber alas, phœnix verò smaragdinas & pretiosorum lapidum colore distinctas: coronam autem habet in capite, propè Indiam degit, viuit autem annos quingentos, & post quingentos annos alas aromatibus implet, & cum Heliopoleos sacerdos sacrificia inchoat, è suo egreditur nido, & ad sacerdorem pergit, templum ingreditur vsque ad sacrarium, & in cinerem totus consumitur. Tertia verò die ad vitam restitutus ex cineribus ad proprium locum redit. ita sanctus Epiph. etenim sanctus Greg. Nazianz. in præceptis ad virgines, eius qui pœnitentia doloreque mortificatus, per gratiam iterum Simile. S. Epipha. S. Greg.

iterum reuiuiscit, phænicem symbolum fecit. Sanctus verò Epiph ad Christum phænicis huius similitudinem refert dicens vbi suprà: Cum auis hæc trium dierum spatio ipsa se suscitet, cur Iudæi iniqui, Domini nostri Iesu Christi resurrectionem non credunt? Aut quomodo seipsum à mortuis suscitarc non potuit, cum de illo dixerit Propheta, *Iustus vt phœnix florebit?* vbi nota, quod in Psalmo non ait Dauid, *vt phœnix*, sed *vt palma*. Tertul. verò & S. Epiph. *vt phœnix*, legunt, quia ibi pro palma etiam phænicem accipiunt. Lactantius quidem à phænice palmam, etiam phænicem asserit vocari. Loquitur ergo secundùm hos authores Dauid in illo Psal. de Christo; *floruit* Christus Dominus, qui per antonomasiam *iustus* nuncupatur) sicut phænix. In sacrificio enim passionis suæ obenlit seipsum, oblatus enim est à se, sicut phænix, quia ipse voluit, & quidem aromatibus boni odoris delibutus, virtutibus scilicet sanctissimis humilitatis, patientiæ, obedientiæ, fortitudinis, & charitatis; post oblationem autem sicut phænix ad vitam restitutus & multo meliùs, ad propria cæli remeauit.

S. August. S. August. ser. 18. de verbis secundùm Matth. Cum Christo pendenti in cruce Iudæorum cæcitas insultaret, posset vtique de cruce descendere, qui si nollet non esset in cruce: sed amplius erat de sepulchro resurgere, quam de cruce descendere. ita ille.

PROPOSITIO III.

Quàm solemne festum sit resurrectio Christi.

TRia solemnia festa præcipiebat Deus ab Israëlitis celebrari, vt patet Exod. 23. nimirum Pascha in memoriam liberationis ex Ægypto, Exod. 12. Secundum festum erat Pentecostes, in memoriá legis datæ in monte Syna, Deut. 16. Tertium erat festum Scenophegiæ, seu Tabernaculorum in memoriam habitationis in deserto per annos quadraginta, Leuit. 23. Horum festorum celeberrimum erat festum Paschæ, vnde per antonomasiam dicitur, *Dies solemnis*, Luc. 2. *& dies magnus*, Ioan. 19. In quo propterea nemo excusabatur ab ascensu in templum, quamuis in aliis duobus festis propter causas legitimas excusarentur. Tale igitur est festum resurrectionis, &c.

PROPOSITIO IV.

Quanta cũ deuotione & puritate celebranda sit.

FEsta principaliora præcipua sunt deuotione & animæ puritate celebranda. Audi S. Leonem
S. Leo. serm. 3 in Quadragesima: Semper nos, dilectissimi, sanctè viuere decet, & in id voluntates nostras & actiones dirigere; sed in his diebus quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiori solicitudine sunt corda nostra mundanda, & studiosiùs exercenda est disciplina virtutum; vt sicut ipsa mysteria maiora sunt, ita & nostra obseruantia superet in aliquo consuetudinem nostram, & cui festiuitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile & quodammodo religiosum videtur in die festo in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, & Dei templum propensiore cura & ampliori cultu quantum possumus adornamus; nonne dignum est, vt anima christiana, (quæ verum & viuum Dei templum est) speciem suam prudenter exornet, & ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet? Nam quid prodest homini cultus exterior, si eius interiora sordeant contaminatione peccati? Scrutetur igitur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat & censura iudicij videat in secreto cordis sui si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, & quàm citò ab his quæ noxiè blandiuntur, animum abducit. ita S. Leo?

PROPOSITIO V.

Resurrectio Christi mors mortis fuit.

SAnctus Hieron. Epist. 3. O mors, quæ Christi morte mortua es, illius morte nos viuimus, deuorasti & deuorata es; dúmque assumpti S.Hiero. corporis Christi solicitaris illecebra, & auidis faucibus prædam inuadis, interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi, Christe Saluator, quòd tam potentem aduersarium nostrum dum occideris occidisti. Quid enim ante miserius homine, qui æternæ mortis horrore prostratus, viuendi sensum ad hoc tantum acceperat vt periret? Quod si Abraham, Isaac & Iacob in inferno, quis in cælorum regno? sed si ante Christum Abraham apud inferos, post Christum latro in paradiso. ita S. Hieron. Nota similitudinem & metaphoram de hamo & piscatione desumptam.

Christi ascensio.

1. *Christus in ascensione sua ostendit amorem suum in nos.*
2. *Quòd etiam post ascensionem ingens sit amor Christi in nos.*

PROPOSITIO I.

Christus in ascensione sua ostendit amorem suum in nos.

CHristus in tantum diligit nos, vt discedens à nobis etiam in cælum peregrè se proficisci sentiat; quod ex eo constat Matth. 25. vbi post- Matt 25. quam in parabola talentorum se diuisisse talenta dixisset, *peregrè* (subdit) *profectus est*. Quid hoc? ad Patrem vadit, in cælum pergit, & peregrinum se dicit? Cum in terram descendit, meritò se peregrinum poterat appellare; at in cælum pergens, cur ita? S. Chrys. in Imperfecto, hom. 53. homo peregrè profectus Christus est; post victoriam passionis ad Patrem iturus: commendat autem Christus dilectionem suam quam habet in sanctos, ad regna enim cælestia ascensurus & ad Patrem iturus suum, peregrè se iturum dixit, propter charitatem sanctorum quos relinquebat in terris, cum magis peregrè esset in mundo. Ita ille. Sit Christus in sæcula benedictus. Hinc intelligere licet, Eucharistiæ mysterium, si is qui ad peregrina ducitur, posset simul inter dilectos remanere, absque dubio remaneret. Peregrè Christus proficis-

cebatur in cælum habens dilectos suos in terris, potuit simul ire & remanere, remansit, ne amori suo in nos aliquo modo deesse videretur.

Propositio II.

Quòd etiam post ascensionem ingens sit amor Christi in nos.

Act. 9. S. August. ACtorum 9. *Saule, Saule, quid me persequeris?* &c. S. August. ser. 49. de verbis Apost. expendens charitatem Christi in nos: Videte, inquit, fratres dilectissimi, dilectionem capitis nostri; iam in cælo est, & hic laborat quandiu laborat Ecclesia eius. ita S. August. Quàm quidem hoc verum sit, probat ex verbis quæ dicturus est in iudicio Matth. 25. ereprobis: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*; quid ais Domine? cælestibus gaudebas alimentis gloriosissimæ beatitudinis tuæ, & ais te etiam in tanta gloria esuriuisse? Nimirum ait, quia *quandiu vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis.* Veritatem hanc comprobat descensio è cælo Christi in conuersione Pauli, in cælo erat, Saulus non Christum in se persequebatur nec valebat; & tamen ait Christus: *Saule, Saule, cur me persequeris?* quia quidem licet sublimatus, non tamen nostri oblitus. Dextera Patris laborat in nobis, dum nos laboramus in terris. Ecce causam consolationis nostræ in ascensione Christi Domini ad cælos. S. Aug. Simile. ibidem exemplo sic exponit: Calcat tibi aliquis pedem, & dicit lingua, *calcas me*, eum eam nemo contigerit. Sursum est Christus, in tuto est, & tamen ait, *calcas me, esuriui & non dedisti mihi manducare.* ita ille.

Amplior consolatio hæc ex eo est, quòd in dextera Patris tanquam aduocatus noster interpellat pro nobis: in tribunalibus iudicum no- Simile. strorum aduocati sunt pro pauperibus assignati, qui gratis negotia pauperum agant; in cælesti curia negotium magnum nostrum, salutationis videlicet nostræ, ibique charitas & misericordia Dei nostri optimum nobis constituit aduocatum, Christum nempe filium suum, qui gratis pro nobis causam apud Patrem agat. Audi Ioan. Ioannem Apost. *Filioli mei, hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* O quàm bonus nobis aduocatus! filius enim Iudicis nostri & gratissimus illi, de quo ipse Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Quod si in aduocato requiritur sapientia & eloquentia, sapientissimus & eloquentissimus est; si aduocati apud nos vno tantum ore loquuntur, Christus tot linguis loquitur, quot vulnera tenet; ideóque vulnera tanquam ora clamantia pro nobis detulit secum ad cælos: poterit ne repulsa à nobis timeri?

Hæc autem efficacia huius aduocationis, vt scilicet & pariter nos cooperemur: cadunt enim à causa plurimi, quia peccatis suis vel ex defectu legitimæ pœnitentiæ obstant; quod si quæ ad nus pertinent effecerimus, aduocatus salutem nostram æternam obtinebit; id enim significant verba illa *Iesum Christum iustum*; iustum ait, vbi Beda: Iustus aduocatus iniustas non suscipit causas.

**

Christi Epiphania.

Propositio Vnica.

Quàm ingens beneficium fuerit Epiphania Christi.



SAnctus Leo Papa comparatione Iudæorum quantum hoc fuerit beneficiū expendit, dicens: Quantam gratiarum actionem S. Leo ferm. de Epiph. Domino debeamus pro Gentium illuminatione, probat obcæcatio Iudæorum; quid enim tam cæcum, quid tam à luce alienum, quàm illi sacerdotes & scribæ Israëlitarum fuerunt, qui percunctantibus Magis, & Herode quærente vbi Christus secundùm scripturarum testimonium nasceretur, hoc responderunt de prophetico eloquio, quod indicabat stella de cælo: noluerunt agnoscere oculis, quem de libris sacris indicabant. ita ille. Ab hac nos Dominus excitate liberauit; sicut enim illi sic obcæcati permanserunt, sic & nos cæci permaneremus, nisi Dominus interiùs nos luce sua illuminaret: misericordia tamen ingenti sua nos sicut Magos voluit veritatis luce illustrare. Sit ille in sæcula benedictus.

Clementia.

Propositio Vnica.

Quàm excellens & Regia virtus sit clementia.

PSal. 78. Dei in peccantes indignationem expendens Dauid, & mitigare contendens, sic Psalm. 78. Deum affatus est: *Vsquequo Domine irasceris, in finem accendetur velut ignis zelus tuus?* Vbi iram huiusmodi zelum & ignem, seu zelum ignitum vocat. Est autem zelus iste vehemens quædam excandescentia ob violatum amorem, qualis esse solet mariti erga vxorem adulteram, & adulterum, imò & longè maior; ideò ignem eam vocat Dauid, & etiam ipse Deus Exech. 36. v. 58. *In igne zeli mei locutus sum.* Quid autem igne vehementius & acerbius? Quomodo autem in Deo sit talis zelus, expressit Deus ipse Deut. 32. *Ignis*, ait, *succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Quid est *vsque ad inferni nouissima*? Iansenius, id est, ardebit ignis Iansenius. iste non solùm in superficie terræ, sed etiam vsque ad extrema inferni. ita ille. *Es vn fuego esta indignacion de Dios contra los que pecan, que llega a lo mas hondo y profundo de las penas del infierno.* Etenim quæuis inferni pœna grauissima est, quæcumque ignis illius pars intolerabilis est; sed illa quæ in profundo est, incompatabilis, & indicibilis est; ad hanc peruenit indignatio quam Deus habet erga peccantes, id est, tam indicibilis cruciatus nulla est alia ratio quàm peccatum. O peccatum, ô ignis gehennæ æternus, ô mortalium peccantium diabolica inconsideratio, & insensibilitas! vbi iudicium? vbi sensus? vbi discursus? vbi fides? imò vbi amor sui in eo qui sic Deum irritare contra se, & sibi sic nocere audet?

Pereat

Ose 14. *Pereat Samaria*(ait Oseas:) *quoniam ad iracundiam concitauit Deum suum.* Iuste sic excandescit propheta contra peccatores, vel eo solùm, quòd Dei infinitam maiestatem offendere ausus sit, & tam bonum, & pium Dominum, & benefactorem nostrum sic irritate voluerit, & ad amaritudinem prouocare; & quia insuper sic gratis se in horrendam damnationem detorbat.

Est quidem misericors & clemens Dominus; sed, *Ab ira tua,* (canit Ecclesia) *libera nos Domine.* Sicut enim misericordia eius infinita est, sic & iustitia, sic & ira eius. Audi quid clemens & pius
Ezech. 5. iste Dominus prouocatus dicat, Ezech. cap. 5. *Aduersus peccatores complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor, & scient, quia ego Dominus locutus sum in zelo meo.* [*Yo dize Dios yo tengo de satis facer à la iusta indignacion que tengo contra los peccadores y hare que mi zelo abrasado desfoge, y descanse en la venganza que tomare dellos, y entonzes veran qual es el zelo de mis amanaZas.*] Pondera verbum, *consolabor*: quasi dicat, *no, no me arrepentire eternamente de sus penas ni me compadezere dellos*, &c.

Dices: Quomodo igitur sæpe Deus florere sinit in mundo peccatores, eum talis ac tantus sit pec-
Deut. 32. catorum punitor? Respondeat ipse Deot. 32. *Mea quidem est vltio, & ego retribuam eis*, in tempore, videlicet opportuno, sapientissimè præfixo ab alto diuinæ prouidentiæ consilio, vti ait Glos-
Ecclef. 5. sa quædam. nam sicut Ecclesiasticus inquit. c. 5. *Altissimus est patiens redditor.* Ne igitur ô peccator diuioa patientia abutaris, vtere potius eius clementia, qua te expectat, & vocat ad pænitentiam, &c. Licet sit patiens redditor, & talis,
Ps. 93. vti ait Dauid Psal. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum*: repetitio ista magnitudinem quandam importat, sicut Psal. 54. *viri sanguinum*, id est maximè sanguinarij; sic *Deus vltionum*, id est maximus vltor, aduersus eos, qui abutuntur pa-
Valer. Max. tientia eius. Rectè Valer. Maa. in principio lib. 1. lento gradu ad vindictam procedit diuioa iustitia, sed tarditatem supplicij grauitate compensat.

Consilium.

1. *Quanta prudentia sit etiam minores consulere.*
2. *Quàm necessarium sit consilium.*
3. *Consilia à doctis sanctisque viris petenda sunt.*

Propositio I.

Quanta prudentia sit etiam minores consulere.

S. Greg. S. Gregor. 5. Mor. 23. Quid est, inquit, quod Maune viso Angelo pertimescens dixit vaori: *morte moriemur, quia vidimus Dominum*, quem vxor protinus consolatur, dicens: *si Dominus vellet nos occidere, de manibus nostris holocaustum non suscepisset*: Quid est boc, quòd ad visionem Angeli vir timidus fit, & mulier audax? ita S. Greg. Omitto nunc rationem allegoricam, quam sanctus Gregor. adhibet, & eam quæ ad rem facit dicam; Rectè mulier locuta est, & viri iudicium contradixit; & quamuis ille vir, & hæc mulier rectiùs sapuit, vt iode nos videamus audienda esse verba & consilia minorum, quantumuis minores scientia & fortitudine sint.

Labata loci Mor. Tom. I.

Propositio II.

Quàm necessarium sit consilium.

VVlgo dici solet, *Da mihi pecuniam & non consilium.* Sed imperitorum hoc dicterium est. Audi S. Ambros. lib. 2. officior. c. 15. Quanto vtilius Regem Pharaonem Ioseph consilio iuuit, quam si pecuniam contulisset? Peconia, quippe vnius ciuitatis non redemit vbertatem, sed pruspicientia totius Ægypti per septennium repulit famem; facilè autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt, hæc vsu augentur, pecuoia minuitur & deficit citò, & ipsam destituit benignitatem, vt quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adiuoes, & ideo tibi desit, quod aliis conferendom censueris. Consilij autem collatio quo in plures diffunditur, eo redondatior manet & io fontem suum recurrit, in se enim refluit vbertas prudentiæ, & qoo pluribus fluaerit, eò eaercitius fit omne quod remanet. ita sanctus Ambrosius.

Propositio III.

Consilia à doctis & sanctis viris petenda sunt.

SAnctus Ambr. 1. offic. 47. Negligere bonorum iudicia vel arrogantiæ, vel dissolutionis est, quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ. ita S. Ambrosius.

Confidentia in Deum.

1. *Quàm grata sit Deo.*
2. *Ex defectu huius confidentia mala plura sequuntur.*

Propositio I.

Quàm grata sit Deo.



Scendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius & ecce motus magnus factus est in mari, &c. Ponderans tempestatem hanc S. Petrus Chrysol. ser. 10. Mare, inquit, quod pedibus Christi tumentia terga submisit, & per liquentem viam saxea soliditate seruiuit, quid est quod modo furit & vsque ad periculum naufragij sæuit? Et quid ipse Christus futurorum præscius, sic præsentium videbatur ignarus, vt instantem procellam, tempestatis horam & tempus non caueret periculi? Et inter vigilantes omnes tunc solus teneretur in somno, quando imminebat suis tam graue discrimen? ita ille. Poterat quidem facile vitare periculum hoc Dominus, cur igitur noluit? Respoodet ibidem sanctus Chrysologus: Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas; blandiente aura nauim regit vltimus nauta, in confusione ventorum quæritur ars primi magistri. Matt. 9. S. Petrus Chrysol.

Denique vbi sola iussio Christi adduxit mare, recussit ventos, turbines tulit, quietem dedit, & nauigantes ipsum esse omnium autorem fatentur. Etenim simul censeo probasse Christum confidentiam discipulorum: vnde nimiùm eos timuisse reprehendens dixit, *quid timidi estis modicæ fidei?* placet quidem Deo valde nostra in eum confidentia; & ideo discrimina & aduersa in nos permittit, aut etiam mittit vt confidentiam hanc exerceamus; in tranquillitate enim hæc non probatur nec in praxim exit, sed in rebus aduersis. Sicut enim de amore dixit S. Gregor. pœna interrogat si quis veraciter amat, idem de confidentia dicendum est: pœna quippe interrogat si quis verè confidit.

PROPOSITIO II.

Ex defectu huius confidentiæ mala plura sequuntur.

Exod. 16. Exod. 16. sic Moyses ad populum Israël agens de Manna. *Nullus relinquat ex eo in mane, qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cæpit vermibus atque computruit, & iratus est contra eos Moyses.* Cur sic præceptum hoc non seruauerunt? Hugo de sancto Victore ibi, diffidentes, inquit, ne in crastino manna non inuenirent. ita ille. ecce auaritiæ hominum causa, & nimiæ sollicitudinis rerum temporalium diffidentia, ex qua oritur non seruari præceptum illud Domini, quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis: imo & hinc vsuræ, & simoniæ, & furta, & debitorum retentiones, & aliæ huiusmodi peccata iniustitiæ: si enim prouidentiæ diuinæ confidentiam omnes haberent, haud ista perpetrarent, quorum hac inter alias solent pœna puniri, vt male parta male pereant, sicut de manna Hebræis euenit.

Hugo.

Cæcitas mentis.

1. *Ex cæcitate mentis proueniunt plurimi lapsus in peccatum.*
2. *Ex cæcitate mentis non solùm proueniunt damna spiritualia, sed etiam corporalia.*
3. *Cæcitas mentis reprobationis signum est.*
4. *Quanta sit cæcitatis mentis vis ad malum.*

PROPOSITIO I.

Ex cæcitate mentis proueniunt plurimi lapsus in peccatum.



Psalm. 12. Psal. 12. sic Dauid Domino: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.* Supponamus hic agere Dauidem de

S. Basil. hoste spirituali dæmone, vt exponit S. Basil. Vt igitur à tali ac tanto hoste liber euaderet Dauid, illuminari à Deo petit; non petit à Deo gladium vel hastam, sed lucem internam animæ; innuens eam ob causam homines à dæmonibus vinci, quia mentis cæcitatem patiuntur; qui verò a Deo illuminantur, facilè vincunt tentationes, consensum negantes imperati: vident enim lumine illo, quàm malum & amarum sit peccare. Ideo dicit Dauid, *ne vnquam obdormiam in morte.* Quam mortem? ait Basil. & respondet, non communem illam humanum genus demetentem, & peccatores perdentem, nam ea propriè est mors, quæ animam separat à Deo, ne quando inimicus videns me in mortem peccati deiectum dicat *præualui aduersus eum.* ita S. Basil.

S. Augustin. S. August. in id Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius, in omni tempore,* ait: Cum magnum malum homines censeant oculorum corporalium cæcitatem, qua lux corporea retrahitur; quantam ergo patietur pœnam qui secundis rebus peccatorum suorum eo perducitur vt non sit Deus in conspectu eius, & contaminentur viæ eius in omni tempore, id est cogitationes eius & consilia eius immunda sint?

PROPOSITIO II.

Ex cæcitate mentis non solùm proueniunt damna spiritualia, sed etiam corporalia.

Psalm. Psal. 9. *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Ecce quid de quibusdam peccatoribus dicat locus iste, *contritio in viis eorum,* quia vexantur, & conteruntur, quærentes diuitias, & delitias, & honores mundi per fas & nefas, vt concupiscentiis suis satisfaciant, & tamen *infelicitas,* inquit, *in viis eorum,* quia satisfactionem & satietatem, quam re qu[illegible], minimè inueniunt, vti in Ab alone videre licet, qui labore magno exercitum comparauit, vt impiè debellaret parentem, & regnum eius sibi vsurparet; pugnauit, exercitum & se crudeliter vexauit, & tandem suspensus & telis confossus, infeliciter animam exhalauit, sic *contritio & infelicitas in viis eius.* Et subdit: *viam pacis non cognouerunt.* Via pacis via virtutis est, quia, *Pax multa diligentibus legem tuam,* (ait Dauid Psalm. 118.) *& non est illis scandalum,* id est *non est infelicitas in viis eorum,* sed felicitas, sed beatitudo, sed gloria; hanc non cognouerunt impij, quia excæcauit eos malitia eorum, & mente cæci non cognouerunt dum viuerent, cognoscent in Gehenna. Sic S. Basil. in hunc Psal. super hæc verba, *nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem?* non (inquit) cognouerunt admoniti, cognoscent dolentes. ita ille. Etenim verum sic esse ostendunt verba ipsorum damnatorum in inferno, dicentium Sap 5. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Ecce quomodo *contritio & infelicitas in viis eorum,* sed serò sapiunt Phryges.

S. Basil.

Sapi. 5.

PROPOSITIO III.

Reprobationis signum est cæcitas mentis.

Leuit. 11. Leuit. 11. reprobauit Deus olim aues quæ tenebris gaudent, quas nos aues nocturnas appellamus,

pellamus, has Deus inter immundas numerauit, & reprobauit. cur ita? Theodor. q. 11. in Leuit. vt tenebras, inquit, odio prosequamur. ita ille. Tenebras videlicet mentis. Homines igitur qui tenebras mentis patiuntur, signum secum ferunt reprobationis, nec mirum: nam hi veluti cæci & ignorantes, saluationis suæ remedia nec vident,& per consequens nec quærunt. Vnde Matth.

Matth. 25. 25. de Pharisæis illis cæcis, sic Dominus ad Apostolos: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. O terrible palabra dexaldos, señor, que estan en peccado mortal: Dexaldos en su peccado paes tan por fiadamente se quieren estar enel, sinite illos, señor que se van ad infierno? Dexaldos ir al infierno pues no basta razon con ellos de querer ir al cielo,* sinite illos, &c. quando *a esa cequedad llegan dad los por desauciados, bien podeis doblar por ellos*, sinite illos. Verum autem est quòd licet talia signa reprobationis deatur, si aliquando tales immundi conuerti vellent, non est impossibile dum viuunt conuerti, quia apud pium nostrum Deum omnia possibilia sunt, vt Act. 10. in linteo illo à cœlo demisso, in quo animalia immunda continebantur, significatum est Apostolo Petro, ad quem Dominus ibi: *Occide*, inquit, *& manduca*, hoc est, recipe intra viscera Ecclesiæ si conuerti voluerint, &c. nemo desperet: difficilis tamen est horum conuersio: ob hoc enim sinite illos (ait Domino) non vt desperemus de eorum remedio, sed vt magnam salutis horum difficultatem explicaret?

Act. 10.

S. Epiph. S. Epiphan. in Physiol. c. 23. Est (inquit) auis *Charadrius* dicta, quàm Physiologus ait albã esse totam, absque vlla prorsus nigredinis nota. Porro si quis morbo laboret, sitque hominis ægritudo lethalis, prospectum suum Charadrius ab illo auertit; sin verò non auertit vitæ securitatem promittit, tum nempè Charadrius in ægrum visum intendit, & vicissim æger in Charadrium. Sic Christus Dominus candidus est totus, absque vlla nigredinis nota, qui à reprobis vultum suum auertit, in sanctorum autem faciem respicit. ita S. Epiph. At quæres, quid est respicere Deum, aliquem? Cardinalis noster Bellarminus in illa psalmi 12. verba *vsquequo auertis faciam tuam à me?* Quando(inquit)tenebræ obscurant intellectum, videtur Deus auertere faciem suam ab anima; ipse enim est lux, & ideo illuminat cum faciem conuertit, & in tenebris relinquit cum auertit. ita ille. Fauet expositio S. Hieronymi dicentis: *Vsquequo auertis faciem tuam à me*, vt non habeam intelligentiam, neque sim in lumine cognitionis tuæ ante terminum vitæ huius? ita ille. Et similiter S. August. dicens: Auertere faciem suam dicitur Deus, dum non dat animæ notitiam sui, quæ adhuc purum mentis oculum non habet. ita S. August. huiusmodi est cæcitas mentis illius, qui audiendo non audit vt faciat ea quæ audit, & illius qui legendo non operatur, quæ legit, & ad salutem animæ conducit, sed mortuus quodammodo audit quasi non audiret, & legit quasi non legeret, & intelligit quasi non intelligeret: hunc diuinus ille Chaladrius non respicit, quod mortis æternæ & reprobationis signum est.

Bellarm.

S. Hiero.

S. August.

):(

Propositio IV.

Quanta sit cæcitatis mentis vis ad malum.

Incredibilis quidem esset vis & potestas cæcitatis & tenebrarum mentis nisi exemplis constaret scripturæ sacræ. v. g. Matth. 2. per ôtantibus Magis, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*, consuluit Herodes scribas & sapientes Iudæorum, & ipsi scripturas, & inuenientes hanc apud Mic. c. 5. Prophetiam, *& tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiget Dux qui regat populum meum Israël:* responderunt rectè iuxta hanc Prophetiam: Magi autem hoc responso abierunt, quæsierunt Christum, & inuenerunt, ipsi tamen consultores cum Herode non quæsierunt, remanserunt, cum primos ad Christum quærendum & adorandum esse oporteret. Ponderat rem S. Leo Papa ser. 1. de Epiphania Domini dicens: Quæ ista, ô Iudæi, tam imperita scientia in vobis est? & tam indocta doctrina? Interrogati vbi Christus nasceretur, veraciter & memoriter dicitis, quod legistis in Bethlehem Iudæ hûc principem natum, & pastoribus Angeli, & vobis nunti auere pastores, & postea vestra eruditio prodidit, quod stella non docuit. Cur igitur viam quam aliis aperuistis vobis obstruxistis? cur in vestra infidelitate fit dubium, quod ex vestra responsione fit manifestum? locũ natiuitatis Domini de scripturarũ testimonio demonstrastis, præsentiã tẽporis de terræ ac cœli attestatione agnoscitis, & tamen ad nõn credendum vester sensus obduruit, & ad persequendum Christum Herodis animus exarsit. ita S. Leo. Vnde igitur hoc nisi ex intima, & eximia animi cæcitate? Vide tu quanta sit vis & potestas tenebrarum & cæcitatis mentis, si orto iam sole nulla interposita nube, nebula aut obstaculo aliquo, videres nihilominus vniuersum hemisphærium ita obscurum sicut media nocte esse solet, quando nec Luna nec lux alia fulget, quid de hisce tenebris diceres? Ortus fuit Sol diuinus Christus Deus noster, qui Magos longè distantes illuminauit, & nihilominus in tenebris Hierosolymitani, vti diximus, remanserunt, nonne horribiles dices tenebras has mentis eorum?

Mat. 2.

S. Leo.

Merito quidem dixit Apost. ad Col. 1. Deo gratias esse reddendas, *quia eripuit nos de potestate tenebrarum*, non ait, *de tenebris*, sed *de earum potestate*: quæ enim maior potestas, quàm quæ intellectum & sapientiam illorum sapientium Israël sic vicit, sic obscurauit, & quæ modò infideles ita subdit & ligat, vt nec rationibus, nec miraculis eos vincere valeamus?

Col. 1.

Habemus & aliud huius cæcitatis exemplum Exod. 32. vbi filij Israël videntes Moysem moram in monte Sina facientem, vitulum fabricantes eum tanquam Deum adorauerunt dicentes. *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quid ineptius? quid stolidius? quæ maior cæcitas mentis? Qui veri Dei tantam habuerant cognitionem, qui magnalia viderant, quæ Dominus paulò antè pro ipsorum redemptione fecerat in Ægypto, vitulo operi manuum ipsorum, vitulo inquam fœnum comedenti diuinos referunt honores, adorantes & dicentes ipsum vitulum eduxisse eos de Ægypto: quomodo vitulus hic vos eduxit, quem modò vos in lucem eduxistis,

eduxistis, quique tunc non erat? Vide potestatem tenebrarum & cæcitatis mentis.

Ioan. 11. Nec minor fuit cæcitas Iudicum Hierusalem, quando collegerunt concilium aduersùm Christum Dominum, & dixerunt, *quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* vbi signa proposuerunt contra Deum, propter quæ eum admirari & venerari debuerunt; & quidem concilium erat Pontificum, Theologorum & sapientum illius reipublicæ, & tamen in publico iudicio non in angulo proponere talia non erubuerunt, quia cæcitate mentis laborabant, cæcitas autem mentis ab stultitia quid differt?

Orate igitur fratres Dominum, vt non permittat vos in has incidere tenebras, quia æternæ dānationis indicia sunt: attendite quid de his cæcis Dominus dicat Mat. 15. *sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Pondera verba *sinite illos*. O Domine, si illos sinimus, peribunt; *sinite*, inquit, illos, pereant. Ita ne, illos perire videbimus & sinemus perire? Ita, quia ceci sunt, *y quando uno llega a estar de esa manera ciego bien podeis doblar por el.* Deo quidem omnia sunt possibilia, sed tamen secundum legem ordinariam hos inter præscitos numeramus.

Cordis custodia.

Propositio Vnica.

Quàm necessaria sit custodia cordis.

Matt. 5. MAt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Qui sunt hi qui mundo cor habent? S. Hieron. ibidem, Qui quos non arguit conscientia vlla peccati, mundus mūdo corde conspicitur, templum Dei immundus esse non potest ita S. Hieron. Nota, mundus mundo corde conspicitur, hoc est, tum verè quis mundus est, qui non solùm verbo & opere mundus est, sed etiam cogitatione, quia malum ex quocumque defectu. Vnde Isai. 1. *auferte malum cogitationum vestrarum, &c.*

Conuiuium.

Propositio Vnica.

Moderata oportet esse conuiuia Christianorum.

Laertius. LAertius lib. 2. Socrates (inquit) quosdam hospites suos, cum satis tenui cœna excepisset, cuidam quærenti cur ita fecisset, respondit: Si boni sunt, æquanimiter ferent; si mali, non est curandum. ita ille. Pudeat nos ab Ethnicis hos trahere mores, & documenta, sed pudeat magis ab eis superari.

Iob. 1. Iob. 1. vbi agitur de conuiuiis, quæ inter se celebrabant filij Iob, ait scriptura: *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos:* Sanctificabat, id est præparabat eos ad holocausta, vt scilicet sanctiùs ad sacrificia cōcurrerēt, vt illis prodessent magis, vel orationibus præuiis, vel aliqua alia ceremonia sancta, & postea pro illis sacrificia offerebat. Cur, inquies, post conuiuia hoc faciebat Iob? Respondet S. Greg. 1. Mor. 5. Hoc nobis solerter intuendum est, quod peractis diebus conuiuij, purgatio per singulos adhibetur holocausti; vir quippe sanctus nouerat, quia celebrari conuiuia sine culpa vix possent; nouerat, quia magna purgatione sacrificiorum, diluendæ sint epulæ conuiuiorum, & quidquid in semetipsis filios conuiuantes inquinauerat, Pater sacrificium immolando tergebat. ita S. Greg. S. Greg.

Hinc est quòd inter ea quæ causa damnationis fuerunt diuitis auari Luc. 16. quotidianæ epulationes splendidæ numerantur; *epulabatur quotidie splendidè.* Quamuis enim conuiuia secundùm se peccata intrinsecè non sint, occasiones tamen non leues sunt peccatorum. Etenim Exod. 30. *Sedit*, inquit, *populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Surrexerunt ludere canentes, & saltantes, & vociferantes in obsequium vituli, non in honorem veri Dei; nesciunt mundana conuiuia Dei honorem. Sed speciatim à lingua peccata proficiscuntur, Luc. 16. Epulo ille sic ad Abraham, *miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cur quæso potius queritur de linguæ tormento, quàm reliquarum partium corporis, cum omnes igne illo tartareo torquerentur? Respondet S. Gregor. ibidem, Priùs epulatus quotidie dicitur splendidè, & postea aquam ad linguam petere memoratur, quia inter epulas valde defluere loquacitas solet, ex pœna ergo indicat culpam, cum eum quem epulatum Veritas quotidie splendidè dixerat, in lingua plus ardere perhibebat; sicut hi qui chordarum harmoniam temperant, tanta hac arte dispensant, vt plerumque cum vna tāgitur, longè alia ac multis interiacentibus posita chorda quatiatur, cumque ista sonitum reddit, illa quæ in eodem cantu temperata est aliis impercussis tremit: sic in scriptura sacra de virtutibus & vitiis agitur, vt dum aliud insinuat, aliud tacendo innotescat: nihil contra diuitem illum de loquacitate memoratur, sed dum pœna in lingua dicitur, quæ in conuiuio inter alias fuerit culpa monstratur. ita S. Greger. De his conuiuiis vide S. Chrysost. hom. 24. super epist. ad Rom. in morali.

Cogitatio.

Propositio. Vnica.

Quòd non solùm curare debemus vt verba pura sint, sed vt etiam cogitationes mundæ sint.



Leuit. 1. LEuitici 1. agitur de magno holocausti sacrificio de quo inter alia sic: *Intestinis & pedibus lotis aqua, &c.* Cur hæc speciatim iussit Dominus aqua lauari? Isichius in c. 1. Leuit. Septuaginta (inquit) sic edunt: *ea qua sunt in ventre, & pedes aqua lauent.* Per ea, quæ in ventre sunt, abditas & latentes in corde significantes cogitationes, quia venter animæ cor est: vnde Ieremias dicebat: *ventrem meum, ventrem meum doleo*; quem ventrem ipsum subinfert, *& sensus cordis mei? conturbati sunt.* Pedes autem actiones, quia Isichius.

Prophe

Prophetæ præsens sæculum viam appellare consueuerunt, ita vt diceret David: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, id est, qui in lege Domini operantur. Vult ergo nos simul cum actionibus cogitationes mundare, quia de cogitationibus etiam rei in iudicio tenemur. Si enim qui suo irascitur fratri sine causa, reus est gehennæ, ita autem motus est animæ, non debebit hic ex actione iudicium? Ita quidem. Ita ille. Vnde Isai. 5. *Auferte malum cogitationum vestrarum*, & Christus: *qui viderit mulierem*, &c.

Comœdia.

Propositio Vnica.

Comœdiæ lasciuæ, inuentiones dæmonis sunt.

S. Anton. de Padua. Sanctus Antonius de Padua in quodam sermone de Iudicio inquirit rationem, cur metus iudicij & inferni nihil in hominibus multis operetur? & concludit delitias mundi in causa huius esse. Simile. Sicut enim (ait) in locis vbi sericum fit, si tonare, & fulgurare contigerit, ne vermes deteriti morlantur, tympana & alia musicæ instrumenta pulsantur, quo vermes disttahantur, ne aliquam impressionem tonitruorum recipiant; sic diabolus cum tonitrua diuinorum iudiciorum & pœnarum inferni intus vel exterius in auribus peccatorum sonant, ne aliquam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel quid simile, peccatoribus proponit, ne inde terreantur & conuertantur.

Candidatus.

Propositio Vnica.

Dæmon eleuare quærit multos, vt eos ex alto deturbet.

Mat. 4. Mat. 4. Diabolus statuit Christum Dominum nostrum super pinnaculum templi, & ait: *si filius Dei es, mitte te deorsum*. Ponderat S. Petrus Chrysol. dictum hoc nostri hostis. Chrysol. ser. 13. & ait: conuenientius diceret, *si filius Dei es, ascende in cœlum*, cum sit vtique hominis ad ima cadere, Dei autem sit ad superna conscendere. Sed sic suis suadet, suos eleuat, vt de alto validius præcipitet, in ruinam lapsus nostros quærit. Ita ille. Attendant hoc candidati, qui non solùm oblatas sibi dignitates non respuunt, sed & ambiunt per fas, & sæpe quoque per nefas; etenim ipsemet altus locus præcipitationis occasio est, quamuis Deus hominem in eo collocet, vt patet in lucifero, in Adam, & Eua, in Saule, & Iuda & aliis.

***

Deus.

1 *Quàm ineffabilis sit à nobis.*
2 *Quanta sit Dei excellentia.*
3 *Quàm incomprehensibilis sit Deus à nobis.*

Propositio I.

Quàm ineffabilis sit à nobis.

Iob. 36. Iob. 36. sic Eliu amicus Iobi: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Ita quidem est; sic enim vincit scientiam nostram, vt nec sermone nec cogitatione eum vel exprimere, vel capere sicuti est valeamus.

Quod vel cæca gentilitas fateri coacta in introitu templorũ Deorũ suorũ idolũ quoddam digito super labia posito constituebant, quasi dicens: Vos qui templum ingredimini, videte, & tacete, id est, de natura Deorum nolite disputare, quia id capere non potestis; sic illi qui falsos adorabant Deos: quid nos de vero Deo dicere par erit? Etenim ideo Deus vetus est, quia vincit scientiam & cognitionem nostram; nec enim verus esset Deus, si eum nos intellectu nostro comprehendere possemus: et enim ita vetus vt veritas ipsa infinita sit.

Iob. 51. S. Greg. Sic Eliu amicus Iobi, *si loquutus fuerit homo, deuorabitur*. Quem locum sic explicat S. Greg. 27. Mor. 25. homo si de Deo ceperit loqui, magnitudinis illius immensitate deuoratur: loquitur enim caro de spiritu, creatura de creatore, temporalis de æterno, & quasi cæcus loquitur de luce. ita ille. Vide tu quid de luce dicere valeat cæcus, Deus enim lux est, & lucem habitat inaccessibilem, de luce autem inaccessibili quid dici à nobis potest?

Propositio II.

Quanta sit Dei excellentia.

Rom. 1. Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas*. Ponderans hęc verba sanct. Chrysost. hom. 6. in Gen. ait. Chrysost. Quid dicis homo? cum videris cœlum & eius pulchritudinem admiraris, Astrorum varietatem, claritatis eminentiam; ne ibi subsistas, sed ad opificem ipsum extende mentem: obstupescere te facit solis lux? & admiraris multiplicem vsum eius? sed neque ibi subsistas, quia si factura tam admirabilis est, quantus est, qui solo verbo & præcepto ipsam produxit? Id ipsum de terra considera, quando videris eam floribus ornari, & sicut vestimentum multis coloribus distinctum, varia herbarum segete vndique tegi; cogita quod ante hæc dixerit Deus: *producat terra herbam virentem*, & mox omnis terræ facies ornata est. ita S. Chrysost. S. Chrysost. Sicut apes igitur debes ex creaturis velut ex floribus colligere celsitudinis Creatoris nostri cognitionem, & sic non solùm cæli, sed etiam terra & omnes creaturæ enarrabunt tibi gloriam Dei.

Propositio II.

Quàm incomprehensibilis sit Deus à nobis.

August. SAnctus August. 38. de verbis Domini: Loquimur de Deo, quid mirum si non comprehendis? si enim comprehendis, non est Deus. Sit igitur pia confessio ignorantiæ potius, quam temeraria scientiæ professio; attingere autem mente Deum aliquantulum magna beatitudo est, comprehendere tamen est impossibile. ita sanctus August.

Dei misericordia.

1. *Misericordia Dei etiam in punitione peccatorum relucet.* Vide propositionem 4.
2. *Quàm ingens sit in nos misericordia Dei.*
3. *Quàm facilè peccatores recipiat.*
4. *Quàm gloriosum Deo sit remittere peccata.*
5. *Misericordia à Deo est punitio nostra.* Vide prop. 1.
6. *Quàm alienum à misericordia Dei sit punire nos.*
7. *Contra eos qui peccant in spe misericordiæ Dei.*

Propositio I.

Misericordia Dei etiam in punitione peccatorum relucet.

Exod. 32. EXod. 32. ad iram magnam Dominus prouocatus propter vituli adorationem sic ad Moysem: *Dimitte me* (inquit) *vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*: non inquit, *sine me punire illos*, sed *sine me irasci*; quid non solùm ita, sed & furore dignius, quàm crimen idololatriæ? Et maximè post tot tantaque beneficia exhibita populo illi? & tamen non solùm supplicium non intulit illi, verùm etiam iram compescuit misericors Dominus; etenim Moyses nullum pro populo emiserat verbum. Cur igitur ait Moysi, *sine me*, &c. Videas Patrem in filium iram præseferentem, & propter culpam aliquam pœna dignam magna clamantem, & dicentem, *sinite me occidere illum, pereat malus hic*, &c. nullo tamen obstante clamat, *sinite me*, quod quidem idem est ac si diceret, *tenete me, obstate ne puniam filium.* Sic igitur Deus non impediente Moyse ait illi: *sine me vt irascatur furor meus in eos.* Sic optimè Theod. ponderauit locum istum Theodoret. q. 61. in Exod. dicens: qui ad aliquid agendum ducitur ira, iis etiam indignatur qui admonent illum. Deus autem dicit: *dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Atqui nemo expectat momentum, vt irascatur, sed vt mitigetur potius. Hæc igitur verba, *dimitte me*, dixit, pro eo quod est *cohibe à me*, & vt pro populo intercederet excitauit. ita ille. Vides quam alienus à punitione sit, qui irasci detrectat?

(Simile.)

Gen. 4. sic Dominus ad Cain post fratricidium; *omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Gen. 4
Cur morte dignum Cainum sic Dominus defendit? S. Ambros. lib. 2. de Caio & Abel c. 10. S. Ambr.
noluit Dominus homicidium homicidio vindicari, qui mauult correctionem peccatorum quàm mortem. ita S. Amb. Seruauit igitur Dominus vitam Cain, non quia tali beneficio ille dignus esset, sed vt tempus pænitentiæ illi concederetur. Hinc est quod cum in eodem c. 4. Lamech interfecisset Cainum, dixit: *septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies.* Cur maiori pœna puniri debuit qui fratricidam occidit, quàm qui occiderat innocentem? Respondet ibidem S. Ambros. quia nemo debuit interimere eum, qui vsque ad naturalem terminum mortis suæ agendæ pœnitentiæ spatium habebat: excusare enim se posset quod se redemisset, vel sera actione pœnitentiæ nisi eum, præmatura pœna rapuisset. ita ille.

Genes. 2. Sic Deus Adæ: *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce pœnam pro illa præuaricatione designatam. Cur igitur peccante homine non fuit executioni mandata? Theodor. q. 38. in Genes. quamuis Deus cominatus fuerit, dicens, *in qua die comederis, morte morieris*; non tamen statim mortui sunt, quia bonus Deus maiora supplicia comminari consueuit, minora tamen sumit his, quæ interminatus est. ita ille.

Propositio II.

Quàm ingens sit misericordia Dei in nos.

Gen. 6. MEretur quidem qui peccatum mortale committit, statim in gehennam mitti, sed mitis Dominus, & valde misericors vt peccator resipiscat & pœnitentiam faciat, spatium ei temporis facilè concedit: quod quidem maximè ostendit, cum aquis diluuij mundum delere decreuit. *Videns enim quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, dixit ad Noe, erunt dies illius centum viginti annorum.* S. Hiero. lib. S.Hieron.
de quæstion. Hebraicis sic locum istum interpretatur: non intelliguntur prædicti esse anni vitæ humanæ, cum post inueniatur homo plus vixisse, sed intelliguntur ante annos viginti, quàm inciperet arca fieri, quæ facta legitur centum annis, ne videretur crudelis, quasi non dederit pœnitentiæ locum. ita S. Hieron. Ecce 120. annos tribuit mundo adeo corrupto, & perdito, vt plus quàm sufficiens tempus ad pœnitentiam haberet.

Ezech. 16. sic Dominus ad Populum Israël: Eze. 16.
vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi, viue: Quid est, *in sanguine conculcari*? Theodor. id est, vidi te amplectentē sanguinem sacrificij, idolorum, & dixi, *viue.* ita ille. Viue, dixit, vita gratiæ ad me conuersa plebs Israël. Nota igitur non Augustini aut Hieronymi ponderationem diuinæ misericordiæ, sed ipsiusmet Dei, cui non satis fuit dicere, *vidi te conculcari in sanguine. & dixi: viue*, sed reduplicās verba ait; *& cum esses in sanguine*, id est, *non expectaui vt quiesceres à peccatis, sed in medio peccatorum tuorum dixi tibi, viue.* Etenim S. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus, Dei pietatem expendens dixit; Deus est S.Dioni
conuertens & reducens eos, qui diuinam in se imaginem

imaginem corruperunt. ita ille. quasi dicat: Vis nosse quanta sit misericordia & elementia Dei in nos? Ita se cũ peccatoribus gerit, vt eumdigni sint à Deo grauiter puniri, eo quod diuinam imaginem in se ipsis deturpauerint, tunc oculis misericordiæ eos conspiciens, ad se trahat, & conuertat ne pereant. Optimè, sed id quod Ezechiel refert, amplius, *& cum esses in sanguine tuo dixi, viue.* huius exemplum in Saulo patet, quem Deus adeo misericorditer, & mirabiliter conuertit dum actu Christum persequeretur, & in Mat. 9. *vidit hominem sedentem in telonio*, id est lucris illicitis actu vacantem; Domine expecta vt à telonio surgat, & templum ingrediatur; nequaquam, sed in ipso telonio, vt pietatis suæ viscera melius hoc pacto innotescerent nobis.

1. Cor. 2. — 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Cur Patrem *misericordiarum* eum vocat, & non *iustitiarum*, cum non minus iustus sit, quàm misericors? si enim infinita est misericordia eius, infinita quoque iustitia eius, nihil enim finitum est in natura diuina. Vnde David ps. 35. *Omnes viæ eius misericordia, & veritas*, id est *iustitia*. Et ps. 29. *misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, non solum misericordiam sed iudicium: & ps. 61. *Semel loquutus est Deus: duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*; potestas scilicet ad puniendum. Cur igitur Apostolus speciatim eum Patrem misericordiarum vocat? Respondet S. Bernard. ser. 5. in Natali Domini: rectè non pater iudiciorum, vel vltionum dicitur; sed pater misericordiarum, non modo quòd pater videtur potiùs misereri quàm indignari, & sicut pater miseretur filiorum timentiûm se, misereatur, sed ex eo maximè quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi autem, & vlciscendi, magis ex nostro. ita S. Bernard. & ideo Ecclesia in quadam oratione, sic inuocat Deum & prouocat ad veniam peccatorum, dicens: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*, quia *apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* vnde S. Bernard. vbi suprà, quòd Deus misereatur, proprium eius est; nam quòd iudicet & condemnet, cum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde eius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur; ipsum audi dicentem: Nunquid voluntatis meæ est mors impij & non magis vt conuertatur & viuat? ita S. Bernard.

Psal. 35.
Psal. 62.
S. Ber.
S. Bern.

Rom. 1. 17. — Ad Rom. 1. *reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem hominum illorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Cur nõ ait, *descendit ira Dei*, sed *reuelatur ira Dei in peccatores*? S. Anselm. ibidem, non dixit, *infertur ira Dei*, sed *reuelatur*; vbi enim reuelatur non infertur, sed reuelatur vt terreat & territis non inferatur; reuelatur autem in Euangelio animaduersio Iudicis districti. ita S. Anselm. quod in signis iudicij verificari potest, *erunt signa*, &c. Vnde merito dixit S. Chrysol. quod Deus minatur supplicia ne Inferat.

S. Ansel.
S. Chrys.

Num. 14. — Numerorum c. 14. cũ Dominus perdere Israëlẽ vellet propter multa & grauia eius peccata, sic ad eũ Moyses pro illo populo deprecans: *Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti, dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens peccata & scelera; dimitte obsecro peccatum populi huius, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.* Obserua quod non dixit *manifestetur clementia tua* vel *misericordia tua*, sed *magnificetur*, hoc est honorificetur & glorificetur fortitudo tua. Vbi duo dicit: primum est, quòd non solum ad pietatem & mansuetudinem spectat parcere delinquentibus in eum, sed etiam ad fortitudinem & potentiam aduersus eos, qui tunc de se fortiter præsmunt, cum de inimicis vindictam acerbam sumunt. Secundum, quòd magnificum & gloriosum sit parcere inimicis contra eos qui dedecus esse censent, vindictam de illis non capere; vnde potius debiles sunt, & nullo honore digni, qui vindicari quęrunt; & tandem vt qui peccant, confidenter ad pænitentiam, & ad Deum properent, vt per veniam glorificetur Deus: cum primum enim sic orauit Moyses, audiuit à Domino: *dimisi iuxta verbum tuum*, id est *quoniam rogasti me*, vt quam apud Deum oratio conster, prætetea *iuxta verbum tuum*: tu enim dixisti, *magnificetur fortitudo tua*, sit ita, sic enim magnifico eam.

3. Reg. 9. sic Dominus ad Salomonem: *si ambulaueris coram me sicut ambulauit pater tuus in simplicitate cordis, & in æquitate*, &c. *Ponam thronum Regni tui super Israel in sempiternum.* Numquid David pater Salomonis non ordinauit insidiosè mortem Vriæ? Numquid David non commisit adulterium, in quorum primo non ambulauit in simplicitate, & in 2. non ambulauit in æquitate? Cur igitur ait Dominus Salomoni, *si ambulaueris in simplicitate & æquitate sicut pater tuus?* Nimirum, quia Dauid iam egerat conuenientem pænitentiam, & lachrymis multis deleuerat illa duo peccata, sicut ipse dixit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, &c. & iterum, *lachrymis meis stratum meum rigaui*; quapropter Deus quasi illorum peccatorum oblitus ait, *si ambulaueris in simplicitate*, iuxta illud Ezech. *proiecisti post tergum tuum, omnia peccata mea*, O misericordia Deo digna! ô eximia pœnitentiæ commendatio! 3. Reg. 9.

Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiciam foras, quia descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam* (humanam videlicet) *sed eius qui misit me* (id est diuinam.) Ponderat S. August. verba hæc tractatu 25. in Ioann. dicens: Ideo ergo eum qui venit ad te Domine, foras non eiicies, quia descendisti de cœlo non vt facias voluntatem tuam, sed voluntatem eius; magnum sacramentum. ita S. August. Magnum ergo sacramentum hoc explicemus: numquid voluntas humana Christi diuinæ opposita erat? absit. Cur igitur ait, *descendi non vt faciam voluntatem meam*, &c. agebat Christus Dominus de remissione peccatorum; hoc enim significat *omne quod venit ad me, non eiciam foras*, hoc est, omnem peccatorem ad me confugientem recipiam, & dimittam peccata, non vt in hac peccatorum remissione meam tantùm exerceam voluntatem humanam, altius enim principium habet peccatorum remissio, dimittam vt adimpleam voluntatem diuinam Patris mei: Loquitur enim Christus quatenus homo, & ostẽdere voluit Dei voluntatem proclinem esse ad misericordiam & remissionem peccatorum, in tantum, vt ad hoc maximè fuerit à Patre missus ad nos. Sit ille in sæcula benedictus. Ioan. 6. S. August.

Inde etiam constat quàm accepta sit Deo pænitẽtia, per eam enim peccator venit ad Christum.

1. Sic sponsa Christi ad ipsum, *oleum effusum nomen tuum.* S. Bernard. & Chrystopolitanus, & Philo Episcopus hoc loco, & Richardus Heremitan. lib. *de Elogio nominis Iesu*, de ipso nomine Iesu locum hunc interpretantur formaliter, quatenus saluator est; *oleum* autem dicitur, quia Cant. 1. 2. S. Bern.

quia oleum symbolum misericordiæ est notissimum. Vocatur igitur *oleum* nomen Iesu, hoc est Christus, quatenus saluator, quia parcere peccatori summum misericordiæ Dei opus est, vnde & Ps. 50. Dauid psal. 50. cum à Deo veniam peccatorum exigeret, *miserere mei* (inquit) *Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Cur, *secundùm magnam* dixit? nunquid in Deo nonnulla misericordia reperitur, quæ magna non sit, ad cuius differentiam, remissionem peccatorum misericordiam Dei dicat magnam? Manifestum quidem est in Deo vnicam esse & magnam, imò infinitam misericordiam, sed quia misericordia ordinem & relationem ad miseriam dicit, est enim misericordia actualis miseriæ remedium, ideo in Deo multitudinem misericordiarum imaginamur, secundùm quod in nobis plures miseriarum species seu genera sunt; & cum inter omnes miserias primum locum obtineat peccatum, est enim miseriarum maxima, ideo remissionem peccatorum suorum petens Dauid ait, *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Quod autem inter omnes miserias peccatum maxima sit miseria, adeo verum est, vt si omnes mundi miserias simul coniunxeris, vnicum mortale peccatum maiorem quam illæ sint miseriam esse dicendum sit. Imò si Deus ex pœnis inferni aliquem extraheret, & peccata eius remitteret, maior in eo misericordia esset à peccatis liberari, quàm à gehenna. Rectè igitur nomen Iesu *oleum* nuncupatur, quia saluare à peccatis maximum opus est misericordiæ. Quod si quæsieris, quàm magnificè, & liberaliter Deus peccata remittit, dictionem illam *effusum* attende, quasi dicat, effusè & diffusè vtitur Deus huiusmodi misericordia, & non strictè, non auarè, sed magna cum liberalitate: quod enim effundimus, liberaliter emittimus. Sic remittit ergo Deus peccata effusè, cui enim verè pœnitenti denegat Deus remissionem hanc peccatorum, quantumuis peccator ille sit? *Venite,* inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quinam sunt hi, qui laborant & onerati sunt? S. Chrysol. & S. Hier. & S. August. serm. 11. de verbis Domini secundùm Matth. dicunt esse peccatores, qui onerati sunt peccatis, & lassati in via iniqui- Ps. 37. tatis, de quibus peccatis dixit Dauid Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Ecce ergo quos vocat Dominus ad reficiendum eos, peccatores scilicet, & omnes, nullo excepto, qui pœnitens ad eum venire velit.

Quàm autem maximè misericordia hæc nobis esse debeat, & quàm propterea à nobis diligi Deus debeat, subdit ibidem sponsa dicens: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quod sic legit Philo Episcopus, *ideo adolescentulæ dilexerunt te, & traxerunt te post te.* Obscura lectio, sed præclara; quid igitur est, *traxerunt te post te?* si dixisset, *traxerunt te post se*, manifestum dictum fuisset. Quo autem pacto trahi potuit Deus post se ipsum? & quænam sunt adolescentulæ istæ? Philo ibidem, per adolescentulas, animas peccatorum intelligit pœnitentium, quæ cum conuertuntur, incipiunt de nouo diligere Deum. Vt intelligatur, quo pacto cum conuertuntur, trahunt Deum post ipsummet Deum, supponatur quod peccator peccans auertere facit faciem Dei a se, ideo Dauid Psal. 26. Domino dicebat: *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à* Bellarm. *seruo tuo*; hoc est, vti explicat Cardinalis Bellarminus, *ne sinas me in peccatum labi, ne iratus à me recedas.* Terga igitur dicitur Deus ab homine vertere, cum homo mortaliter peccat: cum verò pœnitentiam agit, faciem Dei ad se conuertit, per misericordiam remissionis & veniæ. Ait igitur sponsa saluatori: *oleum effusum nomen tuum*, Saluatoris scilicet, quia misericorditer, & liberaliter parcit peccatoribus; *& ideo adolescentulæ*, id est, animæ pœnitentes, *dilexerunt te, & traxerunt te post te*, quia tu auersus eras, & per pœnitentiam conuertis faciem in eam partem, ad quam conuerteras terga, secundum id quod Deus ipse promisit dicens: *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

In exemplum huius adducit prædictus Philo Episcopus illud Matth. 15. vbi Chananæa post Matth. 15. Christum clamabat. Ait ergo Philo: Adolescentula in fide Chananæa Iesum à tergo traxit, ita vt illius misereretur omnino. ita ille. Sed quidem melius in Magdalena hoc verificari potest, Luc 7. vbi à tergo Domini constituta, *lacrymis cæpit rigare pedes eius*, per veram pœnitentiam: quid tum? *Et conuersus Dominus*, ait Euangelista, *ad illam, dixit Simoni, vides hanc mulierem*, &c. & tandem ad illam: *remittuntur tibi peccata*, quæ quidem ideo dilexit postea Christum Dominum ob tam ineffabile beneficium, &c.

Cùm primùm primus homo Dei præceptum transgressus est, *apparuit ei Dominus deambulans in paradiso ad auram post meridiem.* Quid sibi vult deambulatio ista? quid tunc in paradiso Dominus quærebat? rei exitus manifestauit, venit primos parentes iudicare. Cur igitur deambulans venit? quia ad iudicium veniebat, etenim cum ad parcendum veniret, non deambulans, sed currens venit, *exultauit enim vt gigas ad curren-* Cant. 2.8. *dam viam. Ecce*, inquit sponsa, *venit iste saliens in montibus transiliens colles*, (attauancando collados) cur ita? quia ad saluandum nos properabat. S. Bernard. serm. 53. in Cantica: *Venit saliens in* S. Ber. *montibus, & transiliens colles*, quia vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. ita ille. Ecce rationem diuini cursus, tum propter obedientiam Patris, vt nos ad obediendum Deo promptè & velociter adhortaretur, tum etiam vt misericordiam eximiam ostenderet, qua ita celeriter ad redimendum nos venerit Deus factus homo. Hinc igitur constat ratio deambulantis Dei in paradiso. Idcirco non currens, sed deambulans in paradiso apparuit, quia ad puniendum veniebat, imò quia parcere potiùs quàm punire voluit; sic pedetentim accedebat vocans, & dicens: *Adam vbi es?* sciebat Genes. 3. vbinam esset, & tamen sic vocando & interrogando ad pœnitentiam illum inuitabat; in iudicium eum adduxit, vt se reum agnoscens veniam postularet. Denique si eum damnauit, ideo fuit, quia homo non pœnituit, nec veniam quæsiuit; Deus autem nullum lapidem non mouit, vt eum ad pœnitentiam prouocaret. Rationem hanc assignat Procopius in cap. 3. Genes. dicens: Quis Procop. Pater cura tanta & clementia perditum quæsiuit filium, dolens quidem quod suæ dignitatis oblitus in tantam miseriam esset deuolutus? si enim Deus pronus fuisset ad puniendum, è vestigio inobedienti pœnas meritas irrogasset. ita ille. Ideo etiam contra serpentem diabolum, neque sententiam tulit, neque interrogauit, quia ille pœnitentiæ capax non erat, vti ait sanctus S. Greg. Gregorius 33. mor. 31. Serpens, inquit, non interrogatur,

tertogatur, quia nec eius pænitentia quærebatur. ita S. Gregor.

Tanta est quidem in peccatores misericordia Dei,, vt eos remedia doceat, quibus iram & indignationem eius propter delicta nostra conceptam placare possint. Genes. 4. refert Scriptura Cain & Abel statim ab ineunte orbe sacrificia obtulisse Domino; quis eos sacrificiorum obsequium & rituus docuit? Aut quomodo ad Deum placandum sacrificia illa esse grata Deo cognouerunt?

Hugo. Hugo Victor. in annot. in cap. 4. Genes. Credimus, inquit, Deum docuisse Adamum cultum diuinum; quo eius beneuolentiam recuperaret, quam per transgressionis peccatum amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare decimas, & primitias. ita ille. Etenim nos cum aliqua sumus affecti iniuria, non de reconciliatione, sed de vindicta cogitamus, & agimus. Deus verò (quæ pietas & misericordia infinita eius est!) non de vindicta sicut de venia nostra agit. *Non enim, cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestra, via mea*, dicit Dominus, *quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Sit nomen eius benedictum in sæcula, quia facit hoc pacto misericordiam suam nobiscum.

3.Reg.6. 3. Reg. 6. de templo Salomonis: *Domus*, inquit, *cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis & omnia ferramenta non sunt audita in domo cum ædificaretur.* ita ibi. Singulare hoc & præter consuetudinem ædificantium; sed cur ita? Liceat nunc, quasi glossam huius loci verba Ciceronis adducere lib. 2. de legibus. Æs & ferrum arceto à delubris duelli instrumenta, non fani. ita ille. habes igitur hinc causam quæsiti, non sunt auditi in constructione domus Domini ferramenti ictus, quia ictus ferri, & sonus eius bellum & sanguinem sonant, Deus autem in domo sua non amat arma vindictæ sicut instrumenta misericordiæ.

Isaias,7. Confirmat hoc ipsum dictum Domini Isai. 7. *in die illa radet Dominus in nouacula conducta*, &c. minatur hîc Dominus populo suo stragem per manus Assyriorum, quorum exercitum nouaculam vocat, sed conductam; nouaculam quidem, quia vulnerare debebat; conductam verò dicit, vt notum omnibus esset, in domo Domini non reperiri vulnerum instrumenta, sed pietatis, sed misericordiæ. Ibi aduerte non emptam, sed conductam hîc à Deo appellatam esse nouaculam: quod emitur enim, apud emptorem remanet, non autem quod solum conducitur, *quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio*, ait S. Dauid Psal. 129. non verò nouacula, non item vindicta, & flagellum, *como si hubiera de empobrezerse Dios por comprar vna nauaja de estas, dize que la alquila solamente como quien no se hade quedar con ella la llama alquilada tan leos esta de saborearse en nuestros castigos.*

2.Cor.1. Hinc Paul. 2. Cor. 1. Deum, Patrem misericordiarum vocat, *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis*, &c. Cur eum

S. Bern. Patrem misericordiarum vocat? Sanctus Bernard. serm. 5. in natali Domini; Bene, inquit, dicitur Pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper & parcere. Sed forte quis dicet, quomodo proprium est illi misereri, cuius iudicia abyssus multa? nec enim dicitur, omnes viæ eius misericordia sola, sed misericordia & veritas; non enim minùs iustus, quàm misericors est, cui misericordia & iudicium decantatur. Verum est quidem, sed quod miseretur, proprium illi est, ex se enim materiam sumit; nam quod iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur. Ipsum audi dicentem: Numquid voluntatis meæ est mors impij (dicit Dominus) & non magis quòd conuertatur & viuat? rectè igitur non pater iudiciorum, aut vltionum dicitur, sed *Pater misericordiarum*, eo quod causam & originem miserendi sumat ex proprio, iudicandi verò & vlciscendi magis ex nostro. ita S. Bern.

Hinc Isaiæ 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Isai.30.
Vbi de aduentu Domini ad iudicium finale loquitur Isaias. Nomen igitur Domini hîc nomen iudicis est; tanquam iudicem ergo Dominum ad puniendum venire, est de longinquo venire, quia remotissimum ab ingenio Dei esse videtur sic iudicare, punire, & damnare, & extraneum valde, ideoque ait; *Ecce*, aduertite quia *nomen Domini venit de longinquo.*

Vnde idem Proph. Isaias c. 28. *Sicut in monte* Isa. 28.
diuisionum stabit Dominus, sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Alludit Propheta hoc loco ad duo supplicia, quæ de hostibus suis sumpsit Dominus; alterum in monte quod dicitur diuisionum; alterum in valle Gabaon. Sic, inquit, irascetur contra peccatores populi sui, vt faciat, inquit, opus suum, id est, vt puniat sicut decreuit. Sed quia hoc opus dixerat Dei quasi corrigens vocem, ait: alienum est opus eius ab eo, peregrinum est hoc opus ab eo; peregrinum est quod aliunde venit. Sic punitio in Deo aliunde venit, à nostris scilicet peccatis; ea enim ad quæ proni & procliues sumus, non solùm non violenter facimus, sed etiam gaudentes, & veloces; ea verò quæ à naturali conditione nostra sunt aliena veluti coactè, tardè & gementes præstamus. Sic Dominus quàm libenter de nobis bene meretur? quam vltro inuitat indignos? quàm amanter recipit peccatores? etenim & manducat cum illis: cum verò à nobis nos cogitur punire, quàm tardè & ægrè procedit! Mulctauit aquis diluuij genus humanum, quia
vidit quod multa malitia hominum esset super terram Gen. 6.
omnis quippe caro corruperat viam suam, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, *hominē quem creaui à facie terræ.* Equidem dicerem, tactus furore cordis, vel ira magna intrinsecus, sed Spiritus sanctus, qui in sancta loquitur scriptura dolore non furore ait, quia dolebat super nos mortis ferre sententiam & ex intimo corde dolebat nostro loquendi more, & ideo centum expectauit annis.

Hinc per Moysem Deut. 32. *Si acuero vt fulgur* Deut.32.
gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis. Vocatur hîc Dei vindicta fulgur, fulguris materia à terra conscendit, sicut & fulminis & cæteræ exhalationes terræ. Si igitur vt fulgur acuitur gladius contra terram, ex ipsa terra prouenit materia propter quam percutitur, & sicut ex arbore scinditur manubrium securis qua succiditur arbor ipsa: sic à nobis procedit peccatum, quod perditionis nostræ causa est. Quapropter Propheta clamat Ose. 13. *perditio tua Israel*, &c. id est à te ipso emanat. Præterea fulguri non fulmini comparatur gladius Dei, quia

fulgura, tempestatis indicia præuia sunt : sic non ex improuiso & repente Deus vulnerat , sed priùs minatur,& monet, vt per conuersionem & pæni- Simile. tentiam,& orationem à facie gladij fugere valeamus. Denique priùs quàm feriat nos Deus, acuere se dicit gladium iustitiæ suæ : quia sicut qui gladium ad percutiendum & occidẽdum acuit,priùs in orbem,non semel, sed sæpius cotem ducit : sic Deus priùs quàm peccatorem damnet,demoratur, dum interiùs per se,vel exteriùs per concionatores & confessarios monens expectat;acuit quidem sic, quia acutiùs ferit,& acriùs illum cui spatium dedit pænitendi,& non pænituit , abutens misericordia eius:sed dum acuit remoratur , vt tempus tibi pænitendi sit;caue ne tempus & gratiam hanc in vacuum recipias, quia acriùs vulneraberis ; quod si pænitentiam interim egeris,hebetabit aciem gla- Tertull. dij misericordia Dei.

Facit etiam maximè ad rem quod idem Isai. ait c. 30. *Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri,& ideo exaltabitur parcens vobis.* Ecce cur expectat Dominus , vt scilicet misereatur , & quod mirabile magis est,sic misereri,exaltationem suam vocat,& ideo,inquit,*exaltabitur parcens vobis.* Sic exclamans exponit locum istum S. Hier. Grandis clementia Dei vt expectet nostram pænitentiam, & donec nos à vitiis conuertamur, ille potentem contrahat manum,ne nos ferire cogatur, ideo autem miseretur & parcit,vt eius misericordia exal- Gen. 18. tetur , & bonitas creatoris nota sit cunctis ita S. Hier. qui secundam explicationem maiori consideratione dignam adhibet dicens,iuxta illud quod Christus in Euangelio loquitur, *cum exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me ipsum:* ideirco exaltatur in cruce , vt omnibus parcat. ita S. Hieron. S. Theod. Ecce quàm pronus ad misericordiam Dominus sit , vt ideo se in crucem agi sineret , vt nostris parceret delictis ; & nos quidem cum vehementem aliquam propensionem volumus explicare, ad mortem eam dicimus esse , *fulano muere por ca-* S. Bern. *zar,muere por iugar*,&c. *à si Christo muere por perdonar.*

Numerorum c. 22. Nota est historia asinæ Balaam videntis gladium Angeli, & ob id declinantis tertiò à via , & Angeli dicentis ipsi Balaam. *Nisi asina declinasset à via dans locum resistenti, te occidissem , & illa viueret.* Attende causam , cur Angelus qui Dei locum tenebat, pepercerit Balaam morte digno , (eo quod aduersus Dei præscriptum iter illud peragebat): nimirum, non quia Matth. 6. ipse Balaam viam reliquisset,& pænitentia motus, esset , sed quia asina declinauerat : nunquid ob asinæ declinationem ab incepto declinauerat Balaam?Minimè. Sed inde colligere possumus,quàm S. Ambr. facilis & promptus sit Deus ad veniam si ob eam causam , quæ nullo modo excusabat malam Balaam intentionem, sic ille pepercit.

Luc.17.de filio prodigo & eius Patre,cum adhuc longè esset, *vidit eum pater ipsius , & misericordia motus est , & accurrens cecidit super collum eius , & osculatus est eum.* Cur pater accessum filij non expectauit ? Cur seuerum se in filium prodigum & impium non exhibuit ? Cur non illum acriter priùs reprehendit , sed ita celeriter ad eum properauit,& illico pepercit,suscepit,honorauit , & de- Gen. 13. litiis magnis indulsit? Guerricus Abbas ser. de filio prodigo, ponderans verbum illud *accurrens* : Tardius siquidem,ait,videbatur patri filio veniam dedisse,quàm filio accepisse ; sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ,quasi plus cruciaret misericordẽ miseri compassio, quàm ipsum Guerrius. miserum passio sui.ita Guerricus. Et S.P.Chrysol. S. Petrus ser. 3. de filio prodigo,ponderans hanc Patris diui- Chrys. ni in peccatorem & prodigum clementiam ait : Rogo quis hic desperationis locus?quæ hic excusationis occasio?& hic quæ timoris simulatio?nisi forte timeatur occursus , terreat osculum , turbet amplexus,& capere ad vindictam & non recipere ad veniam pater credatur, claudit gremio , & Lacertis ligat. ita ille.

Ioa. 8. *Adduxerunt scribæ & Pharisæi ad Chri-* Ioan. 8. *stum mulierem in adulterio deprehensam,& dixerũt; Magister,in lege Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare,tu quid dicis ?* si Moyses in lege id mandauit,cur interrogatis , quid de illa agendum sit ? Respondet Euangelista: *hoc dicebant tentantes eum,* vt possent accusare illum. Dices , in quo tentatio ista consistit ? S. Aug. ser. 47. de verbis Domini se- S. August. cundùm Ioan. tom. 10. sic respondet: Aduerterunt hi Pharisæi Christum Dominum nimis esse mitem,nimis mansuetum, de illo quippe fuerat ante prædictum Ps. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime ; specie tua , & pulchritudine tua intende,prosperè procede & regna:propter veritatem & mansuetudinem,& iustitiam.* Cum ergo de duobus istis, id est, de veritate & mansuetudine eius, inimici liuore & inuidia torquerentur , in tertio, id est , in iustitia scandalum posuerunt. Quare ? quia lex iusserat adulteras lapidari,& lex iniustum iubere non poterat;quod si quis aliud diceret, iniustus deprehenderetur. Dixerunt ergo ad semetipsos : Verax putatur,mansuetus videtur,de iustitia illi calumnia quærenda est. Offeramus igitur adulteram, si illam iusserit lapidare , mansuetudinem non habet;si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit : vt autem mansuetudinem non perdat,in qua populis amabilis factus est , sine dubio dimitti eam iubebit , & hinc nos inueniemus accusandi occasionem, & dicemus : Reus est mortis,hostis est legis,cum illa & tu es lapidandus : at ipse non est captus,sed qui eum capere tentarunt. ita S. August. Vide igitur quanta fuerit misericordia Domini in peccatores , vt in illa laqueos hostes eius pararent.

Exod. 32. iratus Dominus vehementer in po- Exod. 32. pulum suum, ob vituli peccatum,sic ad Moysem: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos , & deleam eos, &c.* Quid hoc?Potestne creatura creatoris iræ furorem impedire ? Iob. 9. *Deus cuius ira nemo resistere potest,&c.* Prosper de promissionibus Prosper. Dei ait,potius esse, pietatem & misericordiam in populum manifestare, quàm eum punire velle,ita ille : vt cum euaginato gladio quis filium percutere simulans dicit amico : Noli mihi impedimento esse,sine me illum necare, &c. quo potius Simile. insinuat se velle impediri , ne quod minatur efficiat. vbi S.Hieron. S.Greg. & S. Cyrillus & Rupert. obseruant , quàm potens sit iusti oratio , vt Deum meritò in peccatores iratum valeant placare,sicut in hoc loco Moyses placauit.&c.

Gen. 29. *Venerunt duo Angeli Sodomam , &c.* Genes. 19. tres quidem erant Angeli qui in itinere illo vsque ad domum Abrahæ venerant; quomodo igitur in fine itineris (in Sodoma inquam)duo tantummodo apparuerunt ? Non deest qui dicat & dictum tribuat S. Theodos. ideo in domo Abrahæ tres apparuisse, quia ibi sanctissimam Trinitatem adumbrabant. Trinitatem , inquam , eo quod bona nunciare Abrahæ veniebant , natiuitatem scilicet Isaac , ex cuius generatione Christus oriundus

stus orimudus erat. Festiuum quidem nuntium non solùm Abrahæ, sed & mundo vniuerso: attamen in Sodomis duo visi sunt, non tres nec vnus solus, quia tres Trinitatem, & vnus vnitatem diuinam significare viderentur, sed duo, vt nec vnum Deum nec vnum præseferrent, atque ita nec Deum, quia ad euertendam, & in cinerem regionem illam conuertendam veniebant: est enim punitio talis opus alienum à Deo, sicut proprium illi est misereri semper & parcere; & ideo renuit Deus puniens apparere; *iba allà Dios como embozado en trage que no se hechase de ver que el era el que destruya à Sodoma y Gomorra.* Et hanc existimant nonnulli fuisse causam ob quam vxor Loth in statuam salis conuersa fuit: cùm Deus igne de cælo misso ciuitatem illam perderet, vxor Loth conuersa retrorsum videre voluit ciuitatis exterminium; Deus autem nolebat puniens videri ab ea, & ideo eam in statuam conuertit salis: sicuti cum nobilis

Simile. vir punire vult seruum suum, portas domus claudit, ne quis eum seruum punientem videat.

Iob 7. Sic Iob, Domino Deo cap. 7. postquam se peccasse fassus erat, *Cur*, inquit, *non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam, & si manè me quæsieris, non subsistam.* Quis non miretur modum hunc agendi cum Deo, & maximè cum sanctus vir esset qui loquitur ita? Quid ais Iob sancte? Audacia hæc potiùs quàm humilis deprecatio esse videtur; *Cur*, inquit, *non tollis peccatum meum?* cur? quia non vult; numquid debetur tibi remissio peccatorum ex iustitia? aut quid inde detrimenti proueniet Deo si non pepercerit tibi? Etenim nouerat Iob, proprium esse Dei misereri ac parcere, & id gloriosum sibi Deum reputare, *à señor bien os conozco la condicion, que con hazer tales misericordias ganais nombre y fama de infinitamente misericordioso, y bueno, y para que no perdais aora vn lanze tan bueno me atreuo apediros misericordia como por insticia.* Cur non tollis peccatum meum? Sic explicat locum

S. Clem. Alex. hunc sanctus Clemens Alexand. Apolog. ad Theodosium dicens: Quid igitur, generosissime Athletarum? criminis-ne loco Deo impingis, quòd eius qui deliquit, non misereatur? non, sed noui quia misereri consueuit, nec vulgatem ex eo gloriam habet. ita ille.

Simile. Quod hac similitudine clarius fiet; imaginare in ciuitatem insignem quemdam medicum aduenisse, qui vt artis suæ peritiam omnibus notam faciat, offert sese cunctis infirmis, gratis dicens se illos curare velle; infirmus autem quidam ad mortem, vocat illum, & tardat venire, ad quem infirmus sic scribit: Cur non citò venis videns me ad mortem propinquare? certè si moram feceris, fortè cum aduentaueris, mortuum iam me inuenies, & occasionem magnam ad ostensionem peritiæ tuæ amittes, & gloriam tibi inde prouenturam. Sic modò, nam, vti ait sanctus August. magnus de cælo aduenit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus. ita ille. Et ideo Iob ait: *quare non tollis peccatum meum? Si manè me quæsieris non subsistam*, &c.

S. August. Sanctus Augustinus lib. de Spiritu & anima, tom. 3. Tardiùs videtur Deo peccatori veniam dare, quàm ipsi peccatori veniam accipere. ita ille. *No tiene el peccador tanta priessa en pedir perdon à Dios como el en darselo.* Et amplius est quod addit ibi sanctus August. sic enim festinat Deus absoluere reum a reatu conscientiæ, quasi plus eum cruciet passio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui. ita sanctus August. Sententia quidem admiratione & expositione digna, videntur enim verba hæc transposita per errorem: dicendum enim videbatur, quasi plus eum cruciaret compassio miseri, quàm miserum ipsum passio sua: passio enim patientis malum est, compassio verò alterius qui malo illo caret, misericordia quam habet mali eius. Sed tamen melius multo sic expressit sanctus August. quantum excedat misericordia Dei, & compassio Dei miseriam & passionem peccatoris, in tantum scilicet, vt peccator propter peccata sua dolens compati, Deum verò pati videatur; *pareze que Dios es el que padeze y el pecca dor el que de si se compadeze, demanera que quando yo lloro mis culpas sere como el que se compadeze del mal ageno y Dios como el que padeze su proprio mal*; vt (inquam) modo nostro loquamur: nec enim vel amor proprius noster, vel timor damnationis nostræ, potens est ad dolorem in nobis excitandum; imò nec amor noster in Deum offensum sicut amor Dei ad excitandam compassionem & misericordiam in nos. Vnde re-

Saluian. ctè Saluianus lib. 3. de Eccles. expendens verba illa Ecclesiastici 30. Miserere animæ tuæ, *duelete peccador de tu alma propria*, addit loquens in persona eiusdem Dei: Miserere etiam illius, cuius vides miseratione me frangi. Ecce quo pacto, modo nostro loquendi, & quàm Deus sentiat & culpas & pœnas nostras, indeque misericordiam eius in peccatores considera, vt spem magnam veniæ concipias nec desperes. Vide quod sequitur.

Propositio III.

Quàm facilè Dei misericordia peccatores recipiat.

Genes 7. GEnes. 7. postquam Dominus centum annos peccatoribus concesserat ad pænitendum ante diluuium, dixit ad Noë post dies septem: *Pluam super terram.* Cur non statim? ad quid modo hoc septem dierum spatium? Sanctus

S. Ambr. Ambros. lib. de Noë & arca c. 13. respondet, vt hinc Domini clementiam colligamus, quia multorum annorum offensionem paucis diebus si pænituisset, eos voluisset relaxare. ita ille. Vide 2. propositionem.

Propositio IV.

Quàm gloriosum Deo sit remittere peccata.

Psal. 50. PSal. 50. *Tibi soli peccaui.* Quid est, *Deo soli peccare?* Si est idem quod contra te, quomodo ait *soli*, cum etiam peccauerit in Vriam per adulterium, & homicidium, & in vxorem, eam ad adulterium trahendo, & in se illa scelera perpetrando. Cur ergo ait, *tibi soli peccaui?* Etenim secundùm regulas linguæ Latinæ datiuum illud *tibi* damnum vel vtilitatem importat. Vnde Zacharias de aduentu Christi agens: *Dicite*, in-

quit, *filia Sion*: *Ecce venit tibi Rex tuus*, &c. Ait ergo Dauid, *tibi*, Domine Deus, *soli peccaui*, quia ex peccato meo tibi gloria magna proueniet, cum illud pepeceris mihi.

Propositio V.

Misericordia à Deo est, punitio à nobis.

Deu. 32. DEut. 32. sic Deus contra peccantes: *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis.* Vbi primò obserua iurantem Deum vltionem in peccatores dicens; *leuabo ad cælum manum meam*, id est, iurabo; ritus enim iurantium erat eleuare manus in cælum quasi eo modo vocantes in testem Deum. Sic ait Dominus: *leuabo ad cælum manum meam*, & iurabo per me & per vitam meam. Cur ita? Quid opus est Deo ita iurare? nimirum ad nostrum se vsum accommodat; nos enim tunc iurare solemus, cum rem arduam ac difficilem & extra consuetudinem consistentem volumus affirmare. Sic etiam Deus vltionem & punitionem grauem iuramento voluit confirmare, quasi rem difficilem & à sua consuetudine alienam affirmare volens & peregrinam ab eo. Simile. Præterea fulguri comparat gladium suum, quia fulguris materia à terra procedit, cum scilicet exhalationes à terra in altum surgunt; ex his conficitur fulmen, quod vi & celeritate maxima in eandem ex qua emanauerat, terram redit, conterens & deuastans cuncta opposita. Talis est diuina punitio, nos eius materiam administramus, dum peccatorum exhalationes emittimus, ex quibus fulgur diuinæ iustitiæ prodit; etenim non sic de misericordia Dei dicendum est, quia vti ait Dauid Psalm. 129. *Apud te propitiatio est*, & infra, *apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*; apud nos miseria, apud Dominum misericordia; apud nos iusta punitionis causa, apud Deum piæ misericordiæ exhibitio. Denique obserua verbum *acuero*, non habet Deus acutum gladium ita in promptu ad feriendum, *tiene Dios como embotada la espada de su iustitia y quando la quiere sacar es menester afilarla en nuestras culpas.* Vbi moram & tarditatem diuinæ vindictæ considera; qui enim acuit gladium per multos orbes lapideam molem euoluens, lentè acuit illum priusquàm ferrum emolliat & aptet ad feriendum: Simile. sic in nobis acuit diuina iustitia gladium suum, quo vulneret, & iudicium quo peccatorem condemnet; in nobis est duritia lapidea, obstinata videlicet ad peccandum contumacia; & licet peccator quàm primùm puniri mereatur, diuina tamen iustitia per multos dierum orbes paulatim acuit suppliciorum fulgura: sed tamen væ abutenti hac diuina clementia, Valer. Maximus. quia vti rectè Valerius Maximus in principio operis sui asseruit, lento gradu ad vindictam procedit diuina iustitia, sed tarditatem supplicij grauitate compensat. ita ille.

):(

Propositio VI

Quàm alienum à misericordia Dei sit punire nos.

GEnes. 2. *Immisit Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* Quid necesse fuit ad tollendam costam immittere soporem illum Adæ? numquid ne dolorem aliquem sentiret? At potuit Deus absque vllo dolore ei costam extrahere. Respondet Hugo Victorinus ibidem: Hoc ideo factum est, ne si eo vigilante auferret costam, videretur læsisse illum; ita verò leniter eam desumpsit, quod nec excitaret dormientem. ita ille. Vide igitur quàm alienum à Deo sit, nos tribulatione & aduersitate vexare, vt nec apparenter voluerit dolore illo afficere Adamum. Genes. 2. Hugo.

Et quidem quotidie sic se nobiscum gerere videtur; nam cum misericorditer punit, vel ad meritorum augmentum aduersa mittit vel permittit, quasi lapidem mittens manum abscondit, dum per medias causas id præstat, mediante sole febrem inducit, casu tegulæ illum vulnerat, alium leo interficit, alium hostis persequitur, cum specialis ad hæc prouidentia intercedat.

Denique si peccatores punit, id veluti coactus facit; quia, vt vulgo dicimus, *nosotros le sacamos de sus casillas*; alienum quippe est hoc opus ab eo, vti ait Isai. & peregrinum; & proprium ei est misereri semper & parcere, vt canit Ecclesia: non denique vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.

Vnde Genes. 19. iussit Dominus Loth cum educeret eum ex Sodoma, ne respiceret retro ipse nec vxor eius, nec reliqui qui cum Loth exibant. Cur ita? quodnam inconueniens erat respicere retro? etenim inter alia ideo ne stragem illam videret, si ad fauorem aliquem diuinum conuertendum esset caput, non ita prohibuisset, quia ad ea in quibus Deus gloriatur, nos oculos conuertere gaudet; non sic ad punitiones hominum, quia peregrinum est opus eius ab eo. Gen. 19.

Dei prouidentia.

Propositio. Vnica.

Quanta sit in nos prouidentia Dei.

GEnes. 7. iussit Deus Noë secum in arcam multa introducere animalia terrestria, & aues, &c. Quid igitur sibi vult hæc animalium prouidentia? numquid Deo cura est de bobus? Theod. q. 52. in Gen. sic respondet: Nostra autem causa etiam his consulere dignatus est Deus, quod & magnus Dauid clamat Psalm. 103. *Qui producit fænum iumentis & herbam seruituti hominum*, & iterum, *homines & iumenta saluabis Domine*; propter nos enim etiam de nostris curat. ita ille. Seruauit igitur Dominus animantium species in cibum & prouisionem nostram. Genes 2. Theodor.

Sed dices: Nonne melius fuisset de nouo ea Dominum producere sicut produxit in principio, ne grauaretur Noë cura illa molesta, quam in arca de animantibus gerebat? voluit quidem Dominus

minus suæ prouidentiæ specimen Noë & filiis eius tunc dare, ne se omnium animalium fructu priuatos timerent, si cuncta animantia extincta viderent: tanta est erga nos cura & prouidentia eius.

Psal. 9. Psalm. 9. *Signatum est nos super nos lumen vultus tui Domine: dedisti in corde meo.* Quodnam est hoc *vultus* Dei *lumen*? E enim vultus Dei aspectus eius est in nos, *lumen* autem *vultus*, gratum in nos aspectum denotat & manifestat; sicut lux in se grata nobis & manifesta

S. Basil. est. Sic locum hunc interpretatur S. Basilius in scholiis super hunc Psalmum, vbi etiam explicans, quo pacto confirmatus sit super nos

Simile. vultus iste Domini, ait: Non dicit Dauid *apparuit*, sed, *signatum est*: sicut enim quod in fronte signatur, manifestum est omnibus, & sicut lucis aspectus manifestus & clarus est cunctis; ita prouidentia Dei insignis est cognita & manifesta; manifesta, inquit, ac splendida facta est super nos prouidentia tua & opitulatio: hanc enim lucem vocat. ita ille. Tot enim ac tanta sunt prouidentiæ exempla, vt qui ea probare velit, lucem soli & aquam mari adhiberi videatur.

Gen. 27. Genes. 27. benedixit Abraham filium suum Iacob, credebat enim illum esse Esaü. Cur Deus qui Patriarcham Isaac & diligebat, & dirigebat, non reuelauit ipsi voluntatis suæ esse vt benediceret Iacob & non Esaü? tunc enim cessasset & cura matris & timor ipsius Iacob, & ambages illæ, quibus mater & filius vsi sunt ad benedi-

Theodo. ctionem illam obtinendam. Theodor. q. 79. in Genes. vt patefieret, inquit, prouidentia Dei erga Iacob, quod satis constat ex eo quod Isaac modis omnibus conabatur benedicere Esaü; sed gratia Dei contra id quod intendebat Isaac, transtulit benedictionem super Iacob. Quod etiam intellexit ipse Isaac: nam cum operam omnem dedisset, misit Esaü venatum, & cùm Iacob cibum illi offerret, sæpius interrogabat: *Es ne tu Esau primogenitus meus?* nec solùm rogabat, sed etiam manus corpori adhibebat. Postea verò Esaü ingresso stupefactus Isaac ob id quod factum erat, non est indignatus, quasi à filio deceptus esset, sed diuinam agnouit intentionem, & quam dederat benedictionem confirmauit. ita Theod. hanc ipsam prouidentiam expertus fuit Dauid contra quem ingentes & multi conatus Regis Saül præualere non potuerunt.

Genes. 29. Genes. 29. Iacob post benedictionem Patris profectus est in Mesopotamiam Syriæ, & quod valde mirum est, profectus est sine eo apparatu, qui talem decebat virum; non enim legimus secum duxisse viaticum, nec comitatum aliquem; sed, vt ex historia colligitur, solus, & velut homo, non quidem diues, cum diues esset domus Patris sui, & ipse à parentibus dilectus. Cur ita? Etenim à Deo sic ordinatum fuisse credendum est. Iustus enim vir erat, & is ex cuius genere & linea Christus Dominus descendere

Theod. voluit. Huius igitur rationem reddens. Theodor. ait q. 81. in Genes. prouidentia diuina manifestius declaratur in rebus aduersis; nam quibus omnia prosperè cedunt, non perinde intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de causa Iacob solus peregrinatur, vt locupletissimus redeus, & ipse experiatur quanta sit prouidentia Dei, & alios doceat hanc sollicitudinem Dei, vnde in itinere apparens ei dixit, *ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam te, nisi compleuero vniuersa quæ dixi.* ita ille.

Simile. Sunt imagines quædam quas pictores eo artificio figurant, vt quocumque te verteris intentis oculis te aspiciant, & sequantur. Sic igitur Dei prouidentiam imaginare: cuncta enim respicit, omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ideo Dauid Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi non solum esse in Deo omnium rerum euidentiam, sed etiam prouidentiam denotatur; ideo ait, *manus tua deducet me.*

Tertull. Hinc Tertullian. lib. de pœnitentia: Deus in omnia sufficit, nec potest esse suæ perspicaciæ præuaricator. ita ille. ac si dicat, non potest esse suæ visionis præuaricator, vt scilicet videat, & non prouideat; si enim quid facere oporteret in rerum gubernatione prospiceret, & tamen non prouideret, suæ cognitionis præuaricator non iudicaretur. Ideo idem Tertul. lib. 2. contra Marc. ait. Bonitas Dei operata est mundum, iustitia modulata est. ita ille. hoc est quasi modos faciendi & leges gubernatione & prouidentia sua dignas præscripsit.

Gen. 28. Genes. 28. sic Scriptura sacra de Iacob: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ*, Heb. *& Dominus stabat iuxta eam.* Septuaginta, *& Dominus incumbebat super eam.*

S.Theod. S. Theodor. & alij plures de prouidentia Dei locum hunc interpretantur, qui à supremis cælorum vsque ad inferiorem terræ partem pertingit, iuxta id Sapien. 8. *Sapientia* (scilicet Dei) *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quo pacto? sanctus Bernard

S. Bern. lib. de gratia & libero arbitrio, *à fine vsque ad finem*, id est, à cælis vsque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo vsque ad infimum vermiculum, & secundò, *à fine vsque ad finem*, id est, ab ortu creaturæ vsque ad finem destinatum à creatore: siue in quem vrget natura, siue quem accelerat causa, siue quem concedit gratia; *attingit* autem *fortiter*, dum nihil horum euenit, quod non prout vult, potenti præordinet prouidentia. ita S. Bern.

Matth. 6. Denique tanta est circa res nostras Dei prouidentia, vt dixerit ipse Matth. 6. *vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid capillis abiectius, quos in sterquilinium abscissos mittimus? & tamen hos numeratos habere Dominus ait:

S. Ambr. quæ autem seruare cupimus, ait S. Ambr. in numerato habemus.

Hæc igitur nobis consolatio sit in aduersis, quòd si capillus de capite nec peribit, nec cadet sine prouidentia Dei; quanto maior erit (vt more nostro loquamur) eius prouidentia actualis circa maiora? non peribit pecunia, nec salus, nec honor, nec vita nostra absque speciali Dei prouidentia; hoc autem parte nostra prouideamus, ne prouidentia Dei ob demerita nostra in caput nostrum cedat, &c.

Gen. 13. Genes. 13. sic de Abraham, *Erat diues valde in possessione argenti, & auri.* Et vnde quæso sic factus est diues peregrinus, & inter extraneos, & ignotos? & qui ob famem, quæ tunc terram illam

Palæſtinæ in qua verſabatur Abraham, vexabat, & in Ægyptum abiit, & denique is qui magnam familiam habebat? Reſpondeat S. Chryſ. homil. S. Chryſ. 33. in Geneſ. Non temere ſcriptura hic patriarcham diuitem vocat, id quod nullibi aliàs meminit, ſed nunc primùm dicit quòd fuerit dines, quare? vt diſcamus diuinæ prouidentiæ excellentem potentiam, ita vt qui famis neceſſitate in Ægyptum peregrinari coactus fuit, is ſubitò diues factus ſit. ita ille.

Prou. 10. Prouer. 10. *Benedictio Domini ſuper caput iuſti.* Quomodo, inquies, Dei benedictio eſt ſuper caput iuſti? Ianſenius, id eſt, Deus ſuis beneficiis caput iuſti ornat; capiti autem iuſti tribuitur benedictio, ad ſignificandum quod de cælo veniat ſuper iuſtum benedictio. ita Ianſenins. Alij verò ſic, *benedictio Domini ſuper caput iuſti*, hoc eſt, affluentia bonorum omnium homini eueniet iuſto; nam in ſacris litteris nomine *benedictionis Domini*, talis affluentia ſignificatur, vt eſt in- Prou. 10. 22. eod. c. 10. Prouerb. n. 22. *Benedictio Domini diuites facit, nec ſociabitur eis afflictio.* Vbi Ianſen. Ianſen. quamquam hæc ſententia locum habeat in corporalibus piorum hominum diuitiis, veta tamen maximè eſt de diuitiis ſpiritualibus, quæ in ſapientia & virtutibus conſiſtunt: hæ enim ſunt veræ diuitiæ, & ſolùm diuina beneficentia parari poſſunt, nec aliquam ſecum afferunt moleſtiam, ſed plurimam voluptatem, vnde de Sapientia, *non habet amaritudinem conuerſatio illius*, Sap. 7. Sap. 7. ita Ianſen.

Quam autem valeat benedictio iſta Dei ex Geneſ. 9. cap. 9. Geneſ. conſtat, vbi filius Noë nomine Cham iniuriam quandam intulit patri ſuo Noë, propter quam maledixit non quidem ipſi filio Cham, ſed filio ipſius Cham qui vocabatur Chanaan, dicens, *maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Quærit hoc loco Theodor. cur non maledixit ipſi Cham, qui deliquerat, & maledixit Chanaan nepoti, qui non intulit iniuriam auo? & reſpondet: Poſt ſedatum diluuium omnes tres filij Noë pariter benedictionis diuinæ participes fuerunt. Temerarium autem exiſtimauit Noë maledictionem inferre illi, qui Dei benedictionem fuerat conſequutus. ita ille. Benedixiſſe autem Deum omnes filios Noë, conſtat ex initio capitis 9. Geneſis vbi dixit: *Benedixit Deus Noe & filiis eius.* Ecce quanti momenti ſit benedictio Dei. Huius autem benedictionis omnes iuſti participes ſunt, vt conſtat ex loco citato prouerb. 10. *Benedictio Domini ſuper caput iuſti*, &c.

Exod. 11. Exod. 11. ſic Dominus ad Moyſem: *Dices omni plebi* (Iſraëliticæ nempe) *vt poſtulet vir ab amico ſuo* (ſcilicet Ægyptio) *& mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptiis.* Cur hæc vaſa voluit Dominus poſtulari? explicauit hoc Dominus Exod. 3. 21. Exod. 3. n. 21. *Cum egrediemini, non exibitis vacui, & ſpoliabitis Ægyptum.* Vbi etiam habetur non ſolum vaſa, ſed & veſtes, accepiſſe Hebræos ab Ægyptiis; etenim voluit Deus ditare Hebræos ſuos, & ſpoliare Ægyptios idololatras; & vt hæc ſpolia darent Ægyptij populo Dei, mouit Deus corda Ægyptiorum, vt ea accommodarent, vt aiunt Doctores Catholici; vel omnino gratis donarent, vti aiunt Doctores Hebræi: neceſſaria enim erant illis qui hæreditates ſuas & domos in Ægypto relinquentes, longum illud iter peragere debebant; vt hoc pacto manifeſtaret Deus Pſal. 33. prouidentiam erga ſeruos ſuos, iuxta illud Pſal. 33. *Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, vel vt alia tranſlatio habet, *leones depauperati ſunt*, ſicut de Daniele exiſtente in lacu leonum habes, vbi eſuriebant leones, & Danieli prouidit Deus cibum, Dan. cap. 14. Et etiam conſtat in Elia, Dan. 14. quem pauit Deus tempore magnæ famis per coruos, 3. Reg. 17. num. 6. *Que ſelo quito Dios* 3. Reg. 17. 6. *à los cueruos del pico para dar ſelo à Daniel.* Corui ſunt diuites mundani & auari, à quibus, cum opus fuerit, auferet Dominus quæ habent, vt tribuat ea iuſtis patientibus inopiam.

Gen. 32. Gen. 32. cum reuerteretur Iacob ex Meſopotamia in domum fratris ſui, *fuerunt obuiam ei Angeli Dei, quos cum vidiſſet, dixit: Caſtra Dei ſunt hæc, & appellauit nomen loci illius, Caſtra.* Quid ſibi vult apparitio hæc Angelorum tunc cum illis viginti annis ſuperioribus, quibus verſatus fuerat in Meſopotamia, nullum Angelum vidiſſe ſciamus? Reſpondet S. Athanaſ. in lib. quæſtionum, q. 102. dicens: Ideo tunc apparuerunt Angelorum caſtra Iacobo, vt animaretur & non timeret fratrem ſuum Eſaü: fuerat enim conſilium Eſaü occidere Iacobum. ita S. Athan. S. Athan. Simile quid habemus 4. Reg. 6. Cum enim exer- 4. Reg. 6. citus Syriorum circumdaret ciuitatem vbi erat Eliſæus, Giezi ſeruus eius videns exercitum timuit valde, & clamauit ad Eliſeum dicens: *Heu, heu, heu Domine mi, quid faciemus? Cui Eliſeus: Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis.* Orauit igitur Eliſeus Dominum, vt aperiret oculos Giezi; aperuit & vidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei. Sic ſic Deus ſeruos ſuos cuſtodit prouidentia ſua magna.

Luc 15. Luc. 15. Adoleſcens ille qui in parabola à patre ſubſtantiæ ſuæ portionem petiit, & obtinuit, abiens *in regionem longinquam* (in peccatum ſcilicet, quia longè à peccatoribus ſalus) *diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè, ibi cæpit egere*, & maximam famem pati, &c. Copioſum quidem ſecum tulerat patrimonium, quomodo in tantam incidit egeſtatem? S. Petrus S. Petrus Chryſol. Chryſol. ſerm. 1. de duobus filiis, filium data fecit egere ſubſtantia, quæ diuitem negata ſeruabat, vt penes ſe deficeret habendo, qui penes patrem abundarat non habendo: adhæſit, inquit, vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam vt paſceret porcos; ſic inuenit, qui ſe negat patri, qui ſe committit extraneo, vt ſentiat iudicem ſeuerum, qui fugit indulgentiſſimum protectorem. ita ille. Quia igitur peccator peccando recedit à patre diuino, in miſeriam & neceſſitates incidit multas, qui dum in gratiam patris maneret, abundabat.

Gen. 6. Geneſ. 6. ſic Dominus ad Noë: *Ex cunctis animantibus vniuerſæ terræ bina induces in arcam, de volucribus iuxta genus ſuum, & ex omni reptili terræ ſecundum genus ſuum*, &c. ſubdit: *Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis quæ mandi poſſunt, & erunt tam tibi quàm illis in cibum.* Dices, qui fieri potuit, vt ſpatio vnius anni, quo animalia in arca manſerunt, durare poſſet cibus pro tot viuentibus? quomodo arca tot animalia, & tot pro eis cibos capere potuit? Reſpondet ibi Procopius Procopius: Aduerte totum illud ædificium excitatum eſſe inſpirante Deo, proinde non multo indigebant pabulo bruta, cum Dei benedictione paſcerentur. Habes Moyſem, qui quadraginta diebus ſine vllo cibo in monte vixit. ita ille.

ille. Simile exemplum habemus in Helia, qui de-
dit virtutem illam pani subcineritio, vt in fortitu-
dine illius cibi posset quadraginta diebus ieiunus
ambulare, potuit & cibis illis in arca collectis tot
animalia sustentare: hoc enim ad diuinam perti-
net prouidentiam. Quod si de bestiis talis est pro-
uidentia Dei, quid timidi estis vos modicæ fidei,
ne vobis seruientibus illi deficiant necessaria? Pa-
ter diues qui solicitè cibum prouidet famulis &
eqnis filij sui, numquid filio ipsi propter quem Simi'l.
illis prouidet necessaria non præbebit? Prouidet
Deus animantibus terræ propter hominem,
quomodo non homini prouidebit illi seruienti,
& tali parenti?

Sæpe quod nobis aliqua desint querimur, nes-
cientes quòd sæpè optata noceant. In beneficiis
exhibendis (inquit Seneca lib. de benef. c. 12.) Seneca.
circumspicimus, ne dum grata dare volumus,
morbum exprobatura demus, sicut ebrioso vina:
maledictum enim incipit esse, in quo vitium ac-
cipientis agnoscitur. ita ille. Ecce cur Deus bo-
nus non semper ad votum nostrum conferat
dona sua.

Dei liberalitas & magnificentia.

Propositio Vnica.

Quàm magna sit.

Liberalitas tunc maior est, cum liberalis
dans recipientis prouidet honori, ne sci-
licet inde verecundiam incurrat. Ideo
igitur Deus ita se in nos exibet liberalem, vt eius
donum non tam donatio, quàm alicuius obsequij
remuneratio esse videatur. Consideratio hæc S.
Bernardi est hom. 4. *super missus est*, vbi explicans S. Bern.
illa virginis verba, *fiat mihi secundum verbum
tuum*, ait: Nihil obstat intelligi, *fiat*, verbum
esse orantis. ita ille. At dices, quid opus Virginem
postulare, quod iam ipsi promiserat Deus? Respon-
det idem S. Bernard. Ideo forte multa quæ Deus
disposuit dare priùs pollicetur, vt ex promissione
deuotio excitetur; & sic quod gratis daturus erat,
deuota oratio promereatur: sic priùs Dominus
qui vult omnes homines saluos fieri, merita ex-
torquet à nobis, & dum nos præuenit tribuendo
quod retribuat gratis, agit ne tribuat gratis. Hoc
igitur prudens Virgo intellexit, quando præue-
nienti se munere gratuitæ promissionis iunxit
meritum suæ orationis. *fiat mihi*, inquit, *secundùm
verbum tuum*; fiat obsecro mihi verbum non pro-
latum quod transeat, sed conceptum quod ma-
neat. ita S. Bernard. Ecce igitur quanta sit
liberalitas, vt etiam ea quæ nobis
exhibet gratis, modum quærat
quo ea aliquo merito
nobis data esse
appareant.
):(

Dei cognitio.

1. *Quòd ex creaturis cognoscere possumus Dei sublimitatem.*
2. *Deus facil*[illegible] *cognitionem bonis offert, & non ita malis.*

Propositio I.

Quòd ex creaturis cognoscere possumus Dei sublimitatem.

Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum Gen. 1.
& terram?* Cur (inquit) Deus mun-
dum creauit? siquidem illo non indi-
gebat. Apost. ad Rom. 1. sic respondet: *Inui-* Rom. 1.
*sibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt
intellecta conspiciuntur.* hoc est, *à creatura mundi*,
id est, ab initio creationis mundi, ea cognitione
creaturarum & operibus Dei à posteriori seu ab
effectu possumus cognoscere multa quæ ad Dei
magnitudinem & excellentiam attributorum eius
spectant; vt ex pulchritudine, & magnitudine &
natura cœlorum, Dei pulchritudinem & magni-
tudinem cognoscimus: Vnde Dauid ps. 18. *Cœli
(inquit) enarrant gloriam Dei*, id est excellen-
tiam Dei. Item ex ipsa creatione seu productio-
ne creaturarum ex nihilo, qua vocauit Deus ea
quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, agnoscimus
omnipotentiam eius; solus enim qui est omnipo-
tens ex nihilo aliquid efficere potest; ex guber-
natione rerum mundi & maximè cœlorum, eius
prouidentiam, ex naturis & proprietatibus crea-
turarum sapientiam, ex suppliciis iustitiam, ex
misericordiis misericordiam, & pietatem, & cle-
mentiam eius, & ex magnifica communica-
tione bonorum bonitatem, &c. Sic sic ex cogni-
tione creaturarum cognitionem attingimus Dei.
Ecce cur Deus mundum fecit.

Vnde rectè S. Basil. hom. 11. in hexameron ait: S. Basil.
hæc vniuersa mundi moles periode est ac liber
litteris exaratus, palam contestans, & prædicans
gloriam Dei, & illius augustissimam maiestatem Simile.
annuncians tibi creaturæ intellectuali. ita S. Basil.
in aliis libris non omnes legere valent, in hoc au-
tem volumine creaturarum, nullus est mentis
compos, qui legere, imo & scripta intelligere
non possit. Quod quidem non parum iuuat ad
Dei amorem nobis conciliandum, &c. Sicut igi-
tur cum perpulchram imaginem videmus, excel-
lentiam artificis intelligimus & magnam peri-
tiam eius: sic cum mundi artificium considera-
mus, creatorem eius admirabilem esse prædi-
camus.

Rursus, *In principio creauit Deus cœlum & Gen. 1.
terram.* Genes. 1. non quidem vnica ratione, sed
pluribus; inter quas non infimum locum tenet
cognitio ipsius Dei. Creauit igitur mũdum Deus,
vt quia ipsum clarè sicuti est nosse dum viuimus,
nequimus, per ea, quæ ab ipso facta sunt, quoquo-
modo intelligere valeamus. Sic Apost. ad Rom. 1. Rom. 1.
*Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta
sunt intellecta conspiciuntur.* Quid est *à creatura
mundi*? Cardinalis Toletus, id est, ab ipso mun-
di exordio, seu ab orbe condito: opera enim Dei
vocem quædam sunt Deum testificantia. S. Ansel.

à creatura, id est, ab homine cognoscuntur; vestigia enim sunt mira opera visibilis creaturæ. ita ille. & S. Dauid psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Quis non omnipotentiam conditoris in cœlorum magnitudine, pulchritudine, concentu, artificio, & maximè in sole & reliquis astris nõ percipiat? sapientiam in rerum dispositione, prouidentiam in gubernatione, maiestatem in cunctis creaturis? etenim vel in formicæ fabrica diuina Dei attributa facilè resplendent, si homo Deum & non se in rebus quæreret creatis.

Sap. 13. Vnde etiam Sap 18. sic Salomon: *à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat horum creditor videri.* Si quis concentum suauissimum multarum vocum & instrumentorũ musicorum

Simile. audiret, licet canentes & pulsantes non videret, eorum peritiam. & artem inde quamprimùm percipere valeret: sic qui creaturarum Dei concentum & artificium contemplatur, illico in cognitionem magnam perueniet ipsius Creatoris. Est igitur mundus iste liber quidam magnalia Dei continens, qui etiam à nescientibus potest, & ab omnibus nationibus, quantumuis diuersarum linguarũ idiomate distinctis, eodem modo intelligi potest. Vtinam omnes vellent! Comparatio hæc libri S. Basilij hom. 11. in hexamero vbi suprà, *libro precioso en quadernado por la mano de Dios illuminado con la luz del sol luna y estrelas*, &c. In hoc libro nunc Dei sapientiam, nunc prouidentiam, &c. facilè omnes legere valent, etiam si legere non didicerint.

S.Chryſ. Psal. 18. Expendit S. Chrys. hom. 9. ad populum verba illa ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, & ait: Quomodo cœli enarrant? vocem nõ habent, ore carent, ipsis non est lingua; quomodo igitur narrant? etenim per ipsum aspectum; cum enim videris cœli pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, & formam, & permanentiam tanquam vocem audiens adoras eum qui tale opus fecit. Tacet igitur cœlum, sed eius aspectus vocem turba clariorem emittit, per oculos & non per aures nos docens. Scytha ergo, & Indus, & Barbarus quiuis, & omnis homo voces intelliget cœli: non enim per aures, sed per oculos capiuntur: vnde sapiens & idiota aspectu doctrinam capiet. Vnde subdit: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* id est, non est lingua, neque gens, quæ hanc vocem intelligere non possit. ita S. Chrys. quem vide, eleganter enim amplificat locum istum psalmi.

Propositio II.

Deus facilè cognitionem sui bonis offert, & non ita malis.

Mat. 2. MAtth. 2. tribus illis Regibus Magis se Christus manifestauit, non verò Herodi vel cõsultoribus eius. Adnotamt hoc S. Leo Papa ser. 2. de Epiphan. Domini, dicens: Verbum caro factum, sic susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus Iesus credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus. ita ille. Hoc autem quotidie Dominus agit: iustis enim & bonis se agnoscendum exhibet, peccatoribus autem non sic. Audi Apostol. Ioannem 1. Ioan. 2. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.*

Dei bonitas.

Propositio Vnica.

Quàm communicatiua sit Dei bonitas.

GEn. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quam ob causam vniuersi huius visibilis mundi vniuersa Dominus creauit? Nulla enim creatura Dominus indigebat: nam ab æterno Deus beatus & gloriosus se solo erat, absque hominibus, & absque Angelis, & absque omnibus creaturis: nec modo his creatis gloriosior in se nec ditior est: etenim creauit Deus cuncta non sui necessitate motus, sed bonitate ductus; bonum enim (vt cum S. Dionysio omnes Theologi aiunt) sui diffusiuum est, non solum vt finis, verùm etiam vt efficiens causa. Vide quam largiter sol luceat & cõmunicet suam lucẽ, & calorem ignis, & frigiditatem nix, & humiditatem aqua & fructus suos terra. Vnde liberalitas hæc creaturarum nisi ex bonitate, quam à Deo participatam habent? Si ergo bonitas hæc creaturarum, quæ Dei bonitati comparari non valet, adeo communicatiua & sui est diffusiua: quanto magis diffusio hæc diuinam decet bonitatem? Ideo igitur Deus cuncta creauit. Gen. 1.

Et hanc creationis rerum causam assignat Prosper in lib. sententiarum, dicens: Tria quædam nobis maximè scienda de conditione creaturæ oportuit intimari, quis scilicet eam fecerit, quomodo fecerit, & quare fecerit. Si ergo quærimus quis fecerit? Deus est; si quomodo fecerit? dixit & facta sunt: si quare fecerit? quia bonus est, nec author excellẽtior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior quàm vt bonum crearetur à bono. ita Prosper. & sanctus Gregor. Prosper.
Nazianz. oratione in natiuitate Domini dicens: Nazianz.
Quia summo illi bono non satis erat, sua ipsius solum contemplatione gaudere, sed bonum diffundi & propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur, id enim summæ bonitatis erat, ideo cœlum & terram creauit.

Hinc deducere licet, quam ob causam dixerat Ecclesiasticus c. 10. n. 9. *Auaro nihil est scelestius*, quid? peccata contraria virtutibus Theologicis, nonne scelestiora & peiora sunt? Sunt quidem, sed tamen in quantum malum opponitur bono, quatenus est communicatiuum sui, nihil peius auaro secundùm genus suum; quia auarus est, quia sua communicare renuit, sibi acquirit soli, sibi retinet, sibi attendit, & hac ratione Dei bonitati oppositus est. Eccles. 10. 9.

Dei amor in nos.

Propositio Vnica.

Quàm Deus diligat iustos, & eorum curam gerat.

PSal. 145. *Dominus diligit iustos.* Adeo Dominus diligit iustos, vt dixerit Luc. 11. discipulis suis iustis & dilectis: *Vestri capilli capitis numerati sunt.* Quid sibi vult hæc capillorum numeratio? Psal. 145.

S. Ambr. meratio? S. Ambr. ser. 4. in Quadragesima: Per talem numerum, curam circa oos, solicitudinemque cognoscimus: oemo enim numerat nisi qui veretur, ne fraudem absque numero patiatur. Pastor vt saluom gregem habeat, eum frequenter annumerat; vode quoque Dominus qui est pastor bonus, eum ouicula vna ex centum aberrasset, recurrens ad numerum, propriis eam humeris ad gregem reportauit. Vsque adeo ergo habetur sub tutela, qui habetur in numero vt errans propriis humeris reportetus, ne quid de numero minuatur. ita S. Ambros. Ait ergo Dominus dilectis suis: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; non quidem capillos istos sic numerat Deus, sicut oumerat stellas cœli & arenas maris, quia sapientissimus est; sed sicut iustorum amator, quia maximam eorum curam habet: quæ enim mater ita pulcherrimam filiam amat vt capillos quamtumuis aureos, habeat numeratos? sit ille in sæcula benedictus. Simile.

Deus magister noster.

PROPOSITIO VNICA.

Deus virtutum magister est.

Genes. 4. 1. [illegible] *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum [illegible] & interfecit eum.* Quis edocuit Cain posse tunc occidere alium, cum quid mors esset, aut quomodo homo mori posset ignoraret? Respondet S. Athan. lib. quæstionum, q. 8. Diabolus eum docuit & subministrauit modum, quo illum occidere posset. ita S. Athan. Sic Dæmon magistrum se exhibet peccandi vnicuique secondùm inclinationem cuiusque; auarum mille artes fraudum quas ignorat docet, & ambitiosum ambitionum, & iratum vindictarum, superbum plusima honoris puncta, *queno se allen encanto llano ni en canto de organo*, latronem etiam furandi.

Vnde hostis contrarium Christo Domino se exhibet præceptorem: Dominus enim qualia doceat, habes Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus doces te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas.* Diabolus verò docet non vtilia, sed delectabilia. Sicut cocus differt à medico, medicus enim oon respicit, quid infirmo delectabile sit, sed quid ad sanitatem vtile, cocus verò quid palato placeat; Sic Daus tanquam animarum medicus, medicinalia applicat ægro licet amara & molesta sint, Diabolus verò delectabilia licet mortifera siot, imò quia mortifera sint, & mortem inducant æternam. Isa. 48. Simile.

Deus non est acceptor personarum.

PROPOSITIO VNICA.

Deus omnes recipit & non accipit personas.

DEus Opt. Max. superioribus omnibus superior & exemplar eorum hac in re exemplum præbet semper, sicut S. Dauid manifestauit ps. 83. dicens: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* [*Mas querria estar en la casa de Dios aunque fuese exercitando vno de los officios humildes y baxos della que en los palacios de los peccadores.*] Rationem huius reddens subdit, *quia misericordiam & veritatem diligit Deus.* In originali Hebræo sic: *quia sol & scutum Deus.* [*porque Dios en su casa es para los que tiene en ella sol y escudo*] Cur sol? cur scutum dixit? Genebrardus, quia Deus in Ecclesia sua est sicut sol illuminans, fouens, vegetans & alens, suo calore fœcundans nostras vires separans, & scutum protegens, & arcés exteros, & interna incommoda. ita Genebrardus. Sicut igitur sol in totum orbem suam lucem æqualiter diffundit, oriens super iustos & iniustos: sic Deus in omnes non solùm iustos, sed etiam peccatores suam ostendit beneficentiam. Et sicut scutum non vnam partem corporis tuetur, vt galea caput, vt thorax pectus, vt ocreæ crura, sed omnes corporis partes; sic Deus noster omnes fideles suos protegit & defendit, & sic etiam æqualitatem proportionatam seruat in suppliciis & punitionibus. Hebræis comminatus fuit olim septuaginta annorum seruitutem; *seruient* (inquit Ierem. 25.) *Regi Babylonis septuaginta annis.* Tyriis etiam minatus est Isai. 23. *in obliuione*, inquit, *eris ò Tyre septoaginta annis*: quia scilicet & Tyrij captiui fuerunt à Chaldæis annis 70. cur pari puoiuntur pœna fideles & infideles? Nimirum quia eadem pœna digni fuerunt, Deus autem Iudex iustus est in omnes, & pro qualitate, & quantitate criminum, omnes pariter punit. Sic expendit hoc S. Theod. dicens: frænat Deus Iudæorum superbiam, nam quod tempus præfinituit vastitati Hierosolymæ, idem præfinituit vastitati Tyri; idem enim Iudæorum & gentiom est Deus. ita S. Theodor. Exemplum dedit Dominus vobis, ò superiores, vt & vos similiter faciatis subditis vestris. Vnde licet superior consanguineos multos habeat, si indigni sint, vel digniores viderit esse extraneos, non attendat carni, & sanguini, sed meritis vniuscuiusque. Sic Moyses successorem sibi constituit, non ex familia soa, imò neque ex tribu sua Leuitica, sed ex tribu Ephraim, nempe Iosue. Cur ita? Abulens. c. 22. Mat. q. 115. vt significaret, inquit, principatum in populum non sanguini deferendum esse, sed vitæ. ita ille. Et S. Hieron. in c. 1. Epistolæ ad Titum, Moyses, inquit, amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus est, potuit vtique successores principatus soi filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribo eligitur Iesus, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum, sed vitæ. ita S. Hieron. qui statim inuehitor in eos præsertim Ecclesiasticos, qui naturali ducti affectu Ecclesiastica bona conferunt non digniori, sed propinquiori, dicens: At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos qui plus prodesse Ecclesiæ possunt, sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. ita ille. Psal. 83. Simile. Genebr. Simile. Ierem. 25. Isai. 23. Theodo. S. Hiero.

Adest ad hoc etiam Christi Domini exemplum, qui Ecclesiæ principatum non Ioanni dilecto & etiam consanguineo, sed Petro commisit. Cur ita? cum & ille sanctissimus Apostolos quoque esset? S. Hieron. lib. aduersus Iouinian. duplici ratione respondet. Prima, inquit, est, ne Ioannes adolescens progressæ ætatis hominibus præferretur. Secunda, ne, inquit, Magister bonus qui occasionem S. Hieron.

casionem iurgij auferre à discipulis debuerat in adolescente quem diligebat, causam præbere videretur inuidiæ. ita S. Hieron. ne scilicet diceret aliquis ignarus, quia Ioannem tenere diligebat, ideo summum Pontificem & vicarium suum erexit: quasi Christus non eos magis eligeret quos nosset meliores, &c. Vnde Ioanni & Iacobo petentibus primas sedes respondit *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*
S. Chrys. Mat. c. 20. Si aliis, cur non illis? S. Chrysost. hom. 66. in Mat. sic in persona Christi respondet. Nam si quis postea venerit martyrio & aliarum virtutum numero ita decoratus, vt non parum vos excedere videatur, nolite credere quia vos amo & cætera antepono, id circo eo, qui maioribus nitet operibus expulso, vobis primum locum me daturum. ita. S. Chrysost.

Delitiæ & voluptas.

1. *Qui delitiis vacant, non sunt apti auditores Dei.*
2. *Delitiæ mundi occasio damnationis sunt.*
3. *Quàm contra hominis dignitatem sit delitiis vacare.*
3. *Delitiæ & voluptas sub ratione necessitatis se occultant.*
5. *Delitiæ seminarium peccatorum sunt.*
6. *Delitiæ & voluptas diuinis obsequiis obstant.*
7. *Delitiæ inspirationibus Dei obstant.*
8. *Delitiæ mentem excæcant & captiuant.*
9. *Voluptas delitiarum insatiabilis est.*

Propositio I.

Qui delitiis vacant, non sunt apti auditores Dei.

MVltos quidem videbis, qui comœdias & tragœdias vanas & fabulosas libenter audiant, verbum autem Dei verum & animæ salutiferum audire recusant; & idem de legendis libris sanctis vel prophanis dico. Causa autem in promptu est, quia nimirum delitias hi amant, & sibi placentia quærunt. Cum autem Verbum Dei ad pænitentiam & mortificationem eos exhortetur, ad mundi vanitatem vitandam illud audire nolunt.

Iob 38. Vnde Iob. 38. Dominus Iobo locuturus præmittit dicens: *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Cur sicut virum eum ad se audiendum vocat? Sanctus
S. Greg. Gregor. 28. Mat. 4. scriptura sacra viros vocare consueuit, qui vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur. ita S. Gregor. In auditorem igitur suum Deus elegit Iobum tanquam hominem virilem & non fæmineum delitiis deditum, & voluptatis amatorem.

Prouerb. 8 Hinc etiam Prouer. 8. sic diuina Sapientia. *O viri ad vos clamito,* &c. vbi non ad omnes, sed ad viros sermonem suum direxit. Cur non ad omnes? cum omnibus opus esset diuinos audire ser-
S. Greg. mones? S. Gregor. vbi suprà sic locum expendit, ac si aperte diceret. Ego non fæminis sed viris loquor, quia hi qui mente fluxa sunt, verba mea percipere non possunt. ita ille.

Ioan. 6. S. Euangelista multitudinem illam Ioan. 6 numerans, quam Dominus pauit in deserto: *Erant* inquit, *viri quasi quinque millia.* Cur, inquit, nullam mulierum vel puerorum mentionem fecit? Siquidem omnes pariter conuiuio potiti fuerunt. Respondet S. Cyrill. Alexandr. 3. in Ioann. 26. S. Cyril. De viris solùm mentionem fecit ænigmaticè, monens omnes qui viriliter probitatem amplectuntur, nō imbecillibus ac mollibus à Saluatore cœlestem cibum præberi. ita ille. Cibus autem ille verbi Dei (quod animæ pabulum esse ait sanctus Gregor.) symbolum est: non igitur verbum Dei effæminatis, & delitiis deditis congruit.

Propositio II.

Delitiæ mundi occasio damnationis sunt.

APoc. 18. damnauit Deus Babylonem, & vt Apoc. 18. damnationis causam sciremus, sic damnationis protulit sententiam: *Quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Damnata igitur fuit propter superbiam, & voluptatem. Diues ille auarus, de quo S. Lucas c. 16. *induebatur purpura,* quæ Regius ornatus erat, ecce superbiam: *& epulabatur quotidie splendidè. Splendidè,* inquit, non cum moderatione, neque semel aut iterum; neque semel vt inter sapientes fieri solet, sed *quotidie.* Quid inde? *sepultus est in inferno.* Ecce damnationem eius, nimirum, quia ex superbia eius & voluptate orta fuit immisericordia erga Lazarum, & alia peccata similiter inde emanarunt. Quantum glorificauit se, &c.

Vnde meritò S. Bernard. ser. 10. in psal. *qui habitat*: Nonne seipsos nescire videntur qui sic S. Ber. dediti sunt carni & sanguini, ac si nihil aliud quàm carnem se reputent esse? in vano accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorantes animas rationales habere. ita sanctus Bernard. Vbi subdit: Dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ: esto, non parcimus carni; in quo tamen magis ei parcere poteramus? an non melius est semini renouari & multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? Sic vos parcitis carni vestræ, simus nos interim crudeles non parcendo carni nostræ: at vos sanè parcendo crudeliores; videte enim quid eam maneat in futurum. ita S. Bernard.

At dices: Numquid delitiæ huiusmodi peccata mortalia sunt? esto non sint. Sed quia occasio peccatorum grauium sunt, ideo dicuntur esse causa damnationis: sicut si ex sylua oriretur leo & occideret aliquem hominem, dicere possemus: Nemus hoc occidit illum hominem, non quia nemus occiderit, sed quia ex nemore prodiit occisor, *de bosque salio quien lo mato, &c.* grauiter enim peccauit non subueniendo Lazaro qui extrema necessitate laborabat. Et similiter, vt S. Gregor. 1. Mor. 5. obseruauit, linguæ peccata commisit: siquidem aquam ad linguæ refrigerium postulabat.

Luc. 16. *Homo quidam erat diues,* &c. numquid Luc. 16 epulari & purpuram induere est peccatum mortale? etenim ex se hæc non sunt peccata mortalia, nisi aliquid grauius interueniat. Cur igitur subdit hunc diuitem esse damnatum? S. Basil. S. Basil. hæc verba expendens ait: Terret me exemplum diuitis huius in inferno sepulti, de quo malum aliud non lego, quàm quòd *epulabatur quotidie splendidè, & induebatur purpura.* Et tantum est malum hoc, vt cum bis solùm Paulus se lachrymis aliquid

aliquid ſcribere, primùm hoc dicit propter hæreſes Corinthi exortas, ſecundò propter eos qui ventri inſeruiunt, dicens: *multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* ita S. Baſil. vbi notaloqui ibi S. Baſilium de peccatis cõmiſſionis: nam de peccatis omiſſionis loquendo, diues ille peccauit in non præbendo eleemoſynam Lazaro; ſed merito etiam diuitem damnatom ait propter delitias, quia delitiæ cauſa ſunt damnationis. Sicut enim qui morbo ſebris malignæ oppreſſus moritur, & febris illa ex nimietate ciborum prouenit, rectè dicimus illum mortuum eſſe ex multo cibo; ſic etiam cum delitiæ cauſa ſint peccatorum mortalium, rectè quoque dicemus delitias cauſam eſſe mortis æternæ.

Vide Baſilij locum.

Mat. 7.

Mat. 7. agens Chriſtus de ſaluatione noſtra dixit: *Intrate per anguſtam portam; quoniam lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam!* Miratur dictum ſanctus Chryſ. hom. 29. in Mat. & ait: Atqui poſtea dicit, *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, quomodo igitur arctam viam & anguſtam pronuntiat? Quamquam ſi diligenter inſpicias, illam quoque leuem valde dicit & facilem quia via eſt, nam cuncta prætereunt aſpera & proſpera vitæ huius, & facilis etiam eſt ex fine: non enim ſolùm tranſire labores, ſed etiam ad bonum properare finem, poteſt conſolationem afferre certantibus; ſunt laborioſa quæ tranſeunt, ſed quæ permanent ſunt glorioſa; propter quod Paulus tribulationem noſtram vocauit leuem, non vtique ad naturam tribulationum reſpiciens, ſed ad futurorum ſpem: *quod enim* (inquit) *momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ non videntur, æterna.* Quod ſi Nautis minaces illi pelagi fluctus, ſi tempeſtates & hyemes agricolis, ſi vulnera cædeſque militibus leues & tolerabiles propter ſpem temporalium eſſe videntur; multo magis cum cœlum proponatur in præmium, & æterna & ineffabilia bona, nihil ex præſentibus aduerſitatibus ſentietur. ita S. Chryſ. Arcta igitur eſt via cœli, quia hæc via eſt paſſionũ moderatio, & mortificatio; & ſpatioſa via inferni, quia eſt effrænatio concupiſcentiæ, ſeu ſicut ait in imperfect. S. Chryſ. hom. 28. via perditionis eſt omnis iniquitas. Dicitur autem *ſpatioſa*, quia non eſt intra regulam veritatis & diſciplinæ incluſa, ſed per diuerſa carnalium voluptatum diffuſa, & ambulantes in ea non quod debent agere, agunt, ſed quidquid eos delectauerit, hoc ſequuntur, & voluntas lex ipſorum eſt, & non ipſi ſub lege ſunt ſed lex ſub illis eſt: via autem vitæ eſt omnis Iuſtitia. Dicitur autem eſſe *arcta*, quia intra regulam veritatis & diſciplinæ eſt incluſa, & ambulantes in ea non quod delectat eos, hoc faciunt, ſed quod debent; quia lex non eſt voluntas eorum, nec lex ſub illis, ſed ipſi ſub lege. ita ille Multi ergo ambulant per viam mortis æternæ, quia per latitudinem voluptatum pergunt. Quod expendens S. Auguſt. ſer. 55 de tempore, ait: O infelix voluptas, quæ per dulcedinem tranſitoriam, præparat amaritudinem ſempiternam! vigiliæ verò, orationes, & ieiunia per anguſtias breues perducunt ad delitias paradiſi, quia non mentitur Veritas, quæ dicit: *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* ita S. Auguſt.

S. Chryſ.

1. Cor. 2.

S. Chryſ.

S. Auguſt.

Propositio III.

Quàm contra hominis dignitatem ſit delitiis vacare.

Psal. 23. quærit Dauid: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde*: hoc eſt, illi ſaluabuntur, qui non ſolùm exterius ſe mundos & iuſtos exhibent, ſed etiam in corde interius ſe mundos ſeruant, ſicut Dominus ait: Iſai 1. *lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum*, &c. Sed ſpeciatim ſubdit Dauid: *qui non accepit in vanum animam ſuam*: quid eſt in vanum accipere animam ſuam? etenim in vanum aliquid eſſe dicimus, cum eo caret fine ad quem factum, vel ſumptum eſt: ſicut domus illa in vanum facta eſt, quæ nunquam inhabitatur, & veſtis quæ nemo induitur, &c. anima hominis facta eſt ad Deum cognoſcendum, & amandum, & eo fruendum, vti ait S. Auguſt. & non ad merè copotea & vitioſa, quia, verbi gratia, ad comedendum & viuendum anima vrſi aut lupi ſufficiebat, ad veſtes decoras pauonis anima ſatis erat, ad canendum lucinulæ, ad dormiendum multum lyrones, ad laſciuiam equi vel iumenta, quibus non eſt intellectus; ad vindictam cameli, ad famam lacerandam canis, &c. Vnde rectè S. Bernar. ſer. 10. ſuper pſal. *qui habitat*: An non ſe ipſos neſcire videntur, qui ſic dediti ſunt carni & ſanguini, ac ſi omnino nil aliud quàm carnem ſe reputent eſſe? ſic in vanum accipientes animas ſuas, tanquam prorſus ignorent animas ſe habere, & inſtar eorum quos tanquam ſine Deo in hoc ſæculo fuiſſe Apoſtolus memorabat. ita S. Bernard. qui ad quandam carnalium obiectionem reſpondens ſubdit: Quomodo dicunt nobis carnales homines: Crudelis eſt vita veſtra, non parcitis corpori veſtro; attamen in quo ei magis parcere poteramus? an non melius eſt ſemen in agro meliorari, quàm in horreo putreſieri? ſic vos parcitis carni veſtræ, ſimus nos interem crudeles non parcendo, at vos planè parcendo crudeliores: ſiquidem etiam nunc caro noſtra requieſcit in ſpe; videritis vos ipſi quid ignominiæ interim veſtra ſuſtineat, & quid miſeriæ eam maneat in futurum. ita S. Bernard.

Pſal 23.

Iſai. 1.

Simile.

S. Auguſt.

S. Ber.

Propositio IV.

Delitiæ & voluptas ſub ratione neceſſitatis ſe occultant.

Ad Rom. 13 *carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Qualis, inquies, aſt hæc carnalis cura damnata? S. Gregor. 30. Mor. 19. Diſcretus vir vſque ad temperandum corpus ſe reficit: ſciendum verò eſt, quia ſic voluptas ſub neceſſitate ſe palliat; vt vix eam perfectus quiſque diſcernat: nam dum ſolui debitum neceſſitas petit, voluptas explere deſiderium ſupperit, & tantò ſecuriùs gulam præceps rapit, quanto ſub honeſto neceſſitatis nomine explendæ ſe contegit. Sæpe igitur quid neceſſitas petat, & quid voluptas ſuppetat ignoratur. Atque ideo dum quaſi conciui parcimus, ad prælium hoſtem nutrimus. ita ſanctus

Rom. 13.

S. Greg.

ſanctus Gregor. quem etiam vide 9. Mor. 40. non procul ab initio.

Propositio V.

Delitiæ & voluptas ſeminarium peccatorum ſunt.

Luc 11. LEuit. 11. aſſignauit Dominus animalia terræ & aëris quæ in ſacrificiis ſuis offerri poterat, ex aquis verò nihil. Cur ita, cum inter piſces nonnulli ſint pretioſi? S. Ambr. lib. de pænitentia, S. Hieron. in Ioan. c. 2. S. Gregor. 26. Mor. 30. docent in diuinis litteris aquam ſymbolum eſſe delitiarum, propter lenitatem quam habet ſymbolicam ipſis. Noluit igitur Deus piſces in ſacrificium ſuum, quia ſicut piſces inter aquas delitiantur voluptuosè, ita peccatores inter delitias effeminatè & molliter degunt, & facilè in vitia cadunt, *los regalones andan zabullidos en vicios como los peces en el agua*, ibi nutritur gula, & luxuria, & deſidia: vnde inepti ſunt ad ſe offerendum Deo, ſacrificia enim ſanguinea ſunt, non verò delitioſa.

S. Ambr. S. Hiero. S. Greg.

Mat. 4. Mat. 4. *ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum vt tentaretur à diabolo*, &c. in hoc duello mirando diabolus arma, Chriſtus locum, & certaminis cauſam elegit, deſertum videlicet. Cur igitur in deſerto & non in ciuitate, ſeu domo? Paſchaſius Abbas in hunc locum: Vt per hoc quod primum Adam in paradiſo delitiarum deuicerat, per hoc à ſecundo Adam à deſerto deuinceretur. ita ille. Erat quidam primus Adam in paradiſo voluptatis, acie ingenij, iuſtitia originali, & magnis Spiritus ſancti donis ornatus & armatus, & nihilominus ibi mirabiliter cadens, victus fuit. Quo nobis ſignificatum à Deo eſt magnum inter delitias nobis periculum imminere, in deſerto verò, hoc eſt in loco delitiis carente, facilè nos animæ hoſtes vincere poſſe.

Paſchaſij

De Tauro Syluestri qui latinè Vrus dicitur ſic ſcribit Phyſiologus: Vrus animal omnium maximum, ſimile boui, duo habet cornua in modum ſerræ, paſcitur non longè ab Occeano, vbi naſcitur arbor quædam nomine *Tamus*, ſimilis viti, & alba ramis, quos cum Vrus capite concutit, eis cornu figitur: tunc venator accedit, & cornibus alligatum deprehendit, & ita opprimit illum. ita Phyſiolog. S. Epiphan. lib. de Phyſiologo ad mores hoc referens ait: Oceeanus copiam diuitiarum ſignificat, Tamus verò vitæ huius voluptatem, qua implicitus homo virtutem negligit, & Diabolus tanquam animarum venator, tunc illum aggreditur, quem voluptatibus mancipatum in ſuam redigit poteſtatem. ita S. Epiph. Quod autem de voluptatibus ſeu delitiis dicit, de diuitiis, & honoribus, & aliis vitæ bonis dicendum eſt: nam per diuitias capitur auaritia, per honores ſuperbia, per delitias gula & luxuria. Sic ergo infernalis venator, homines capit: & ſecum ad tartara ducit. Præcipuè tamen ad voluptatem & ſenſualitatem hæc pertinet ſimilitudo: nam Tamus idem eſt quod Adonides amaſius Veneris, ſicut conſtat ex Tertul. qui vbi nos legimus in Ezech. c. 8. *ecce illæ mulieres plangentes Adonidem*, legit, *plangentes Tamum*. Congruit quod de Samſone legimus, captum ſcilicet fuiſſe à Philiſtæis Dalidæ ſuæ dilectæ cauſa.

Simile.

Socrates. Inter documenta quæ Socrates tradidit his qui virtutes ſectari, & vitia fugere volunt, hoc maximè commendauit, dicens: Voluptates omnes velut Sirenes fuge. ita refert Stobæus ſer. 15. Notum eſt quod de Sirenibus fertur, monſtra ſcilicet marina eſſe, quæ dulciſſimè canunt, ita vt ſuauitate cantus nauigantes retardent & ad ſe trahant, quo ſubitò in eos irruunt & deglotiunt. Tales igitur, ait Socrates, voluptates & delitiæ corporales ſunt, dulcedine ſua imperitos homines alliciunt, & perdunt. Quotidiano experimento id notum omnibus eſt.

Propositio VI.

Delitiæ diuinis obſequiis obſtant.

LEuit. 2. *Omnis oblatio quæ offertur Domino abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* S. Thom. 12. q. 102. art. 3. in argum. 19. in hunc locum ſic argumentatur: Sacrificia corporalia exprimunt ſacrificium cordis, quo homo ſpiritum ſuum offert Deo; ſed interiori ſacrificio, plus eſt de dulcedine, quam repræſentat mel, quàm de mordacitate quam repræſentat ſal, vnde dicitur Eccleſiaſtici 24. *ſpiritus meus ſuper mel dulcis*: cur ergo prohibetur in ſacrificiis mel, reddens ſacrificium dulce? & fermentum quod etiam facit panem ſapidum, & exigitur ſal quod eſt mordicatiuum, & thus quod eſt amarum? Reſpondet S. Thom. ibid. quòd mel non offerebatur in ſacrificiis Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab his qui Deo ſacrificare intendunt, neque fermentum ad excludendam corruptionem; ſal verò exigebatur, quia impedit corruptionem putredinis, ſacrificia autem Dei debent eſſe incorrupta; & quia in ſale ſignificatur mortificatio carnis: thus autem offerebatur ad deſignandam deuotionem mentis, quæ offerentibus neceſſaria eſt, & etiam ad deſignandum odorem bonæ famæ, thus enim pingue & odoriferum eſt. ita S. Thom. Videant igitur qui ſe offerunt Deo religioſi & religioſæ quàm cauere debeant delitias, & dulcedines vitæ huius, & omnem peccati corruptelam, expectantes æternam.

Leui. 2. S. Theod. Eccleſiaſtici 24.

Propositio VII.

Delitiæ inſpirationibus Dei obſtant.

SAnctus Antonius de Padua in quodam ſermone de Iudicio, inquirit rationem cur metus Iudicij & inferni nil in hominibus malis operetur; & concludit, delitias mundi in cauſa huius eſſe. Sicut enim (air) in locis vbi ſericum fit, ſi tonare & fulgurare contigerit; ne vermes deterriti moriantur, tympana, & alia muſicæ inſtrumenta pulſantur, quo vermes diſtrahantur, ne aliquam impreſſionem tonitruorum recipiant; ſic Diabolus cum tonitrua diuinorum iudiciorum, & pœnarum infetni intus vel exteriùs in auribus peccatorum ſonant, ne aliquam inde impreſſionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel quid ſimile peccatoribus proponit, ne inde terreantur & conuertantur.

S. Anton. de Padua. Simile.

):(

PROPOSITIO VIII.

Mentem excæcant & captiuant delitiæ.

S.Ambr. SAnctus Ambrosius lib. de bono mortis cap.5. laqueus est in auro, viscus in argento. ita ille. Simile. Quid breuius, quid copiosius dici potuit? etenim hostes nostri venatores sunt, vti obseruauit S. Ber. Psal.90. S. Bernard. in id Psal. 90. *quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.* Ait igitur S. Ambros. laqueos in auro, id est, sicut venator laqueos apponit inter frutera & virides herbas, ita occultè vt laqueus non appareat, & qui passeres venatur viscum in ramo, quo alæ auium comprehenduntur, ne in altum volare possint; sic hostis in diuitiis, habet homo alas duas quibus ad cælestia volat; intellectum scilicet, quo diuina consideraт & percipit; & similiter voluntatem, qua Deum amare potest. Sed qui diuitias quærit, ita ligatur visco ipsarum, vt nec aliud cogitet neque amet; sicut auis cum se captam sentit, licet conetur volare ad supera, à visco impeditur, sic diues cum aliquando de salute sua cogitans vult in diuina & cælestia ascendere, quasi ligatum visco, impeditum se agnoscit.

PROPOSITIO IX.

Voluptas delitiarum insatiabilis est.

S.Petrus Chrysol. SAnctus Petrus Chrysol. ser. 2. de filio prodigo: Voluptas, inquit, nescit expleri. ita ille. Quod in filio prodigo patet, qui porcos pascens dicebat: Luc. 15. *Ego hic fame pereo.* Etenim præcatores porcos pascunt dum corpora sua saginant: sed fame pereunt, quia nunquam voluptatibus & delitiis satiantur, quantumuis eis abundent. ita ille.

Desideria.

PROPOSITIO VNICA.

Quòd à desideriis ad desiderata pergere debeamus.



Simile. APes quidem flor bus delectantur, eos amant, quærunt, colligunt, sed non in eis intentio & opus earum sistit & consistit, sed ex floribus fauos & dulcissima conficiunt mella: sic & nos flores bonorum desideriorum amare debemus; sed tamen non sistere in eis, sed interius ad opera quæ ex bonis desideriis promanant, procedere.

Detractio & murmuratio.

1. *Quàm graue peccatum sit detrahere iustis & bonis.*
2. *Proximorum defectus tegere, & non detegere debemus.*
3. *Quàm perniciosa sit detractio, & maximè ipsi detrahenti.*
4. *Quòd non sint detrahentes audiendi.*
5. *Detractio ex prauitate cordis procedit.*
6. *Detractor blandè incipit, sed postea valde mordet.*

PROPOSITIO I.

Quàm graue peccatum sit detrahere iustis & bonis.

3. REg. 17. sic Dominus ad Heliam: *Vade contra orientem, & abscondere in torrente Carith, & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi vt pascant te ibi.* Talis, tantaque est Dei prouidentia erga iustos. Corui, 3.Reg.17. inquit, deferebant ei panem & carnes manè, similiter & carnes & panem vesperi; bene, optimè. Sed cur quæso Dominus sic coruorum ministerio vsus est? nunquid famuli illi deerant, cui omnes Angelorum ordines famulantur? Angelum ad eundem Heliam Dominus iterum misit, qui panem & aquam illi præberet. Cur igitur per coruos nunc eum pascit, maximè cum corui edaces carnium & voraces sint? Respondeat S. August. tom. 3. lib. 2. de mirabilibus sacræ Scripturæ, c. 15. Coruis, inquit, præcipitur, vt culpam quam in diluuio commiserat, purgare auis illa videretur dum fidelis minister efficitur Heliæ, qui negligens & fallax fuerat antea S. August. Noë: ita S. August. qui culpam corui ait esse ministerio serui Dei Noë non quidem formalem, cum coruus talis culpæ capax non sit, sed materialem quia misit coruum Noë; vt quod columba similiter à Noë commissa præstitit, coruus præstaret: quod tanquam iniuria facta Noë reputabatur. Quare si propter culpam & iniuriam illam materialem corui, sic Deus satisfactionem & vindictam sumpsit, quanto maiores pœnas luent homines, qui formali culpa & iniuria seruos Dei afficiunt detrahendo, vel alio quouis modo eos persequendo?

PROPOSITIO II.

Proximorum defectus debemus tegere & non detegere.

Plutarc. PLutarchus in vita Periclis Ducis optimi Græcorum, sic de illo: Propter præclara facinora eius ab omnibus conciuibus suis laudabatur, hic statura quidem pulcher, capite verò deformis erat; ne autem deformitas eius pareret, pictores populi sui illum galeatum depingebant, vt galea deformitatem illam occultaret, reliquas verò corporis partes ad viuum exprimebant. ita refert Plutarchus. Amorem in illum sic pictores ostendebant. Amare nos proximos iubet Deus, *Diliges*, inquit, *proximum sicut te ipsum.* Sicut igitur pictores Græci quæ pulchra erant Periclis ad amussim exprimebant, quæ verò non talia, artificiosè celabant ob amorem eius: sic nos si verè proximos diligimus, quæ in eis sunt defectuosa, operite debemus; quæ verò perfecta & bona, manifestare.

Propositio III.

Quòd non ſint detrahentes audiendi.

S. Hiero. Prou. 24. SAnctus Hier. Epiſ. 4. ad Ruſticum: Salomon loquitur in Prouerbiis, *ventus Aquilo diſſipat nubes, & vultus triſtis linguas detrahentium*; ſicut enim ſagitta ſi emittatur contra duram materiam, nonnunquam reuertitur in mittentem & vulnerat vulnerantem, & completur illud: *facti ſunt mihi in arcum prauum*, & alibi: *qui mittit in altum lapidem, recidet in caput eius*; ita detractor cum triſtem faciem viderit audientis imo ne audientis quidem, ſed obturantis aures ſuas ne audiat iudicium ſanguinis, illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliua ſiccatur; ideo idem vir Sapiens: *Cum detractoribus* (inquit) *ne commiſcearis, quia repente veniet perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?* tam ſcilicet illius qui loquitur, quàm eius qui audit detrahentem. ita S. Hier.

Propositio IV.

Quàm pernicioſa ſit detractio, & maximè ipſi detrahenti.

S.Hiero. Pſ. 49. Gloſſa IN odium huius vitij nonnullos ſacræ Scripturæ locos adducit S. Hier. epiſt. 4. ad Ruſticum ponderatione dignos. Primus eſt ille Pſ. 49. Dei dicentis ad detrahentem: *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti & tacui*, &c. vbi nomine *fratris* quemlibet hominem intelligit, ſicut ibi exponit Gloſſa, nomine autem *filij matris tuæ*, intelligit fidelem, ſicut ait Caſſiodorus; omnes enim fideles, Eccleſiæ filij ſunt; & ideo maius peccatum eſt detrahere Chriſtianum Chriſtiano, & ſcandalizare illum vt odio te proſequatur, ſecundùm Gloſſam Lyrani, & addit: *hæc feciſti & tacui*: verba magni ponderis ſunt, ac ſi dicat: Parum ne videtur tibi te detrahente me tacere? nec iuſſiſſe linguam tuam adhærere palato? aut fulmine aduri? tanto quidem odio Deus proſequitur detrahentem.

Caſſiod.

Pſ. 56. Secundus locus eſt Pſ. 56. *filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* De quibuſdam detractoribus agit, quorum dentes & linguæ erant velut gladius acutus & ſagittæ; quia ſicut gladius cominus, & ſagittæ eminus & à longè feriunt, ſic detractor & præſentes & abſentes carpere ac ferire ſolet.

Pſal. 54. Tertius locus eſt Pſ. 54. vbi de detractore agens ait: *molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Bellarm. Cardin. Bellarm. ſic locum exponit: Verba detractoris delectant aures, ſed feriunt corda, non ſunt verba ſed lanceæ. ita ille. Simile. Videas detractorem anteaquam detrahat, mulcere aures audientis, & ſe prius excuſare & præmittere blanda quædam verba in fauorem eius cui detrahit, ſed in fine mordet vt colubet, ſicut Chirurgus ſeu Phlebotomus, qui priùs quàm lanceola incidat venam, leuiter ſuper partem incidendam, manum ducit, eam demulcens, ſed ſtatim vulnerat & ſanguinem elicit. Sic murmurator priùs quàm linguæ lanceola proximum vulneret, leuitate verborum & vultus, audientis aures demulcet, ſed poſtea honoris & famę proximi venā incidit, & ſanguinē elicit: ſic ſermones eius ſuper oleū molliti ſunt, ſed ipſi ſūt iacula.

Quartus locus, quem apertiorem dicit ſanctus Hieronymus. eſt Eccleſiaſtes, 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minus habet qui occultè detrahit*; dormit ſorte agricola in agro, & venit reptans ad eum tacitè ſerpens, & pungit inſenſibiliter dormientem ad mortem; ſic abſentem, & velut dormientem, ſeu ignorantem proximum virulenta detractoris lingua vulnerat ſæuè. Memento ſerpentis antiqui, quando Euæ dixit: *Cur præcepit vobis Deus*, &c. Blandus ſermo ſuper oleum, ſed Deo ipſi detractorius; quem ſi vulnerare nequiuit, quantum ex ſe fuit, diuinam prouidentiam & beneuolentiam vulnerauit, & audientem occidit. Vnde meritò cōcludit ibi S.Hier. numquā tales videas, nec huiuſmodi hominibus applicetis, ne declines cor tuum in verba malitiæ. ita ille. Eccl. 10. S. Hieron.

Propositio V.

Detractio ex prauitate cordis procedit.

REctè quidem Quintilianus: ſonis (inquit) homines vt æra tinnitu agnoſcimus. ita ille. Quintil. *como ſe conozen las campanas por el ſonido, ſe conocen los hombres por el habla*: an ſcilicet ſit quis humilis vel ſuperbus, caſtus an laſciuus, amans proximum, aut charitate carens, iuſtus vel iniuſtus.

Matth. 26. ſic nonnulli tempore paſſionis ad Petrum: *Tu ex illis es*, (id eſt ex diſcipulis Chriſti:) *nam & loquela tua te manifeſtum facit.* Matth. 26. Quænam erat illa loquela, ex qua colligebant hi, Petrum eſſe diſcipulum Chriſti? Sunt qui reſpondeant linguam eſſe Galilæam, vt colligitur ex eo quod ait S. Luc. 22. quidam affirmabat dicens, *verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus eſt.* Per loquelam ergo Galilæam agnoſcebant illum eſſe diſcipulum Chriſti. Sed vnde conſequens erat eſſe Petrum diſcipulum Chriſti? quia Galilæa lingua loquebatur, cum lingua Galilæa Hebræa quoque eſſet, & præterea non omnes Galilæi erant diſcipuli Chriſti. Hinc alij aliter reſpondent, ſupponentes Galilæos non adeo ornatè & compoſitè loqui, ſicut cæteri Hebræi, ſed barbarè, incomptè: at in ſchola Chriſti didicerant Apoſtoli, quamuis Galilæi, ornatè loqui; nimirum, quia cum agere deberent cum omnibus Hebræis etiam aulicis & primariis, docebat eos ornatè loqui, & ſimul grauiter & modeſtè, & ideo dicebant: hic diſcipulus Chriſti eſt quia Galilæus eſt, id eſt, hic qui cum Galilæus ſit ita grauiter & modeſtè loquitur, ex Chriſti ſchola eſt abſque dubio: nec mirum, nam modeſtia & grauitas & probitas linguæ indicium boni Chriſtiani eſt, immodeſtia verò, & leuitas, & improbitas loquutionis, prauitatem animi præſeferunt. Vnde qui detrahit loquela ſua, ſe manifeſtum facit, non eſſe diſcipulum Chriſti, ſed dæmonis potius.

Luc. 11. Cum Chriſtus Dominus inſigni miraculo ſurdum & mutum ſanaſſet, quidam aſtantium dixerunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, at mulier quædam ibi ſtans extollit vocem ſuam dicens: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Luc. 11. Mira diuerſitas, nimirum, quia ex abundantia cordis os loquitur, & qualis vnuſquiſque eſt, talis eſt ſermo eius, bonus de bono theſauro cordis profert bona, malus mala.

Animaduertat hic Dei ſeruus, non ſe miſerū eſſe ex malorum detractione, ſed felicem potiùs quàm ſi propter bona opera ſua laudaretur: ſecurior enim eſt vituperatio detrahentiū, quā laus benedicentiū,

mas seguro tiene el campo el que da en los dientes del murmurador, que el que cae en la lengua del lisonjeroy a labador; duo quidem dixit Dominus discipulis suis, scilicet Matt. 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerunt, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes*, &c. & ibidem 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Nunc rogo horum duorum quid difficilius sit viro iusto, opprobria patienter sustinere, an lucida opera facere coram hominibus, & laudabilia, & tamen non ad propriam laudem & gloriam, sed Dei solius ex eis velle? etenim virtus in infirmitate perficitur & solidior fit, inter laudes autem periculum magnum subit iustus vanæ gloriæ, &c.

Mat. 5.

Propositio VI.

Detractor blandè incipit, sed postea valde mordet.

S. Greg. Sanctus Greg. 5. Mor. 11. de amicis Iob agens: Amici, inquit, Iob à reuerentia mansuetæ loquutionis incipiunt, sed vsque ad iacula asperrimæ inuectionis erumpunt: sicut radices spinarum molles sunt, sed tamen ex ipsa mollitie proferunt, vnde pungant. ita ille. Vnde etiam comparati solet detractor tonsori, qui priùs quàm venam excindat, mollem manum super eam trahere solet, & postea lanceola vulnus infligit, & sanguinem extrahit; sic detractor, blandè sermonem inchoat, sed postea lancea linguæ vulnerat proximum suum.

Simile.

Solet is qui detrahit v.g. de me, se vicem meam dolere, dicere, & ideo de vitiis meis verba facere. Cui sic rectè S. Hier. epist. 4. ad Rusticum; Quid mihi prodest Dialis referas mala mea, si me nesciente peccatis meis & detractionibus tuis vulneres alium, & eum certatim omnibus narres, sic loquaris singulis quasi nulli alteri dixeris, hoc non est me emendare, sed vitio tuo satisfacere. Præcipit ergo Dominus peccantem in os argui debere secretò. ita S. Hieron.

S. Hieron.

Deuotio.

Propositio Vnica.

Quòd Deus potius deuotionem cordis, & promptitudinem animi respiciat quàm opus.

Gen 8. Genes. 8. *Ædificauit Noe altare Domino nostro, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.* Qualis, quæso, suauitas esse potuit odoris ex carnibus, & ossibus exustis? Theod. q. 53. in Exod. Excepit, inquit, Deus promptitudinem & animum Noë, non quidem nidore illo delectatus, nihil enim peius olet quàm ossa exusta, sed offerentis animum laudauit. ita S. Theodor. Ne igitur obiicias paupertatem tuam, quia non magnitudinem dati, sed deuotionē dantis respicit Deus.

S. Theod.

Marci 12. Mar. 12. aspiciente Christo Domino nostro eos qui munera in gazophilacium mittebant, adfuit vidua illa pauper quæ duo tantum minuta dedit, de qua sic ad discipulos suos Christus: *Amen dico vobis, quòd vidua hæc pauper plus omnibus misit*, &c. Etenim diuites plures numos mittebant: quomodo igitur ait Dominus plus misisse viduam? S. Leo Papa: nunquam, inquit, merito caret, etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia; maiora quidem sunt diuitum impendia & minora mendicorum; sed non discrepat fructus operum, vbi est idem affectus operantium: nulli enim paruus est census cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo mensura pendet pietatis. ita S. Leo serm. 2. in Quadragesima. Et ideo in die natiuitatis Christi Angeli hominibus bonæ voluntatis pacem Dei annuntiauerunt.

S. Leo.

Diabolus.

1. *Quanto nos odio diabolus prosequatur.*
2. *Quàm debilis sit diabolus in nos.*
3. *Diabolus homines peccare docet.*
4. *Diabolus quantum potest nobis nocere conatur.*
5. *Diabolus cum tentat, non tam nobis nocere quàm Dei gloriam minuere satagit.*
6. *Quantum diabolus damnationem nostram desideret.*

Propositio I.

Quanto nos odio diabolus prosequatur.

Matth. 8. Matt. 8. *Cum venisset Iesus trans fretum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes*, &c. Qua de causa in monumentis versabantur, cum monumenta vbi mortuorum cadauera iacent, fætida & horrore plena sint? S. Petr. Chrys. ser. 16. causam tribuit dæmonibus, qui in eis erant, dicens: In monumentis sedem fecerunt mortis authores, attendite ergo, quæ sæuitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus, qui quamuis breue tempus hominum ferre non possunt, contenti non sunt mori homines, sed viuos homines gestiunt sepelire, delectiantur fætore sepulchrorum, quibus tota voluptas est homines interire. ita S. Chrysol.

S. Petrus Chrys.

Quod si aliquando delitias vel diuitias vel honores hominibus offerunt, non in bonum sed in malum hominum præstant; sicut ibidem adnotauit S. Chrysol. dicens: diuitias ostentant, vt auaritiam ferant; & vt inferant superbiam, proponunt pompam; vt iram nutriant, causas colorant, Deos multiplicant, vt Deus qui vnus & verus est nesciatur. ita ille. Quod in tentationibus Christi constat, cui diabolos ostendens omnia regna mundi dixit: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*; videns enim maius malū in ratione mali esse vnicum peccarum, quā sint in ratione booi omnia mundi bona, facilè ea omnia bona pro vnico peccato sic offerebat.

S. Chrysol.

Sic dæmones quidam Christo Domino nostro; *Quid nobis & tibi fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* Quodnam erat hoc tormentū, quod sic Dæmones torquebat? Lyranus ibidem: licet (inquit) secū hi dæmones portēt ignem suū, tñ reputant se tetorqueri & affligi, qñ ab hominibus eiiciuntur, ne eis noceant propter odiū erga nos. ita Lyra. Vide igitur quanto perditionis nostræ desi-

Matth. 8.

Lyra.

detio tentantur, vt inter cruciatus ignis æterni sentiant, & conquerantur, se à perditione hominum amoueri. Sicut enim tormentum linguæ diuitis illius damnati, hinc constat quàm inter flammas gehennæ senserit speciatim linguæ tormentum; sic constat, quanta sit rabies in nos horum hostium, cum inter grauissima tormenta inferni sic sentiant à nostra perditione cessare, & ingens tormentum suum esse reputent.

Odium quoque huiusmodi in nos ex eo constat, quòd non solùm nos, sed ora nostra, non solum spiritualia sed etiam corporalia destruere conentur. Vnde in eodem c. Matth. 8. dixerunt (Matth. 8.) dæmones illi Christo Domino nostro: *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum; & ait illis, ite; at illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare & mortui sunt in aquis.* Quid mali fecerant eis porci, vt eos præcipitarent, & suffocarent dæmones? Lyranus (Lyranus.), id fecerunt, vt si non possent hominibus nocere in persona, nocerent in substantia. ita ille.

Propositio II.

Quàm debilis sit Diabolus in nos.

(Iob 4.) IOb. 4. *Tigris periit eo quod non haberet prædam.* Septuaginta verò sic legunt; *Myrmicaleon periit.* Quodnam est animal hoc? S. Gregor. 5. Mor. 17. Myrmicaleon, inquit, paruum valde animal est, formicis aduersum, quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, interfectásque consumit. Myrmicaleon Latinè dicitur formica, & leo; & meritò, quia volatibus est formica, formicis autem est leo; has enim quasi leo deuorat, sed ab illis quasi formica deuoratur. ita sanctus Gregorius (S. Greg.) qui c. sequenti, moraliter explicat huius animalis proprietatem, & diabolo applicans dicit: Rectè Myrmicaleon, leo & formica dicitur, formicis enim leo est, volatibus formica; quia hostis antiquus sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. ita S. Gregor. & ita quidem verum esse constat, quia sola resistentia nostra sufficit ad eum effugandum. Ait enim Iacobus Apostolus, *resistite diabolo, & effugiet à vobis.* Quid debilius? quod si quis ita debilis vt ei resistere non præualeat, fortem se exhibet ei, & rationes interiores tales administrat, vt facile ad consensum illum trahat.

(Luc 8.) Luc. 8. oblatus est Christo Domino Energumenus quidam legionem dæmoniorum habens, legio autem est 6666. Quæri meritò potest cur tot millia dæmoniorum vnicum hominem inuaserant, cum ad legionem hominum debellandam vnus dæmon sufficere videatur; etenim hinc constat debilitas dæmonum in nos, & quàm ignauus & iners sit diabolus; ignauorum enim est multos vnum inuadere, ac confligere. Vnde sanctus Chrysol. (S. Chrys.) serm. 27. exponens hunc locum Lucæ ait: Age Christiane, incede securiùs, manus tanta & tam multa dæmonum quæ sic metuit, inermem fugiet proculdubio, si videat, si sentiat, si cognoscat armatum. ita ille.

):(

Propositio III.

Diabolus homines peccare docet.

GEnes. 4. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* (Genes. 4.) Quis edocuit Cain posse tunc occidere alium, cum quid mors esset, aut quomodo homo mori posset, ignoraret? respondet S. Athan. lib. qq. q. 8. (S. Athan.) Diabolus eum docuit & subministrauit modum, quo illum occidere posset. ita S. Athan. sic dæmon magistrum se exhibet peccandi vnicuique secundùm inclinationem cuiusque, auarum mille artes fraudum, quas homo ignorat, docet, & ambitionem ambitiosum, & iram vindicatorem, superbum plurima oris puncta, *que no se hable encanto llano ni encanto de organo*, latronem etiam furandi modum.

Vnde hostis contrarium Christo Domino nostro se exhibet: Dominus enim qualia doceat, habes Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas:* (Simile.) diabolus verò docet non vtilia sed delectabilia, sicut cocus differt à medico: medicus enim non respicit, quid infirmo delectabile sit, sed quid ad sanitatem vtile, cocus verò quid palato placeat: sic Deus tanquam animarum medicus, medicinalia applicat ægro licet amara & molesta sint, diabolus verò delectabilia licet mortifera sint, imò quia mortifera sint & mortem inducant æternam.

Propositio IV.

Diabolus quantum potest, nobis nocere conatur.

CVr diabolus non solùm superbia sed gula hominem tentauit? Rupert. Abbas lib. 3. in (Genes. 3. Rupert.) Genes. c. 1. vt creaturam quæ duplicem habet substantiam, videlicet hominem, qui ex anima rationali & corpore constat, ad duplicem pertraheret mortem, corporis nempe & animæ; prius namque in anima spirituali correptus est superbiæ culpa, deinde corporeo cibo contra Dei mandatum infestus est. ita ille. Sic in omnibus rebus tam corporalibus quàm spiritualibus nobis nocere optat & satagit inimicus.

Vnde S. Petrus inquit: *Sobrii estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* (S. Petrus) Expende verbum, *deuoret*: hoc enim est discrimen inter comedere & deuorare: quod comeditur, non semper totum manducatur, sed aliqua pars reiicitur vt in carnibus ossa, in piscibus spinæ, in fructibus peripsemata: quod autem deuoratur, totum absumitur & nihil reiicitur. Sic ergo Diabolus non dicitur quærere quem manducet, sed quem deuoret, corpus, animam, virtutes animæ, & bona corporis temporalia & spiritualia. Meritò proinde dicit S. Petrus: *vigilate*: non enim minùs quàm de salute agitur æterna.

Propositio V.

Diabolus cum tentat, non tam nobis nocere quàm Dei gloriam minuere satagit.

MAt. 4. *Obtulerũt Domino lunaticos & curauit eos.* (Mat. 4.) S. Hier. hoc in loco ait non verè fuisse lunaticos, sed qui putabãtur lunatici, & hoc ad in-

ucutum

uentum & fallaciam fuisse dæmoniorum. Cur ita? Respondet sanctus Hier. Dæmones enim obseruantes lunaria tempora creaturarum sortem infamare cupiebant, vt in creatorem blasphemiæ redundarent. ita sanctus Hieronymus. *Para que viendo los daños del que pensaban que era el lunatico maldiciessen à la luna y redunda sela maldicion de la luna en dethonor del criador de la Luna.* Sic igitur dum diabolus homines tentat ad peccandum, non tam intendit hominum damnationem quàm id quod aduersus Deum resultat, nempe ne in cælo Deum laudent, sed in inferno blasphement Dominum.

S. Pet. 5. 1. Petri 5. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Expende efficaciam, qua Diabolus nos tentat, *tanquam leo rugiens.* Leo cum fame graui torquetur, rugire fortiter solet; sic Diabolus tanta damnationis nostræ fame cruciatur, vt *tanquam leo rugiens, quærat quem deuoret*; non ait, *quem manducet*, sed, *quem deuoret*: quia sicut leo, cum valde esurit, prædam non mandit, sed carnem & ossa deuorat; sic hostis hominis animum & corpus quærit inferre in gehenam. Cur ita in nos? quid nos illi fecimus mali, vt ita sæuiat in nos? respondet S. Chrys. in c. 13. Matth. conatus omnis diaboli contra nos est, causa verò atque origo vt nos impugnet, ab odio quo in maiestatem diuinam fertur, profecta est. ita ille. Hinc sequitur nos ob eandem rationem debere efficacius eius retundere tentationes, quia scilicet ex odio Dei procedunt potius, quam ex damno nostro, in quod incurremus peccando, ac dicere hosti: Vade retro satana, in Dei mei odium tentas me, & vt ego vis assentiar tentationi tuæ, &c.

Propositio VI.

Quantum diabolus damnationem nostram desideret.

Matth. 26. MAtth. 26. *Dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Ponderat Origenes verbum, *tradetur*, & ait: impersonaliter posuit verbum *tradetur*, tradidit enim Deus pater ex misericordia, Iudas ex auaritia, sacerdotes ex inuidia, diabolus ex timore, ne per eius doctrinam amitteret genus humanum. ita Orig. ecce quanta sit verbi Dei vis ad animarum conuersionem, vt propterea maximè conatus fuerit Diabolus Christum crucifigi, ne scilicet amplius prædicaret, & quæ prædicauerat contemptui darentur. Ecce qualis ac quanta sit sitis eius damnationis nostræ

Dignitates mundi.

1. *Quàm periculis plenæ sint dignitates mundi.*
2. *Quàm expositæ sint laboribus & perturbationibus dignitates mundi.*
3. *In dignitatibus probatur humilitas vera.*
4. *Quod diabolus ad alta dignitatum eleuat homines, vt inde eos deturbet.*

Labatæ loci Mor. Tom. I.

Propositio I.

Quàm periculis plenæ sint dignitates mundi.

Matt. 20 MAtth. 20. *Nescitis quid petatis*, sic Christus Dominus ad discipulos suos primas in regno Christi sedes indagantes. Sed cur, inquit, *nescitis, quid petatis?* nunquid ignorabant, quam altum, quamque pretiosum esset sedes illas obtinere? S. Gregor. 5. Matth. 7. de his qui ambiunt temporalia: Quibus, inquit, vt rerum temporalium administratio præbeatur, semetipsos funditus deserunt, & ipsa fugitiua & temporalia continuis cogitationum passibus sequuntur; piæ autem mentes hæc, & cum desunt, non quærunt, & cum adsunt, grauiter ferunt; quia per exteriorem curam à se exire pertimescunt. ita S. Gregor. In cuius rei confirmationem ait quòd vana illa duorum fratrum vita signatur, de quibus scriptum est, *factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitans in tabernaculis*, vel sicut in alia translatione dicitur, *habitat domi*. Quid enim per venationem Esaii nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi, carnem sequuntur? qui etiam agricola esse dicitur, quia amatores huius sæculi tanto magis interiora colunt, quanto interiora sua inculta relinquunt. Iacob verò vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione & conscientiæ suæ habitatione consistunt, & intra mentis secreta se restringunt. ita S. Gregor. Meritò ergo ait Christus duobus discipulis suis dignitates sæculi desiderantibus, *nescitis quid petatis*, qui enim apud me versantur, interiora spiritus & non exteriora corporis & mundi quærere debent.

Matt. 4. 8. Matth. 4. *Assumpsit Diabolus Christum Dominum nostrum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna*, &c. Poterat hostis in plano vel quauis alia terræ parte ostendere Christo Domino nostro illam mundi gloriam, & dignitates. Cur igitur in montem illum duxit? etenim sicut eum conduxit in altum templi, vt inde præcipitium Christo suaderet; sic modo in altitudinem gloriæ mundi, & honorum, & dignitatum illum ducebat, quia sciebat, quàm facilior sit casus & præcipitatio in multa, & grauia peccata ex altitudine dignitatum, tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium. ita moralizat locum hunc S. Hieron.

S. Hiero. dicens: Diabolus ducere festinat Christum ad montes, vt per quos ipse corruerat, cæteri etiam corruant, iuxta illud Apostoli, *ne inflatus incidat in iudicium diaboli.* ita S. Hieron vbi nota diaboli iudicium & casus. Cecidit lucifer ex magni status sui altitudine in diabolicam superbiam, & inde in tartarum; quod si tam sapiens, & tanta Dei gratia præditus ex alto dignitatis suæ sic cecidit, nos quid ex huiusmodi altitudine mundi speramus? qui debilitate capitis laborant, facilè in loco alto positi turbantur & cadunt; omnes nos magis minúsve huiusmodi capitis debilitate laboramus. Si ergo prudens tu es, noli altum sapere, sed time & per planum incede.

PROPOSITIO II.

Quàm exposita sint laboribus & perturbationibus dignitates mundi.

Matt. 2. MAtth. 2. venientibus Magis Hierosolymam turbatur nimis Rex Herodes, ad quem sic Ecclesia: *hostis Herodes impie, Christum venire quid times? Non eripit mortalia qui regna dat cælestia.* Præterea si à Deo factum est istud, quid contra Dei voluntatem sæuit turbatus Herodes? Christum occidere tentat, & crudeliter in pueros innocentes sæuit, quid proficit tantum nefas? cur talis turbatio ac tanta? S. Chrys. hom. 2. in imperfecto, quasi de successore regni futuro turbatus est: semper enim grandis potestas maiori est timori subiecta; sicut arborum rami in excelso loco positi etiamsi leuis aura flauerit, mouentur; sic homines sublimes, sic in culmine dignitatum existentes etiam leuis nuntij fama conturbat; humiles autem sicut in conualle tranquillitatum consistunt. ita ille.

S. Chrys. Simile.

PROPOSITIO III.

In dignitatibus probatur humilitas vera.

QVæ occulta sunt, examine fiunt manifesta; profundum quidem est cor hominis, & soli Deo cognitum; sed sicut igne probatur aurum, & argentum, & an purum vel impurum sit, ignis ipse manifestat; sic quale sit cor hominis & an purum vel impurum moraliter, examinatio prodit, in litterario ludo quid sciat quis, aut nesciat, interrogationibus magistrorum, & argumentis fit palam; sic etiam an quis patiens sit, contumelia & tribulatio; si amator proximi, necessitas ipsius proximi; si prudens, concertatio; si castus, sollicitatio; si sobrius, mensa copiosa; si humilis, denique, honor & locus altus manifestat. Nam vti ait S. Ber. rara virtus est humilitas honorata.

Simile. S. Ber.

Gen. 18. Genes. 18. cum Dominus noster Sodomam & Gomorrham perdere ac delere prorsus vellet, secretum hoc Abrahæ tanquam speciali amico quæ gesturus erat prædixit; quod vt pateret eximium Abrahæ honorem cedebat. Sed quid inter loquendum Abraham Domino? *loquar*, inquit, *ad Dominum cum sim puluis & cinis.* Expendens locum istum S. Gregor. quando hunc tes possessæ extollerent, qui de se tam abiecta sentiret? apertè enim cernimus in quo loco se posuerat, qui pulverem se ac cinerem etiam cum loqueretur Deo æstimabat. Si igitur ita se despexit qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua pæna illi feriendi sunt, qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. ita S. Gregor. Ecce quonam pacto fuerit probata humilitas Abrahæ, honore nempe illo eximio, quo Dominus eum tone affecit. Honor enim magnum examen humilitatis est.

S. Greg.

S. Bern. Rectè quidem S. Bernard. serm. de Beata Maria super cap. 12. Apocalyp. inquit: Hæc in cordibus electorum prærogatiua diuinæ gratiæ, vt eos nec humilitas pusillanimos faciat, nec magnanimitas arrogantes. ita S. Bernard. qui hom. vltima super *missus est*, in Beata Maria verificat quod dico, expendens verba illa virginis, *Ecce ancilla Domini*, &c. ait: Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus & insolescere gloria nescit? mater Dei eligitur & ancillam se nominat, non mediocris re vera humilitatis insigne, nec oblita tanta gloria humilitatem oblinisci, neque enim magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus & rata virtus humilitas honorata. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos subitò intumescere, pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. ita S. Bernard. Ecce quomodo honores & dignitates & scientiæ inflant, & patefaciunt cordis superbiam, quæ in humili statu latebat. S. Bern.

PROPOSITIO IV.

Quòd diabolus ad alta dignitatum eleuat homines, vt inde eos deturbet.

MAtth. 4. Diabolus statuit Christum Dominum super pinnaculum templi & ait: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Ponderat S. Petrus Chrysolog. dictum hoc nostri hostis, serm. 13. & ait: Conuenientius diceret, si filius Dei es, ascende in cælum, cum sit vtrique hominis ad ima cadere, Dei autem ad superna conscendere: sed sic suis suadet, sic suos eleuat, vt de alto validiùs præcipitet, in ruinam lapsus nostros quærit. ita ille. Attendant hoc candidati, qui non solum oblatas sibi dignitates non respuunt, sed & ambiunt per fas & sæpe quoque per nefas. Etenim ipsemet altus locus præcipitationis occasio est, quamuis Deus hominem in eo collocet vt patet in lucifero, Adam, & Eua, in Saule, & Iuda, & aliis, &c. Matth. 4. S. Petrus Chrysol.

Diuitiæ.

1. *Quàm sint à nobis despicienda.*
2. *Diuitiæ dantur à Deo, vt in eius obsequium expendantur.*
3. *Diuitiæ superbum hominem reddere solent.*
4. *Diuitiæ cor nostrum captiuant.*
5. *Diuitiæ grauant corda.*
6. *Diuitiæ periculum damnationis secum ferunt.*
7. *Quàm ardenter homines ament diuitias.*
8. *Cupiditas diuitiarum animum cruciat.*
9. *Diuitiæ discordias pariunt.*
10. *Exigua durationis sunt.*

PROPOSITIO I.

Quàm sint à nobis diuitiæ despiciendæ.



ACtor. Apost. c. 4. *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Cur ante pedes? cur non in manibus? pecunias enim manibus date & recipere solemus. S. Hiero. epist. 28. ostendentes in hoc facto calcandam esse auaritiam. ita ille. Act. 4. S. Hieron.

At

At dices S. Hieronymum non diuitias, sed auaritiam dicit esse calcandam. Ita est, diuitiæ secundùm se non sunt despiciendæ: bona enim à bono creata sunt, sed tamen quia supposita fragilitate nostra & vehementia concupiscentiæ nostræ, diuitiæ nobis occasionem peccandi sunt, & periculum auaritiæ, vt sic despiciendæ sunt, quia hoc est auaritiam calcare nostram in eis, & non Dei dona, & ob banc causam non ait S. Loc. io eo loco, ponebant auaritiam ad pedes Apostolorum. Pone tu similiter pretia, & pecunias non in corde, sed sob pedibus tuis.

Seneca.

Seneca epist. 111. Non est quod te nimium laudes, si contempseris lectos aureos; quæ namque virtus est superflua contemnere? tum te admirabor cum contempseris etiam sordidum panem, magnum denique vectigal est parsimonia. ita ille. Ita Cato Senior. Neque mihi ædificatio est, neque vas, neque vestimentum vllum pretiosum, neque seruus pretiosus, neque ancilla, si qoid est quo vtar, vtar; si non est, ego sum, quo cuique per me vti ac frui licet. ita ille.

Cato Senior.

Similiter poëta ille:

Quis diues? qui nil cupit: & quis pauper? Auarus.

S. Hieron.

Vnde S. Hieron. Auaro tam deest quod habet quàm quod non babet. Sic etiam diceret: Pauperi spiritu tam est quod non babet, quã quod habet, quia ita sine illis contentus est ac si haberet.

S. Chrys.

Et S. Chrysost. hom. 19. in Ioannem, Angeli in hoc à nobis differunt, quòd non indigent sicut oos: ergo quanto paucioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinqoamus. Aduerte igitur in omnibus rebus miserum esse ploribus indigere; quid ergo sponte nostra nobis miseriam augemus? ita ille.

Cicero.

Ne igitur nos qui sumus Christiani vinci ab Ethnicis patiamur; qui paucis contenti, læti & hilares vixerunt, quales Crates, & Socrates, & Diogenes, & alij fuerunt. Ita Cicero Tusculana 5. refert Anacharsim Schytam philosophum ad suos scripsisse, mihi amictus est tegmen Schyticum, calceamentum solearum callum, cubile terra, & pulmentum fames. ita ille. Attende vnde se hi philosophi laude dignos cẽsent. Pudeat igitur Christianum se propterea laudare, quod pretiosis vestibus incedat indutus, quòd multa deglutiat, quòd pretiosa suppellectili abundet, &c.

Actor. 4.

Actor. 4. *Quotque possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Cur ante pedes Apostol. S. Hieron. ep. 4. ad Demetr. ponderans locum hunc ait: Quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recẽs incredentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia eorum ad Apostolorom deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas. ita S. Hieron. & Deus ipse argentum & aurum, & lapides pretiosos in terra occultos, & infra pedes constituit nostros, cælum verò sopra caput, vt cælestia pro magno habenda, & terrestria despicienda & calcanda esse doceret, *para que hollemos las riquezas del mundo y las pongamos de baxo de nuestros pies y los bienes del cielo los preciemos y pongamos sobre nuestras cabezas.*

S. Ambr.

S. Ambros. lib. 2. de offic. c. 4. quid præcelsios viro illo, qui auro moueri nesciat, in cõtemptum abeat peconiarum, & velut ex arce quadam despiciat hominom cupiditates: quod qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur. Quis est, inquit, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Quomodo enim non admirandus qui dioitias spernit, quas plerique saluti propriæ prætulerunt? ita ille.

PROPOSITIO II.

Diuitiæ dantur à Deo, vt in eius obsequium expendantur.

PLura nobis conferre solet Deus, quàm nobis ad vitam hanc necessaria sint, vt habeamos quod in eius obsequium expendere valeamus, in eleemosynas videlicet, diuinum cultum, & alia opera pia.

Gen. 7.

Genes. 7. sic Dominus Deus ad Noë arcam ingressurum: *Ex omnibus animantibus mundi, tolle septena & septena, sed & de volucribus cæli septena & septena.* Cur non paria, sed imparia sic iussit Dominus Noë secum io arcam iotroducere? Glossa ordinaria sic respondet: Plura sunt hæc animalia munda quàm immunda, vt egressos Noë de arca haberet qood Deo immolaret. ita Glossa. Idem habet Theodor. q. 50. in Genes. septena, inqoit, iussit introduci, vt Noë vum animal offerens ex vnaquaque specie non perimeret coniogationes. ita ille. Eadem ratione plura ad victum & conoictum bominibus non necessaria tribuit Deus vt possint sibi prouidere, & honorare illum.

Glossa

Theod.

Rursus Genes. 7. sic Dominus ad Noë cum vellet ingredi in arcam: *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, &c.* Cur ex animantibus immundis bina & bina tantum reseruari Dominus iussit, ex mundis verò septena & septena? S. Theod. q. 59. in Genesim & Glossa in hunc locum: vt baberet Noë (inquiunt) quod dominó posset offerre, simul & quo vesci posset: non solum igitur ad vescendum, sed ad offerendom Deo ampliora dona dedit ei, ex immundis eoim animantibos congruum non erat sacrificare Deo, ideo ex mundis plura tribuit Deus ipsi Noë: eadem quidem ratione, plura quàm diuitibus necessaria sunt, eis tribuit Deus, vt habeant vnde possint illi seruire, diuitias expendentes in operibos piis, in eleemosynis & diuino cultu. Videant ergo nunc diuites, quomodo expendant bona sua, qoomodo subueniant necessitatem patientibus: audituri quippe aliquando sunt: *Redde rationem vellicationis tuæ.*

Gen. 4.

Genes. 4. Cain & Abel fratres munera seorsum obtulerunt, sed non æque à Deo accepta illa sacrificia fuere: *respexit autem Dominus ad Abel &c. ad munera eius, ad Cain verò & ad munera eius non respexit.* Cur non? cur potius munera Abel acceptauit quàm Caio? Lyranus: Abel obtulit sacrificium Deo de melioribus animantibos gregis sui, & vt ait textus sacer, *de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, Cain verò obtulit de peioribus, & corrosis fructibus terræ. ita Lyranus. Sic hodie molti Cain imitantes, quæ potiora sunt, offerunt mundo, peiora verò Deo. Vnde non mirum si non ita respiciat eos Deus, & munera eorum sicut benignè recepit munera Abel.

Lyra.

S. Leo.

S. Leo Papa ser. 5. de collectis. Non solùm spirituales opes & dona cælestia Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ facultates ex ipsius largitate prooeniunt, vt meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit

quàm dispensanda committit. Muneribus igitur Dei iuste & sapienter vtendum est, ne materia operis bene fiat causa peccati; nam diuitiæ quidem plurimum humanæ societati prodesse possunt, cum à beneuolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit, vt tam pereant male conditæ, quàm insipienter expensæ. Quamuis enim laudabile sit intemperantiam fugere, multique magnificè dedignentur, facultates suas occulere, & sordentem horreant parcitatem; non est tamen talium aut felix abundantia, aut probāda frugalitas, si ipsis solùm propriæ opes seruiunt, si eorum bonis nulli pauperes iuuātur: huiusmodi enim diuites egentiores sunt omnibus egenis, perdunt namque illos redditus, quos possunt habere perpetuos, & nihil thesauris cælestibus intulerunt.

PROPOSITIO III.

Superbum hominem reddere solent diuitiæ.

1. Ad Thim. 6. — 1. AD Timot. 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueū diaboli*, &c. Et subdit: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere.* Hic prius Apostolus appetentiam & cupiditatem diuitiarum damnat, & non diuitias, vti adnotauit S. Aug. ser. 5. de verbis Mat. vbi ait: Aliud est diuitem esse, aliud velle diuitem fieri; hic cupiditas accusatur, non argentum, non aurum, non diuitiæ, sed cupiditas. ita ille. Sed ne diues dicat: Ego quidem habeo, sed non appeto diuitias, securus sum; audiat quid postea dicat Apostolus, *præcipe diuitibus nō superba sapere*: cur potius hoc diuitibus dicendum est, quàm cæteris? S. August. ibidem, quia nil est, quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam; omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; alius est vermis mali, alius pyri, alius tritici, alius fabæ: vermis autem diuitiarum superbia est: ergo præcipe diuitibus huius sæculi non superbè sapere. ita ille.

S. Aug.

Compar.

PROPOSITIO IIII.

Diuitiæ cor nostrum captiuant.

Exod. 3. — EXod. 3. *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis in medio rubi.* Cur quæso in rubo & nō in alia pretiosiore arbore Deus apparuit Moysi, verbi gratia in cedro, vel in cupresso, &c. Theodor. q. 6. in Exod. Nonnulli dicunt Deum in rubo & non in alia planta apparuisse, ne quis Deum ex rubo posset effingere: erat enim verisimile Iudæos hoc ausuros esse, si in alia planta apparuisset. ita ille. Nunc ad rem, sicut Deus occasionem idololatriæ ab his hoc pacto auferre voluit, sic etiam negando nobis temporalia bona, idololatriæ spiritualis à bonis occasionem aufert, dum nobis temporalia bona negat; sic enim temporalibus hæremus, sic illa amamus, vt adorare ea videamur: melius autem nos pauperes cœlum adire, quàm factos diuites perire?

Theodo.

S. Ambr. — Sanct. Ambros. lib. de bono mortis c. 5. laqueus est in auro, viscus in argento. ita ille. Quid breuius, quid copiosius dici potuit? etenim hostes nostri venatores sunt, vti obseruauit S. Benard. in id psal. 90. *quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium.* Ait igitur Sanct. Ambros. laqueus in auro, id est, sicut venator laqueos apponit inter fruteta & virides herbas, ita occulte vt laqueus non appareat; & qui palleres venatur, viscū in ramo ponit, quo alæ auium comprehendantur ne in altum volare possint; sic hostis in diuitiis, habet homo alas duas quibus ad cælestia volat, intellectum scilicet, quo diuina consideret, & percipit; & similiter voluntatem, qua Deum amare potest. Sed qui diuitias quærit, ita ligatur visco ipsarū, vt nec aliud cogitet neque amet: sicut auis cum se captam sentit, licet conetur volare ad supera, à visco impeditur; sic diues cum aliquando de salute sua cogitans, vult in diuina & cælestia ascendere, quasi ligatus visco impeditum se agnoscit, & vix potest se expedire. Simile. S. Ber.

PROPOSITIO V.

Diuitiæ grauant corda.

Genes. 13. — GEnes. 13. sic de Abraham: *Erat diues valde in possessione argenti & auri.* Originale Hebræum sic habet: *Erat grauis valde in possessione argenti & auri.* Quid sibi vult dictio illa *grauis*? S. Hieron. in quæstionibus Hebraicis grauitatem hanc ponderis molestum interpretatur. Quomodo igitur magnitudinem diuitiarum pondus grauans esse ait scriptura, cum diuitias in leuamen ac solatium homines quærant? Respondet idem S. Hieron. Diuitiæ argenti & auri sancto viro graues sunt. ita ille. Homini quidem mundano & peccatori non pondus, sed delitiæ sunt; sanctis autem graues & pondus ingens, quia impediunt virtutum exercitia: delitiæ verò sanctorum virorum non diuitiæ terrenæ sunt sed cælestes. Sed dices, cur eas non relinquebat Abraham? quia à Domino datas accipiebat, & etiam quia in pauperes etiam distribuebat. Vt cx. cap. 18. Genesis constat.

S. Hiero.

PROPOSITIO VI.

Diuitiæ periculum damnationis secum ferunt.

VIget diuitiarum sitis, sitis autem hæc non est vera sed falsa; & sicut qui falsa motus siti bibit, nocet ei potus, sic diuitiæ animo sitienti eas valde nocere solent. Sophon. 1. *disperierunt omnes inuoluti argento.* Septuaginta sic legunt: *disperierunt omnes erecti argento.* [*dad por perdidos atodos los que se empinan y engrien con la riqueza.*] Dices hoc loco non taxari diuitias, sed diuites superbos. Bene, sed quot mihi diuites dabis, qui diuitiis non erigantur & superbiant? Non sine causa Apost. ad Timotheum scripsit: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere.* 1. ad Timot. 6. vbi S. Anselm. nihil tam timendum in diuitiis quàm superbia, & grandis est animus qui inter diuitias superbia non tentatur, & magnus est diues, qui non se ideo magnum censet quia diues est: non enim se ita magnum existimat, superbus est. ita ille. & subdit: sicut poma vel arbores habent suos vermes, ita diuitiæ vermem suum habent; vermis autem diuitiarum est superbia. ita S. Anselm. Ecce igitur argumentum: Diuitiæ pariunt & producunt superbiam & elationem: disperent autem omnes erecti argento seu

Simile. Sopho. 1. 11. 1. ad Tim. 6. S. Anselm. Simile.

seu diuitiis: ergo diuitiæ causa & radix damnationis nostræ sunt, *buen pronecho os hagan vuestras riquezas oricos.*

Quod si clarius diuitiarum periculum scire vultis, audite Apostolum in eodem loco sic dicentem: *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociua: quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Quid clarius? At inquies, quo vtemur remedio vt habendo diuitias non pereamus? Faciant diuites quod sancti quidem diuites fecerunt: diues fuit Abraham & non periit. Quid igitur faciebat? eleemosynas quidem multas: neque enim sumptuosa palatia ædificabat, nec supellectilia serica habebat, neque equos phaleratos, neque famulos profanos: sed moderato sumptu familiam alebat, & pauperibus non auara manu fauebat; & hoc pacto diuitiæ illi non solùm non nocuerunt, sed etiam profuerunt. Diues erat S. Iob, & non periit, quia oculus fuit cæco, & pes claudo, & sacrificia multa offerebat, & pia opera exercebat.

Præterea tam sanctus Abraham, quàm sanctus Iob, humilitatem inter diuitias conseruabant. Abraham dicentem audies: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* Et Iob: *Pœnitentiam ago in fauilla & cinere.* Vade, & tu fac similiter, & propter diuitias non damnaberis.

Faciant itaque diuites quod arbores fructiferæ,
Simile. quæ cum fructum multum habent, non erigunt in altum, sed ramos fructu onustos ad ima declinant, quo facilius famelici colligere fructum possint: sic se diuites gerant & onere fructus diuitiarum non frangentur.

PROPOSITIO VII.

Quàm ardenter homines ament diuitias.

Ierem. 6. IErem. 6. *à minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student.* Nec semel contentus, iterum c.8. repetit, *à minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur.* Et vtinam querimonia hæc Demini in Hebræos tantùm locum habuisset: neque hoc probare est necesse, idem inter Christianos reperiri, satis est oculos aperire. Hinc quidem est quod Dominus quasi manu clausa & strictè nobis aurum & argentum communicat, & sub terram timus nimis nobis abscondit, vt ea potius pedibus proteramus, quàm supra caput collocemus, nec in eis corda ponamus, & vt cum difficultate & labore & patce inde metalla ista pretiosa depromamus.

Inquirit S.Thom. causam cur Moyses agens de mundi creatione, de cælis, & elementis & mixtis egit, & non de Angelis cum excellentiores creaturæ sint. Et respondet huic dubio: Ad vitandam, inquit, idololatriam, ad quam homines proni erant, & ad quam daretor occasio si plures substantiæ spirituales ponerentur præter Deum, & præcipuè à gentilibus Dij dicerentur. ita S. Thom. Quia ergo homines proni erant ad idololatriam, ideo Moyses non expressit Angelos ne eos tanquam Deos adorarent. Simili ratione Deus ideo occultauit diuitias auri & argenti in visceribus terræ, quia nouit homines ad diuitias esse procliues: ex quibus auaritia, & superbia, & gula, & alia vitia promanant; sed non in totum vt necessitati & commercio necessario prouideret: sed tamen est
Senec. cupiditas diuitiarum, vt dixerit meritò Seneca: Propter aurum & argentum itum est ad viscera terræ.

PROPOSITIO VIII.

Cupiditas diuitiarum animum cruciat.

GEnes. 3. Sic Dominus ad Adam post peccatum, *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Ponderat S. Ambros. locum istum, dicens: Tribulos germinat mihi terra corporis mei, cum me diuitiarum cupiditas cruciat. ita S. Ambros. ideo Christus Luc. 8. diuitias spinas vocat. Gen. 3. S.Ambr.

PROPOSITIO IX.

Diuitiæ discordias pariunt.

LVcanus lib. 3. Pharf.

—*Pereunt discrimine nullo*
Amissæ leges: at pars vilissima rerum,
Certamen mouistis opes.

Huius rei manifestum exemplum habemus in act. Apost. cap. 19. vbi quidam argentarius, nomine Demetrius, ciuitatem Ephesiorum turbauit, & concitauit aduersùs Apostolum Paulum & alios, qui contra idola, & maximè contra Dianam, quam præcipuè Ephesij colebant, prædicabant. Causa autem assignatur in eodem cap. vbi sic habetur. *Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum, &c.* & subdit: *impleta est ciuitas confusione.* Hinc ait S. Chrysost. ibi furor factus est, quando de lucri iactura audierunt. ita ille. *Sic certamen mouistis opes.* Actuum.19

Est & aliud huius veritatis exemplum à S. Luca recitatum act. 16. vbi Paulus Apostolos puellam à dæmonio quodam vexatam, quæ per diuinationem quæstum magnum præstabat dominis suis, à dæmonio liberauit, quo cessanit dominis quæstus ille: quare aduersus Paulum commoti non modicam in eum & socium tragœdiam excitarunt; vbi pecuniarum tyrannidem notans S. Chrys. ait: Vbique malorum causa pecuniæ, ob paganorum immanitatem, vt augeant pecuniam, puellam à dæmonio vexari volunt. ita ille. & insuper Paulum & Sylam vsque ad flagella persequuti sunt. Sic *certamen mouistis opes.* Actor. 16. S.Chrys.

Lyranus in c.13. Genes. frequenter diuitiæ causa discordiæ sunt: etenim etiam inter propinquos & amicos. ita ille. Quod verificatum videmus in in eodem cap. 13. Genes. vbi dicitur: *erat substantia eorum* (Abrahæ scilicet & Lot,) *multa, & non quibant habitare communiter, vnde facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Lot.* Causam autem discordiæ assignat Lyra, quia tam isti quàm illi volebant occupare meliora pascua & meliores aquas. ita ille. & tandem ob hanc causam quamuis Abraham auunculus esset ipsius Lot, sunt ab inuicem separati. Lyra.

PROPOSITIO X.

Diuitiæ exiguæ durationis sunt.

SAnct. Ambros. 5. offic. 49. Quid est opes congregare nisi vanum? quia caduca quærere vanum est satis. ita ille. vide locum, vbi optimè discurrit super istam diuitiarum vanitatem.

Dominus temporalis, *vide* Paterfamilias.

Educatio.

1. *Quàm prosint ad bonam educationem bona exempla parentum ac maiorum.*
2. *Quantum ad bonam filiorum educationem conducat aqualem amorem cunctis filiis ostendere.*
3. *Educandi sunt filij in timore Dei.*
4. *Ad bonam filiorum educationem orandus est Deus, quia donum Dei est bonos habere filios.*
5. *Ad bonam educationem conuenit auertere pueros à malis sociis.*
6. *Ad bonam educationem conducit à prima pueritia pucros recta docere.*

Propositio I.

Quàm prosint ad bonam educationem bona exempla parentum & maiorum.

S. Petrus Chysol. Simile.

SAnct. Petrus Chrysol. ser. 111. parentis vitinm est filiotum exitium, sieut in arboribos vitium semiois totius aiboris vitium est. ita ille. Eteoim in arbotibus manifestum est, quod vitiata radiee flores mercescuoi, froctus infirmantur, & folia ipsa pallescunt, & arbor rota laoguescit, quia ex radice pendent omnia, qnæ in arbore sunt.

S.Ambr.

Ponderat S. Ambrosius super e. t. Luc. quàm speciatim narret Euangelista mores parentum Ioaonis Baptistæ. *Erant*, inquit Lucas, *insti ambo incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela*; etenim Euangelistæ intentio oon erat historiam tegere parentum Baptistæ. Cor ergo ad eorum laudes diuertit? S. Ambrosius ibidem respondet: quæ alia intentio S. Euangelistæ oisi vt S. Ioannes Baptista nobilitetur parentibus? sic etiam sancti Samuelia mater Anoa laudatur, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. ita saoctus Ambros.

Simile. Iob. s.

Dici à sapientibus solet: *Parens est filiorum centrum.* Cut ita? Primò, quia sieut totum centrum terminat omoes lineas, & totum singulas: sic parens totus debet intendere educationi omnium filiotum & totus educationi singulorum, sieut S. Iob, de quo Iob c. t. *mittebat ad filios & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*: sic legit vulgata correcta, & non *per singulos*, sieut habet antiqua, quamuis in idem recidat. Secundò, *Parens dicitur filiorum centrum*, quia sicut centrum oon magis ad vnam quàm ad aliam partem propendet, sic Parens non debet magis vni quàm alteri filio intendere, sed æqualiter secundum rerum exigentiam, ne inuidia inter eos oriatur, sicut orta fuit inter filios Iacob, eo quòd Ioseph plus omnibus ab eo diligeretur, & quia illi soli vestem polymitam fecit. Tertiò, quia sicut omnes lineæ centrum respiciunt & ad illud occurrunt, sic omnes filij ad parentem tanquam centrum occurrunt, & vitam eius respiciunt & mores, & ita est illis velut exemplar eorum; si vident eum iurare, iurant; si vident eum ludere, ludunt; si vident eum mentiri, mendaces euadunt; si vident eum pium & eleemosynas dare, pij fiunt; & denique si vident eum Deum timere & sanctè viuere, sanctitatem & Dei timorem ediscunt; quare merito dicere possumus, *qualis parens, tales filij*, moraliter loquendo.

Commendat valde diuina scriptura obedientiam Abrahæ in Deum, qui Domino viuenti dilectissimum filium Isaac immolare decreuit, rem illi perdifficilem valde. Cur igitur ipsius Isaac obedientiam nō cōmendat, qui morti se libenter obtulit, suam voluntatem Dei & Patris illam esse, qui cum potuisset fugere à nece, effugere noluit, sed maluit obedire? Respondet doctus quidam, quia obedientia & patientia filij sanctæ institutioni parentis debebatur, atque adeo, quidquid sanctè filius agebat & patiebatur, in parentem refundebatur, & propterea ea laude dignior erat pater quàm filius.

Numetor. 16. peccauit Core contra S. Moysem insurgens, seu rebellans in Moysem, & Deum ipsum, quia rebellare in prælatum, est in Deum rebellare: quid inde? Dei quidem iudicio terra eum viuum deuorauit, & subdit scriptura; *factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent.* Vnde inquies, dicitur miraculum hoc? quid mirum si non pereant? respondent Hebræi apud Lyranum ibidem, quod labente Core per terræ hiatum, filij in medio aëre suspensi diuinitus tenerentur, & saluarentur. Addit tamen ad rem nostram Caietanus Cardinalis, miraculum in eo maximum positum esse, quod patre peccante, & peccati pœnas luente, filij non peccauerint, & ita nec pœnas luerint: mirum enim valde fuit exemplum parentis filios sequutos non fuisse. Caietanus

Item Iosue 7. Peccauit Achan furando pallium coccineum & regulam quandam aureā, & nihilominus Iosue Principes populi non solum Achan, sed filios eius duxit in vallem Achor, vt omnes ibi pariter lapidarentur & comburerentur, cum patre suo. Lyran. verè sic necatos fuisse filios testatur, & forte quia vel consenserunt in peccato illo parentis, vel in aliis peccatis eiusdem, vel, vti aiunt doctores Hebræi apud eundem Lyranum, ducti fuerunt omnes filij ad videndam punitionem patris, vt per hoc à similibus parentis factis malis omnes arcerentur, vt non sicut parens peccarent, si non sicut parens puniri vellent, adeo in peccata parentum coniorant filij. Iosue. 7. 21. Lyran

Rom. 16. *Si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami.* vbi Theophila. Necesse est fermento massam & radici ramos assimilari, sic parentibus filij. ita ille. vnde sicut fermento corrupto corrumpitur massa, & vitiata radice vitiantur & rami, sic vitiatis parentibus, mirum valde si non vitiantur & filij: quia parentes radices sunt filiorum, & filij rami parentum sunt. Vnde S. Petrus Chrysol. sermo. 111. parentis vitium est filiorum exitium, nunquid non in semine arbor tota? vitium ergo seminis vitium est arboris totius. ita ille. Rom. 11. 16. Simile. S P. Chrys.

Prophetabat olim Saul inter Prophetas, & admirans exclamauit populus dicens: *quædam res accidit filio Cis? & quis pater eorum?* seu vti habet textus Græcus, *quis pater eius?* ac si diceret: Si pater eius nunquam prophetauit, nec ad tantam dignitatem merita eius peruenerunt, quomodo

modo vel vnde tantum meritum filij vt prophetet? Tanta quidem est similitudo meritorum & morum inter parentes & filios.

1. Reg. 17. 1. Reg. 17. Videns Rex Saul Dauidem iuuenem eum giganti Philistæo congredientem & vincentem & gloriosè triumphantem, animi fortitudinem & nobilitatem admiratus, dixit ad Abner: *de qua stirpe descendit hic adolescens?* & rursus ad Abner: *Interroga tu cuius filius sit ille puer*, ac tandem ad ipsum Dauidem: *de qua progenie es ô adolescens?* cur tam sollicitus inquisitot generis Dauid fuit Rex Saul? nimirum, quia tam ingentem virtutem & animi celsitudinem non tam à natura, quàm à generositate parentum habuisse existimauit.

Gen. 22. Genes. 22. dubitari solet quænam fuerit excellsior obedientia Abrahæ an Isaac, cum iubente Deo pater filium iugulare voluit sacra autem scriptura, sic patris obedientiam præfert, vt nec filij obedientiæ vllam fecerit mentionem. Cur ita? nimirum quia filij obedientia & patientia educationi patris tribuenda erat, & propterea quidquid laudabile in moribus filij elucebat, à à patre procedebat, vel quia à tali patre talem filium processisse non ita mirum esset, &c.

Iudicum 13. decreuerat Deus Samsonem à vino abstinere omnino, sed prius matri eius imperauit talem seruare abstinentiam. Quare inquies? Respondet Montanus, quia, inquit, pleromque efficitur vt matrum affectiones filij iam infantes imitentur & sequantur. ita ille.

Vnde S. Chrysost. hom. 2. de patientia Iob, sanctitatem ipsius Iob admiratur: existimauit enim Iob fuisse quintum nepotem ab Esau, de Esau autem Paulus ad Hebræos. 12. *Esau*, inquit, *fuit fornicator & profanus.* Ait igitur S. Chrysost. ostendit igitur scriptura radicem, quo fructum admireris. ita ille. Quasi dicat: ab Esau progenitrice vitiose erat arbor filiorum: mirum igitur valde quod ex arbore vitiata tam sanctus & virtute prædirus fructus oriretur, qualis fuit Sanct. Iob.

Propositio II.

Quantum ad bonam filiorum educationem conducat æqualem amorem cunctis filiis ostendere.

Gen. 37. Genes. 37. *Israël diligebat Ioseph super omnes filios suos, fecitque ei tunicam polymitam, Videntes autem fratres eius, quod à Patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui quidquam.* Quid inde consecutum fuerit, notum est: non iudico modò an in hoc errauerit Iacob, vel an à diuino Spiritu ductus hoc fecerit; solummodo nunc expendo, quod ea illa ostensione maiori amoris parentis odium, & liuor, & fere mors Iosephi fuerit in cordibus fratrum consequuta, & tandem venditio & grauissimus patris dolor.

S. Ambr. Vnde S. Ambros. lib. de Ioseph Patriarcha c. 2. amor (inquit) patriis nisi moderationem teneat, liberis nocet; si autem nimia indulgentia dilectum resoluat, vt prælatio vnius cæteros ab effectu germanitatis auertat; plus acquiritur filio cum fratrum amor acquiritur; hæc præclatior munificentia patris, hæc ditior hæreditas filiorum, iungat liberos æqualis gratia, quos iungit æqualis natura. ita S. Ambros. Etenim si mutuo se amore fratres dilexerint, parentibus mortuis naturale vinculum fraternitatis & mutuus insuper amor faciet, vt sibi inuicem facilè subueniant, cum fuerint in necessitate aliqua constituti; possunt tamen parentes interiùs plus diligere eos qui maiori sunt digni amore, & eos ad maiora prouehere, qui ad maiora sunt apti, eo modo quo Matatias Machabæus fecit, 1. Mach. 2. n. 65. prudenter tamen; & similiter si quis filiorum deliquerit, strictiori disciplina eum gubernare.

Propositio III.

Educandi sunt filij in timore Dei.

Sunt nonnulli parentes qui filios suos tunc amare se censent valde, cum eos ad libitum viuere permittunt, & in omnibus indulgent, &c. eum potiùs tunc eos odiò prosequantur. De pelicano sic S. Epiph. in Physiol. Præ omnibus volucribus pelicanus est prolis amans. Fæmina nido incubat pullos suos custodiens: eosque fouet amplectiturque, & nimiis osculis fauetat, rostro enim perforat eorum latera, & sic illi moriuntur; post tres verò dies accedit mas pelicanus, & mortuos inueniens filios valde angitur, & dolorē impulsus proprium percutit latus ac terebrat, emanatque sanguis, quem super mortuorum vulnera instillat, qui sic vitæ restituuntur. ita ille. Vbi nota matrem esse, quæ nimio amore perimit filios: sic etiam inter nos matres indulgentiores erga filios sunt, & amore fæmineo eos ita diligūt, vt hac ratione filij effæminatos imbibant mores, & audaciores ad vitia fiant; tunc igitur accedat pater, & tanquam pater pelicanus si oportuerit sanguine proprio effuso, ad vitam vitæ filios reuocare contendat, refrænet impetus puetiles, puniat, & errata debito moderamine castiget, ne simul cum filiis in æternam pereat. Simile. S. Epiph.

Propositio IV.

Ad bonam filiorum educationem orandus est Deus, quia donum Dei est bonos habere filios.

Genes. 17. sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me & esto perfectus, & multiplicabo te vehementer nimis*; id est multiplicabo genus tuum. Cur non dixit, *ego multiplicabo filios tuos*, sed, *te*? Procopius ibidem, quia Abrahamus sic multiplicatur, vt quasi plurimi futuri sint Abrahami, nam ex ipso proditurì sunt sancti. ita ille. Et idem est Glossa interlineatis, *multiplicatio te in imitatoribus fidei tuæ.* ita Interlin. Potest quidem & debet pater sanctè educare filios vt sancti sint, videmus tamē nihilominus filios post bonam educationē euadere malos. Vt igitur sancti sint, oportet parentes viros bonos esse, & Deo filios commendare, tum vt exempla sua filij imitentur, plus enim mouent exempla quàm verba, & quàm verbera etiam; tum vt à Deo impetrent filiorum sanctitatē. Ideo prius quàm diceret Dominus, *multiplicabo te*, dixit, *esto perfectus.* Oret igitur bonus pater pro filiis Deum tanquam sanctitatis fontem. Sic faciebat S. Iob. c. 1. non enim solummodo sanctificabat filios verbis, sed etiam assiduis beneficiis oblatis Deo, atque ideo probos habuit filios. Gen. 17. Procopius.

Propo

Propositio V.

Ad bonam educationem conuenit auertere pueros à malis sociis.

Gen. 21. GEnes. 21. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc & filium eius,* &c. rem difficilem Sara postulabat; nam Ismaël filius Agar filius erat dilectus Abrahæ, vnde subdit scriptura, *durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Sed Deus voluntati Saræ fauens dixit Abrahæ: *Non tibi videatur asperum super puero & super ancilla tua, omne quod dixerit tibi Sara, audi vocem eius,* &c. Cur ita? quid mirum aut malum lusisse Ismaëlem cum Isaac? S. Hieronymus (S. Hieron.) in quæstionibus Hebraicis dicit: dupliciter hoc exponitur, vel quod Idolis ludos fecerit iuxta illud Exod. 32. *Sedit Populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere:* vel quòd sibi primogenita vindicauerit. ita ille. Primam (Lyra.) harum expositionum ait Lyra esse Hebræorum. Rectè Seneca lib. 3. de ira, sumuntur à conuersantibus mores, & vt in contactis corporibus vitia quædam transiliunt, sic animus proximis mala sua tradit. ita Seneca. Quare (Seneca.) meritò Sara, imò & ipse Deus electum filium amici sui Abrahæ Isaacum voluit à familiaritate Ismaëlis separare, docere volens parentes vt filios suos à malis sociis auertant. Sic (Actor. 9.) enim fecit Apostolus actorum 19. vbi dicit scriptura: Cum autem quidam indurarentur & non crederent maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis segregauit discipulos, &c.

Propositio VI.

Ad bonam educationem conducit à prima pueritia pueros recta docere.

Genes. 18. ABraham Gen. 18. recepit tres illos peregrinos hospitio, & occidens ad esum illorum vitulum optimum *dedit* (ait sacer textus) *puero, qui festinauit, & coxit illum.* Puerum istum aiunt Doctores Hebræi fuisse Ismaëlem filium Abrahæ, Cur igitur hoc Ismaëli filio præcepit, cum tale officium potius coqui quàm filij esset, & Abraham multos haberet famulos? Respondet Lyranus: (Lyranus.) Aiunt Hebræi puerum istum fuisse Ismaëlem, cui tradidit cibum parandum, vt eum assuefaceret operibus misericordiæ. ita ille.

Quam verò grata Deo fuerit hæc Abrahæ in filios cura, patet in eodem c. 18. vbi Dominus ciuitatem Sodomorum perditurus priùs rem aperuit Abrahæ dicens: *num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Cur quæso non poterat hoc celare Abrahæ? hoc non tacuit Deus: *scio enim* (inquit) *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se vt custodiant viam Domini, & faciant iustitiam, & iudicium:* Etenim magnum signum amoris Dei erga Abraham fuit reuelatio illa, & inde apertè constat quòd Deo grata sit filiorum educatio bona.

Rectè sapiens quidam, flos, inquit, ætatis periculum est mentis, quare ob hanc rationem tempus florum & tempus putationis idem est, *flores,* inquit Sponsa Cant. 2. *apparuerunt in terra nostra tempus putationis aduenit,* in flore ætatis putandi sunt sinistri puerorum affectus.

Eleemosyna.

1. *Eleemosyna citò danda.*
2. *Quàm sit Deo grata eleemosyna.*
3. *Non esse misericordem in pauperibus, reprobationis signum est.*
4. *Quàm meritoria sit eleemosyna.*
5. *Quòd etiam in hac vita remuneret Deus eleemosynas.*
6. *Eleemosyna iram Dei placat.*
7. *Quæ pauperibus damus, nostra facimus.*
8. *Quàm impetratoria sit eleemosyna.*
9. *Quomodo diues teneatur eleemosynas dare.*
10. *Quàm honorificum sit eleemosynas dare.*
11. *Eleemosyna libenter facienda est.*
12. *Eleemosyna liberaliter danda.*
13. *Eleemosyna à peccatis liberat.*
14. *Eleemosyna speciatim danda est pauperibus occultis & verecundis.*
15. *Quod pauperi datur, Deo datur.*
16. *Miseretur Deus eius qui pauperis miseretur.*
17. *Exhibitio eleemosynæ, probatio est veræ charitatis.*
18. *Quanta solicitudine fauere debeamus pauperibus in corporalibus & spiritualibus.*
19. *Eleemosyna à diuitiarum periculo diuites liberat.*
20. *In eleemosyna non est attendenda tam vtilitas dantis quàm opus ipsum Charitatis.*
21. *Quòd liberaliùs pauperes eleemosynas faciant quàm diuites.*
22. *Quàm debita sit egenti eleemosyna.*
23. *Quòd ideo tribuit Deus bona temporalia, vt ex eis pauperibus communicemus.*
24. *Cur Deus inter nos pauperes esse voluit.*
25. *Quòd iustis sit potius danda eleemosyna.*
26. *Quod vnusquisque secundùm suam possibilitatem debeat aliquid pauperibus dare.*
27. *Eleemosyna auaritiæ remedium est.*
28. *Eleemosyna nos similes Deo quodam modo facit.*
29. *Eleemosyna facit bona temporalia æterna bona esse.*

Propositio I.

Eleemosyna citò danda.

PSal. 4. *Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.* Psalm. 4.
Inquo

S. Basil. In quo quæso consistebat dilatatio hæc? S. Basilius in Scholiis: dupliciter, inquit, eum dilatauit; primùm, quòd eum exaudiuit; deinde quod velociter exaudiuit; sicut enim non velociter exaudiri angustia est & semigratia, ita illico exaudiri latitudo est & gratia dupla. ita ille. Colligit autem sanctus Basilius exaudisse Deum illico Dauidem ex eo quòd ait: *Cum inuocarem exaudiuit me*, non ait, *postquam inuocaui*, sed, *cum inuocarem*, hoc est, nondum compleueram orationem, & iam exaudiuit me Deus.

Hinc primùm colligo quàm efficax sit ad impetrandum à Deo oratio, siquidem prius est Deum concedere quàm hominem orasse; secundò quam citò sit eleemosyna danda, & non sicut nonnulli, qui obolum daturi diu pauperem expectare, desiderare, & petere faciunt: hoc imperfectam eleemosynam reddit: qui enim citò dat, bis dat; qui verò tardè, semigratiam facit. ita S. Basil.

Genes. 20. Genes. 20. iniuriam intulit Rex Abimelech Abrahæ, quando arripuit vxorem illico, quamuis non vxorem sed sororem audiuit esse; quia nec in vxorem accipere sororem debebat iniusto fratre; & quamuis non legamus preces fudisse Abrahamum pro liberatione Saræ, Dominus præueniens preces eius eam mirabiliter liberauit, vt & nos disceremus proximis in suis necessitatibus & periculis subuenire, non expectantes proximi preces. Sic optimè Hildebertus epist. 53. Nullus Hildebert. (inquit) vendit amicis obsequium, libenter & gratis subuenit, nescit preces expectare, sed velut egentis vaticinetur voluntatem, præuenit rogaturum; dubitat enim vtrùm sit obsequium, quod elicit precum vis, quod non accipiat improuidus sed extorqueat importunus. ita ille. Vtinam in hoc Dei imitatores essemus, vt sicut præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, sic nos præueniremus proximos in necessitatibus suis dulciter ac benignè.

Psal. 40. Ps. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus*, &c. non ait, *qui eleemosynam egeno & pauperi tribuit*, sed *qui intelligit*. Cur ita? quid est *intelligere super egenum*? S. August. S. Augost. in Glossa ordinaria. Nota (inquit) qui intelligit, vt & non petentibus detur; qui enim petenti dat bene facit, qui verò tacentem intelligit, beatus procul dubio est. ita S. August. Quamuis verò sit gratum Deo huiusmodi misericordiæ genus, constat ex his quæ in eodem psalmo sequuntur, *in die mala* (scilicet in die iudicij) *liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum & viuificet eum & beatum faciat eum in terra*, &c.

Seneca. Seneca lib. 1. de benef c. 1. qui tarde beneficiũ confert, diu noluit. ita ille. Hoc animaduertãt qui pauperes diu clamare & expectare faciunt.

Propositio II.

Quàm sit Deo grata eleemosyna.

EX eo maximè constat quàm Deo grata sit eleemosyna nostra, quod vel etiam à pauperibus eam requirat, & quantumuis tenuem non solum accipiat, sed etiam exposcat; præcipiebat olim Deus vt sacrificia ipsa offerrentur vel ex pecudibus, vel ex terræ nascentibus, vel ex auibus; & aliquando ad sacrificia admittebat Dominus quæ nullius ferè momenti erant, vt sunt spicæ. In quo quidem maiestati diuinæ cui offerebantur, derogari videbatur: tanto enim Regi non nisi pretiosa oblata congruebant; sed tamen tanta est bonitas & charitas Dei in homines, vt ne pauperes ab oblationibus excluderet & tanto bono eos priuaret, paucissimis se contentum ostenderet. Expositio est S. Thomæ 1.2. q. 102. a. 3. ad 12. vbi S. Thom. ait: lex in sacrificiis prouidere voluit offerentium paupertati, vt qui habere non posset animal quadrupes, saltem offerret auem; quam qui habere non posset, saltem offerret panem, & si hunc habere non posset, saltem offerret farinam vel spicas. ita S. Thom. & hinc constat etiam quàm grata sit Deo eleemosyna nostra, siquidem exiguum panis frustum, vel etiam aquæ frigidæ potum recipit in paupere libenter, & non exiguam mercedem pro re minima promittit.

Mat. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis* Matt. 10. *istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Cur dixit *frigidæ*? numquid quia maius ex illa frigiditate sit refrigerium pauperi? imo quia facilius est dare aquam frigidam, quàm igne calefactam. Ita Sanctus Leo ser. 6. Quadragesimæ de aqua frigida; forma est proposita pietatis, ne crederet se mercede cariturum, cui de calefactione potus lignorum impendium defuisset. ita Sanct. Leo. S. Leo.

Leuit 7. præcepit Dominus carnem sacrificij Leui. 7. pacificorum comedi, eadem die oblationis, & ad summum die sequenti; quod si in tertium aliquid superasset diem, ignis absumeret. Cur ita? quodnam inconueniens inde? S. Theodor. q. 7. Theodo. volebat Dominus non solos Sacerdotes epulari, sed etiam egenis de carnibus elargiri, & ideo tertia die cremari, vt necessitate compulsi, pauperes conuiuij sui socios haberent.

Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum &* Psal. 40. *pauperem*, &c. Cur non ait: *Beatus qui tribuit* S. P. Chrys. *pauperi*, sed *qui intelligit*? &c. S. Pet. Chrysol. ser. 19. ad intelligentiam, inquit, nos conuocat Psalmista; *Beatus*, ait, *qui intelligit super egenum*; & quæ est intelligentia vbi est manifesta paupertas? vis intelligentiæ tunc est, quando rimatur occulta, & recta nudat: verùm oculis subiecta & in publico exposita, non est intelligere, sed videre: nuditate algidus, famæ tabidus, siti aridus, lassitudine tremens, quòd egenus sit intelligere, quis labor? Oremus fratres vt ipse intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat, quòd ipse qui cœlum regit, sit in paupere nudus; quòd in esuriente esuriat saturitas rerum, quòd in sitiente sitiat fons omnium fontium, intelligere quomodo non magnum est? Quomodo non beatum intelligere quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum? & quòd egeat in egente qui mundum ditat? quòd frustum panis & calicem aquæ dator omnium petat? quòd Deus amore pauperis se sic disponat, vt non solùm adsit pauperi sed ipse sit pauper? hoc cui intelligere dederit Deus, ipse intelliget. Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis. *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare; sitiui*, &c. non dixit. *esuriuit pauper & dedistis illi manducare*, sed, *esuriui ego & vos dedistis mihi manducare*, sibi datum clamat quod pauperi datum est, & se manducare dicit, quod pauper manducat; dixisse sufficiebat, *dedistis mihi*, sed præmisit, *esuriui, sitiui*, vt intelligeremus eum passiones pauperum suscepisse. Nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, & saginatum se in esca pauperis prophetizat coram omnibus Angelis, & in con-

centu resurgentium. Quod Abel passus sit, quòd seruauit mundum Noë, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus supinus crucem ascendit, Deus hîc tacet, & hoc clamat solùm quod pauper comedit, primo stipendia pauperia tractantur in iudicio. ita S. Petrus Chrysol. vide igitur quàm Deo accepta sit eleemosyna, & se illam tanquam sibi exhibitam dicat, & se illam esurisse affirmet; etenim maiori studio proximi alicuius beneficium exhibendum commendare non valemus, quàm dicendo sibi illud exhiberi. Sic igitur Dominus eleemosynam non commendauit, & amplius id ostendit in his qui in eodem Psalmo subdit de sic intelligentibus super egenum & pauperem, dicens, *in die mala liberabit eum Dominus*, quænam est dies ista mala in qua liberabit eum Dominus?

S. August. Sanctus Augustinus explicans psalmum istum ait: dies iudicij aderit, mala quidem si non intellexeris super egenum & pauperem. ita ille. vnde in iudicio specialis erit de misericordiæ operibus mentio, *esuriui*, ait, &c. Pergit psalmista: *Dominus conseruet*, &c. S. Augustin. dicit hanc obsecrationem sicut sequentes promissiones Dei esse ei qui intelligit super egenum & pauperem factam. Ait ergo Dominus, *conseruet eum*. sanctus Petrus Chrysolog. S. Petrus Chrys. *conseruet & viuificet eum. Conseruet*, ne rapiatur ad pœnam; *viuificet*, vt resurgat à mortuis, & recipiat vitam æternam: *& non tradat eum in manus inimici*, nempe diaboli. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Quis est lectus doloris nostri nisi corpus nostrum, in quo anima iacet, & iacet dolens, quia dolet eo quod cælum repetere cupiens premitur corporis terra? Dominus vertet stratum nostrum, quando nobis aduersa in prospera vertit. ita S. Petrus Chrysol. vide etiam sanctum Augustinum, qui optimè explicat ista & subdit: Erige ergo oculos in hæc promissa Christiana & confide. ita ille. *Confide*, ait, & merito: Deus enim est, qui hæc misericordi promittit.

PROPOSITIO III.

Non esse misericordem in pauperibus, reprobationis signum est.

Matt. 21. MAtth. 21. *Reuertens*, Christus, *in ciuitatem esuriit, & videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuò aruit?* Cur quæso mirati sunt? nunquid non quotidie eiusmodi aut maiora à Christo Domino miracula patrata conspexerant? Inde forte magis admiratio orta, quòd non esset tunc tempus ficorum, S. Marcus. vt S. Marcus Euangelista dicit, *nihil inuenit præter folia, non erat enim tempus ficorum.* Cur S. Leo. eam Dominus maledixit? S. Leo Papa sic respondet serm. 7. de ieiunio; Præter illam Apostolicam sententiam, qua homines fructu carentes pietatis vacuis arboribus comparantur, etiam ficus illa nobis cauenda est ob suæ infæcunditatis exemplum, quam Dominus Iesus nil habentem, quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit, vt intelligeremus, quoniam qui esurientem non resouet egenum, illi denegat cibum, qui quod pauperi est datum, sibi dixit impensum; & huius maledictionis arbores erunt, quibus à iudicante dicetur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & Angelis eius, esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere*, &c. Quæ etiam recoluntur, vt aduertamus non futurum extra misericordiam qui vel partem horum operum fuerit exequutus. ita ille.

PROPOSITIO IV.

Quàm meritoria sit eleemosyna.

ITa auarè & miserè nonnulli misericordiam exhibent ac si amitterent quod pauperibus tribuunt, *como si hechasen rio abaxo lo que dan alos pobres*. Audi Psalmistam Psal. 111. *Iucundus homo qui miseretur, & commodat: disponit sermones suos in iudicio*. Non ait, *qui miseretur & tribuit*, sed, *miseretur & commodat*. Cur ita? Cassiodor. ibidem: Vir misericors iucundus est non tam hominibus quàm Deo, qui tribuendo pauperibus commodare videtur; dat enim temporalia recepturus æterna. ita ille. O felix commutatio! quis non talem commutationem eliget si sapit libentissimè? Vnde consequenter ait, *disponit sermones suos in iudicio*, Glossa, id est, *disponit sermones suos, quibus in futuro Dei iudicio defendatur*. ita Glossa, in iudicio enim Deus misericordibus dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, &c. *quia esuriui*, &c. Ps. 111. Cassiod. Gloss.

Luc. 16. sic Christus Dominus, *Ego dico vobis*, hoc est, attendite quod dico vobis (quasi specialiter à me dictum & consideratione dignum) quid hoc? *Facite vobis amicos de mamonna iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, id est, date pauperibus eleemosynam, vt saluemini. Sanctus Gregorius locum hunc expendens ait. Ergo pauperibus tribuendo patronis potius munera offerimus, quam egenis largimur. ita ille. & 58. Mor. to. Diues (inquit) epulo serò oculos aperuit compulsus in damnatione cognoscere, quod perdidit quando Lazarum non agnouit: iustè autem qui de abundantia peccauit, æstuanti crematur inopia, guttam aquæ petiit, qui micas panis negauit. ita ille. Vnde S. Hieron. ad Nepotia. non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. ita S. Hieron. cuius authoritas in hoc de quo agimus articulo, eximiæ consolationis esse debet eleemosynarum largitoribus. Luc. 16. S. Greg. S. Hier.

Hinc S. Innocent. Papa: Non tam fecit Deus diuites propter pauperes quàm pauperes propter diuites. ita ille. Quasi dicat: Plus lucrantur diuites dando quàm pauperes recipiendo; quia pauperes stipem seu panis frustum accipiunt; diuites autem cælum. S. Innoc.

Item sanctus August. lib. de conflictu virtutum, damnationem diuitis auari tribuit immisericordiæ, dicens: Memento quid purpurato diuiti contigerit, qui non ideo damnatus est, quòd tulerit aliena, sed quòd egenti pauperi non tribuerit sua, & sic in inferno positus ad pe- S. August.

tenda minima peruenit, qui hîc parua negauit. ita S. August.

S. Petrus Chrysol. Item S. Petrus Chrysol. serm. de ieiunio & misericordia, da homo pauperi terram, & accipe cælum; da numum, & accipe regnum; da micam, vt accipias totum; da pauperi, vt des tibi, quia quod pauperi dederis tu habebis, & quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus Oseæ 6. *misericordiam volo, & non sacrificium*: qui quod vult Deus, negat Deo, à Deo sibi quod desiderat vult negari; humanam misericordiam petit Deus vt diuinam largiatur; est in cælo misericordia ad quam per terrenas misericordias peruenitur. Domine in cælo misericordia tua, & beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; qui facit misericordiam, currit ad præmium; qui non facit misericordiam, decurrit ad pænam. ita ille.

Osee. 6.

S. Leo. Dices: Pauper ego sum, & ideo eleemosynas dare non valeo. Audi S. Leonem Papam serm. in apparitione Domini, vbi ait. Nulli paruus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis; non discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium. ita S. Leo, da igitur parum quod potes, da desiderium dandi.

Prou. 19. Prouerb. 19. *Fæneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*. Quid est, *fæneratur Domino?* Fænerator quidem idem est quod vsurarius; numquid nos vsurarios esse gaudet Dominus? ita quidem. Licet enim vsura prohibita sit, inuenit tamen bonitas fænerationem, non solum valde vtilem, sed etiam omnino licitam & sanctam, eleemosynam nempe, est enim eleemosyna idem quod Deo vsuram dare. Sic locum exponit S. Basil. con. 2. in Psalm. 14. Cum (inquit) pauperi dare volueris propter Dominum, idem donum est, & mutuum; donum quidem, quia non speras receptionem; mutuum verò propter magnificentiam Dei, qui pro paupere persoluit, qui pro paucis per pauperem acceptis, magna pro ipsis reddet; qui enim pauperis miseretur, Deo ad vsuram tribuit. ita ille.

S. Petrus Chrysol. Subscribit S. Petrus Chrysol. vlterius ponderando locum istum serm. 25. O Christe (inquit) quò te pertrahit tuorum amor? vt auarum fieri facias, facis cum quod desiderat audire. Auare fac tibi sacculos qui non veterascunt pauperibus erogando, quia quidquid acceperit pauper, suscipit cælestis pater, & ne forte perdidisse te doleas vsuram, centuplum in cælesti fænore recipies, vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum, & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum, sunt forte de cautione soliciti. Sed quare? nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus autem tot & tantis voluminibus cauet & debitor non tenetur? Sed dices, esto quod debeat, quo exigente restituet? seipso, quia non potest mentiri, idem ipse debitor est & executor; non erit durus in reddendo qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo, qui tibi te Deus dedit, maiora reddere vult cum vult debere largitor. ita ille.

Prou. 19. Iterum Prouerb. 19. *Qui miseretur pauperi, fæneratur Deo*. Pondetat S. Chrys. homil. 3. in Genes. verba ista dicens: vide vsuræ naturam raram & admirabilem. Alius est qui accipit, & alius qui se dandi fænoris reum facit, & non hoc solùm nomine, sed quia in hoc genere vsuræ non est ingratitudini locus nec vlli damno; neque enim sicut vulgo simplex promittitur redhibitio, sed centupla datur, & non solum centupla, nam aliqua datur in præsenti vita & aliqua in æterna; & in præsenti quidem vita si quis nobis duplicia solùm polliceretur, pro his quæ à nobis dantur, parati essemus omnem illi substantiam nostram offerre, licet ibi magna ingratitudo, multæ fraudes & multi qui boni habentur, fænus non soluunt, vel ob maleuolentiam nolentes, vel sæpe ob inopiam non valentes. Omnium autem Domino nil tale imputari potest, nam & capitalis summa in tuto est, & centum hîc promittitur eleemosynam expendentibus, & in futuro reponitur æterna vita. At pecuniæ quæ nunc ianuis & repagulis includuntur, in vanum ibi iacent. ita S. Chrysost.

Matt. 25. Math. 25. *Discedite à me maledicti, quia esuriui & non dedistis mihi manducare*, &c. numquid reprobi alia peccata non commiserunt propter quæ damnentur? Cur igitur solum defectum misericordiæ refert Christus Dominus? Commiserunt quidem, sed quia eleemosynis peccata commissa redimere noluerunt, ideo damnari eos asserit Christus. Hanc reddit rationem S. Damascenus ser. de die iudicij, vbi ponderans locum istum ait: Non dixit Dominus, *discedite à me*, quia furtum & homicidium fecistis & alia mala, sed quia de substantia vestra pauperibus non dedistis; sicut enim illos qui ad dexteram sunt, sola misericordia liberauit, ita eos qui ad sinistram sunt, sola auaritia condemnauit; & sicut illi non ideo audituri sunt, *venite benedicti*, quia non peccastis, nec illis dicturus est, *discedite à me*, quia peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redimere noluistis. ita ille. Quod similitudine hac intelligi facilè potest. Imaginare medicum sapientem qui curaturus ægrum potionem ei subscribit salutarem, dicens: si hanc sumpseris, non morieris absque dubio; at æger medicinam abhorrens & nolens eam sumere moriatur, tunc interrogatus medicus de causa mortis respondeat, mortuus est infirmus iste, quia potionem quam ego præscripseram non sumpsit; non ait, quia vis morbi magna fuit, quia febris maligna erat, quamuis verum sit febrem illum de medio tulisse, sed quia potionem non sumpsit, quia scilicet si eam sumpsisset, non obijsset; sic in proposito Christus Dominus reprobos periisse ait, quia eleemosynas non fecerunt, non quia propter luxuriam, & furta, & alia peccata non perierint, sed quia si eleemosynas erogassent, non periissent. Vide quantum sit eleemosynarum emolumentum.

S. Damasc.

Simile.

S. Aug. S. Aug. ser. 26. de verbis Domini secundùm Lucam, expendens verba illa Luc. 10. *intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam*; voluit (inquit) Dominus accipere formam serui, & in illa pasci à seruis dignatione non conditione; nam & ista dignatio fuit se præbere pascendum, habebat carnem in qua esuriret quidem & sitiret. Sed nescitis quia in eremo esurienti ipsi Angeli ministrabant? ergo quod pasci voluit, pascenti præstitit. ita S. August. Qui deinde addit: Ne tamen quis vestrûm dicat, ô beati qui Dominum Iesum Christum in domum propriam suscipere meruerunt: noli dolere, non tibi abstulit istam dignationem: ait enim, *quod minimis meis fecistis, mihi fecistis*. ita ille. Id ipsum ergo de his qui pauperibus eleemosynam tribuunt dicen-

dum est;mittit Dnminus pauperem ad te,vt illum pascas, vt illi faueas; non quia ipsemet Deus pauperi succurrete satia non possit. Etenim cum tibi panperem committit, tibi fauere decernit. Vnde S. August. ibidem. Heliam Dominus cotuo ministtante pascebat, & postea misit eum pascendum à vidua, numquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non,sed religiosam viduam per obsequium exhibitum seruo suo benedicere disponebat. ita ille.

Genes. 20. *Profectus inde Abrahan in terram Australem, habitauit inter Cades & Sur.* &c. Quam ob causam dimisit terram Mambte, quæ bona & grata illi fuerat? & Deus non præcipiebat ei inde abire, & nibilominus ad terram cuius commoda non erat expertus voluit proficisci? Rationem huius reddit Lytanus supponens euersionem terræ Sodomorum iuxta quam ipse habitabat. Lyra. Ait ergo Lytanus: causa fuit (vt dicunt Hebræi) quia diligebat multùm hospitalitatem: subuersis autem ciuitatibus illis, & omni populo mortuo, nullus de illis ciuitatibus remanserat, qui inde transiret ad domum Abrahæ, nec ex aliis locis veniebant ad prædictas ciuitates per domum Abtahæ transeuntes, & ideo quia non poterat exercere hospitalitatem, transtulit se ad alium locum vbi essent frequentes viæ, & sic exercere hospitalitatem posset.ita ille.Ecce quanti faciebat S. Patriarcha misericordiæ opera, cum non commoditati attenderet suæ, sed pauperum proximorum. Non sic auati bomines non sic, non inquaum paupetes quærunt, sed fugiunt.

Marc. 12. Marci. 12. aspiciente Christu Domino eos qui mnnera in gazophilacium mittebant, adfuit vidua illa pauper quæ duo tantùm minuta dedit, de qua sic ad discipulos suos Chtistus: *Amen dico vobis quòd vidua hac pauper plus omnibus misit*, &c. Etenim diuites plures numos mittebant; quomodo igitur ait Dominus plus misisse viduam? S. Leo. S. Leo Papa. Numquam, inquit, merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia, maiora quidem sunt dinitum impeodia & minora mediocrium, sed non discrepat fructus operum, vbi est idem affectus operantium; nulli enim paruus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris modo mensura pendet pietatis. ita S. Leo serm. 2. in Quadragesima, & ideo in die natiuitatis Christi Angeli hominibus bonæ voluntatis pacem Dei annuntiauerunt.

1. Cor. 4. 1. Corint. 4. *Quid habes quod non accepisti?* quasi dicat, nil; si diuitias babes, quis tibi contulit illas? Deus, inquies. Iterum rogo, Deus ne abdicauit à se dominium, cum eas tibi dedit? nequaquam. Ad quid igitur eas tibi à Deo datas censes? S.Paulin. S. Panlin. non vt de proprio restricti simus, sed vt de credito fæneremus, quia immensa Dei iustitia pariter & bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi munera fieri, vt sibi materiam benefaciendi erga se patiat, quia bonus est, & tibi faciat meritum quo digne recipias quia iustus est. Sic Paulinus epistol. 32. Vnde qui pauperibus Christi eleemosynas denegat & Deo iniustus est, & proximo crudelis, & sibi auarus tollit à se meritum valoris eximij. Pondera item verbum illud *fæneremus*; quomodo igitur Deus danti sibi retribuat abundanter? sic enim Abrabæ pro filio quem efficaciter voluit Deo immolare, quamuis de facto (Deo impediente) non præstiterit, pro vnico inquam filio, filios multos, & inter eos Dei filium luctatus fuit; & Anna mater Samuelis pro Samnele oblato Deo tres genuit filios & filias duas iuxta benedictionem Pontificis, dicentis ad virum Annæ: *Reddat tibi Dominus semen pro muliere hac, pro fanore quod commendasti Domino.* Idem patet in vidua illa quæ ex farina parua quam babebat, panem tribuit Eliæ, &c.

Genes. 18. Genes. 18. de Abtahamo dicitur, *sedebat in ostio tabernaculi in ipso feruore diei.* Vbi Procopius; Diligenter attendenda est hospitalitas peregrinorum eo tempore quo pletique deficere solent iter facientes æstu fatigati, Abtaham pro tabetnaculo consedit cum sol esse feruidissimus, sed quare bunc laborem subibat? S.Petrus Chrys. Sanctus Petrus Chrysol. serm. 8. manus paoperis est gazophilacium Christi, quia quod pauper accipit, Christus acceptat; da ergo homo pauperi tertam vt accipias cælum; da numum, vt accipias regnum; da micam, vt accipias totum; da pauperi, vt det tibi Deus; quia quod panperi dederis, tu habebis; quod panperi non dederis, babebit alter. ita ille.

S.P.Chrys. S. Petrus Chrysol. serm. 9. qui dixit, *esuriui, & dedistis mihi manducare*, vult in paupere sibi dari; & qui vult sibi dari, vult in paupere se debere quod datum est; & qui vult se debere quod datum est, vult largientibus nil perire; Deus autem parua poscit maxima redditurus. ita ille. Qui rationem huius inferiùs addens ait; non dubites, accepta illum reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares. ita ille. hoc est, qui tibi nil Deu, vel pru Deo danti dedit bona, quibus pro illo seu in eius obsequium posses offerre, multo maiora dabit tibi cum pro eius amore largieris ab eo accepta.

Psal. 111. Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in saculum saculi.* S. August. Ponderat locum hunc S.August. ser.5. de verbis Dom. pro his qui dando eleemosynas minui censum suum metuunt, dicens: Vide quid minuatur, & vide quid augeatur; minuitur pecunia, & augetur iustitia; illud minuitur quod eras dimissurus; illud minuitur quod eras relicturus, & illud augetur quod in æternum es possessurus: nam iustitia eius manet in sæculum sæculi, disce mercari: laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam? ita ille.

S. Leo S.Leo ser.6. de ieiunio. Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Quoniam qui suum ab inope non auertit animum, citò ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino, *date & dabitur vobis.* Constans igitur esto largitor, da quod accipias, sere quod metas, & quod colligas sparge; noli metuere dispendium, substantia enim cum bene erogatur, augetur. ita S.Leo.

S.Petrus Chrys. S.Petrus Chrysul. ser. 9. Deus parua poscit maxima redditurus; nimirum, quia non petit tanquam indigens, soluit verò tanquam magnificus, ita ille.

S. August. S.August. ser.41. de verbis Domini: Quantumuis babeas tu, qui diues es, Dei mendicus es: veni ad horam orationis & ibi te probo. Petis in oratione, quomodo pauper nō es, qui petis? plus adde, panē petis, an nō es dicturus *panem nostrū quotidianū da nobis bodie*? Qui panem quotidianū petis, pauper es an diues? & tamē dicit Christus tibi, da mihi ex eo quod dedi tibi; quid enim attulisti quando venisti? de meo igitur quare mihi non donas? da igitur, & ego

tibi

tibi teddam ; habuisti me largitorem , facito debitorem , habeam te fæneratorem ; pauca mihi das , plura reddam ; terrena mihi das , cælestia teddam ; temporalia mihi das , ætetna restituam. ita ille. *Que vsura tan preciosa por vna parte licita por otra tan gananciosa , seamos vsureros con Dios* , &c.

PROPOSITIO V.

Quòd etiam in hac vita remuneret Deus eleemosynas.

Genes. 18. GEnes. 18. sic de Abrahamo : *Domine si inueni gratiam in oculis tuis* , &c. Ponderans locum hunc , & misericordiam Abrahami in
S.Ambr. peregrinos S. Ambros. lib. 2. de officiis cap. 21. ait : Abrahæ laudi est datum , qui ante ianuam suam speculabatur , ne sorte præteriret aliquis peregrinus , & diligenter prætendebat excubias , vt occurreret , vt præueniret , vt rogaret ne transiret hospes , dicens : *Domine si inueni gratiam ante te, ne prætereris puerum tuum*; & ideo pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis recepit. Loth quoque nepos eius non solum genere , sed etiam virtute proximus , propter hospitalitatis affectum Sodomitana supplicia à se suisque detorsit. ita S. Ambros. Vide & pondera qualis & quantæ hæ duæ remunerationes eleemosynæ fuerunt.

Iob 31. S.Greg. Iob 31. *si comedi buccellam meam solus , & non comedit pupillus ex ea.* vbi S. Gregor. 21. Matt.12. Pietati se præiudicium facere existimat , si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. ita ille.

Prou.22. Vnde Prouerb. 22. *diues & pauper obuiauerunt sibi : vtriusque operator est Dominus.* Vbi Iansen. Ne pauper obuium diuitem considerans mærore deiiciatur , aut diues contra pauperem superbe erigatur , cogitandum est quod vtriusque formator sit Deus , hoc est , quòd quantum ad creationem attinet , pares sint , creati ambo ab eodem , & æque ad imaginem & similitudinem Dei. ita ille. Quod si ita æquales sunt , æquali charitate communia debent in necessitate esse bo-
S.Ambr. na , &c. Vnde S. Ambros. in quodam serm. Esurientium panis est , quem tu detines , tantorum scias te inuadere bona , quantis possis præstare & nolis. ita S. Ambrosius.

1. Cor. 9. 1. Cor 9. *Qui administrat semen seminanti , & panem ad manducandum præstabit , & multiplicabit semen vestrum , & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Comparat ibi Apostol. largitionem eleemosynæ seminationi , v. g. tritici. Etenim si quis videret Agricolam iacientem frumentum suum in terram cum seminat , & ignoraret seminationis naturam , deperditum iudicaret semen sic iactum , cum tamen inde tritici augmentum proueniat ; sic qui virtutem eleemosynæ ignorat , eam amissionem diceret , cum tamen tunc datum crescit cum datur , ad Dei enim prouidentiam pertinet ei prouidere , qui ob suum amorem prouidet pauperi ; & hoc est quod asserit Apostolus , *augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Qua-
S. Ansel. propter sic exponit S. Anselm. hunc locum : Deus qui administrat semen seminanti vnde in futuro anno viuat , & eleemosynas faciat , præstabit interim & panem , id est , subsidium vitæ præsentis , & ne sitis sollicitt de tempore futuro , quia Deus non dimittet , quin semen vestrum multiplicet , & fruges crescere faciat , vt semper magis ac magis date possitis : & augebit incrementa frugom iustitiæ vestræ , id est , multo abundantiora incrementa dabit frugibus quas promeretor iustitia vestra ; iustitia enim est , vt quia Deus dat , retribuat ex eo homini , & homo illi cui deest. ita sanctus Anselm. Et S. Leo Papa S.Leo Pap.
serm. 10. in Quadragesima vbi rectè de eleemosyna : Nulla , inquit , deuotione fidelium Deus magis delectatur quàm ea , quæ pauperibus eius impenditur ; & vbi curam misericordiæ inuenit , ibi imaginem suæ pietatis agnoscet. Non igitur timeatur in his expensis defectio facultatum , quoniam ipsa benignitas magna substantia est , nec potest largiendi deesse materia vbi Christus pascitur , & pascit ; in hoc enim opere illa interuenit manus , quæ panem frangendo auget , & erogando multiplicat , dicente Apostolo ; *qui autem administrat semen seminanti , & panem ad manducandum præstabit.* ita ille.

PROPOSITIO VI.

Eleemosyna iram Dei placat.

DAn. 4. Nabuchodonosor Rex Babyloniæ Dan.4.
peccatis suis concitauerat in se iram Dei, quam Deus visione quadam arboris succidendæ notam Regi fecit. Cui Daniel : *Rex consilium meum placeat tibi , & peccata tua eleemosynis redime , & iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitam ignoscet delictis tuis.* S. Hieron. S. Hieron.
in hunc locum : fecit , inquit , Nabuchodonosor iuxta Danielis consiliom , misericordias in pauperes , & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est sententia dilata. ita ille. Post mensem autem duodecimum incidit elatus in magnam superbiam , & ideo punitus fuit , sed misericorditer quidem , quia videlicet eleemosynas illas fecit.

Vnde etiam Prouerb. 13. *redemptio animæ viri diuitiæ suæ* , id est , diuitiæ pauperibus distribu- Prou.13.
tæ. ita exponunt S. Ambros. super Psal. 37. & S. S.Ambr.
Hieron. super Isaiæ 40. & ibi ait : Salomon di- S. Hier.
cit consulto , *redemptio animæ viri* , quia eleemosyna animum viri requirit ; communiter enim homines pusillanimes sunt ad eleemosynas largiendas , quod patet experientia , parcam enim exhibent pecuniam , &c.

S. August. lib. 50. homil. 29. eleemosynam S. August.
vocat sacrificiom Christianorum : sicut enim olim sacrificia illa populi Israël iram Dei placabant , sic modo eleemosyna Deum nobis placatum reddit.

S. Chrysost. rem sic auget hom. 33. ad pop. E- S.Chrys.
leemosyna , inquit , in pauperes astat Dei tribunali , non tantùm patrocinans , verùm & ipsi iudici persoadens vt reo patrocinium præstet , & pro eo sententiam ferat. ita ille. *La limosna es en el tribunal de Dios vn eloquente y efficaz abogado del limosnero que persuade al soberano Iuez le perdone sus peccados y de sentencia en su fauor.* Et quidem ita se facturum ostendit Christus Dominus Matt. 25. dicendo , *venite benedicti patris mei , percipite regnum , quod vobis paratum est ab origine mundi , quia esuriui & dedistis mihi manducare* , &c. sed malis , è cõuerso , &c. nunquid nõ alia peccata hi reprobi commiserũt nisi immisericordiæ ? commiserunt quidem , sed ideo ob defectum misericordiæ eos dãnari dicit Dominus , quia si misericordiam

exhibuissent, auxilium Deus illis præbuisset ne damnarentur. Sicut si infirmus nolens medicinam à medico sibi præscriptam recipere moriatur, & medicus interrogatus quonam ex morbo obierit, dicat, mortuus est quia noluit recipere potionem meam. Etenim infirmus febre maligna oppressus obiit, sed quia non moreretur si potionem accepisset, ideo medicus rationem illam mortis adhibuit. Sic Deus defectui misericordiæ tribuit damnationem reproborum, quia si misericordes extitissent, non damnarentur. Deus enim propter misericordiam eorum auxilia præstitisset, quibus ab aliis peccatis liberarentur, & rectam agerent pænitentiam.

Propositio VII.

Quæ pauperibus damus, nostra facimus.

1.Reg.2. 1. REg. 2. sic Anna mater Samuëlis in suo Cantico, *donec sterilis peperit plurimos*; Hebræa sic habet, *donec sterilis peperit septem*: at in scriptura quinque filios legimus habuisse Annam; tres inquam, filios, & duas filias; quomodo igitur ait septem? Respondet Lyranus, dicens: Quidam Hebræi dicunt quod quando Anna pariebat vnum puerum, Fenena sepeliebat duos ex decem quos habebat, & ideo nato quarto filio Annæ, octo filij Fenenæ fuerunt mortui in pænam scilicet afflictionis, qua afflixerat priùs Annam, & ideo quando Fenena vidit appropinquare tempus nascendi quinti filij, timuit amittere duos filios qui remanebant ei, & ideo humiliauit se coram Anna, & instanter petiit vt oraret pro vita suorum filiorum remanentium, quod & factum est; & quia propter misericordiam Annæ vixeruot illi duo filij, ideo deinceps illi duo filij Fenenæ vocati sunt filij Annæ. ita refert Lyran. quod si ita est, inde constat misericordem sibi efficere bona illa quæ proximis facit.

Etenim auaritia pauperem reddit hominem, quantumuis ille diues sit. Quid enim quæso interest inter hominem pauperem, qui non habet, & auarum qui licet habeat non fruitur diuitiis quas habet? habebit autem si eas pauperibus fuerit elargitus, vel in pios vsus expenderit eas. Vnde Christus Dominus Luc. 12. sic discipolis suis: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis thesaurum non deficientem in cælo.* Ponderat verba hæc S. Petrus Chrysol. serm. 22. dicens: homo tali monitu Deus te ditare voluit non nudare, manere tibi tua voluit non perire: *in cælo*, ait, & hoc est dicere, vbi ego sum ibi ponite, date mihi & ego vobis ea reseruabo. Homo da patri, crede Deo, tenere sibi non vult tua qui dedit sua, homo si hic permansurus es, quæ tua sunt, hic repone; si illuc iturus es, hic quæ tua sunt cur relinquis? qui relinquenda seruat, alienorum custos est, non suorum. ita ille. S.Chrysol.

Alcuinus in gloss. Genes. 17. Pro Deo aliquid perdere lucrum est, non damnum. ita ille. Existimant miseri se amittere illa, quæ Deo & pauperibus donant, in quo iniuriam magnam Deo faciunt; numquid Deus qui præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, non retribuet donantibus ei? *el agrauio que estos hazen à Dios es pensar que no tendra Dios tan buena correspondentia con ellos como la tiene aca vna gradezido con el que le haze bien.*

Rursus Alcuinus in cap. 17. Genes. pro Deo aliquid perdere lucrum est, non damnum. ita ille. Quare cum eleemosynam tribuis, ne censeas te amisisse datum sed præmisisse; & quidem cum vsuris quod pro mondo sumis, consumis, & nullum inde commodum reportabis; quod verò pro Deo, non in Dei, sed in tui commodum cedet.

Propositio VIII.

Quàm impetratoria eleemosyna sit.

EXod. 23. sic Dominus ad eos qui ad eum adorandum, & orandum accedebant, *non apparebis in conspectu meo vacuus*, inquit. Quid ita? S. Theod. q. 53. in Exod. his verbis instruimur eleemosyna præstita pauperibus, nos orare debere. ita ille. quasi dicat, tunc opportuna est oratio, &c. Exod. 23. S.Theod.

Exod. 23. & 34. sic Dominus ad populum Israel: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*; hoc est, cum veneris in templum meum ad orandum, non venias sine aliquo dono seu oblatione. Quis non miretur audiens Deum ab hominibus postulantem dona? cum sit ipse à quo bona cuncta procedunt, & extra se nullius egens. Cur igitur id poscit? S. Chrysost. hom. 1. in 2. epist. ad Timotheum, Iudæis hoc dicebatur, quanto magis nobis? Idcirco pauperes ante fores templi astant, vt nemo vacuus ingrediatur, vt misericordia comite introeat securus; intra, & vt misericordiam consequaris, prior ipse miserere; qui enim priùs accipit, amplius debet; nam cum incepimus nos dare, secundus amplius facit, fac tibi debitorem Deum, & ita demum ab eo exige; fenerare primò, & tunc repete, vt eum vsura recipias; vult sanè ita Deus, nec fænus solvere renuit, extende manus tuas non solum in cælum, sed etiam ad pauperum, & sic cæli cardinem attigisti; nam qui illic sedet, eleemosynam accipit. Dic, quæso, si Rex purpureus accedens ad te aliquid peteret, nonne promptè & alacriter omnia dares? ita S. Chrysostomus. S. Chry.

Item in imperfecto hom. 15. idem S. Chrysost. vacuus, inquit, intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemosynam facit: non solum autem in veteri testamento, sed etiam in nouo præcipitur, vt per singulas septimanas vnusquisque Christianus aliquid in gazophilacium mittat ad orationem venturus, sicut ait Apost. *Vnusquisque vestrum apud se ponat, reponens quod ei bene placuerit, vt non cum venero tunc collectæ fiant.* Item dicit Salomon: *ante orationem prapara animam tuam*; ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam ad orationem pergit: sicut enim oleum accendit lucernam, ita & bona opera excitant fidem cordis, & tribuant confidentiam animæ apud Deum orandi; eleemosyna ergo præparatio est orationis. ita ille. S. Chrys.

3. Reg. 6. fecit Salomon in ingressu oraculi ostiola de lignis oliuarum, etenim templum illud Salomonis, adeo diues & pretiosum erat, vt nihil esset in eo, quod non auro tegeretur, & maximè ea aurea erant, quæ in illo oraculo seu sanctis sanctorum erant. Cur ergo ostia tabernaculi ex lignis oliuarum erant? Nimirum quia olea in sacra scriptura misericordiæ symbolum est, vti ait S. Basil. serm. de abdicatione rerum, & Tertul. lib. de Baptismo, S. Ambros. in c. 3. Lucæ, & alij. 3.Reg.6

& alij. In introitu ergo oraculi, vbi ad orandum erat locus destinatus, portæ ex olea erant, quia qui desiderat in oratione à Deo exaudiri, per ianuam misericordiæ introire debet: *Beati*, enim, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Eadem ratione voluit Deos ante templum Xenodochium esse, vbi pauperes & infirmi iacebant, vt constat ex c. 5. Ioannis, vt ingredientes domum orationis priùs misericordiam pauperibus exhiberent.

S. Petrus Chrysol. S. Petrus Chrysol. serm. 8. clamat Deus, *misericordiam volo*: qui quod Deus vult negat Deo, à Deo quod desiderat sibi vult negari; humanam misericordiam petit Deus vt diuinam largiator. ita ille.

Prou. 21. Consonat locus ille Prouer. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur*; vbi Iansenius. Duplex
Iansen. malum; primum, quia talis etiam clamabit, quo significatur, ipsum in aliquam grauem calamitatem casurum, quæ ipsum clamare præ angustia compellet; secundum, quia etiam cum clamabit & summis precibus contendet impetrare subsidium, non exaudietur, iuxta illud psalmi: *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos.* ita ille.

Verificatum est hoc ad litteram in diuite illo epulone, qui clamantem Lazarum noluit exau-
Luc 16. dire, Luc. 16. Clamauit autem & ipse ad Abraham petens vel leue aliquod subsidium aquæ, & non est exauditus; manet enim inuiolabilis sententia Christi Domini: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Id est, si audieritis pauperes, exaudiemini & vos à Deo, &c.

S. Leo. S. Leo serm. 6. de ieiunio: Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Quoniam qui suum ab inope non auerrit animum, cito ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino, *date & dabitur vobis.* Constans igitur esto largitor, da quod accipias, sere quod metas, & quod colligas sparge, noli metuere dispendium, substantia enim cum bene erogatur, augetur. ita S. Leo.

PROPOSITIO IX.

Quomodo diues teneatur Eleemosynas dare.

Rom. 1. AD Rom. 1. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Loquitur ibi Apostolus de prædicatione & doctrina Euangelij.
S. Ansel. Quærit S. Anselm. ibi dicens, quomodo his omnibus est debitor, qui nihil ab eis accepit? Respondet idem sanctus, quia per gratiam sancti Spiritus ei datum est vt omnium istorum linguis loqui nosset. ita ille. Ita etiam ego de diuitijs dico, copia diuitiarum non datur à Deo diuitibus vt in superfluam ædificiorum constructionem, vel nimiam & pretiosam supellectilem, vel in conuiuia opipara insumant, sed vt habeant quo pauperibus succurrere possint; quapropter pauperibus debitores sunt, quamuis ab eis nihil acceperint, & qui debitum hoc non persoluerint, tanquam fures à Deo reputabuntur, & punientur secundùm pauperum indigentiam.

Matt. 25. Matth. 25. *Esuriui* (dicit Iudex diuinus) *& non dedistis mihi manducare*, &c. Cur tam specialiter rationem exiget operum misericordiæ? etenim de omnibus exiget Deus rationem, sed ita specificam operum misericordiæ assignauit, vt diuites vrgeat, quasi de culpa immisericordiæ solum iudicandi essent. Vnde S. Basil. hom. 7. Quid ô miser S. Basil.
auare respondebis iudici, cum tibi obiiciet: Parietes vestis, & hominem non vestis? Equos phaleris ornas, & fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? frumentum retinendo perdis, & esurientes non reficis? ita S. Basil.

PROPOSITIO X.

Quàm honorificum sit eleemosynas dare.

OVidius: *Regia crede mihi res est succurrere lapsis.* Ouidius.

Et Cicero lib. 1. de oratore, nihil est tam Re- Cicero.
gium, tam liberale, tamque munificum, quàm ferre opem supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, & homines à periculis liberare.

Et idem Cicero pro Ligario: Nulla re homines Cicero.
propius accedunt quàm salutem hominibus dando. ita ille. Salutem autem vocat datum egenti, quo liberamus eum à nocumento aliquo, &c.

PROPOSITIO XI.

Libenter facienda est eleemosyna.

GEnes. 8. *Ædificauit Noë altare Domino, & Gen. 8.
tollens de pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.* Qualis quæso suauitas esse potuit odoris ex carnibus & ossibus exustis? S. Theodor. q. 53. in Exod. excepit, inquit Deus, S. Theod.
promptitudinem animi Noë, non quidem nidore illo delectatus, nihil enim peius olet quàm ossa exusta: sed offerentis animum laudauit. ita S. Theodor. Ne igitur obiiciat paupertatem tuam, quia non magnitudinem dati, sed deuotionem dantis respicit Deus.

1. Cor. 9. monebat Apostolus Corinthios vt 1. Cor. 9.
liberaliter, & hilariter eleemosynas præberent, dicens, *qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: hoc est, sicut agricola parcus in seminando parcum etiam colliget fructum, si verò fuerit liberalis, copiosam segetem metit; sic qui manu parca eleemosynam tribuit, parcum fructum meritorum colliget; si verò largè tribuit, copiosa merita metet. Et subdit, *non ex tristitia, aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Quid est, *ex tristitia aut necessitate?* S. Anselm. S. Ansel.
ibidem, id est, non inuitus aut coactus, eleemosyna enim plerúmque fit à tristibus, & murmurantibus vt careant tædio interpellantis, non vt viscera indigentis reficiant, & talis datio non est acceptabilis Deo, & ideo non ex tristitia, sed ex lætitia est dandum quod datur. Sunt enim nonnolli, qui tædio deprecantis affecti, ad dandum compelluntur, & ita non dant ex affectu dilectionis, aut compassionis, sed tristes & inuiti, hilarem autem datorem diligit Deus. ita S. Anselm.

Tantum igitur donum & bonum eleemosyna est, vt non solum hilariter danda sit, sed etiam precibus emenda, cogendo scilicet egentes vt eam recipere velint. Sic illi duo discipuli Emaus qui, vti ait Euangelista Lucas, coëgerunt Chri- Lucæ 24.
stum, quem peregrinum existimabant, vt apud

S. Greg. eos hospitaretur nocte illa. S. Gregor. hom. 23. in Euangel. hunc locum expendens ait: Ex quo exemplum colligitur, quia peregrini ad hospitium non solùm inuitandi sunt, sed etiam trahendi. ita ille. Quod quidem & Loth fecit Gen. 19. inuitauit enim duos peregrinos in domum suam, qui vrbanitatis gratia renuebant, & subdit scriptura, *compulit illos oppidò*, id est, *valde*, vbi Abulensis: Ex quo patet quòd peregrini non solùm vocandi, sed etiam cum instantia trahendi sunt. ita ille. Gen. 19.

Genes. 18. Genes. 18. Abraham cum staret in ostio tabernaculi vidit tres viros peregrinos, &, ait scriptura, *cucurrit in occursum eorum*, &c. Cur non expectauit aduentum eorum, siquidem ad eum dirigebant iter suum illi? *Fecit hoc* (ait Interlinearis) *studio hospitalitatis, hoc exemplum relinquens nobis.* ita glossa, *nobis* ait, qui molestè pauperum clamorem audire solemus, & tamen, vt ait Apost. *hilarem datorem diligit Deus.* Glossa.

S. Leo. S. Leo Papa serm. 13. de collectis in eleemosynis tribuendis: etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas, quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de beneuolentiæ quantitate; sit dives munere copiosior, dum pauper animo non sit inferior; iustus est iudex, qui neminem fraudat meritorum mercede. ita ille.

S. Leo. S. Leo Papa serm. 4. de ieiunio: dissimiles substantiæ similes erogationes habere non possunt, sed æquatur plerumque merito, quod distat impendio, quia potest esse par animus, vbi etiam impar est census. ita ille.

PROPOSITIO XII.

Eleemosyna liberaliter danda est.

Leui. 5. INter sacrificia quæ in Leuitico Dominus de auibus fieri præcipiebat, maximè pullos columbarum & turtures exigebat, non pullos turturum, sed turtures, neque columbas, sed filios columbarum. Cur non è conuerso, seu æqualiter? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 4. quia in turturibus meliores sunt maiores, quàm pulli, in columbis verò è conuerso, vt Rabi Moyses ait: mandantur offerri turtures & pulli columbarum, quia omne quod est optimum, est offerendum Deo. ita S. Thom. etenim eleemosyna oblatio quædam est, quam Deo exhibemus, dicente Christo Domino, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, pauci verò sunt qui meliora Deo, tribuunt, mundo enim & sibi meliora reseruant, (sicut Cain) & Deo peiora; quid mirum igitur si Deus parem illis vicem reddat? S. Thom.

PROPOSITIO XIII.

Eleemosyna à peccatis liberat.

Prou. 22. PRouerb. 22. *Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus*; hoc est, passim sibi pauper & diues occurrerunt, non tamen forte fortuna prorsus; nam & diuites & pauperes inter nos esse opera Dei & consulto factum est. At dices, cur Deus pauperes esse voluit, eum facile sit in oculis eius honestare pauperem & omnium tollere indigentiam, maximè cum adeo bonus & liberalis sit? S. Leo Papa ser. 1. de collectis sic respondit: Idcirco te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore, & te à peccatorum multitudine liberaret: ô mira prouidentia & bonitas Creatoris vt vno facto duobus velit esse succursum? ita ille. Ecce cur pauperes esse voluit, vt scilicet inter nos eleemosynarum & charitatis tantæ fructus non periret, & ideo diuitias diuitibus præbuit cum eos pauperes etiam efficere potuisset, & mercede eleemosynæ non carerent. ita ille. Audiant qui diuitias in lusibus, ornamentis, epulationibus, supellectilibúsque pretiosis diuitias insumunt & consumunt; quia non ad ista, sed ad pauperum subuentionem illa eis præstitit Deus, sed vt pauperem à necessitate & se à peccatis liberarent; quid diuites temporis nostri in die mortis & iudicij sui poterunt respondere? etenim in causa diuitis epulonis nullam aliam inuenio damnationis suæ rationem, nisi quia in vestibus pretiosis & epulis quotidianis pingue patrimonium suum expendebat, & non compatiebatur super Lazari contritione, lege c. 6. Amos, *Væ qui opulenti estis*, &c. S Leo.

S. Leo. S. Leo Papa serm. 12. de collectis: præter illud regenerationis lauacrum, in quo vniuersorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitus est donatum, vt si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur; eleemosynæ enim opera charitatis sunt, & scimus quòd charitas operit multitudinem peccatorum. ita ille.

S. Petrus Chrysol. Et S. Petrus Chrysol. Est in cælo misericordia ad quam per misericordias terrenas peruenitur. Domine, inquit, in cælo misericordia tua: dicturos causam in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam assume, per quam possis liberari; qui enim de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet, misericordia non solùm causam præuenit, sed etiam sententiam reuocat, absoluit addictos. ita ille. hæc autem omnia intelligenda sunt comite pænitentia, comitem autem suam pænitentiam facit in proximos misericordia.

PROPOSITIO XIV.

Eleemosyna speciatim danda est pauperibus occultis, & verecundis.

Psal. 40. SVnt qui pauperibus postulantibus eleemosynam præbent, bene; sed hæc oportet facere, & alia non omittere: quod David. ita explicat Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, non ait, *Beatus*, qui eleemosynas facit, sed *qui intelligit super egenum & pauperem.* Quid sibi vult *hoc intelligere?* S. Leo Papa ser. 4. de collectis: Ad intelligendum super egenum & pauperem sollicita benignitate vigilandum est, vt quem modestia tegit & verecundia præpedit, inuenire possimus: sunt enim qui palam poscere, ea quibus indigent erubescunt, & malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quàm publica petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate releuandi, vt hoc ipso ampliùs gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori, liberandi propter hoc à damnatione perpetua, ita ille. liberati enim in die mala, est liberari in die iudicij ab æterna morte, vti cum sancto Leone sentiunt sanctus August. & Cassiodorus. S. Leo.

Rursus

Psal.4. Rursus Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, &c. Quid quæso est, *intelligere super egenum & pauperem?* non enim ait, *Beatus*, qui egeno & pauperi eleemosynam præbet, sed *qui intelligit super egenum & pauperem*. Huius loci
S. Ambr. glossa esse potest quod S. Ambros. ait lib. 2. de officiis c. 16. videndus (inquit) est tibi pauper qui te non videt, requirendus ille qui videri erubescit, clausus in carcere occurrat tibi, ægrotus mentem tuam personet qui aures non potest per-
S. Aug. sonare. ita S. Ambros. Similiter S. August. relatus à Glossa ordinaria in eodem Ps. 40. dicens, nota, *qui intelligit*, vt & non petentibus detur. Qui petenti dat benefacit, qui verò tacentem intelligit, beatus est sine dubio. ita S. August. Ille igitur intelligit super egenum & pauperem, qui tacitus secum consulit, quo pacto viduæ paupertculæ absenti, vel puellæ in periculo animæ constitutæ, fauere possit, vel orphano, vel infirmo, vel denique ei qui ob verecundiam petere eleemosynam non audet, hic est qui intelligit super egenum & pauperem, quique ab spiritu sancto beatus prædicatur. Quod si scire cupis qualis sit beatitudo ista, vide quid ait, *in die mala liberabit eum Dominus*, qualis est hæc dies mala? Sanctus August. Cassiodor. & Glossa per diem malam diem iudicij intelligunt, propter damnationem plurimorum; vel sensus sit, hunc qui adeo misericors est, vt non solum det, sed etiam intelligat super egenum, ita liberabit eum Dominus, vt dies iudicij non sit illi dies mala, sed bona; sic liberabit à die mala, quo quid fælicius? quæ pecuniarum priuatio contraire valet tanto bono? *que priuarse de hazienda puede hazer contrapeso à tanto peso de bien como es librar y saluar bien del Iuizio de Dios?* Hoc igitur lucratur qui intelligit super egenum & pauperem.

Ps.111. Consonat maximè illud Psal. 111. *Iucundus homo, qui miseretur & commodat: disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Iucundus (inquit) homo, cui iucundus? cui
Cassiod. gratus? Cassiodor. non tam hominibus quàm Deo. ita ille. Subdit, *qui miseretur & commodat*. Lyra, id est, qui egentibus non valentibus reddere liberaliter donat, valentibus autem reddere, gratis accommodat. ita ille. Cassiodor. verò verbum illud *commodat*, sic exponit; is qui pauperibus donat, commodare videtur, dat enim temporalia recepturus æterna. ita Cassiod. Subdit Dauid de tali misericorde, *disponit sermones suos*
Glossa. *in iudicio*, Glossa, hoc est, disponit & ordinat rationes, quibus in Dei iudicio futuro defendatur. ita Glossa. Addit Hugo Cardin. quando scilicet
Hugo Cardin. dicetur ei, *redde rationem villicationis tuæ*. ita Hugo. Addit Glossa, quia tunc fiet sibi iudicium cum misericordia, quia ipse fecit misericordiam.
Simile. ita Gloss. Totum hoc similitudine hac exponam: Et qui aduersus assertiones aliquas publicè in scholis discutiendas argumentaturus sit, is priùs argumenta rimatur, & excogitat quibus concludere & conuincere aduersarium possit, quæ ideo priùs in forma & figura disponit: sic in Dei iudicio assertiones aduersus nos aduersarius noster adducet, vir autem misericors misericordiæ opera exercens disponit sermones & argumenta ad salutem & partem suam tuendam coram Deo qui tunc præsidebit, & dicet: Sic argumentor: Tu Domine, dixisti, *beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*; ego misertus sum pauperum, & ex bis quæ possidebam egentibus tribui, ergo tu Domine misericordiam mihi præstare debes. Argumentum est in dari seu date, quod non potest negari, quia cælum & terra transibunt, verba autem tua non præteribunt. Sic misericors disponit sermones suos in iudicio quibus misericordiam consequetur. Denique ait Dauid de tali misericorde, *in æternum non commouebitur*. Cassiod. id est, à gloria Domini nullate- Cassiod.
nus separabitur. S. Hier. non commouebitur, qui S. Hieron.
supra petram firmam fundatus est. ita ille. supra firmam petram, id est, supra verbum Dei, his enim dicet in iudicio, *venite benedicti patris mei, percipite regnum, quia esuriui, & dedistis mihi manducare.*

Propositio XV.

Quod pauperi datur, Deo datur.

PSal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Psal. 40.
Miratus sententiam hanc S. Petrus Chrysol. ser. S.P.Chry.
14. dicens: Et quæ est intelligentia, vbi est manifesta paupertas? vis intelligentiæ est si rimetur viscera, si deprehendat occulta, verùm subiecta oculis & exposita in publico non est intelligere sed videre, nuditate algidus, tabidus fame, defectu lutidos quod egenus sit intelligere quis labor? Quod si labor intelligentiæ nullus est, vnde est huius intelligentiæ beatitudo? sic S. Chrysol. qui ad quæsitum à se sic respondet: Oremus fratres vt ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat, quod ipse qui cælum tegit, sit in paupere nudus; quod in esuriente esuriat saturitas rerum, quod in sitienti sitiat fontium fons. Intelligere quomodo non magnum est? Quomodo non beatum est intelligere, quod ei sit ampla paupertas, cui angustum est cælum? Quòd egeat in egente qui ditat mundum? Quòd frustum panis & calicem aquæ dator omnium quærat? Hoc ille videt, cui videre dederit Deus, sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis, *Esuriui* (inquit) *& dedistis mihi manducare*, non dixit, esuriuit pauper & dedistis illi manducare, sed *esuriui ego & dedistis mihi manducare*; sibi datum clamat, quod pauper accepit; se manducare dicit quod pauper comedit, ô quid agit amor pauperis! gloriatur in cælo Deus vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur iniuria. Dixisse suffecerat, dedistis mihi cibum, dedistis mihi potum, sed præmittit, *esuriui, sitiui*, quia paruus fuisset amor pauperis, quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset. Et certè verus amor non nisi passionibus probatur, verus amor est fecisse suas angustias angustiati. ita ille. Salua autem ratione tanti viri, vbi exclamans ait, *ô quid agit amor pauperis*, dixissem ego, *ô quid agit in Deo eleemosynæ amor?* Gloriatur in cælo, vnde erubescit pauper in terra, & hoc reputat sibi in honorem quod pauper reputat sibi in confusionem: sit ille in æternum benedictus.

In quo autem beatitudo ista intelligentis super Item.
pauperem consistat, expressit Dauid dicens, *in die mala liberabit eum Dominus.* Quænam est dies hæc mala? S. Petrus Chrysol. ibidem sic explicauit: In die mala illi liberator assistet, qui à malis pauperem liberatit; in angustiis illum Deus clamantem audiet qui pauperem cum clamaret audiuit;

audiuit; non videbit diem malum, qui diem iudicij sine aduocatione paupertatis ioctauerit, fine causa enim accusant peccata, quem pauper excusat; excusari autem non potest, quem fames pauperis accusarit. ita ille.

Matt. 25. Matth. 25. *esuriui*, &c. Cur sibi attribuit quod proximo vel fecimus, vel nō fecimus? quia membra Christi nos sumus, vti Apost. ait ad Ephes. 5. *membra sumus corporis Christi*, &c. Cum autem patitur vnum membrum, totus homo dicitur pati; dolet pes tuus, & dicis, dolorem patior; non dicis, tantum pes meus dolet, sed ego dolore conficior; vnde persequente Saulo Christianos dixit ei Dominus act. 9. *Saule, Saule, cur me persequeris?* quid ais Domine? te quis poterit persequi, qui in cœlo resides in dextera Dei Patris? S. August. tract. 10. in epist. Ioan. tom. 9. persecutorem membrorum suorum, vocauit persecutorem suum, si diligis caput, diligis & membra; si autem non diligis membra, nec caput diligis. vnde Christus Dominus in dicto c. 25. Matth. dixit, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: quare si pauperi eleemosynam præbes, eam Christo præbuisti; si verò pauperi eam denegas, Christo Domino eam denegasti. Quis ergo ratione præditus Christo denegare quod potest, præstare deonegabit petenti? S. Aug.

Rursus Matth. 25. agens Christus de operibus misericordiæ, vt altius ea nobis commendaret dixit, *quod vni ex minimis meis fecistis*, &c. potuit ne ampliùs opera misericordiæ exaltare & suadere? Cur quæso tantopere ea nobis commendat? dicerem ego hoc Christum fecisse vt excellentiam misericordiæ declararet. Sed S. August. serm. 64. de tempore aliam assignat rationem, dicens: O benignissimum Dominum, qui ad edomandam hominum auaritiam sibi dari dicit quod vel minimo pauperum fuerit datum! ita S. Aug. in quo habet se Deus nobiscum sicut amans pater, qui videns in manibus pueri sui filij pomum viride enius esus nocious futurus sit puero, diceret, fili, da mihi pomum viride, non quia ipse pomo illo vesci vellet, sed propter filij bonum: sic Deus videns quàm nociua sit nobis auaritia, petit sibi pauperum eleemosynam, non quia nostrit egeat bonis, sed in bonum nostrum.

Propositio XVI.

Miseretur Deus eius qui pauperis miseretur.

Matt. 25. Matth. 15. *Beati misericordes*, &c. aqui vincula *Dios su misericordia a la nuestra*. vnde S. Ioā. Damascen. Damascen. de iudicio vltimo. Da homo, inquit, Deo in terra vt accipias in vita æterna, vt cum veneris in conspectu Angelorum ante iudicis æterni tribunal, secura & libera conscientia dicere possis: Da Domine, quia dedi; fac misericordiam, quia feci: ego impleui quod iussisti, & tu redde quod promisisti, & sic audire merearis: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum cælorum, quia esuriui & dedisti mihi manducare, &c. ita ille.

Propositio XVII.

Exhibitio eleemosynæ probatio est vera charitatis.

Gen. 44. Genes. 44. Præcepit Ioseph dispensatori domus suæ dicens: *Pone scyphum meum argenteum in ore sacci iunioris* (id est, Beniamin) &c. cur in tantam animi angustiam redegit Ioseph fratrem suum Benjamin, quem inter omnes fratres maximè diligebat? cum etiam id molestissimum patri suo agnosceret futurum? Respondet Theod. q. 105. in Gen. Ioseph experiri volens animum fratrum suorum, & liquidò nosse an Benjamin iniuriam passum defenderent, ob id in eius saccum scyphum abscondit. At vbi non tantum patrocinari, sed & pro eo certare illos perspexit, persona eius qui imperaret deposita, fraternum vultum exhibuit, & fratres trepidatores bono animo esse iussit. ita Theod. Ecce igitur qualiter in necessitatibus, aliis subuenire fraternæ dilectionis signum sit. Vnde Apost. Ioannes 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Theodor. 1. Ioan. 3.

Propositio XVIII.

Quanta solicitudine fauere debeamus pauperibus in corporalibus & spiritualibus.

Gen. 21. Genes. 21. *Abraham plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.* Nemus in hoc loco significat hortum secundùm communem expositionem. Vnde Hebræi in suo Targo Hierosolymitano sic scripserunt: Abraham hortum plantauit plenum optimis fructibus, & peregrinos suscipiens hospitio, gratis illis omnia suppeditabat, nihil aliud exigens pro pretio nisi vt conditorem rectoremque cœli & terræ cognoscerent & colerent, cuius donum esset quidquid comedissent & bibissent: sic veram religionem edoctos ad melioris vitæ instituta conuersos dimittebat. Hoc ex Hebræis. Pondera pietatem in pauperes & zelum animarum in peccatores; peregrinos ille erat, & peregrinos fouebat, fideles & fideles ex infidelibus reddere sic satagebat, præbens illis non solùm necessaria, sed etiam delitiosa vt lucrifaceret illos Deo. Targu.

Propositio XIX.

Eleemosyna à diuitiarum periculis diuites liberat.

Matth. 19. sic Christus Dominus. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Et iterum: *dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Terribilia sunt verba ista & diuitibus pertimescenda. Quid igitur facturi sunt diuites vt saluentur? S. Hieron. epist. 9. ad Salniniam, Audi, inquit, Apostolum ad Timotheum scribentem: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum sed in Deo viuo*, qui præstat omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, thesaurizate sibi fundamentum bonum in futurom, vt apprehēdant veram vitam; ita didicimus, quomodo camelus introire possit per foramen acus. ita S. Hieron. Pondera igitur Apostoli verba: siquidem in eis consistit modus quo diuites per bonum diuitiarum vsum salui fiant. Matt. 19. S. Hieron.

Eximium dolorem animi senserunt filij Israël eum se inter mare rubrum & exercitum Pharaonis clausos Exod. 14

nis clausos viderunt; transire enim per mare illud impossibile videbatur, sed Deus aperuit illis viam planam & iucundsm per quam iter suum prosequerentur. Audi Sapientem sap.19. vbi ait: *Apparuit in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit, quæ regebatur manu tua.* Vbi non solùm viam quomodocumque illis apertam à Deo, sed latam & lætam quasi per amæna horrorum tranfirent. Sic iustis via virtutis quæ ad terram promissionis cœlestem ducit, à Deo exhibetur per eleemosynæ largitiones.

Sap. 19.

Propositio XX.

In eleemosyna non est attendenda tam vtilitas dantis quàm opus ipsum charitatis.

Gen. 1. Nazianz.

GEnes.1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. Cur quæso Deus mundum istum creauit, cùm eius creatione nihil accreuerit ei, cùm à seipso fælicissimus & gloriosissimus sit, cùm re nulla egeat extra se? S.Greg Nazian.orat. de natiuit. Domini. Quoniam summo illi bono nequaquam satis erat sua ipsius solùm contemplatione moueri, sed diffundi oportebat, vt plura essent quæ beneficio afficerentur (id enim summæ bonitatis erat) mundum creauit. ita Nazianz. *Hizo Dios ese bien al mundo de criarlo por hazer ese bien no por prouecho para si*: Sic igitur & nos in eleemosynis tribuendis attendamus, vt beneficium pauperibus exhibeamus, vt scilicet bene illis faciamus: Hoc enim & honorificum nobis & maioris meriti causa erit.

Seneca.

Seneca lib.1. de beneficiis c.1. Demus beneficia, non fæneremus; Hoc enim & boni & magni animi est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa quorum fructus à viro egregio statim perceptus est; etiamsi mihi spes præcidatur reperiendi hominem gratum, malim non recipere beneficia quàm non dare. Dicam quod sentio, qui beneficium non reddit, grauius peccat: qui non dat citius. ita ille, qui in exemplum nobis Deum proponit dicens: Quam multi indigni luce sunt, & tamen oritur illis dies? ita ille. Beneficium igitur vt beneficium sit, ideo dandum est vt detur: quod si retributionem requiras, non beneficium, sed pactum erit, & velutt contractus quidam, &c.

Propositio XXI.

Quod liberaliùs pauperes eleemosynas faciant quàm diuites.

Luc. 16. Simile.

NOtissima est historia diuitis auari & Lazari Luc.16. *Iacebat Lazarus ad ianuam diuitis vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* O diues crudelis! ipse quotidie spleodidè epulabatur & pauperi infirmo valde & extremè indigenti, nec micas è mensa cadentes dare volebat; ecce frequentem consuetudinem mundi, homines de media plebe, qui diuites non sunt, & qui in sudore vultus sui vescuntur pane suo, petentibus eleemosynam melius exhibent illam quàm qui diuites sunt. Similitudinem aptam audi, videas secus decursus aquarum vlmos ingentes, magnas in terra mittentes radices, & truncum altum & latum, ramosque quamplurimos & folia sine numero, quære fructum & non inuenies, *es pedir peras al olmo.* Videbis autem in horto arbores exiguas quas *enanos* vocamus, plura poma quàm folia ferentes, quid hoc? vlmus ingens nullum præber fructum, sed in radices, truncum, ramos & folia, magnam quam ex terra sumit substantiam conuertit, & pusilla arbor ills tot poma producit? Sic ergo plures diuites sunt, qui ad modum vlmorum magnas in terrs mittunt radices, truncum generis sui augent, & in ramos & folia substantiam diuitiarum consumunt, *en rama, y quizas en rameras y en estrafcas de galas y libreas y pajes y gulas*, in eleemosynas parum aut nihil, hi diuites mundo sunt & pauperes Deo. Alij verò qui manibus suis & mæchanicis officiis victum & vestitum acquirunt, pauperibus & operibus piis fauent magis, *llega vno señor para las animas de purgatorio y dale su limosna, llega otro señor para a lumbrar al santissimo Sacramento y dale, llega el otro pobrezillo y dale vn pedazo de pan* His ergo Deus diues erit, qui ait *date & dabitur vobis*: diuitibus verò immisericordibus se tanquam pauperem exhibebit, dicens, *esuriui & non dedistis mihi manducare*, &c. *ite ergo in ignem æternum.* Sic diuiti illi contigisse scimus.

Propositio XXII.

Quàm debita sit egenti eleemosyna.

Laertius.

LAertius lib. 6. Diogenes, inquit, si quando egeret; pecunias ab amicis accipiebat: at cum à quibusdam sugillaretur, quod id præter Philosophi dignitatem mendicorum more peteret, *imo*, inquit, *non peto sed repeto*; repetimus autem mutuum aut depositum. ita Laertius. Et quidem etiam mendicus & valdè egens dicere potest cum eleemosynam petit, scilicet, *non peto sed debitum repeto, no pidosi no cobro*: est enim eleemosyna debitum charitatis, ideo enim peccat tunc, qui non tribuit petenti, &c. hæc intelligenda iuxta doctrinam thelogorum?

Propositio XXIII.

Quòd ideo tribuit Deus bona temporalia, vt ex eis pauperibus communicemus.

S. Leo.

SAnct. Leo Papa serm. 5. de collectis, non solùm spirituales opes & dona cœlestia Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ facultates ex ipsius largitate proueniunt, vt merito rationem earum quæsiturus sit, quas non magis possidendas tradidit, quàm dispensandas commisit. Muneribus igitur Dei instè & sapienter vtendum est, ne materia operis bene fiat causa peccati: nam diuitiæ quidem plurimum humanæ societati prodesse possunt, cum à beneuolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit, vt tam pereant malè conditæ quàm insipienter expensæ: quamuis enim laudabile sit intemperantiam fugere, multique magnificè dedignentur facultates suas occulere, & sordentē horreant parcitatem, non est tamen talium aut felix abundantia, aut probanda frugalitas si ipsis solum propriæ opes seruiunt, si eorum bonis nulli pauperes iuuantur; huiusmodi enim diuites egentiores sunt omnibus egenis: perdunt namque

que illos redditus quos possent habere perpetuos, & nihil thesauris cælestibus intulerunt.

PROPOSITIO XXIV.

Cur Deus inter nos pauperes esse voluit.

S.Leo. SAnctus Leo Papa serm.5. de ieiunio: Ideo sub diuersis molestiis, instituta Dei nonnullos laborare permisit, vt & miseros pro patientia, & misericordes pro beneuolentia coronaret. ita ille. Et serm. 8. de ieiunio. Gaudete quòd per vos Deus pauperes suos pascit, & vestit, quibus posset eas quas vobis contulit tribuere facultates, nisi pro misericordia sua illos de patientia iustificare vellet, & vos de opere charitatis. ita ille.

PROPOSITIO XXV.

Quòd iustis sit potius danda eleemosyna.

S. Ambr. SAnctus Ambros. 1. offic. c. 30. Etsi omnibus debetur misericordia, amplius tamen iusto. ita ille. Quia quanto melior est persona recipientis, tanto Deo gratior est misericordia dantis. Vnde Christus: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*

PROPOSITIO XXVI.

Quòd vnusquisque secundùm suam possibilitatem debeat aliquid pauperibus dare.

Matt.10. MAtth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* S. August. serm. 66. de tempore, ponderans & explicans hunc locum ait: Quare *frigidæ* dixit? ne forte se pauper de lignorum inopia excusaret, aut certè se vasculum vbi aquam calefaceret, non habere. ita S. August. Qui eodem sermone expendit etiam ad rem locum illum Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam*; & ait S. August. non dixit, vt integrum panem daret, cum forte pauper alium panem non haberet, sed *frange*, ac si diceret, etiamsi tanta paupertas tibi sit quòd non habeas nisi vnicum panem, ex ipso frange, & pauperi aliquid tribue. ita ille.

S.Aug.

S. August.

S. August. Et de hospitalitate subdit: *Egenos* (inquit Dominus) *& vagos induc in domum tuam*, quam excusationem possumus habere nos qui amplas & spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes quòd in omnibus peregrinis excipitur Christus, sicut & ipse dixit, *hospes eram, & non suscepistis me?* laboriosum ne nobis excipere Christum? timeo ne nobis in cælo vicem reddat, & non recipiat nos in beatitudinem suam, secundùm illud quod dixit, *hospes eram, & non collegistis me*; & quod post hoc sequitur, fratres, auertat Deus à nobis, *discedite à me maledicti in ignem æternum.* ita S. Aug.

PROPOSITIO XXVII.

Eleemosyna auaritiæ remedium est.

Matt.25. MAtth. 25. agens Christus de operibus misericordiæ, vt altiùs ea nobis commendaret, dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Potuit-ne amplius opera misericordiæ exaltare, & suadere? Cur, quæso, tantopere ea nobis commendat? Dicerem ego hoc Christum fecisse, vt excellentiam misericordiæ declararet. Sed S. August. serm. 64. de tempore aliam assignat rationem, dicens: O benignissimum Dominum, qui ad edomandam hominum auaritiam sibi dari dicit, quod vel minimo pauperum fuerit datum. ita S. August. In quo habet se Deus nobiscum sicut amans pater, qui videns in manibus pueri sui filij pomum viride, cuius esus nociuus futurus sit puero, diceret: Fili da mihi pomum; non quia ipse pomo illo vesci velit, sed propter filij bonum: sic Deus videns quàm sit nobis auaritia nociua, petit sibi pauperum eleemosynam, non quia nostris egeat bonis, sed in bonum nostrum, &c. S. August.

PROPOSITIO XXVIII.

Eleemosyna nos similes Deo quodam modo facit.

SAnctus Gregor. Nazianz. or. 57. de eleemosyna agens, ait: liceat tibi nullo labore fieri Deum, noli diuinitatis consequendæ occasionem amittere. ita ille. Quod exposuit orat. 16. dicens: Fac vt sis calamitoso Deus, Dei misericordiam imitando. ita ille. Est proprium Dei dare, & benefacere, & misereri, *Deus cui proprium est misereri*, &c. concordat Clemens Alexan. lib. 1. strom. c. 16. dicens: Imago Dei est benefaciens homo. ita ille. *El limosnero es vn transumpto y retrato de Dios*: & S. Dorot. lib. de ædificio & harmonia virtutum, propriè, inquit, virtus ista imitatur Deum & exprimit ipsum. ita ille. quasi dicat: Eleemosyna habet se vt pictor qui exprimit vultum alicuius penicillo, qui reddit speciem propriam in imagine eius. S. Greg. Clemens Alex. S. Dorot.

PROPOSITIO XXIX.

Eleemosyna facit bona temporalia æterna bona esse.

SAnctus Petrus Chrysol. serm. 41. homo dando pauperi das tibi, quia quod pauperi non dederis, habebit alter. ita ille. *Es eternizar riquezas que de suyo son temporales.* S. Petrus Chrysol.

Eucharistiæ

Euchariſtiæ ſacramentum, ſeu Corpus Chriſti.

1. *Salutatio.*
2. *Quàm ſingulare Dei beneficium in nos ſit Euchariſtia.*
3. *Quàm eximium Dei beneficium ſit Euchariſtia.*
4. *Euchariſtia donum, eximium Dei amorem in nos oſtendit.*
5. *Euchariſtia myſterium fidei eſt.*
6. *Quàm frequenter ſumenda ſit Euchariſtia.*
7. *Sacrificium Euchariſtiæ quàm excellens ſit.*
8. *Datur nobis Euchariſtia, vt vita noſtra vita Chriſti aſſimiletur.*
9. *Quanta cum puritate ſumi debeat Euchariſtia.*
10. *Amore ad communionem accede.*
11. *Quàm excellens res ſit communicare.*
12. *Quanta cum deuotione communicandum ſit.*
13. *Quanta ſit Euchariſtiæ dulcedo.*
14. *Quàm fortes nos reddat Euchariſtia.*
15. *Dat gratiam ſecundum diſpoſitionem communicantis.*
16. *Intellectum illuminat.*
17. *Quàm glorioſa fuerit Deo inſtitutio Euchariſtiæ.*
18. *Vitam & vires animæ conſeruat Euchariſtia.*

Propositio I.

Salutatio.

Exod. 16. EXod. 16. legimus ex manna vermes proceſſiſſe; quid autem ſpiritualiter hoc
S. Ambroſ. inſinuet, expreſſit S. Ambroſ. ſerm. 3. de tempore, explicans illud Pſal. 21. *Ego autem ſum vermis & non homo*, de Chriſto Domino dicens: Cor totius creaturæ Dominus vermiculo voluit comparari? Poſſumus hoc quidem humilitati eius aſſignare, ſed magis illud accipiendum cenſeo, quoniam vermis de ſola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moyſis de manna vermiculos procreatos: digna plane, & iuſta comparatio; ſiquidem vermiculus gignitur de manna, & Dominus Chriſtus de Virgine procreatur; quidni ipſam Mariam dixerim, manna, quæ ſubtilis & ſplendida eſt, quæ veluti cælitus veniens cunctis Eccleſiæ populis cibum dulciorem melle deflu it, quem qui edere & manducare neglexerit, vitam in ſemet ipſo habere non poterit? ſicut ipſe Dominus ait, *niſi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum ſanguinem, non habebit vitam in ſemetipſo.* ita S. Amb. Per beatam Virginem nobis talis ac tantus cibus exhibitus eſt, per eam etiam ſimiliter dignabitur Dominus ad illum explicandum & intelligendum gratiam præſtare.

S. Auguſt. ſi ad Sacramentum hoc eſſent verba, non eſſet ineffabile; ſi eſſet ratio, non eſſet admirabile; ſi eſſet exemplum, non eſſet ſingulare. ita ille. Hinc conſtat quam opus ſit gratia. S. Auguſt.

S. Hieronym. epiſt. 3. quæ eſt ad Heliodorum. Materias grandes ingenia parua non ſuſtinent, & vltra vires auſa in ipſo conatu ſuccumbunt, & quanto maius fuerit quod dicendum eſt, tanto magis obruitur, quia magnitudinem rerum verbis non poteſt explicare. ita ille. Quæ igitur materia grandior? &c. S. Hieron.

Propositio II.

Quàm ſingulare beneficium Dei in nos ſit Euchariſtia.

BEneficij magnitudo non ſolùm ex eius pretioſitate, ſed etiam ex eius ſingularitate & raritate penſanda eſt, vti docet Senec. lib. 2. de Seneca. beneficiis cap. 12. dicens: Munera non tam pretioſa quàm rara, & exquiſita ſint, quæ etiam apud diuitem ſui locum faciant, ſicut gregalia quæque poma, etiam poſt paucos dies itura in faſtidium, delectant, ſi prouenere maturius; & illa non erunt ſine honore quæ aut nemo aliud dedit, aut nos nulli alij; Alexandro Macedoni Alexand. cum victor Orientis amicos ſupra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati ſunt, & ciuitate ſua illum donauerunt: cum riſiſſet Alexander hoc officij genus, vnus ex Legatis: Nulli, inquit, vnquam ciuitatem noſtram dedimus alij, quàm tibi, & Herculi; tunc libens accepit oblatum honorem, & legatos maiori humanitate proſequutus eſt, quia Herculi æquabatur. ita Seneca. Nunc ad rem, beneficium Euchariſtiæ à nobis magni faciendum eſt, tum quia pretioſiſſimum donum in ſe eſt, quid enim æquè pretioſum? tum quia ſingulare rarùmque donum eſt, etenim gratiam & gloriam exhibet Dominus, non ſolùm nobis verùm etiam omnibus illis ſpiritibus qui in cælis ſunt; at Euchariſtiæ cibus nobis datus eſt, & ſolùm nobis, panémque ideo noſtrum eſſe teſtamur, *panem noſtrum quotidianum*, dicentes, *da nobis hodie*: ſi ergo pretioſitas & ſingularitas beneficij, adeo eius æſtimationem augent, quanti Euchariſtiæ donum nos æſtimare oportet cum adeo pretioſum & ſingulare ſit?

Auger etiam magnitudinem beneficij promptitudo donatoris maximè cum non ſolum donat, ſed etiam rogat vt donum eius accipiatur: Ille (inquit Seneca ſcilicet cap. 19.) accepit cum rogaſſet, ego verò cum rogaret. ita ille; quaſi dicat: plus ego debeo, &c. Chriſtus rogat vt Euchariſtiam recipiamus, quid enim eſt dicere, *compelle illos intrare*, ad magnam videlicet cænam, niſi ô vos concionatores & miniſtri mei compellite vocibus & rationibus eos inuitando intrare, &c.

***

Propositio III.

Quàm eximium Dei beneficium ſit Euchariſtia.

TAnto beneficium aliquod maius eſt, quantò pluris danti conſtat, & malus aliquod periculum ſubit; ille mihi plus confert, qui honoris aut vitæ ſe periculo exponit quàm qui paruo alicuius v.g. vel pecuniæ vel vulneris leuioris. Cui ergo periculo ſe Chriſtus expoſuerit, eum ſe nobis in cibum exhibuit videamus. Dicam, ſemel periclitabatur ſuæ diuinitatis fides apud homines, manducari enim à diuinitate prorſus alienum videtur, conſtet hoc primum ex illo Geneſ.

Gen. 9.

9. vbi Dominus dixit Noë, & filiis eius, *omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum*, &c. Antea quidem herbas & arborum fructus in cibum hominibus aſſignauerat Deus, cur igitur modo carnes?

Theodor.

Reſpondet Theodoretus q. 55. in Geneſ. Præuidens Deus homines in extremam dementiam lapſos, hæc omnia animalia pro diis habituros, permiſit illorum eſum, vt impietatem illam cohiberet: ſumma enim eſt inſania id adorare quod manducatur. ita ille. Veſci igitur aliqua re, ſignum eſt illam Deum non eſſe.

Exod. 32.

Item conſtat ex c. 32. Exodi, vbi Moyſes videns vitulum aureum quem pro Deo Iſraëlitæ adorabant, *arripiens*, inquit ſcriptura, *vitulum quem fecerant, combuſſit & contriuit vſque ad puluerem, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* Cur *in potum*? nonne ſufficiens erat ad idololatriam tollendam vſque ad puluerem contriuiſſe?

S. Hiero.

Reſpondet S. Hieron. epiſt. ad Fabiolam, vituli puluerem adorauerat Iſraël, in potum accepit in contemptum ſuperſtitionis, vt diſcat contemnere, quod in ſeceſſum proijci videat. ita S. Hieron. vtrobique conſtat contrarium videri Deitati in cibum, ſeu potum aliquid ſumi. Cur igitur Chriſtus Dominus in cibum carnem & in potum ſanguinem dedit? ne detrimentum fidei diuinitatis ſuæ eſſe videatur? vt quidem magnitudo beneficij conſtet & ardor amoris eius in nos; in tantum enim dilexit nos, vt non obſtante periculo tanto ſe in cibum nobis dare fuerit dignatus; ſi ergo exponere ſe magno periculo propter aliquem, magnitudinis amoris in eum argumentum eſſe conſtat, & beneficium auget, quantum erit hoc Euchariſtiæ beneficium? quantus amor Chriſti in nos?

Rurſos, confirmat hoc quod refert ſcriptura Exod. 32. vbi Moyſes vitulum illum quem Iſraëlitæ pro Deo adorauerunt contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit eum potum illis. Quò tam nouum hoc ſupplicij genus ſpectat?

Oleaſter.

Reſpondet ſic Oleaſter: Crediderim quòd vt idololatriæ nauſeam eis induceret, voluit vt pulueribus idoli ſui ſatiarentur. ita ille. Nunc ad rem. Cum ſit argumentum & ſignum non eſſe Deum id quod manducatur: cur voluit Chriſtus ſic manducari? Reſponſio in promptu eſt, vt tanto ampliùs creſceret beneficium, & illuſtriùs fulgeret amor eius in nos, quanto in eo ſuæ maieſtati & deitati magis derogari videretur, *que puſo Chriſto ſeñor arieſgo el credito de ſu deidad con los infieles atrueco de no negarnos tan ſoberano beneficio y darnos tan precioſa mueſtra del amor que nos tiene.*

Pſal. 67.

Pſalm. 67. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt*, &c. Pluuiam hanc vocat manna de cælo cadens ad modum pluuiæ abundanter exhibitum populo Iſraël, vti exponunt ibi S. Auguſt. Caſſiodor. Hugo Cardin. & Gloſſa; nec obſtat quod dicit de futuro, *ſegregabis*, pro *ſegregaſti*; mos enim eſt Prophetarum ſic tempora mutare, in Hebræo verò ſic habetur, *pluuiam liberalitatum*, &c. quaſi dicat: Quot grana illius mannæ è cælo defluebant, tot liberalitates erant; quod ſi tanti faciebat Dauid cibum illum in quo id quod præcipuum fuit, vmbra erat ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, quid de ipſa Euchariſtia dicendum eſt?

Exod. 16.

Adde iuſſiſſe Deum Moyſi dicentem Exod. 16. *Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine.* Iam ergo non miror, quod tanti fecerit Dauid manna: ſed quod Deus tanto in pretio habuerit illud, & quidem quod præcipuum in eo erat, non fuit manna ſecundùm ſe ſumptum, ſed quatenus figura erat Euchariſtiæ noſtræ.

Exod. 25.

Exod. 25. ſic Deus ad Moyſem: *Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*; in originali Hebræo ſic habetur; *pones ſuper menſam panes facierum.* Figuraliter facies oculos important, vnde idem eſt dicere, *panes facierum*, quod *panes oculorum Dei.* Cur igitur *panes oculorum Dei* dicuntur? nimirum quia ſpeciali quadam ratione oculos Dei rapiebant ſibi panes illi, *ibanſele à Dios los ojos tras aquel pan.* Cur ita? quia panes illi ſanctam noſtram Euchariſtiam præfigurabant, vti aſſerunt ſanctus Hieronym. in cap. 1. Michcæ, & ſanctus Cyrill. c. 4. Myſtagog. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Iſichius & Rupertus, &c. Vocabantur ergo, *panes facierum*, ſiue vt Septuaginta legunt, *faciales*, ſeu, *poſiti ante faciem & oculos Dei*; ideo dixit Dominus, *pones in conſpectu meo*, & hoc, quia in eis vt dixi repræſentabatur ſanctum Sacramentum, *eſſe era el que aſſi robabalos ojos de Dios*, tanquam pretioſiſſimum munus quo ſancta eius illuſtraretur, & ditéſceret Eccleſia, munus, inquam, adeo ingens, vt vel eo ſolo magnificentia Dei magis reſplendeat, quàm in omnium rerum creatione; quia in creatione creata nobis dedit Dominus, in Euchariſtia verò creator ipſe nobis datur. Quod ſi adeo pretioſi erant panes illi in conſpectu Domini, vt propterea magnificentiſſimum ſe nobis oſtenderet, quanti nos Euchariſtiam facere oportet, qui ea fruimur, & ea glorificamur?

Quod etiam amplificare ſic poſſumus: non ſolùm ſic Deus oculos ſuos continuo & ſpeciatim ſuper hos panes apponebat, quia munus repræſentabant dignum magnificentia ſua, & gloria, & eximia vtilitate noſtra, ſed quia illico veſci & potiri ipſe quoque debebat in vltima cœna factus homo, quod quidem in maximo pretio erat Chriſto Domino; nec mirum, quia ſi Deus homo erat qui ſumebat, Deus etiam & homo erat qui ſumebatur.

Adeo quidem eximium donum Euchariſtia eſt, vt in ea verè ac propriè magnificum ſe exhibuerit Deus. Quod vt melius exprimamus, ſupponenda eſt & vis & natura virtutis magnificentiæ. Abulenſis ex lib. 2. Ethicorum Ariſtotelis, probat magnificentiam eſſe virtutem animi circa maximas expenſas: Cicero verò, magnificentia, inquit, eſt rerum magnarum & excelſarum

Abulenſis.

Cicero.

sarum cum animi amplà quadam & splendida propositione agitatio. ita ille. *es la magnificencia virtud de animos excellentes que inuentan cosas soberanas y las ponen con animo valeroso en execucion.* Vbi notandum est magnificentiæ opus non tam desumendum & qualificandum esse ex opere ipso quamuis magnum esse videatur, quàm ex qualitate personæ operantis: erit enim opus magnificum aliquid respectu alicuius magnatis, quod non erit tale respectu Regis, & respectu Regis quod non respectu Dei. Etenim magnum opus, vt apparet creatio vniuersi, maximè opus cælorum, & tamen Dauid opera digitorum Dei *Ps. 8.* vocat cælos, *videbo*, inquit, *cælos tuos opera digitorum tuorum.* Cur vocat cælos opera digitorum Dei & non brachij, seu manus Dei? quia quæ digitis fiunt, faciliora & leuiora sunt. Sic *S. Basil.* Respondet S. Basilius in scholiis huius Psal. dicens, *opera* dixit non manuum tuarum, sed, *digitorum tuorum*, vt quæ videntur minimæ operationis esse ostendat. ita S. Basil. Nec mirum, quia vt factum seu datum magnificum sit, oportet quòd sit magnitudini dantis proportionatum, inter finitum autem & infinitum nulla est proportio sed infinita distantia, sicuti Philosophi demonstrant. Cum igitur cæli res finita sint, Deus verò infinitus, dedisse nobis cælos non est in rigore opus magnificentiæ, quia inter datum & datorem non est legitima proportio. Vnde in eodem Psal. 8. præmisit Dauid: *Eleuata est magnificentia tua super cælos*, [*vuestra magnificencia señor dexo muy atras a la obray dadiua en que nos distes los cielos.*]

Quodnam igitur dicemus fuisse opus diuinæ magnificentiæ? Opus quidem incarnationis & passionis, in quibus seipsum nobis dedit Deus, vbi donator venit in donum, nobis datus, nobis natus. Tunc enim omnimoda proportio est inter dantem & datum; quia si dator est Deus infinitus, donum quoque est Deus infinitus, & similiter donum Eucharistiæ est opus magnificentiæ diuinæ, quia in ea datur etiam nobis Deus, &, si dicere licet, extenuè aliquid amplius quàm in incarnatione, quia in eo datus est à Patre filius, vt sumeret nostram humanitatem; in Eucharistia vero ipsam diuinitatem, & insuper humanitatem nobis dedit. Sic loquitur S. *S. Thom.* Thom. agens de Eucharistia opus 57. dicens: Vnigenitus Dei Filius suæ diuinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, & hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. ita ille. Vbi explicans dictum, ait, in passione se nobis dedisse in pretium, & in memoriam passionis ait se nobis dedisse in Eucharistia; & subdit de dono Eucharistiæ: Quid hoc conuiuio pretiosius esse potest? in quo non carnes vitulorum, vt olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus? ita ille.

Hinc colliges quàm de nobis benemeritus sit Deus & quàm magnas & assiduas illi gratias debeamus qui ita nos enutrit, & exaltat: vnde merito *S. Thom.* S. Thom. vbi suprà de Eucharistia agens: Immensa (inquit) diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Christiano, inæstimabilem ei conferunt dignitatem; neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut adest nobis Deus noster. ita ille. Quamobrem peccatoribus Christianis meritò improperans dicere potest Dominus illud Isai. 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* *Isai. 1.* Enutriui, inquit, manna scilicet filios Israël, sicut exponit Lyranus, *Lyranus.* & exaltauit illos tali ac tanto conuiuio; quod ita conqueritur de illis, quia peccauerunt contra huiusmodi benefactorem, quanto potiori ratione conqueretur de peccatoribus christianis, quos sacrosancto Corpore nutrit & exaltat?

De manna quidem asseruit sapientia Dei, Sap. *Sap. 16* cap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Pondera singula quæ beneficium mannæ circunstant. Panis ille dicitur panis Angelorum, panis verò noster Eucharisticus quomodo appelletur audiamus à Christo Ioan. 6. Panis Dei est, ille panis dicebatur Angelorum non quia in se Angelos contineret, sed quia ab Angelis ministrabatur: sed panis noster *panis Dei* dictus est, non solùm quia à Christo Deo nostro administratus est, sed quia verè Christum Dominum continet in se: *Caro*, inquit, *Ioan. 6.* *mea verè est cibus*, &c. Panis ille dictus est *de cælo*, non quia ipse in cælo priùs fuit & inde descendit; sed quia de aëre velut ros seu pluuia descendit: aër enim in scriptura dicitur cælum. Luc. 8. *volucres cæli*, id est, *aeris*. Vnde Christus Dominus Ioan. 6. *Amen amen dico vobis* (ait Pharisæis) *non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Quasi dicat, non erat descendens de alto cælo, sed de aëreo, & non erat verus omnino, sed figuratiuus; panis verò meus descendit de cælis, & est verus, hoc est, non est figuratiuus sed figuratus in vestro manna. Ait præterea Sapiens *sine labore*, quia non fuit illis opus arare ac serere, & metere, sed tantùm colligere, & coquere, & illico illo vesci. In quo etiam figura sanctissimi panis fuit, non enim opus est nobis laborare, sicut agricolis pro pane materiali, sed quasi dicit Dominus: Aperi os tuum & adimple illud summo & omni bono, etenim sine labore nos eo potimur; sed Christus Dominus non sine labore, sed maximo labore diuitias nobis panis huius acquisiuit, tormentis nempe & cruciatibus passionis suæ, & crucis acerbissima morte, vti ait S. Tho. 3. p. q. 79. imaginare nutricem aliquam infantis Regis, & infirmari casu infantem, cui purgatione opus esse iudi- *Simile.* cant medici periti, qui debilitatem infantis videntes nutrici præscribunt medicamentum & antidotum purgationis, quod intuita illa renuit, & horreret illud sumere, *en ver la purga se le rebuelue el estomago y dando arcadas*; ego, inquit, sana sum, rectè valeo, si fieri potest liberate me à potu isto; attamen cum aliter subueniri principi videat non conuenienter posse, clausis oculis, medicamentum sumit, & digestum à se in lacte infanti virtutem potionis communicans sanitati illum restituit. Sic quidem Christo & nobis euenit, nos quidem ratione pomi vetiti, omnes in Adam peccauimus, & infirmi fuimus, opus erat ad salutem recuperandam amara quadam potione cuius incapaces eramus; interfuit Christus cui Pater præcepit vt pro nobis calicem biberet passionis, quem perspicaci cogitatione aspiciens orabat dicens: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, quasi diceret*: Ego quidem rectè valeo, sanus sum, & tali potione non indigeo, &c. sed tamen videns

non indigere quod ipse illum sumeret calicem, dixit, *non mea sed tua voluntas fiat*, bibit illum Christus & virtutem eius in nos transfudit in Eucharistia, dicens: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*: quo virtutem & fructum passionis in hostia, velut lacte, candida nobis communicauit.

Potest & hoc alia similitudine exponi, nempe alicuius patris euntis ad bellum, & parta victoria spolia pretiosa defert filiis; spolia, inquam, multis laboribus, ac vulneribus acquisita communicat filiis, qui fruuntur illis sine laboribus, sic &c. *Simile.*

Subdit denique Sapiens: *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat.* Sanctus Fulgent. in responsione ad Arrianos ad 4. obiectionem, & Optatus citatus in glossa ordinaria sic legunt: *Substantiam tuam & dulcedinem tuam ostendebat*, hoc est, Manna duo figurabat & ostendebat in sacra Eucharistia; primum, quantæ scilicet substantiæ esset in se, si enim res adeo pretiosa erat figura, quanto pretiosius erit id quod figurabat? vel quia substantia in sacris litteris patrimonium seu hæreditatem significat, vt patet in parabola filij prodigi dicentis, *da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*. Manna ostendebat hæreditatem, quæ in cælis seruatur iustè recipientibus Eucharistiam iuxta id quod canit Ecclesia; *mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*; & ideo etiam Sapiens in eodem loco ait, *substantiam & dulcedinem quam in filios habes*, &c. Est enim verè panis filiorum non mittendus canibus: & hoc quidem maximum motiuum esse debet ad frequenter communionem recipiendam. hoc enim proprium filiorum est, *quod si filij & heredes*, (vti ait Apost.) *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, in cælesti patrimonio & substantia. *Sapi.16.* *S. Fulg.*

Secundum est, *dulcedinem tuam in filios demonstrabat*; dulcissimus quidem cibus erat manna, habebat enim *omnis saporis suauitatem*, vt ibidem ait Sapiens: at cibus hic noster quam dulcedinem habet? quis eam possit explicare? Rectè hic possumus respondere, *gustate & videte quam suauis est Dominus*, sicut ait Dauid qui quoque in Psalm. 67. *Parasti*, inquit, *in dulcedine tua pauperi Deus*; loquitur ibi de Ecclesia Christiana quam pauperem vocat, quia in ea fideles paupertatem spiritus profitemur, quod in externis nationibus non inuenies. Ecclesiæ ergo suæ in dulcedine sua dulcedinem parauit, nimirum in cibo isto cælesti, vti Carthusianus & Lorinus aiunt. Sed quænam sit iusta dulcedo non exprimis, quia indicibilis est; hoc autem solum dicere valemus, dulcedinem Dei esse; quem enim saporem habet perdix nisi perdicis, & mel nisi mellis, & saccharum nisi sacchari? sic etiam quænam erit alia dulcedo Dei in Eucharistia nisi Dei? At dices, talem ego non experior, experti sunt quidem Sancti plures. Esto & tu sanctus, & experieris; sed ne inde contristeris, scito sæpe Deum dulcedinem hanc occultare si iis, ne inde in superbiam eleuentur, vt merita tanto magis augeantur, quanto in frequentia communionis minorem dulcedinem sentiunt; si enim sentirent, propter ipsam dulcedinem, sæpius forte communicarent, quàm propter ipsam communionem. *Carthusia.* *Lorinus.* *Simile.*

Isa.42. Isai. 42. *Ecce seruientes mihi comedent, vos autem esurietis; ecce seruientes mihi bibent, vos autem sitietis.* Quid seruientes Deo comedent? quid bibent? S. Cyrillus Alexand. in commentariis super Isaiam. Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 9. & lib. de Elia & ieiunio cap. 10: S. Cyprian. lib. testimoniorum contra Iudæos cap. 12. & S. Hieronym. super Isaiam de sancto Eucharistiæ sacramento intelligunt locum istum. Ait ergo Dominus: Serui mei comedent corpus meum, & vos ô peccatores indigni tanto bono esurietis: serui mei bibent in eodem sacramento sanguinem meum, vos autem indigni sitietis, non dabitur vobis. Ecce cur plurimi non communicant, non datum est eis à Deo, ô graue supplicium! precamini Deum, fratres, ne vnquam tali vos puniat pæna. Ecce quoque rationem, quare multi tanto fruantur bono, quia datum est eis à Deo. Meritò proinde & ipsi singulum gratias immensas Deo reddere debent. *S. Cyril.* *S.Ambr.* *S. Hier.*

1. Reg. 21. cum Dauid ad Gethæos fugisset, *Immutauit* (ait scriptura) *os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum.* Sanctus Augustin. super Psalm. 33. sic legit, *& ferebatur in manibus suis.* vbi S. Doctor quærit, & ait, quis portatur in manibus suis? In manibus aliorum potest portari homo, manibus verò suis nemo portatur. Et respondet, quomodo intelligatur hoc in ipso Dauid secundùm litteram, non inuenimus, in Christo autem inuenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans corpus suum, dixit, *hoc est corpus meum*, &c. ita S. August. Nunc ad rem. Primum ferculum sanctissimi Sacramenti, manus Christi Domini ferunt, tale quippe ac tantum sacramentum, tale ferculum decebat. Secundum autem ferculum manus sacerdotum esse voluit, quibus sic congruit vt fumant & dent cæteris; manus enim sacerdotis manus Christi repræsentant. Tertium verò ferculum pectora nostra sunt, in quibus cum communicamus, sacrosanctum Domini Corpus recipimus & portamus. Sic sic nos Deus honorare & benedicere dignatus est, vt sacramentum manibus Christi dignum in pectore nostro etiam habeamus & circumferamus. Sit ille in sæcula benedictus. *1.Reg 21.* *S. August.*

Ioan. 6. sic Christus Dominus de Eucharistia agens, *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*, hunc enim Pater signauit Deus. Duo hic asserit Dominus; primum est, quòd pro acquirendo cibo isto operemur, verbum autem *operamini* importat non operationem quamlibet, seu qualemcumque, sed sollicitè & cura magna exhibitam, tacitè respondens his, qui frequentare communionem negligunt, dum ia dicit, *villam emi, eo videre illam, habe me excusatum*, alius, *iuga emi quinque*, &c. Hoc est quia magna intensione cordis attendunt bonis temporalibus, ideo attendere frequentiæ communionis nolunt; & insuper quia puritatem animi, & deuotionem, & confessionem præuiam, quando & quantum conscientia id exegerit, acquiri vident, ideo ait Dominus, *operamini cibum*, hoc est (vti explicat Cardinalis Toletus) magno studio & cura satagite hunc sumere cibum, & quantamcumque operam adhibete; quantumuis enim laborem adhibere magnum opus esset, (quod quidem non ita est) dignus quidem tanto labore est cibus *Ioan 6.* *Toletus*

bus iste. Vnde subdit: hunc enim Pater signauit Deus, id est, me qui cibus iste sum, signauit Deus; quasi impresso sigillo periphrasis, & circumlocutio est hæc eximij thesauri, quem in Eucharistia habemus; ea enim, quæ sigillamus seu signamus, magni esse momenti designamus. Sic explicat Rupert. Abbas dicens: Cibum hunc signauit Deus, id est à communnibus distinxit cibis, vt cum alios bonis & malis communes fecerit, solum hunc cibum dari voluit non nisi dignis. ita ille. quasi dicat: Panis hic, panis est amicis & filiis reseruatus, tanquam pretiosissimum donum in Ecclesia, *vere panis filiorum*, &c. & ideo signauit, id est, inter reliqua beneficia huic signum adiecit, *aqui echo el sello sobre esta blanca hostia*, &c. atque adeo operamini hunc cibum, hoc est pro tanto cibo nulli labori parcendum est, &c. Rupert.

Zach. 9. Zach. 9. agens Propheta de hoc Eucharistiæ sacramento ait: *Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* S. Hieron. hoc loco, & Paschasius Abb. lib. de corpore & sanguine Domini cap. 21. affirmant, hic prophetam agere de Eucharistiæ sacramento. Quærit igitur primo, *quid est bonum eius*. vbi ly *eius*, ad Deum refertur, & non ad terram vel Ecclesiam; est enim in textu Græco generis masculini. Sensus ergo est, quid est bonum Dei in terra, seu in Ecclesia eius, & quid pulchrum eius? & respondet, *frumentum electorum*, id est Eucharistia, quæ electorum causa instituta est à Deo. Vnde & frequens, & feruens Eucharistiæ sumptio electionis, & prædestinationis signum est. Ne igitur mireris si cùm multi sint christiani, pauci tamen sint qui frequenter, & feruenter ad eam accedant, quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Tu autem qui animi ardore sæpe Eucharistiam sumis, gaude & lætare, quia pignus & signum sic habes æternæ vitæ. Inde & Ecclesia canit, *O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Qui verò non ita esurit hunc panem, petat à Deo talem esuriem, vt & ipse tanto gloriæ pignore fruatur. S. Hieron. Pascha.

Sed nunc ad rem, quare dicit *pulchrum* esse hoc Eucharistiæ donum? nimirum, quia pulchritudo alicuius rei in proportione eius maximè consistit: illa enim facies est pulchra, in qua oculi & nares, frons & labia, & reliquæ eius partes inter se proportionatæ sunt. Sic Eucharistiæ donum pulchrum est, quia proportionem magnam habet cum donante & recipiente; cum donante quidem, quia si donans infinita res est, & donum hoc infinitatem ipsius Dei constat habere; denique donans Deus est, & donum ipsemet Deus, potest ne maior esse proportio inter donum & donantem? Item ea quæ possibilis proportio est inter donum & recipientem, hic reperitur, quia non omnibus sed filiis Dei datur, verè enim panis filiorum non mittendus canibus. Donum igitur filius Dei est, & recipiens, filius Dei esse debet; vide proportionem. Quod si pulchritudo in proportione consistit, merito, ait Zacharias, *quid est pulchrum eius nisi frumentum electorum?*

Præterea pulchrum est quod omnium oculos ad se conuertit: facilis est inductio. Eucharistiæ autem bonum non solùm sanctorum & Angelorum oculos ad se conuertit, verùm etiam ipsius Dei Exod. 25. iussit Deus in templo constitui mensam & in ea *panes propositionis*, quos textus Hebræus vocat *panes facierum*, id est, *oculorum*. Cur ita? Doctus quidam interpres sic exponit: Dicebantur *panes facierum*, eo quòd Dei oculos raperent ad se. ita ille. nec mirum, se enim in hoc pane respicit Deus, se inquam & suam immensam bonitatem, liberalitatem, pietatem, misericordiam, magnificentiam, sapientiam, omnipotentiam suauitatem (hæc enim omnia Dei attributa in hoc sacrosancto dono relucent) respicit. Exod. 25.

Propositio IV.

Eucharistia donum eximium Dei amorem in nos ostendit.

IN tantum diligit nos, vt discessurus à nobis etiam in cælum peregre se proficisci sentiat, quod ex eo constat Matth. 25. vbi postquam in parabola talentorum diuisisse talenta dixisset, *peregrè*, subdit, *profectus est*. Quid hoc? ad Patrem vadit, in cælum pergit, & peregrinum se dicit? cum in terram descendit, meritò se peregrinum poterat appellare; at in cælum pergens, cur ita? S. Chrysost. in imperf. hom. 53. Homo peregrè profectus, Christus est, post victoriam passionis ad Patrem iturus peregrè se iturum dicit, propter charitatem sanctorum, quos relinquebat in terris, eum magis peregrè esset in mundo. ita ille. Sit Christus in sæcula benedictus. Hinc Eucharistiæ mysterium intelligere licet, si is qui ad peregrina ducitur, posset simul inter dilectos remanere absque dubio remaneret; peregrè Christus proficiscebatur in cælum habens dilectos suos in terris, potuit simul ire & remanere, remansit ne amori suo in nos aliquo modo deesse videretur. Matt. 25. S. Chrys.

S. August. in concione de cæna Domini ponderat media & remedia, quibus vsus est Christus Dominus ad correctionem Iudæ; primò verecundia, notam sibi ostendens iniquitatem cordis eius, dicens, *vnus vestrùm me traditurus est*; secundò confusione magna, eum similem diabolo esse affirmans, *vnus*, inquit, *vestrum diabolus est*; tertiò blanditiis, lauans illius pedes; quartò terrore, dicens, *væ homini illi per quem filius hominis tradetur, melius erat ei si natus non fuisset homo ille.* Sed quia hæc remedia (quamuis magna) non fuerant effectum sortita, addit quintum, donum scilicet Eucharistiæ, donum quidem ingentis amoris, amor autem potens valde medium est ad hominem quantumuis inimicum sibi conciliandum, dicente Apostolo, *si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius.* Voluit Christus Dominus sic congerere carbones super caput, & coc Iudæ, & ideo cibum & potum diuinissimum Eucharistiæ dedit illi. Tanta verò fuit duritia cordis eius, vt neque hoc pacto illud emollierit; vnde post receptionem Eucharistiæ dixit illi; *quod facis fac citius*, Ioan. 13. ac si diceret (ait S. August. vbi supra) quia non reuocaris verecundia, confusione, timore, humilitate & amore, do tibi facultatem, vt opere facias, quod iam voluntate fecisti. ita ille. Nunc ad nos, multis modis per an-

ni decurſum Deus adhibet remedia ad peccatores conuertendos, inſpirationibus ſcilicet ſpiritus ſancti, admonitionibus Angeli cuſtodis, vocibus concionatorum, mortibus vicinorum, denique tempore quadrageſimæ (quod tempus eſt miſerendi) Euchariſtiæ Sacramentum ſumere iubet, quaſi vltimum & præcipuum ad conuerſionem remedium: quod ſi nec hoc profuerit, vocem eum Angelis emittit: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.*

Dulcis, & gratiſſima nobis eſt conſideratio diuini amoris in nos, etenim ab amicis, & cognatis, & à reliquis omnibus creaturis amari gaudemus, optamus, & curamus, & illos amplius diligimus, qui diligunt nos, adeo vt Rex ipſe gaudeat vel à ſeruis ſuis amari, imo & à canibus ſuis, & ipſos etiam canes diligit Rex, quos viderit ſigna amoris oſtendere ſibi. Gaudeamus nos igitur, qui eximio & indicibili amore diligimur à Deo; & vt in huius veritatis probationem vel vnum argumentum proferamus, attende quanto in nos Chriſtus ardebat amore, quo ſe in cibum nobis exhibuit. Expendit hoc Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 2. dicens; *Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, ſacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit.* ita Concil. quaſi dicat: quam plurima ſui in nos amoris ſigna dedit, ſed in Euchariſtiæ ſacramento, veluti exhauſiſſe videtur diuitias ſui erga nos amoris, *que ſi Dios pudiera ſer pobre el amor le huuiera aqui en pobrezido, de ſuerte que de toda ſu infinita riqueza, no lequedara vna blanca*, quia omnes diuitiæ Dei ſuor ipſemet Deus, qui in hoc ſacramento ſe totum ita nobis dedit, vt plenoore dicere valeamus, *nobis natus, nobis datus*, &c.

Concil. Trident.

Ioan. 13. Vnde Ioan. 13. antequam de ſacramento iſto ageret, præmiſit Euangeliſta: *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quid eſt *in finem?* S. Chryſol. id eſt, nihil omittit quod vehementer amantem deceret. ita ille. vehementiam amoris Chriſti in diſcipulos expreſſit, quia ad finem amoris peruenit inſtitutio ſanctiſſimi ſacramenti; quia ſi talis donatio ex amore proceſſit, quod ſignum finalis amoris potuit eſſe maius, quàm ſe ipſum & in cibum nobis dare?

S. Chryſ.

Propositio V.

Euchariſtia myſterium fidei eſt.

Leuit. 2. LEuit. 2. in oblatione ſimilæ iuſſit Deus eam ſumere pugillo. Cur non vaſe aliquo ampliori? Iſichius in hunc locum: Pugillo tollere ſimilam Deus iubet, per pugillum enim hic fidem ſignificat, apertè ſignificans illam eſſe cognitionem Deo acceptam, quam fides comprehendere poteſt; & ſicut qui pugillo plus vult comprehendere, nihil proficit, totum enim decurrit & cadit, & inutiliter laborat; ſic menſura ſcientiæ Dei fides eſt. ita ille. Nunc ad rem, oblatio hæc farinæ electæ (id enim ſimila importat) figura fuit aperta huius diuini panis, & ideo merito fide illum apprehendere iubet Deus, quia ſcientia humana illum comprehendere nequit, & qui temere rationibus ad illum nititur, quaſi qui plus ſatis farinam pugillo concludere conatur, non concludit ſed excludit eam; ſic qui arcana huius ſacramenti, ratione ac diſcurſu capere vult, inutiliter & periculosè aliquando laborat, ſicut hæreticis euenit, *por que eſſo no es coger arina, ſino derramarla*; Fide ergo integra ad hoc diuinum ſacramentum accedere oportet.

Iſichius.

Propositio VI.

Quàm frequenter ſumenda ſit Euchariſtia.

Gen. 27. GEneſ. 27. benedicens Iſaac filium ſuum Iacob dixit, *det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Cur non ait etiam abundantiam olei? & olerum, & arborum, & ouium, & armentorum fructus, &c. ſed ſolum panis, & vini? ominum, quia per panem & vinum, diuinum Euchariſtiæ ſacramentum ſignificatum fuit, quod in ſpeciebus panis, & vini nobis exhibet Chriſtus, & huius panis & vini abundantiam tribuit filio ſecundo & non primo, id eſt, non populo ſuo primo Iſraël, ſed ſecundo populo Chriſtiano. Ita interpretatur locum hunc S. Theodor. q. 81. in Gen. dicens: Hic frumentum & vinum, ænigmata ſunt diuinorum myſteriorum. ita ille. Huius cibi abundantiam tribuit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, non ita carnium, & piſcium, quibus plures egent, & ſimiliter aliorum ciborum corporalium, ſed Euchariſtiæ, quia hoc magni, illud parui momenti nobis eſt.

Theodor.

Sed hinc conſtat plurimorum Chriſtianorum imprudentia magna, quia neſciunt abundare, & abundantia tali ac tanta frui: *Stultus* (ait Salom. Eccl. 4.) *complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas*, dicens: *Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore.* Etenim ratio hæc non viri ſtulti, ſed ſapientis eſſe videtur: prudentior enim eſt ille, qui paucis contentus, quietem aſſequitur, quàm qui animi perturbatione bonorum temporalium abundantiam quærit. Sed tamen ſtultus hic merito iudicatur, qui propter pigritiam, & acediam, laborem honeſtum fugiens eligit potius carnes ſuas comedere, hoc eſt, corpus debile reddere, quàm ad ſibi neceſſaria laborare. Sed ſpiritualiter loquendo, ſtultus ille eſt, qui cibi ſpiritualis abundantiam habens illa potiri neſcit; ſi enim abundantia corporalis cibi nocere ſæpe ſolet, abundantia ſpiritualis cibi valde viris ſpiritualibus prodeſt. Ecce igitur abundantiam panis Euchariſtiæ in Eccleſia Dei, ſtultus complicat manus, & ſe tanto bono priuat, cum facile illo frui valeat; prudens verò talem occaſionem nactus cum gratiarum actione frequenter tantum ſumit cibum.

At inquies, me non ſentio ad illum ſumendum præparatum, quis igitur præparationem tibi denegat? præpara animam tuam, in tua enim eſt poteſtate: friuola eſt excuſatio iſta, in re enim tanta licet præparatio difficilis eſſet, nulla eſſet rationi opponenda.

Dan. 10. Daniel. 10. Daniel in captiuitate Babylonia conſtitutus: *Panem* (inquit) *deſiderabilem non comedi*, &c. quem vocat *deſiderabilem panem?* Doctus quidam auctor de panibus azymis ibi agi aſſerit; *hunc deſiderabilem panem* vocat, ſeu, vt eſt in originali Hebræo, *panem deſideriorum.* Etenim ibi Daniel non videtur agere de azymis, ſed de pane delicato ſeu communiter grato. Sed eſto loquatur de azymis, cur ita? quia ſicut idem ait, panem Euchariſtiæ ſignificabat, qui verè panis deſi

desiderabilis valde est, seu desideriorum in pluralibus. Quis enim Christianorum non desideret copiosissima illa gratia frui quam communicanti Deus confert propriè? Quis non rursus desideret dulcedinem spiritus in suo propriô fonte potare? Quis item non desideret sic intimè Christo Domino adhærere? Quis non desideret medicinam hanc suauissimam & efficacissimam aduersus omnia peccata recipere? &c. Nonne meritò panem hunc desideriorum appellabimus? quod si panem illum azymum, eo quod panis huius figura erat, desiderabilé, voluit Deus per os Danielis nuncupari & esse, quanto desiderabilis magis erit verus panis noster per illum figuratus? Nunc ad eos qui nullo vel fere nullo huius diuini panis tenentur desiderio, quod in eo ostendunt, quòd vix ad eum recipiendum accedant; etenim si desiderarent, si esurirent, frequenter sumerent. Quis enim famelicus ad cibos pretiosos non accederet, si ei gratis & libenter exhiberentur, sicut nobis exhibetur Corpus Domini? Carent igitur fame eius qui nó accedunt. Vnde igitur fastidium istud? Vnde dicito mihi est, quod infirmus fastidio laborans, pectus auis delicatæ ac teneræ comedere fastidit, & nec ius eius salutiferum sumere valet? nimirum, quia corpus eius humoribus malis abundat. Sic nimirū multi fastidio oppressi, ad Eucharistiam accedere recusant, quia eorum anima humoribus malis vitiorum abundans fastidio spirituali laborat.

Mat. 24. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ*, Mat. 24 quid sibi vult prouerbium hoc? quænam sunt Aquilæ istæ, & quale corpus ad quod congregantur? S. Hieronym. & S. August. & alij, per aquilas in hoc loco viros sanctos significare aiunt, & per corpus Christum Dominum. Vnde facilè colligitur verborum sensus, quòd, scilicet, sancti viri ad suscipiendum Domini nostri Corpus facilè conueniant, quasi dicat: Signum animarum sanctarum est communionem Corporis Christi auidè frequentare.

Mic. 5. Mich. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Non mirum, quòd multis retro sæculis prophetizatus fuerit locus tantæ Natiuitati consecratus; quod mirum videri potest, est, cur Christus in Bethlehem potiùs quàm in Hierusalem, aut in alio nobiliori oppido ipso Bethlehem
S. Ber. voluerit nasci; etenim S. Bernard. serm. vltimo in vigilis Natiuitatis Christi, ex etymologia nominis Bethlehem rationem deducendam censet. Vis igitur ex eadem etymologia hoc perpendamus? Bethlehem idem est quod domus panis, in domo panis nasci voluit Christus, vt qui eum natum inuenire desiderat, in domo panis eum quærat; domus autem panis non impropriè accidentia sanctissimi Sacramenti esse dicemus, in eis enim tanquam in domo panis substantia inest. Est etiam Eucharistia domus panis illius scilicet de quo ipse Dominus ait, *ego sum panis viuus*
Ioan. 6. *qui de cœlo descendi*, Ioan. 6. Qui ergo Christo Domino eget (quis autem est qui non egeat illo?) in omnibus & ad omnia sibi necessaria in Eucharistia sumpta inueniet illum, æger ad salutem sibi expedientem, dubius ad certitudinem, ignorans ad sapientiam, timidus ad fortitudinem, procliuis ad vitia vt se contineat, &c. qui enim se nobis in hoc Sacramento non denegat, dignè sumenti quid negabit?

S. August. S. August. serm. 28. de verbis Domini secundùm Lucam, exponens verba illa orationis Dominicæ, *panem nostrum quotidianum*, panem dixit supersubstātialem, non quidem istum panem qui vadit solum in corpus, sed panis vitæ æternæ; quod si quotidianus est, cur post annum illum sumis? accipe quotidie quod tibi quotidie prosit, ita ille. Sed dices, non est vita mea digna tanto pane. Respondet S. August. sic viue vt quotidie accipere merearis; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. ita ille. Rursus dices, peccaui, & ideo vereor ad sanctissimum hoc Sacramentum accedere. Respondet etiam ibi S. August. qui vulnus habet medicinam quærit, vulnus est peccatum, medicina est cæleste & venerabile Sacramentum, ita S. August. At dices, multi concionatores non approbant hanc quotidianam communionem. Etenim non approbo ego sic absolutè quotidianam damnare communionem, fieri enim potest vt salutaris sit, & commendabilis, in nonnullis; sed huius rei non concionator sed peritus confessarius esse debet, qui attentis circunstantiis personæ, & deuotionis, & profectus spiritualis, &c. iudicare debet quid magis expediat.

S. Ambros. S. Ambros. ser. 1. quomodo se excusare potest qui in die Sacramenti, prandium sibi domi præparans, prandium cæleste contemnit, & ventris curam faciens, animæ negligit medicinam? ita Sanct. Ambros. *y sino queres que digamos que menosprecia digamos que precia menos.*

Cur pauciores multo sunt qui Sacramenta frequenter suscipiunt: & qui audiunt verbum Dei? S. Ambros.
S. Ambros. ser. 9. de tempore rationem huius sic reddit: Patrimoniorum suorum compedibus sunt detenti, & terreno quodam obligati sunt vinculo, vt in domum Domini eos venire non liceat, & dum sollicitudinem patrimoniis suis exhibent, animarum medelam penitus non requirunt. ita S. Ambr.
S. Ambrosius.

At dicet aliquis, tempus non suppetit mihi, & necessitas negotiorum vrget. Audi quid ipsemet sanctus respondeat ibidem: Quid mihi difficultatem temporis obiicis? quid necessitatem ingeris repentinam? si cor habes, intellige, quia omni necessitate maior est necessitas salutis animæ, & vtilior est causa prius curare vitam & postea peculij damna sarcire; ne dum patrimonij augmentum quæris, sentias animæ detrimentum. Vereor enim ne dum quæritis diuitias mundi, inueniatis diuitias peccatorum, & repertis thesauris sæculi, cælestes amittatis. ita S. Ambros.

S. August. Rursus S. August. ser. 28. de verbis Domini secundùm Lucam, ponderans verba illa Christi Domini Luc. 11. *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, & explicans de Eucharistia: Si quotidianus, inquit, est panis, cur post annum illum sumis? accipe quotidie quod tibi quotidie prosit? ita ille. At dices, indignus sum. Respondet S. August. sic viue vt quotidie merearis accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum acipere. Sanctus Iob quotidie pro filiis sacrificium offerebat, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent. Tu ergo qui audis quòd quotiescumque offertur hoc Eucharistiæ sacrificium, mors Domini annuntietur, & remissio peccatorum significetur, cur panem istum vitæ nostræ quotidianum nó assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est peccatum, medicina autem est cæleste & venerabile Sacramentum. ita ille.

PROPOSITIO VII.

Sacrificium Euchariſtiæ quàm excellens ſit.

Iudic. 13. IVdic. 13. Manue pater Samſonis obtulit hædum in ſacrificium & holocauſtum Domino hortatu cuiuſdam Angeli, *cùmque* (ait textus ſacer) *aſcenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit.* Cur ita? Reſpondet Ioſephus, vt in fumo illius ſacrificij tanquam in curru aſcendere videretur. ita ille. Cum igitur antiqua illa ſacrificia figuræ eſſent ſupremæ Euchariſtiæ, conſtat cur Angelus tanquam in curru aureo aſcendere voluerit in cœlum. Etenim fumus viliſſima res eſt in ſe conſideratus, ſed quia fumus erat ex illo ſacrificio, quod ſacrificium corporis Chriſti adumbrabat, ideo velut in curru omni lapide pretioſo ornato aſcendere dignatus eſt. Videndus eſt de dignitate huius ſacrificij S. Chryſoſtomus lib. de ſacerdotio, & S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 58.

Ioſephus. S. Chryſ. S. Greg.

Præterea hac ratione voluit Chriſtus Dominus huius admirabilis ſacrificij eſſe ſacerdos, ipſe primus ſuum corpus conſecrauit, ipſe primus ſumpſit, ipſe primus aliis diſtribuit & communicauit, & ſe ſuis manibus dedit; tale quippe munus talem inſtitutorem, talem ſacerdotem, talémque diſtributorem exigebat; non Angelus, non Archangelus, non Cherubin, nec Seraphin tali ac tanto honore dignus erat.

PROPOSITIO VIII.

Datur nobis Euchariſtia, vt vita noſtra vita Chriſti aſsimiletur.

Leuit 7 LEuit 7. ſic Dominus ad Populum ſuum: *ſanguinem omnis animalis non ſumatis in cibum tam in auibus, quàm pecoribus.* Et pænam grauem aſſignans, ait: *Omnis anima quæ ederit ſanguinem peribit de populo ſuo.* Cur, quæſo, eſum pecudum ſanguinis prohibuit, qui eſum carnis pecudum non prohibuit? quid amplius, minusve, habet eſus ſanguinis quàm carnis? rationem idem Dominus aſſignauit Leuit. 17. vbi ait: *homo quicumque de filiis Iſraël, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, ſi venatione aut aucupio ceperit feram, vel auem quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem eius, & operiat illum terra, anima enim omnis carnis in ſanguine eſt.* Ter ibi repetit hanc rationem Dominus, ſed ſupereſt dubium, cur non comedere debent ſanguinem in quo vita animalis eſt? ſiquidem & ipſam vitam ab animali tollere licitum eſt vt eius carne veſcatur homo. Ad hoc S. Cyprian. ſer. de cæna Domini, ſic reſpondet; Oportuit ne ſanguini humano ſanguis pecudum miſceretur, ne putaretur vita hominis eo modo tranſitoria, quo vita pecudum inaneſcit. ita ille. hoc eſt, ne quis exiſtimaret eandem vitam mortalem pecudum habere hominem, ſiquidem vitam illam in ſanguine ſumere videretur. Nunc ad rem, carnem ſuam cum ſanguine ſuo nos ſumere iubet Chriſtus Dominus, vt innueret nobis mirabilem Euchariſtiæ effectum, quæ nos vita Chriſti Domini viuere facit, ſanctam ſcilicet & perfectam ad vitæ ipſius imitationem.

S. Cypria.

Ioan. 6. Vnde Ioan. 6. ait: *ſicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me, &c.*

PROPOSITIO IX.

Quanta cum puritate ſumi debeat Euchariſtia.

EXod. 16. manna in vermes conuertebatur cum non ſolùm pro præſenti die ſed etiam pro ſequenti colligebatur. Cur hoc? non enim ex natura ipſius manna procedebat, quando enim in diem ſequentem Sabbati reſeruabatur, non ſic vermibus ſcaturiebat. S. Ambroſ. ſerm. 3 Beatam Mariam manna dixerim, quæ velut manna cælitus veniens cibum dulciorem melle defluxit, quem qui manducare neglexerit, vitam in ſemetipſo habere non poterit, ſicut ipſe Dominus ait, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*; at cibus ipſe in iudicium conuertetur, ſicut Apoſt dicit, *qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat*: Manna enim & illis contra diuina præcepta tractantibus vermes effectum eſt, id eſt iudices & vltores ita S. Ambr. Ecce cur manna in vermes cõuertebatur in diem futurum aſſeruatum, quia contra diuinum præceptum id faciebant; vnde non ita, quando in diem Sabbati ſequentem colligebatur, quia hoc licitum erat. Qui ergo contra Dei præceptum & honorem cibum hunc ſumit, iudicium ſibi ſumit, & vermem inde inueniet, qui ſpeciatim in inferno ſine conſumptione conſumat morſibus conſcientiæ ob ſacrilegium adeo graue. Exod 16. S. Ambr.

Exod. 12. præcepit Dominus vt cum filij Iſraël ederent agnum paſchalem, comederent illum cum lactucis agreſtibus. Cur potius agreſtes erant quàm ſuaues? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 2. lactucæ agreſtes inquit, comedebantur in ſignum pænitentiæ peccatorum, quæ neceſſaria eſt ſumentibus corpus Chriſti. ita ille. Quia igitur peccata ſaltem venialia nunquam deſunt, oportet accedentem ad Euchariſtiam propterea dolere & pænitentiam aliquam agere: ſic enim Euchariſtiæ fructus copioſior erit. Exod. 12. S. Thom.

PROPOSITIO X.

Amore ad communionem accede.

DE ſumptione agni paſchalis agens Dominus Exod. 12. dixit: *Edent carnes agni aſſas igni.* Cur ſpeciatim voluit Dominus aſſas eſſe carnes illas potiùs quàm coctas aut alio modo præparatas? S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 1. ad 2. aſſæ quidem erant ad ſignificandum paſſionem ſeu charitatem Chriſti. ita ille. vtramque explicationem hîc approbat S. Thom. vtrumque enim aptè ſignificat. Cum ergo Chriſtus amore ardens ſe nobis in Euchariſtia in cibum præbeat, nos ſimiliter amore ardentes ad illam accedere debemus, non tepida quadam conſuetudine, vel arido corde; nec enim ſine magno amore accipiendum eſt, quod cum magno amore donatur. Sunt verò aliqui qui timentes accedunt, ſe indignos tanto cibo exiſtimantes: humilitatem & ſanctum eorum timorem laudo, multo verò magis amorem eorum qui amantes accedunt. Vbi in huius rei confirmationem aduerte, quòd ibidem ſimul præcipiat Deus Exod. 12. S. Thom.

ſumere

sumere agnum paschalem renibus accinctis, *renes*, inquit, *vestros accingetis*; omnia hæc in figura communicantium corpus Christi dicebantur, vti S.Thom. vbi suprà obseruat. Cur igitur aut quomodo Christi Domini corpus accinctis renibus sumendum est? etenim qui cingit se, vestes defluentes constringit; sic qui communicare vult, curas & cogitationes constringere tunc debet; hæc enim animum nostrum diuertunt, & intellectum occupant: intellectu autem sic impedito, quomodo potest voluntas (quæ semper ex intellectione pendet) actuali Dei amori vacare?

Propositio XI.

Quàm excellens res sit communicare.

Ioan. 13. IOan. 13. cœna facta surrexit Christus ex mensa, & antequam discipulis corpus suum daret in cibum, cæpit lauare pedes eorum. Cur ita? & non antequam inciperet cœnam, cum mos antiquorum esset in conuiuiis lauare pedes conuiuarum? laudo commune responsum, ideo ante sumptionem Eucharistiæ lauasse pedes communicantium, vt puritatem cordis communicantibus commendaret; ideo enim clamat Apostolus, *probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, &c. Quare extremam hominis partem lauit? vt extremam & possibilem munditiem animi suaderet. bene hoc: sed tamen altiorem fuisse credo Saluatoris mentem. Eximium quidem opus fuit humilitatis pedum discipulorum lotio hæc, qua minimè vsus fuit Christus ante cœnam anteriorem, sed ante communionem; quia tanta est excellentia & celsitudo communionis, vt magnam in communicantibus exigat humilitatem, & vt à superbia liberetur communicans, ad tam excelsam eleuatus dignitatem: si enim Princeps ille Aman ad mensam Regis Assueri inuitatus, ita se ob id exaltatum iudicauit vt diceret glorianter Ester. Ester. cap. 5. *Regina Ester nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum*. Quod si cibos communes pransurus in Regia mensa non alia ratione quàm quia in mensa Regia, ita superbè gloriabatur, quid ni dicamus magnum subire periculum eum qui ad Dei mensam sedens Deum ipsum in cibum sumit? periculum, inquam superbiæ magnæ? Propterea quidem Christus Eucharistiam sumpturus opus illud mirabilis humilitatis exercuit, non quia ipse ad sui communionem tali egeret humilitate, sed vt exemplum daret communicantibus, & quasi diceret, *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci & vos faciatis*: & insuper lauit pedes communicaturis, vt eos humiliaret & confunderet, tantam videntes in filio Dei humilitatem, vt humilitate illa dispositi ad communionem essent. Et hæc est absolutionis huius specialis ratio.

Vnde Sacerdotes cum in sacrificio Missæ Eucharistiam sumere volunt ex ordinatione Ecclesiæ, dicant non semel nec bis tantum, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*, &c. adeò enim sublime & excelsum est ad commonionem corporis Christi admitti, vt si communicans illud comprehenderet mente, magnum magnæ superbiæ periculum subiret.

Propositio XII.

Quanta cum deuotione communicandum sit.

S. Nilus monachus & discipulus S. Ioan. Chrysost. Epist. ad Anasta, Episc. de S. Chrysost. ad illum nonnulla scribens ait: sæpe Chrysostomus vidit in Ecclesia Angelos, sed maximè tempore sacrificij missæ, itaque admiratione & lætitia plenus, amicis multum spiritualibus seorsum narrabat, quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi Angeli à cœlo delapsi splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intenti, vultu demisso, circunstantes altare magna reuerentia & quiete ac silentio vsque ad mysterij consummationem assistunt; deinde discurrentes huc atque illuc, per totam Ecclesiam Episcopos & Presbyteros, qui corpus Domini distribuunt, adiuuant & corroborant. Et subdit: hæc scribo, vt intelligentes quanti tremoris sit diuina missa, nec ipsi remissi timorem Dei negligatis, nec vllos alios loqui aut mussitare tempore oblationis, aut ab statu grauitatis dimoueri, neque huc atque illuc circumspicere aut ignauè dispersèque vagari permittatis. ita Nilus. S. Nilus.

Ante communionem optima quidem præparatio est, die scilicet antecedente, à sæcularibus conuersationibus abstinere, cubiculum proprium intrare, & clauso ostio orationi vacare. Sunt enim nonnulli ita loquaces & conuersationi dediti, vt silere nunquam ament. Hoc magnum impedimentum est deuotioni ad communionem requisitæ. S. August. de aquila sic scribit: Dicitur de aquila S. Aug cum senectute pressa fuerit immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse, tunc dicitur collidere & percutere ad petram labrum immoderatum, & sic caret impedimento illo edendi, & accedit ad cibum & reparatur. ita ille. Sic qui labiorum immoderatione laborat (*la persona que ves ensi sermuy picuda y amiga de entretenimiento*) tollat immoderationem hanc labiorum, & conuersationis humanæ, & sic melius ad recipiendam virtutem Eucharistiæ qua reparetur accedit.

Propositio XIII.

Quanta sit Eucharistiæ dulcedo.

OSeæ 14. agens de Christi Ecclesia, *erit odor eius vt libani, viuent frumento*. Locum hunc Ose. 14. de Eucharistiæ sacramento interpretatur S. Cyrillus Alex. in comm. super Ose. viuent, inquit, frumento Eucharistiæ, *sustentaran la vida con el triga, con el sanctissimo sacramento*. Ita, quia vitam gratiæ conseruat in nobis Eucharistia. Vnde licet nullum alium fructum ex sanctissimo sacramento percipere possemus, nisi hoc, accedere frequenter ad eum auiditate magna deberemus. Septuaginta verò legunt, *roborabuntur frumento*, ecce alium huius diuinæ arboris vitæ fructum; robur maximum præbet cordi, ad superandas tentationes, ad vincendas passiones, & occasiones peccatorum, & omnes difficultates, quæ in viis virtutis & perfectionis interuenire solent. Roborabuntur ergo, ait, frumento. S. Hieron. ait, quia secundùm Septuaginta sic loquendum est, *inebriabuntur frumento*: quo modo, inquies, S Cyrill.

quies, fieri poteſt vt frumento quis inebrietur? Vino quidem inebriari quis poteſt, at frumento quonam pacto? difficultas hæc oſtendit clarè ad ſpiritum eſſe in hoc loco recurrendum: inebriantur quidem fideles hoc cœleſti frumento, quia tantam aliquando conſolationem preſtet ſpiritualem, vt extaſim faciat, & ſicut ebrius corporalis ſenſuum vſum tollit, ſic etiam extaſis, & ideo ebrietas ſpiritualis noncupatur hîc. Et cant. 5. vbi ſic Dominus: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Quis vnquam ſapiens ad inebriandum aliquem inuitauit? Quomodo ergo Dominus ad ebrietatem inuitat? S. Gregor. Niſſen. hom. 10. de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento exponit hunc locum; inebriat animam dum à ſenſibilibus ad cœleſtia & ſublimia eleuat mentem. Quanta igitur erit conſolatio dulcedo illa, quæ ſic hominem immutat & transmutat?

PROPOSITIO XIV.

Quàm fortes nos reddat Euchariſtia.

Pſal. 22. PSal. 22. ſic Domino David: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me:* hoc eſt, paraſti mihi menſam, & ex ea ego armatus aduerſus hoſtes meos exiui. Quis vnquam menſam aduerſus hoſtes ſeruire audiuit? *vna ſala dearmas, vna armeria de todo genero de armas, bien? pero meſa?* At dices, de hoſtibus hic agitur ſpiritualibus; ſit ita. Vnde verò menſa aduerſus ſpirituales hoſtes? imò abſtinentiam, & ieiunium contra ſpirituales hoſtes prodeſſe audiuimus ſæpe, nõ verò mẽſam & cibos appoſitos mea. S. Cyprianus 63. ad Cœcilium, S. Ambr. lib. de Helia & ieiunio. Theodor. in eundem Pſ. Paſchaſius Abbas lib. de corpore & ſanguine Domini, & S. Chryſoſt. ſuper ipſum Pſ. de Euchariſtiæ ſacramento locum hunc interpretantur. Hic igitur cibus eſt qui nos fortiſſimos reddit aduerſus hoſtes animæ noſtræ. Vnde S. Chryſoſt. ibidem: Qui ſunt, inquit, qui nos tribulant? ſuggeſtiones inimici, cupiditates, delectationes, ſæculi honores: ſed cum venimus ad hanc menſam potentis, tribulationes efficiuntur conſolationes; ex menſa præparata proficimus, aduerſus eos qui tribulant nos. ita S. Chryſoſt. Experiuntur hoc qui aliquando peccatores, nunc autem iuſti ſunt; qui aliquando nequitiæ, nunc autem iuſtitiæ ſerui ſunt; qui antea ſe à vitiis continere non valere dicebant, nunc autem non minus difficile eis eſſet peccare quàm antea non peccare: ſed etiam magis vnde hoc? Ex frequenti communione, ex qua robur anima capit aduerſus eos qui tribulabant eam.

S. Cypri.

S. Chryſ.

Prouer. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem,* &c. Locum hunc de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento interpretantur authores ſacri maximè S. Cyprian. epiſt. 63. S. Aug. lib. 20. de ciuitate c. 20. S. Athanaſ. lib. de oratione contra Arrianos, Beda in c. 9. Prouerb. & alij qui domum à ſapientia ædificatam Eccleſiam Chriſtianam à Chriſto Domino, qui vera ſapientia eſt, conſtructam exponunt; columnas autem ſeptem, ſeptem ſacramenta Eccleſiæ aiunt eſſe, ſuper quas ipſa eſt firmiter ædificata. S. Anton. 1. p. t. 4. c. 1. §. 12. refert in Heraclea ciuitate Lacedæmoniæ theatrum fuiſſe tanta maieſtate conſtructum, vt inter ſeptem mirabilia mundi numerari meruerit, eratque tantæ capacitatis, vt innumeram caperet hominum multitudinem, fundatumque fuiſſe ait ſuper columnas ſeptem, quod quidem velut Eccleſiæ noſtræ ſymbolum eſſe videtur. Eſt enim Eccleſiæ tanta capacitas, vt innumeros populos amplectatur, fundataque eſt ſuper ſeptem ſacramenta quibus firmiter ſuſtinetur, maxime verò ſuper hoc Euchariſtiæ ſacramentum, hoc enim eſt inter omnia ſacramenta maximum & præcipuum. Quapropter S. Dionyſ. ſacramentum ſacramentorum illud vocat; ſicut Salomon canticum ſuum canticum canticorum nominauit, hoc eſt, inter omnia cantica ſupremum; & ſicut in Apocal. vocatur Chriſtus *Rex Regum, & Dominus Dominantium,* hoc eſt inter omnes Reges ac Dominos excellentiſſimus Dominus & Rex. Sic ſacramentum ſacramentorum, id eſt, inter omnia ſacramenta excellentiſſimum. Vnde Alexander Papa in epiſt. 1. decretalium, de conſecratione, diſt. 2. in ſacramentis, inquit, & ſacrificiis nihil eſt maius corpore & ſanguine Domini. ita ille. Et ratio eſt manifeſta, nam in aliis ſacramentis Chriſti gratia continetur, in hoc verò ſacramento Chriſtus ipſe author gratiæ & datur. Sicut igitur inter ſeptem planetas ſol medium locum tenet tanquam præcipuus. Sic inter ſeptem ſacramenta Euchariſtia in medio illorum nominatur, & conſtituitur tanquam omnium maximè ſublime. Quare licet omnia ſacramenta munimina ſint Eccleſiæ, Euchariſtiæ ſacramentum ſuper illa omnia Eccleſiam Dei tuetur & munit. Quamobrem hoſtis noſter de medio tollere hoc diuinum ſacramentum conatur, vt Eccleſiam euertat: videt enim columnam firmam eſſe, ſuper quam Eccleſia firmatur. Sicut enim Samſon ad euertendum templum Philiſtinorum columnas euertit, ſic ad euertendam Eccleſiam Sacramentum Euchariſtiæ de medio tollere ſatagit; ſic enim regna & prouincias plurimas hæreticorum deſtruxit.

Cum autem vniuerſam Eccleſiam euertere nequeat, portæ enim inferi non præualebunt aduerſus eam, neque Sacramentum Euchariſtiæ prorſus abolere; curat maximè à ſingulis Chriſtianis illud amouere, vt protectione Euchariſtiæ ſublata, tanquam columna animæ deficiente facilius eam deturbet: Sicut etiam qui ab alimentis nimium abſtinet, facilè deiicitur, & vincitur in lucta: ſic & anima, quæ à pane hoc cœleſti abſtinet, ita debilis redditur, vt nullo ferè negotio vincatur à dæmone, lucta enim nobis cum illo eſt, dicente Apoſtolo, *non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes tenebrarum.*

In huius rei typum conuiuium illud inſtituit Chriſtus Dominus, quod S. Mat. refert. c. 15. vbi diſcipulis dixit, *miſereor ſuper turbam, quia iam triduo perſeuerant mecum, nec habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo ne deficiant in via.* S. Hieron. interpretatur hunc locum de Sacramento Euchariſtiæ, & ait: periclitatur ergo, qui ſine cœleſti pane ad optatam manſionem peruenire feſtinat. ita ille. Adducit Sanct. Hieron. exemplum Eliæ, cui 3. Reg. 19. Angelus Dei iuſſu panem illum ſubcinericium tribuit non ſemel, & dixit, *comede, grandis enim tibi reſtat via.* panis igitur hic datus eſt illi, ne deficeret in via, cuius virtute ac robore *quadraginta diebus ac noctibus ambulauit in fortitudine,* inquit, *cibi illius.* Vnde igitur tanta in pane ſubcinericio vis, ac virtus? nempè figura erat ſanctiſſimi Sacramenti, & hac ratione virtutem illam tantam Deus illi tribuit, qua ſignificaret illam quam in figurato pane nos habemus: grandis enim nobis reſtat via & difficilis valdè, per ardua pergimus

Mat. 6. S. Hier.

virtutis

virtutis & Christianæ perfectionis aduersus tartareos principes militando, carnem mortificando, mundum & quæ in eo sunt calcando, opes, honores, delitiásque: magnis ad hoc viribus indigemus, has Eucharistia præstat, & ob hanc causam & panis dicitur à Christo sæpe Ioan. 6. & sub speciebus panis nobis confertur; quia panis proprium est cor hominis confirmare, secundum illud Psal. 103. *panis cor hominis confirmet*; quod quidem de materiali pane dictum verum est. Et similiter de hoc cælesti pane loquutum S. Hieron. hinc fuisse Prophetam, asserit S. Hieron. in hunc locum dicens: *Panis cor hominis* (inquit) *confirmet*, panis enim ille in se corda nostra confirmat, qui descendit de cælo. ita S. Hieron. Idem sentit Cassiod. Hugo. Cassiodorus & Hugo Cardinalis, qui amplius explicans locum ait; nam confirmat homines ad malum vitandum, & ad bonum faciendum. ita ille. Et eadem ratione se Dominus sub speciebus vini consecratum dedit, quia vinum militibus animos ad fortiter pugnandum addit. Vnde si videris in te robur magnum ad superandas virtutum difficultates, & dæmonum tentationes, & peccatorum occasiones, gratias age corpori & sanguini Christi Domini, quia corpus sanctissimi Sacramenti operatur in te; si verò frequenter ad eum non accesseris & in peccata incideris, non mireris, quia oblitus es comedere panem tuum, atque adeo debilior factus facile cadis.

Psal. 22. Hinc etiam David Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me*; quomodo mensa est aduersus tribulantes? mensa ad cibum potúmque sumendum paratur, non ad aduersandum seu pugnandum. Videamus igitur primùm, qui sint isti aduersarij, ac tribulantes. S. Hieron. S. Hieron. dæmones & infideles esse ait, qui à fide & gratia fideles auertere conantur; aduersus hos hanc cælestem mensam parat nobis Deus, sic enim interpretatur Cassiodor. & Hugo Card. dicens: Mensa ista est beata communicatio sancti Sacramenti Eucharistiæ, in quo est epulatio fælix. ita ille. Etenim mensa hæc quæ pro nobis est aduersus infideles est, quia martyres ex hac mensa tanquam leones aduersus Reges & Præsides tyrannos, qui à fide eos remouere tormentis volebant, parata fuit à Christo Domino: sic enim quæcumque dira tormenta ferentes, victores euadebant, & nos tempore pacis aduersus dæmones fortiter dimicamus & vincimus. Rectè igitur fidelis dicat, *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.*

Prou. 9. Nec minus ad rem facit quod Prouerb. 9. ait Salomon: *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Sapientiæ nomine intelligi Christum Dominum in sacris literis, nec nouum nec mirum est, cum sit sapientia ipsa Patris; domum quam sibi ædificauit, sacri expositores Ecclesiam Catholicam esse meritò affirmant; posuisse mensam panis & cibi cœlestis etiam constat, quænam enim alia propriùs mensa dici in Ecclesia potest? Sed quid est quod ancillæ, siue, vt alij transferunt, famuli, ad conuiuium homines vocantes, ad arcem & ad mœnia vocant? quid cum mensa murus? Non displicet quidem nonnullorum explicatio, qui aiunt in muro constructam & paratam esse hanc mensam, quia mos antiquus militum fuit ante belli congressum super muros vel in arce cibum sumere, vt hilariùs & fortiùs hostes inuaderent, vel fugarent; & quia panis iste militum Christianorum est, ideo ad mœnia vocabat sapientia, & simul ad mensam. Sed tamen alia est huius vocationis ad mœnia ratio, nec minus ad rem; murus Ecclesiæ vocatur Christus Dominus ab Isai c. 26. Isa. 26. *Vrbs*, inquit, *fortitudinis nostræ Sion, Saluator noster ponetur in ea murus & antemurale*, vocat hic vrbem Sion Ecclesiam, vti exponit glossa ordinaria, *in ea*, inquit, *ponetur Christus murus & antemurale.* Sicut enim murus ciuitatem protegit, ne ab inimicis capiatur, & ictus suffert obsidentium, salua manente ciuitate: sic Saluator Ecclesiam suam defendit, & ictus, & vulnera, & mortem ob defensionem Ecclesiæ tolerauit. Ecce igitur murum & antemurale, seu mœnia ad quæ Sapientia vocat, per ancillas siue seruos suos; ad mensam, & muros vocat, quia in hac cælesti Eucharistiæ mensa, illum sumimus, qui est murus defensionis nostræ; qui enim Christum in Eucharistia sumunt, murum sibi circundant, quo ab hostibus animæ protegantur. Christus enim ita sumptus, sumentes seruat & defendit, non verò ita qui abstinens ab eo, &c.

Exod 26. Exod. 26. iussit Deus Moysi ponere in parte aquilonari mensam, in qua panes propositionis ponebantur, & coram ea candelabrum lucis. Scitum est panem illum figuram sanctissimi sacramenti extitisse. Cur igitur candelabrum coram illa mensa & panem ad aquilonem constitui iussit? Etenim candelabrum lucis rectè coram hoc cælesti pane constituitur; tot enim mysteria & sacramenta in eo continentur, vt magna luce opus sit ad ea percipienda. Ita autem extra velum tabernaculi iussit Deus apponere hoc candelabrum, vt non sub velo remanerent eximia bona nostra, quæ in eo continebantur, sed quæ à nobis manifestarentur; ad partem autem aquilonis constituitur panis, cum pars aquilonaris sit pars sinistra mundi, vti adnotauit S. Thom. 1.2. q. 102. art. 4. ad. 6. S. Thom. Nonne conuenientius apponeretur cælestis hic panis in latere dextro, cum latus dextrum fælicitatem importet? Vnde dicere solemus, *Dios os de buena manderecha*; donum dexteræ Dei fuit beneficium Eucharistiæ. Cur ergo in sinistra collocatur? nimirum, sicut natura nostra cor nostrum ad sinistrum declinauit, quia debilior pars est illa hominis, vt ei opem ferret; sic gratia Dei panem hunc qui cor hominis valde confirmat; in sinistra parte collocauit, vt manifestum nobis esset ad hoc nobis à Deo dari, vt in aduersis quæ per sinistram significantur, nobis auxilium & robur ferat. Cum igitur tribulationibus circumdati simus, ad panem hunc frequenter pergamus.

PROPOSITIO XV.

Eucharistia dat gratiam secundùm dispositionem communicantis.

QVamuis ex opere operato gratiam conferat Eucharistia, cum etiam eam tribuat Deus communicanti ex opere operantis, dispositionem attendit accedentis ad eam, & pro mensura rectæ Simile. dispositionis seu præparationis confert gratiam: sicut enim agentia naturalia agunt in agente disposito, & tanto magis ac meliùs quanto magis ac meliùs dispositum est passum; sic etiam Deus in collatione gratiæ tãto magis ac meliùs gratiã confert, quãto fuerit magis ac meliùs depositus homo.

4. Reg. 4. iussit Eliseus viduæ pauperi vt adduceret

duceret

duceret vaſa non pauca mutuata à vicinis, & ex vaſe in quo parum olei habebat, infunderet in illa vacua vaſa; fecit, & miniſtrantibus filiis vaſa, miraculosè multiplicabatur oleum, & implebantur omnia vaſa: ſed cum deficeret vacuum vas in quo reciperetur oleum, ſtetit ipſum oleū. Oleum in diuinis litteris miſericordiæ ſymbolum eſt, ſicut ait Orig. ſuper Leuit. hom. 5. & 10. & S Chryſoſt. ſuper c. 12. Ioannis. Fons ergo diuinæ bonitatis oleum miſericordiæ emanat pro menſura vaſorum, hoc eſt, diſpoſitionum noſtrarum, & ceſſat huiuſmodi oleum ceſſante diſpoſitione noſtra.

Malac. 4. Et ob eandem cauſam Deus dicitur in ſacris litteris ſol iuſtitiæ, vt patet Malachiæ 4. vbi ſic de Chriſto Domino, *orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ*, id eſt Chriſtus. Cur igitur vocat eum *ſolem iuſtitiæ*? Iuſtitia (ſicuti ait Iuſtinianus in principio inſtitutæ) eſt conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens, hoc eſt, vnicuique tribuit iuſtitia id, quod ei debetur. Ideo ergo dicitur ibi Dominus ſol iuſtitiæ, quia agitur de ſecundo aduentu eius, in quo iudex conſtitutus à Patre, vnicuiqua pro meritis gloriam & pro demeritis pœnas decernet. Sic igitur Deus hunc iuſtitiæ diſtributiuæ modum ſeruat. Sicut enim ſol iſte corporeus, ſecundùm menſuram feneſtrarum lucem ſuam communicat; ſic ſol noſter iuſtitiæ ſecundùm menſuram capacitatis, & diſpoſitionis noſtræ gratiam ſuam communicat nobis; ergo in communione corporis ſui pro menſura noſtræ diſpoſitionis tribuet gratiam nobis. Quare ſi paupercula mulier maiori cum deuotione, amore & feruore acceſſerit quàm Sacerdos, & Pontifex, (ex opere inquam operantis loquēdo) maiorem quàm Sacerdos & Pontifex gratiam accipiet.

PROPOSITIO XVI.

Euchariſtia intellectum illuminat.

INter beneficia Dei meritò numeratur lux illa ſpiritualis, qua Deus animas illuſtrare ſolet, ea enim altiori quodam modo anima veritatem intuetur, & iudicat de rebus diuinis: quod ipſa experientia manifeſtum eſt. Videmus enim ſæpe de Deo & de ſalute animæ excellentiùs ſentire hominem idiotam, & illiteratum, quàm Theologum magnum & magiſtrum, vti nobis ſignificatum eſt in Balaam, & aſina eius, cum vtrique Angelus

Num. 22. euaginato occurrit gladio, Num. 22. *Et cernens*, inquit, *aſina Angelum in via euaginato gladio auertit ſe de itinere, Balaam autem verberabat eam & ad ſemitam reducebat, quia aſina gladium videbat Dei, non verò Balaam.* Mirum hoc quod aſina gladium videret, & propheta illum non videret. Ita, quia Deus aſinæ oculos aperuit ad videndum gladium, non verò Prophetæ. Etenim mirabile hoc ſæpe ſæpius contingit, nam litterati & magiſtri, & eius qui ſe Prophetam iactat, non dignatur Deus aperire oculos ad videndum gladium, verbi gratia, diuinæ iuſtitiæ; ſicut aperit oculos hominis ſimplicis & tardioris ingenij & illiterati, qui propterea dum agitur de iudicio, timet, horret, tremit: vidit enim gladium diuini iudicij.

Hinc oritur lamentatio illa damnatorum dicentium in inferno, *errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis*, Sap. 5. Pondera verba illa; *iuſtitiæ lumen*; quodnam eſt hoc iuſtitiæ lumen? Lumen quidem ſolis nouimus, & lumen lunæ ac ſtellarum: at lumen iuſtitiæ quid eſt, quod ortum nobis confitentur? Iuſtitia ſecundùm iuris peritos eſt virtus ius ſuum vnicuique tribuens: lumen ergo iuſtitię erit illud, quod ius ſuum vnicuique tribuit, dum ſcilicet in intellectu, vbi hoc lumen verſatur, oſtendit quantum vnaquæque res ſit ac valeat; ita vt pluris æſtimemus id quod pluris æſtimādum eſt, & minoris pretij apud nos ſit, quod minoris valoris eſt in ſe; quo videlicet lumine, is qui eo præditus eſt, cæleſtia terrenis anteponit, & quo qui caret è conuerſo terrena cœleſtibus præfert. Hoc igitur lumine caruerunt reprobi illi, atque ideo damnati ſunt; & hoc habuerunt ſancti, qui bene operantes ſalui facti ſunt. Hæc lux intellectualis non diſcitur in ſcholis, ſed datur à Deo; donum Dei eſt & eximium, quia ad æternam ſalutem valde conducens eſt, quam ideo enixè à Deo Pſalmiſta poſtulabat, dicens Pſal. 42. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Quo fructu? *Ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua*, hoc eſt, ſecundùm S. Hieronymum, in montem ſanctum tuum, id eſt in Eccleſiam per fidem; & in tabernacula tua, id eſt in cœleſtem patriam. Ecce quantum ſit huius diuinæ lucis emolumentum.

Hanc igitur lucem communicat Deus communicantibus rectè, ideo quippe vocatur Eccleſiaſti- Eccl. 15.
ci 15. *panis vitæ & intellectus*: myſtico enim ſenſu de Euchariſtia locum hunc interpretatur Ianſe- Ianſenius.
nius: dicitur enim *panis vitæ*, ſicut ſæpe à Chriſto Domino ſic nominatur Ioan. 6. quia vitam gra- Ioan. 6.
tiæ conſeruat & auget, & ad vitam ducit ſempiternam: & ſimiliter dicitur *panis intellectus*; tum quia intellectualiter & non ſolùm corporaliter debet ſumi, ita ſcilicet, vt intellectu rectè percipiamus qualis ac quantus ſit panis iſte, & quanta reuerentia & animæ puritate ſumi debeat; tum etiam, quia illuminat mentes rectè ſumentium, illo ſcilicet lumine iuſtitiæ, vti dictum eſt.

Quod oſtendere voluit Dominus Luc. 24. in il- Luc. 24.
lis duobus diſcipulis euntibus in Emaus, quorum oculi aperti fuerunt in fractione panis. Fractionem hanc panis Euchariſtiam fuiſſe teſtantur S. Hieronym. in Epitaphio Paulæ, & S. Auguſt. lib. 3. de conſenſu Euang. c. 25. & S. Chryſoſt. hom. 9. ex variis locis Matthæi, Theophylactus in eo loco, Beda, & alij.

Tunc igitur in fractione panis huius, aperti ſunt oculi eorum, non quidem ſolùm corporis, ſed animæ, vt non ſolùm Chriſtum viderent ſed agnoſcerent; quo nobis ſignificaret Dominus, quomodo in ſumptione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ aperiatur intelligentia noſtra ad diuina rectiùs intelligenda. Vnde non mirum, quod circa diuina altiorem cognitionem habeat idiota ſimplex, quàm non ita communicans litteratus.

Si vis igitur facilè fieri ſapiens, & hoc
intellectus donum à Domino ob-
tinere, frequenter & deuotè
ad ſacram ſumendam
Euchariſtiam
accede.
):(

PROPOSITIO

Propositio XVII.

Quàm gloriosa fuerit Deo institutio Eucharistiæ.

Exod. 16. EXod. 16. 5. opprimebatur fame populus Israël in deserto, cui Moyses: *Mane videbitis gloriam Dei.* Vbi dedisse Deum populo cibum illum (manna ille erat) gloriam Dei vocat. Cur ita? Cur non prouidentiam seu misericordiam, aut liberalitatem dicit sed gloriam? Tertullian. lib. contra Physi. ponderans hoc dicit: Dum famelicis tribuit cibum, & de cælo epulas mittit, gloriam suam Dominus appellat, qui gloriosè magnificatus dicitur in suorum salute ac libertate. ita ille. (Tertul.) Quod si dedisse manna ob vitam & salutem corporalem populi Israël gloriam suam reputat Deus, quanto magis gloriosum illi erit se ipsum in cibum nobis tribuisse? & similiter quanto amplius nos gloriari oportet in cibo isto diuinissimo, quàm illos in suo manna?

Propositio XVIII.

Vitam & vires animi sustentat Eucharistia.

Ioan. 6. CAro mea verè est cibus. Ioan. 6. Medicorum sententia est, corpora nostra tandiu ali, quandiu viuunt; hoc est corpora nostra dum viuunt, egent alimento, quo deficiente deficiat vita opus est. Sicut igitur vita nostra corporalis & naturalis corporali & naturali eget alimento; sic etiam vita nostra spiritualis & supernaturalis, supernaturali & spirituali indiget alimento. Tale igitur & præcipuum est sanctissimum Sacramentum. *Caro,* inquit, *mea verè est cibus,* non quidem corporalis, quamuis ipsa caro Christi corporalis sit; sed spiritualis, quo vita spiritualis gratiæ alitur, crescit, & conseruatur cum magno meritorum incremento.

Exemplum.

1. *Exemplum bonum quàm vtile sit proximo.*
2. *Quàm efficax sit exemplum parentum ad bonum & ad malum filiorum.*
3. *Quàm efficax sit malum exemplum ad peruersionem proximorum.*

Propositio I.

Exemplum bonum quàm vtile sit proximo.

Genes. 12. GEnes. 12. *Facta est fames in terra, descenditque Abraham in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi; prævaluerat enim fames in terra.* Cum Abraham charissimus Dei esset, cur tempore famis non ei alimenta prouidit? ita vt illi necesse minimè fuisset descendere in Ægyptum, terram iniquam, in quam ingredi timuit Abraham, vti ex hoc ipso capite constat. Etenim postea cum fames iterum oriretur, non permisit Deus Isaac filium eius in Ægyptum proficisci, & in remedium famis ita illi prouidit, vt ex agro quodam centuplum quam seminauerat colligeret. *Seuit (inquit) Isaac, & inuenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus.* Hac igitur ratione non oportuit eum descendere in Ægyptum. Cur ergo eadem prouidentia non prouidit Abrahæ, sed illum in Ægyptum voluit proficisci? Theodor. sic respondet q. 76. in Genesim: Etenim permisit Deus Abraham ingredi in Ægyptum; non quod eum alere non posset, sed vt Ægyptiis patefaceret viri pietatem & religionem, & illos ad imitandam virtutem Patriarchæ prouocaret. ita ille. (Theod.) Adeo quidem potens est exemplum bonorum, vt vel vnius sancti conuersatio toti proficeret regno.

Iob 3. Iob. 3. de his qui thesauros olim quærebant, ait: *Gaudent vehementer, cum inuenerint sepulchrum.* Quale gaudium esse potest inuentio sepulchri, & maximè his qui aurum & argentum amant & quærunt? In sepulchro quidem omnia sunt horrore plena; ibi enim quid amplius inuenies quàm fætorem, vermes & putridas carnes proximorum & sicca ossa? Respondet S. Greg. (S Greg.) Antiqui suos mortuos cum diuitiis obruebant. Qui igitur thesaurum quærebat, cum sepolchrum inueniebat, gaudebat. ita S. Gregor. qui moribus hunc locum accommodans ait; sic cum exempla sanctorum præcedentium perscrutamur, quasi ex sepulchro eorum sumimus gaudium. ita ille. Iam diu in sepulchris suis iacent sancti, sed quotidie ex eorum sepulchris sumimus thesauros. cum eorum exempla consideramus; cum sancti Francisci paupertatem meditamur, diuitiarum mundi contemptum eruimus.

Isa. 40. Isai. 40. & Io. 1. *Ego vox clamantis in deserto,* &c. Cur Ioannes Baptista vox appellatur? Cur non dixit, interrogantibus quisnam esset, ego sum Ioannis filius Zachariæ, sed *vox,* &c. Respondet Beda (Beda) in c. 1. Mat. constat Christum verbum esse Dei Patris, dicente Ioanne. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,* &c. Aduentum itaque præcurrens Christi Ioannes vox dicitur, quia per eius ministerium Patris diuini verbum auditum fuit, & ex ipsa nostra locutione cognoscimus, quia prius vox sonat, vt verbum postmodum valeat audiri. Ita Beda. Tanta ergo dignitas fuit Baptistæ esse Christi præcursorem, vt inde magnum hoc nomen illi præcipue tributum fuerit, & propterea tot antea seculis fuerit à magno Propheta Isaia prophetatum.

Est autem & alia ratio moralis: vox enim dictus est Ioannes, quia à planta pedis vsque ad verticem capitis velut quædam vox sonora clamabat contra peruersos mundi mores; ieiunio suo magno clamabat abstinentiam contra gulæ deditos; veste illa cilicina clamabat aduersùs indutos veste peregrina; antro suo exiguo clamabat aduersùs sumptuosos ædificatores; paupertate sua clamabat aduersùs auaros; humilitate sua aduersùs superbos & denique pænitentia sua aduersus delitiosos, voluptuosos, &c.

Gen. 17. Gen. 17. sic Dominus ad Abraham, *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Hîc pro magno reputat Deus multiplicationem gentium, ex genere Abraham. Cur ita? cum ex aliis nationibus etiã barbaris huiusmodi multiplicationẽ esse videamus? Procop. (Procop.) sic respondet, quod multiplicãs multos faciat homines Deus minime mirandũ est; nã aliæ gentes præter Hebræos populosæ extitere;

extitere, verùm Abrahamos sic multiplicatur, quasi plurimi fuerint Abrahami: nam ex eo plurimi prodiere sancti imitatores fidei, & operũ Abrahæ. ita Procopius. In hoc igitur beneficium multiplicationis hominum consistit, quòd multi ex eis sancti futuri sint, qui reliquis in exemplum sanctitatis essent; ideo ait Dominus, *multiplicabo te*, non ait, solum multiplicabo genus tuum, sed *te*, vt scilicet per imitationem tui sint quamplurimi Abrahami.

Gen. 19. Genes. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere sedente Loth in foribus ciuitatis, qui cum vidisset eos surrexit, & iuit obuiam eis, & adorauit pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, lauate pedes vestros*, &c. Lege cap. 18. Genesis, & videbis eisdem ferè verbis & ministeriis inuitasse Abraham peregrinos. Et quidem mirum est Loth, qui inter pessimos Sodomitas degebat, eandem hospitalitatem exercuisse, quam exhibuit S. Patriarcha Abraham. Causam autem assignauit ibi

Lyranus. Lyranus, dicens: Quia Loth in domo Abraham didicerat hospitalitatem, & ideo circa vesperam venerat ad portam ciuitatis, vt videret si venirent peregrini, & eos duceret in domum suam. ita ille. Abraham quidem sedebat in ostio tabernaculi sui expectans peregrinos, similiter etiam Loth in porta ciuitatis expectabat peregrinos; Abraham adorauit peregrinos in terra, Loth quoque adorauit eos pronus in terram; Abraham obsecrans eos inuitauit, & Loth etiam; Abraham inuitauit eos ad prandium, & ad lotionem pedum, & Loth eodem modo. Ecce quomodo Loth imitatus est Abraham, & hinc colliges quàm potens sit exemplum bonum apud eos qui bonæ indolis sunt, siquidem nec malitia tanta Sodomorum præualere potuit in corde Loth, quominus etiam apud illos exemplum Abrahæ

Abulensis. sequeretur. Idem ait Abul. in c. 19. Genes.

S. Chrys. S. Chrysost. hom. 8. in Genes. Non tam prodesunt verba bona quàm nocebunt opera mala. Vnde Christus Dominus, *Beatus qui fecerit & docuerit*. Vide quod opus præposuit doctrinæ, atque adeo præcedente opere etiam si non sequatur doctrina, sufficiunt opera ipsa magis quàm vox vlla ad docendum eos qui nos respiciunt. ita S. Chrysost.

S. Leo. S. Leo Papa serm. 3. Epiphaniæ agens de stella illa quæ Magos ad præsepe Domini duxit, ei comparat eos qui bonis exemplis lucent: & subdit: Quicumque in Ecclesia piè viuit & castè, qui ea quæ sursum sunt, sapit, non quæ super terram, cælestis quodammodo instar est luminis; & dum ipse sanctæ vitæ nitorem seruat, moltis viam ad Dominum quasi stella demonstrat. ita S. Leo.

PROPOSITIO II.

Quàm efficax sit exemplum parentum ad bonum & ad malum filiorum.

ad Rom. 11. Theod. *SI delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami.* Vbi Theod. necesse est fermentum massam, & radici ramos assimilari, sic parentibus filij. ita ille. Vnde sicut fermento

Simile. corrupto corrumpitur massa, & vitiata radice vitiantur & rami; sic vitiatis parentibus, mirum valde si non vitiantur & filij, quia parentes radices sunt filiorum, & filij rami parentum sunt.

S. Petrus Chrysol. Vnde S. Petrus Chrysol. ser. 111. Parentis vitium est filiorum exitium, numquid non in semine arbor tota? vitium ergo seminis vitium est arboris totius. ita ille.

Prophetabat olim Saül inter Prophetas & admirans exclamauit populus dicens, *quenam res accidit filio Cis? & quis pater eorum?* seu vt habet textus Græcus, *quis pater eius?* ac si diceret, si pater eius nunquam prophetauit, nec ad tantam dignitatem merita eius perduxerunt, quomodò vel vnde tantum meritum filij vt prophetet? tanta quidem est similitudo meritorum, & morum inter parentes & filios. 1. Reg. 10.

1. Reg. 17. videns Rex Saül Dauidem iuuenem cum gigante Philistæo congredientem & vincentem & gloriosè triumphantem, animi fortitudinem & nobilitatem admiratus, dixit ad Abner, *de qua stirpe descendit hic adolescens?* & rursus ad Abner, *interroga tu cuius filius sit ille puer*; & tandem ad ipsum Dauidem, *de qua progenie es ô adolescens?* cur tam sollicitus inquisitor generis Dauid fuit Rex Saul? nimirum, quia tam ingentem virtutem & animi celsitudinem non tam à natura, quàm à generositate parentũ habuisse existimauit. 1. Reg. 17.

Gen. 22. dubitari solet quænam fuerit excelsior obedientia Abraham, an Isaac, cum iubente Deo Pater filium iugulare voluit; sacra autem scriptura sic patris obedientiam præfert, vt nec filij obedientiæ vllam fecerit mentionem. Cur ita? omnirum, quia filij obedientia, & patientia educationi patris tribuenda erat, & propterea quidquid laudabile in moribus filij elucebat, à patre procedebat, & quia à tali patre talem processisse filium non miruio esset. Gen. 22.

Iudic. 13. decreuerat Deus Samsonem à vino abstinere omnino, sed prius matri eius imperauit talem seruare abstinentiam; quare inquies? Respondet Montanus, quia (inquit) plerumque efficitur vt matrum affectiones filij iam infantes imitentur & sequantur. ita ille. Iudic. 13.

Iosue. 7. peccauit Achan contra præceptum Dei iubentis nullum Israëlitem quidquam sumere ex rebus iericho, & tamen, sicut notauit Lyra, non solum punitur morte ipsum Achan, sed & filios eius. Alij ex Hebræis aiunt, non constare ex littera sacra filios periisse, sed solum Patrem, adduxisse verò Iosue filios Achan in locum vbi pater puniendus erat: quomodocumque sit, hoc quidem manifestum est voluisse Iosue filios Achan adesse morti patris, vt inde addiscerent omnes filij mores iniquos patrum non imitari. Iosue 7.

Hinc est quod sacra narrat historia Numerorum c. 16. & 26. peccasse Core rebellando contra Moysem & Deum; perinde enim est contra Prælatum ac contra Deum rebellare, quapropter terræ Deus iussit aperire os suũ & Core in tabernaculo suo existentem deglutiri, filiis saluis remanentibus. de quo sic Moyses Numerorum 26. *Factum est*, inquit, *grande miraculum vt Core pereunte filij eius non perirent*. Doctores Hebræi in eo constituunt miraculum, quod labente Core per terræ hiatum filij eius in medio aëre suspensi dimissos seruarentur. Caiet. verò in hoc miraculum constituit, quod Patre peccante & peccati pœnas luente filij non peccauerint, & ita nec pœna patris fuerint puniti, ac si mirum maxime fuerit filios peccante Patre non peccasse, mirandum est enim filios patrios mores non sequi. Num. 16. & 26. Hebræi. Caiet.

Vnde S. Chrysost. hom. 2. de patientia Iob, sanctitatem ipsius Iob admiratur; existimauit enim Iob fuisse quintum nepotem ab Esaü, de Esaü autẽ Paul. ad Hebr. 12. *Esaü*, inquit, *fuit fornicator & profanus*.

S.Chryſ. Ad Hebr. 12. *profanus.* Ait igitur S. Chryſoſt. oſtendit igitur ſcriptura radicem, quo fructum admireris. ita ille. quaſi dicat, ab Eſau progenitore vitiata erat arbor filiorum.mirum igitur valde quod ex arbore vitiata tam ſanctus & virtute præditus fructus oriretur, qualis fuit ſanctus Iob.

Propositio III.

Quàm efficax ſit malum exemplum ad perverſionem proximorum.

CVr ex ſexcentis hominum millibus qui ex Ægypto in terram promiſſionis exierūt,duo tantum, Ioſue videlicet & caleb, ad terram promiſſionis peruenerunt, & reliqui omnes in deſerto perierunt? numquid propter infirmitates corporales? Nequaquam, cum dicat Pſalmiſta Pſ. 104. *non erat in tribubus eorum infirmus.* Cur igitur? S. Chryſoſt. vt qui Palæſtinam erant occupaturi, mala quæ erant in Ægypto non vidiſſent, & vt tantæ improbitatis nullum magiſtrum haberent. ita ille. Viderant enim in Ægypto ritus magnos, & multos idololatriæ, & mores peruerſos; & quia exempla mala valde animis inhærent, ne tales magiſtri vitiorum filiis ſuis nuntiarent mores illos peſſimos Ægyptiorum, terram illam Dei cultui dicatam prohibuit eos poſſidere. Vnde hi ſolum qui in deſerto nati fuerunt, in Palæſtinam ſunt ingreſſi, quippe qui titus illos malos non viderant oculis ſuis. (S. Chryſ.)

Omnes miramur ruinam Angelorum, qui ſcilicet fieri potuit vt tertia pars Angelorum peſſet, & in dæmones conuerteretur. Cauſam aſſignat ſcriptura dicens: *Draco traxit ſecum tertiam partem ſtellarum*, id eſt, Lucifer qui ſupremus Angelus erat, cauſa fuit tantæ ruinæ. At dices quonam pacto? Numquid verbis multis Angelicis & rationibus plurimis illos ſeduxit? nequaquam, ſed peſſimo exemplo ſuperbiæ ſuæ, ad ſimilem ſuperbiam illos concitauit. ita S. Thom. 1. p. q. 63. art. 8. dicens: Peccatum primi Angeli fuit illis cauſa peccandi, non quidem cogens, ſed quaſi quadam exhortatione inducens. ita ille. quaſi quadam exhortatione inducens, hoc eſt, non exhortatione ſed malo exemplo, quod quaſi quædam exhortatio eſt, illos induxit; quod ſi illuſtriſſimos illos ſpiritus qui magna luce intellectus pollebant, ſic malum exemplum deturbauit, quid apud nos homines ignaros malum aliorum exemplum non poterit præſtare? (Apoc.) (S. Thom.)

Examen.

1. *Examen fieri debet etiam de intimis conſcientiæ.*
2. *Quod etiam opera bona examinare debeamus.*

Propositio I.

Examen fieri debet etiam de intimis conſcientiæ.

Pſal. 4. PSal. 4. ſic Dauid ad nos omnes, *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini*, hoc eſt, non ſolùm examinare verba & opera quæ per diem dixiſtis, & feciſtis, debetis priùs quàm ſomno indulgeatis, verùm intimas cogitationes; ſiquidem non ſolum verborum, & operum exteriorum reddenda eſt ratio, verùm etiam cogitationum. ita explicat S. Baſil. in ſcholiis huius Pſ. dicens: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Hoc eſt, in ea quæ per diem praua cogitaſtis conſilia, in cubilibus veſtris tempore quietis inquiſitionem inſtituite & caſtigate: & quare de verbis & operibus locutus non eſt, ſed de cogitationibus prauis? ex abundantia hoc dixit; ſi namque praua ſunt caſtiganda conſilia, multo magis propter verba & opera compungenda eſt anima. ita ille. (S. Baſil.)

Propositio II.

Quod etiam opera bona examinare debeamus.

Gen. 4. GEneſ. 4. *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti.* Quid eſt rectè offerre & non rectè diuidere? S. Gregor. 3. Mor. 10. Rectè offerimus, cum recta intentione bonum opus facimus: ſed non rectè diuidimus, ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus, & quod pie agitur etiam ſubtiliter non diſcernatur; oblata enim diuidere, eſt quælibet bona noſtra ſtudia ſollicitè diſcernendo penſare, nonnumquam enim fit reatus criminis, quod exiſtimatur cauſa virtutis. ita S. Gregor. quaſi dicat: non ſolùm quod ſecundùm ſe bonum opus eſt, ſed quod etiam piè, & cum bona intentione facimus, vel dicimus, examinare debemus; poteſt enim aliqua circunſtantia claudicare. (S. Greg.)

Probat hoc S. Gregor. amicorum Iob exemplo dicens: Penſemus cuius charitatis opus fuerit ad afflictum concorditer conueniſſe, & quanta virtus longamitatis extiterit ſeptem diebus & ſeptem noctibus cum afflicto tacuiſſe? quæ humilitas tot diebus & noctibus in terra ſediſſe? quæ compaſſio puluere capita conſperſiſſe? ſed tamen inchoantes loqui, vnde ſe æſtimauerunt præmium mercedis acquirere, inde eos contigit reatum reprehenſionis incurrere, quia incautis ſæpe ad peccati finem vertitur, etiam quod ſolo ſtudio mercedis inchoatur; ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto pretio mercati ſunt. Quanta ergo Dominus animaduerſione puniet ea, quæ malo voto perpetrantur, ſi inchoata bono ſtudio ſed negligentia indiſcretionis admixta infectione caſtigat? Vnde neceſſe eſt vt non ſolum intueamur quæ agimus, ſed etiam quanta cum diſcretione agamus. Vnde Hierem. 48. *maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Bona ergo geſta timeamus, quia ſæpe in iuſto iudicio Dei culpa deprehenditur quod virtus cenſebatur, & vnde expectatur merces, ſupplicium ſequitur. (Hier. 48.)

Gen. 1. dixit Deus: *fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Ponderat Oleaſter locum hunc, dicens; Non ſat fuit Deo lucem creare pulcherrimam, niſi quod eam poſtquam condidit examinauit. numquid Domine in opere tuo defectus aliquis eſſe poteſt, vt examine opus ſit? cum potius ad lucem reliqua opera examinentur? Exiſtimo te hoc mihi dicere velle, vt examinem, & diſcernam ego tenebras meas; ſiquidem ita tu examinas lucem tuam; quare (Gen. 1. Oleaſter.)

quantumcumque opus tuum, ô homo, putum & bonum tibi esse videatur; confer illud ad speculum diuinæ legis, vt videas & emendes ea, quæ emendatione deprehenderis digna. ita ille. Bona est eleemosyna, bona sunt ieiunia, bona omnino; sed ea examina, ne forte sint velut opera similia Pharisæorum, de quibus Christus Dominus, *omnia opera hæc faciunt, vt ab hominibus videantur*; hoc est, plena sunt superbia, & vana gloria, &c.

Fama.

1. *Quanta prouidentia Deus tueatur famam bonorum.*
2. *Peccatores quàm sint fama indigni.*
3. *Quàm conducant ad famam & ad bonum nomen boni mores.*
4. *Qualis erit vita, talis erit & fama.*

Propositio I.

Quanta prouidentia Deus tueatur famam bonorum.

CVm fama bona bonum non exiguum reputetur, magna quidem prouidentia & cura famam suorum defendit Deus. Matth. 1. Quærunt authores sacri cur voluerit Deus de matre nasci desponsata, cum ex virgine elegisset nasci.
S. Ambros. Respondet S. Ambr. lib. 2. in Lucam, ne matri (inquir) temeratæ virginitatis aduretur infamia, maluit Dominus de suo ortu quàm de matris pudore dubitari. Ita sanctus Ambrosius, altam hanc ponderationem aduerte.

At dices quid mirum? mater enim Dei erat Maria. Ita quidem, sed & famulorum suorum non dissimilem valde curam habet Deus, vti videre licet in sancto Iob, cuius bonum nomen denigrauerant tres eius amici, asserentes propter delicta euenisse illi aduersa illa grauia, ad quos
Iob. 42. ideo sic Deus Iob 42. *Iratus est furor meus, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob*: & subdit: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Vide quàm honorificè de Iob loquutus est Deus. Cur, inquies, non orationibus illorum remisit, vel promisit Deus veniam, sed
Olimpio. Iobi? Respondet Olimpiodorus, in catena Græca trium patrum super Iob: Voluit Deus vt Iob iniuriarum oblitus pro persecutoribus oraret & impetraret, vt ipsimet virtutis Iobi testes essent. ita Olimpiod.
Gen. 20. Idem dicendum de Abraham: nam Genes. 20. Rex Abimelech malam de Abraham concipere poterat opinionem, vitúmque subdulum, & mendacem censere; eo quod vxorem suam Saram sororem dixerat esse; quam ob causam eam sibi in vxorem accipere volebat, propter quod à Domino vapulauit, & insuper sic ad eum Dominus, *redde viro vxorem suam, & orabit pro te, & viues.* Dei curam vide in famam viri iusti, vti ponderat
S. Chrys. S. Chrysol. hom. 45. in Genes.

Idem patet in Moyse quando propter detractionem Aaronis fratris eius, & Annæ sororis Moysis opinionem maculabant.

Propositio II.

Peccatores quàm sint fama indigni.

LVc. 16. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso.* Cur Dominus diuitis huius nomen non dixit, pauperis verò Lazari expressit? quod præter vsum esse videmus. Luc. 16.
In mundo enim diuites & nobiles sunt viri famosi, pauperum autem nomina ab omnibus ignorantur; diuites in pretio habentur, pauperes pro nihilo reputantur, & despiciuntur, vti obseruauit Salomon Eccles. 9. num. 24. & Ecclesiastici Eccles.
cap. 13. num. 28. vbi dicitur, *diues loquutus est & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent: pauper loquutus est, & dicunt, quis est hic?* Dominus verò hic pauperem proprio nomine nominauit, diuitis vero nequaquam. cur ita? Ratio in promptu est, diues ille peccator & malus erat, pauper verò iustus & bonus; more autem Dei peccator nomen non habet, Psalm. 15. *Nec memor ero nominum illorum per labia mea*; de iustis verò quamuis Psal. 15.
pauperes sint, ait Psalm. 71. Dauid, *honorabile nomen eorum coram illo.* Perpendit hoc rectè S. Paulinus epist. 31. dicens: Eorum diuitum S. Paulin.
quorum vel crimina vel supplicia in scriptura signata sunt, nomina significata non sunt, quia sine dubio indigni erant vt diuino sermone nominarentur. Talia igitur nomina in Euangelio non scribuntur, quia nec in libro vitæ continentur: labia sua diuina iustitia pollui noluit nominibus impiorum, & idcirco diuitum illorum, de quibus Luc. 12. & 16. & Matth. 1. mentio fit, nomina non exprimuntur. ita S. Paulin. In mundo quidem nomen habet diues quamuis peccator sit, dum scilicet viuit, sed post mortem (sicut ait Dauid) *periit memoria eorum cum sonitu*; nam & ipse mundus, quos adulationibus viuentes extollit, mortuos vituperat, & contemnit, & eorum obliuiscitur in sæculum sæculi. Hæc rectè explicuit S. Vincentius Fer. 5. post Dominicam 2. quadragesimæ, similitudine ista: S. Vincent.
Falco dum viuit, honoratur multùm à domino suo, & in manu eius portatur, & diligenter seruit ei, & carnem ei præbet ad manducandum manu propria: gallina verò si modicum approximat ad comedendum micas, quæ cadunt de mensa domini, expellitur statim; sed tamen in morte è conuerso gallina ponitur in mensa domini inter duos catinos, & falco proiicitur in sterquilinium; ita in mundo diues sicut falco delitiosè & honorificè viuit, pauper verò sicut gallina, nec appropinquare audet diuitis domui; quando verò moritur pauper, anima eius deportatur coram Domino inter duos catinos; sed diues mortuus sepelitur in inferno. Et ecce cur Christus priùs nominauit pauperem quando loquebatur de alia vita. ita sanctus Vincentius. Simile.

Propo

Propositio III.

Quàm conducant ad famam & ad bonum nomen boni mores.

Gen. 17. GEnes. 17. sic Dominus ad Abraham : *nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham*, &c. Quid quæso intererat S. Hiero. Abraham vel Abram noncupari ? S. Hieron. in quæstionibus Hebraicis sic ait : Dicunt Hebræi quòd Deus ex nomine suo quod est *tetragrammaton*, addiderit litteram, h, nomini Abrahæ. ita S. Hieron. quo supposito videndum est quid inde ? multum quidem, nam Dei nomen valde ho- Psal. 8. norificum, & gloriosum est. Dauid Psalm. 8. *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*, &c. Aliquam igitur partem nominis sui tribuere Abrahæ, est gloriosum valde facere nomen eius in terra, *darle buen nombre y buena fama en el mundo* : quod magni momenti esse notum est, sibi videlicet, & aliis, & Deo gloriosum, quia hoc bonum nomen ex virtute & sanctitate proficiscitur, atque ideo idem est dicere, Abrahæ dedisse Dominum litteram vnam ex nomine suo, ac dicere velle Deum facere sanctum virum Abrahamum, quo bonum acquiret nomen ac bonam famam, vt sicut de Deo dicimus ; sanctum est nomen tuum, sic de viro sancto dicamus etiam, sanctum est nomen eius.

Propositio IV.

Qualis fuerit vita, talis erit & fama.

Matt. 16. MAtth. 16. sic ad discipulos suos Christus : *Quem dicunt homines esse filium hominis?* hoc est, qualis est fama mea apud homines ? quale nomen meum inter eos ? cui discipuli, *alij* S. Hier. *Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij verò Hieremiam aut vnum ex Prophetis.* Cur ita ? S. Hieron. Superuacaneum existimabat causas errorum inquirere singulorum, sicuti nonnulli expositorum faciunt, sed tamen inquisitio eorum nullum emolumentum habet ad rem nostram spectans. Quidam ergo dicebant de Christo Domino esse Ioannem Baptistam, quia Baptista erat prædicator veritatis, ita vt nec Principibus Matt. 3. parceret. Matth. 3. *Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira ?* Imo & Re- Mar. 6. gi ipsi dicebat Mar. 6. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Sic etiam Christus liberè arguebat peccantes, quamuis ipsi primarij & principes essent Synagogæ. Sic Matth. 12. ad illos : *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali ?* & rursus, *generatio mala, & adultera signum quærit*, &c. & Matth. 23. *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ de foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Lege c. illud. 23. Matthæi, & videbis, quàm acriter reprehendebat principes illos, & Herodem regem vulpem appellauit Lucæ 13. Hac igitur ratione eum Ioannem existimabant esse, alij autem Eliam ; quam ob causam ? quia Elias magno zelo propter peccata populi, cælum clauiit, ne plueret super terram ; sic Christus zelo honoris Dei Patris sui accensus ira contra eos qui domum Patris sui speluncam latronum faciebant, flagello è templo eiecit ; quanto verò zelo id præstaret, intelligi potest ex loco illo Psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Quem locum de zelo isto ipsi Christi Apostoli interpretati sunt, vt constat ex c. 2. Ioannis, ideò Eliam eum vocabant ; alij verò Hieremiam, quia Hieremias fleuit super Hierusalem, sic & Christus lamentabatur super Hierusalem, imo & fleuit c. 19. Lucæ. Denique vnum ex Prophetis, quia sicut Propheta eximius, prædicabat, monebat, docebat, arguebat, & miracula faciebat, & ventura prædicebat. Vides quomodo fama & nomen ex operibus procedit ? si enim opera fuerint bona, & fama ipsa bona erit ; si verò mala, mala etiam erit.

Quod si peccator apud omnes malè audit, vnicum remedium eius erit mutare mores. Vnde glossa interlinearis super caput Genes. 17. vbi Gen. 17. Glossa. Dominus mutauit nomen Abrahæ ex bono in melius, ait, *mutato affectu, mutatur & nomen.* ita glossa. muta & tu affectus cordis malos in bonos, bona opera faciens, & mutabitur nomen tuum ex malo in bonum.

Festa.

1. *In diebus festiuis rebus spiritualibus vacare debemus.*
2. *Quàm exactè obseruanda sint festa.*

Propositio I.

In diebus festiuis rebus spiritualibus vacare debemus.

GEnes. 2. *Requieuit Dominus die septimo* Gen. 2. *ab vniuerso opere quod patrarat, & benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum.* Quid est, *sanctificauit illum ?* S. Chrysost. S. Chrys. hom. 10. in Genes. Iam hinc ab initio docet nos Deus in circulo hebdomadæ diem vnum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem operationem. ita S. Chrysost. Ita igitur diem septimum Deus sanctificauit, ostendendo scilicet aliquem diem sanctum inter alios dies laboris destinandum esse, in quo & ab operibus seruilibus vacemus, & operibus spiritualibus operam demus ; si enim ad temporalem vitam pluribus diebus laborant homines ad æternam vitam promerendam, cur non libenter aliquibus diebus spiritualibus operationibus vacabimus ?

Propositio II.

Quàm exactè obseruanda sint festa.

EXod. 31. sic Dominus populo Israëlitico : Exod. 31. *Custodite sabbatum meum, sanctum enim est vobis ; qui polluerit illud, morte moriatur.* Vbi rationem assignans huius præcepti & obseruantiæ ait, *quia signum est inter vos & me in generationibus vestris, vt sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos*, Vbi Theodor. sicut enim notæ greges, Theodor. & pecora distinguunt, & declarant ; sic leges eximiæ in Hebræorum republicà, legum authorem

ſemper præſidere demonſtrant. ita ille. Eſt quidem celebratio feſtorum ſignum inter Deum & nos, quod ſcilicet ſit Deus noſter, quem venerari, & adorare debeamus, & nos ſerui eius, à quo beatitudinem ſperemus, & ad hoc feſti dies ſunt inſtituti: vbi etiam nota pœnam quam tranſgreſſoribus feſti Deus aſſignauit, mortis nêpe, quo quanti faciat feſtorum obſeruantiam declarauit.

Feruor.

1. *Feruor ſpiritualis eſt ſignum hominis in gratia exiſtentis.*
2. *Quàm gratus Deo ſit feruor ſpiritualis.*
3. *Quàm ad ſaluationem conducat feruor ſpiritualis, tepiditas è conuerſo.*
4. *Quàm meritorius ſit feruor ſpiritualis.*
5. *Quanto feruore Deo ſeruire debeamus.*

Propositio I.

Feruor ſpiritualis ſignum eſt hominis in gratia exiſtentis.

Luc. 1. LVc. 1. ſic de beata Maria poſt incarnationem, *Aſcendit*, inquit, *in montana cum feſtinatione*, Cur cum feſtinatione grauis, & tenera virgo & non per plana ſed per montana? S. Ambroſ. ibidem, quò enim iam Deo plena niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? ita S. Ambroſ. etenim tepidus nec per prata, hoc eſt per facilia ſpiritus accedere audet, feruens autem ſpiritu aſſumit pennas vt Aquilæ, volabit, & non deficiet. Illud defectum gratiæ, hoc plenitudinem deſignat gratiæ; erat autem Maria Deo & gratia plena. (S.Ambr.)

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione, id eſt poſtquam in viſceribus Dei filium concepit, & Spiritus ſanctus ſuperuenerat in eam, vti adnotauit ibidem S. Ambroſ. dicens, neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. ita ille. Quaſi diceret, in hoc quod Maria Spiritus ſancti gratia plena & ſuperplena ad montana Iudææ per montes & colles aſcendit, nobis ſignificatur, quòd qui Spiritus ſancti gratia potitur, feſtinus currit ad perfectionem; neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Sed vniuerſalius dicamus, quòd beata Maria ad illud opus pietatis & charitatis cum feſtinatione pergit, & feruenter, quia Deo & Spiritus ſancti gratia plena erat: ſic quem Deus & Spiritus ſancti gratia occupat, ad diuina obſequia feſtinanter & feruenter properat non lentè & deſidiosè; neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia.

Propositio II.

Quàm gratus Deo ſit feruor ſpiritualis.

Gen. 8. 20. GEneſ. 8. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Obtulit ibi Noë Deo in holocauſtum ex pecoribus, quæ in area fuerant à diluuio liberata. Cum igitur ex nidore illo non bonus, ſed ingratus odor effunderetur; quid eſt, quod Scriptura dicat, *odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis?* Theodor. q. 53. in Geneſ. ſic locum explicauit: Excepit Dominus ipſius Noë promptitudinem animi, non quidem nidore illo delectatus, nihil enim peius olet, quàm oſſa combuſta, ſed offerentis animum laudauit, & propterea remunerauit illum benedictione. ita ille. (Theodor.)

Geneſ. 13. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain & ad munera eius non reſpexit.* Cur ita? Numquid apud Deum eſt perſonarum acceptio? Abſit, fratres illi erant, imò & Cain primogenitus maiori videbatur dignus honore. Cur ergo illum & munera eius deſpexit Dominus, qui Abel reſpexit & munera eius? S. Ambroſ. lib. de Cain. & Abel, c. 7. Duplex, inquit, fuit culpa Caio; vna, quòd poſt dies obtulit; altera, quòd non ex primis fructibus; ſacrificium autem ex celeritate commendatur, & gratia. Abraham iuſſus offerre filium non poſt dies vt Cain, ſed exurgens manè ſtrauit aſinam, &c. ita ille. Ecce quantum Deo placet animi feruor, deuotio, & promptitudo noſtra in obſequio eius; acceptauit ſacrificium Abrahæ, & verbis valde auxit, dicens, *quia feciſti hanc rem*, &c. Acceptauit ſacrificium Abelis mittens ignem de cælo ſuper illud, quaſi extendens manum acceptantem, vti ſacri expoſitores aſſerunt in c. 4. Geneſ. ad Cain verò & ad munera eius non ita reſpexit, quia tepidè & negligenter obtulit, maledictus homo qui facit opus Dei negligenter, vide Lyranum ibi. (Geneſ. 13.) (S.Ambr.)

Propositio III.

Quàm ad ſaluationem conducat feruor ſpiritualis, tepiditas è conuerſo.

MAtth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quid hic ſignificat iuſtitia, & fames, ac ſitis eius? communis ſanctorum explicatio eſt per iuſtitiam intelligi virtutem: per famem, & ſitim, vehemens quoddam deſiderium virtutis. ita S. Hieron. hîc. S. Ambroſ. lib. 6. in Luc. S. Chryſoſt. hom. 5. in Matt. & in imperfecto hom. 9. S. Hilarius canone 4. S. Auguſt. lib. 1. de ſer. Domini in monte, S. Bernard. ſer. 1. de omnibus Sanctis & alij plures. Ait igitur Dominus, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*, quæ verba ſic ponderat S. Auguſt. ſerm. 5. de verbis Matth. eſuriunt, & ſitiunt, & beati ſunt: ſed non inde beati quia eſuriunt, & ſitiunt, ſed quia ſaturabuntur, ibi erit beatitudo in ſaturitate non in fame, ſed tamen præcedat ſaturitatem fames, ne faſtidium perueniat ad pœnas, &c. ita ille. Ad hanc igitur beatitudinem ſaturitatis attingendam, oportet famem, id eſt, deſiderium magnum virtutis habere. Vbi aduerte non ſolùm *famem*, ſed etiam *ſitim* dixiſſe Chriſtum; maior enim vis ſitis quàm famis eſt; vnde diues ille damnatus quamuis vltima fame ac ſiti in inferno laboraret, non de fame, ſed de ſiti conqueſtus eſt; ſitis enim paſſio vehementior multo eſt, quàm fames, atque adeo vehementiorem quandam importat voluntatem, & feruentius deſiderium. Ait igitur Dominus, beati qui non ſolum eſuriunt, ſed etiam acriori quodam ſitis deſiderio virtutis opera ambiunt; hi enim beati quidem erunt: qui verò virtutem inquirunt, ſed tepidè in magno ſalutis ſuæ diſcrimine verſantur, ideo ait S. Aug. præcedat ſaturitatem fames, ne faſtidium, perueniat ad pœnas. (Matt. 5.) (S. Hier.) (S. Ambr.) (S. Chryſ.) (S. Auguſt.)

Propo

Propositio IV.

Quàm meritorius ſit feruor ſpiritualis.

Sap. 4. SAp. 4. ſic de quodam viro iuſto : *conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Quonam pacto hic iuſtus explere potuit tempora multa, ſi in breui tempore mortuus eſt ? S. Bernard. ſic explicat locum iſtum : Expleuit tempora multa, non quidem annorum numero, ſed mentis deuotione inextinguibili proficiendi. ita ille, *mas merezimi entos alcanza vn feruoroſo avezes en vn dia que vn tibio en vn año.* S. Bern.

Matt. 20. Matth. 20. (ait Chriſtus in parabola vineæ,) *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Cur ita ? ſi nouiſſimi vna hora fecerunt, cur eundem denarium ſimiliter acceperunt ſicut primi ? nimirum, quia per maiorem ſpiritus feruorem non minùs placuerunt Deo quàm primi.

1 Cor. 15. Vnde Apoſt. 1. Cor. 15. *nouiſſimè autem omnium, tanquam abortiuo viſus eſt mihi Dominus,* id eſt, inter nouiſſimos ego vocatus à Deo, ad laborandum in eius vineam veni ; quid inde ? *Sed abundantius illis omnibus laboraui, non autem ego ſed gratia Dei mecum.* Sic Apoſtolus Paulus non minorem coronam recepit, quia per feruorem ſpiritus ſic laborauit.

Propositio V.

Quanto feruore Deo ſeruire debeamus.

Gen. 1. IN *principio creauit Deus cælum & terram*, Geneſ. 1 Quid eſt, *in principio creauit Deus cælum & terram ?* celeritatem creandi ſine dubio ſignificauit Moyſes, dum in principio cæleſtia & terreſtria aſſerit eſſe creata, non inquam, longo temporis interuallo, ſed in ipſo temporis principio. Iunilius. Expoſitio hæc Iunilij Epiſcopi eſt dicentis: Quem initio conditionis mundum creaſſe narrat tanta celeritate operationis omnipotentem eſſe declarat, cui voluiſſe creaſſe fuit. ita ille. S. Ambr. Et S. Ambroſ. lib. 1 Exameron. c. 3. *In principio*, inquit, *Deus creauit*, vt intelligerent homines, quàm incomprehenſibilis operator eſſet, qui tantum opus breui, exiguóque momento ſic abſolueret, vt voluntatis affectus ſenſum temporis præueniret, nemo operantem vidit ſed operatum agnouit, tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, nec operatio voluntati. ſic S. Ambroſ. S. Greg. Niſſen. Idem S. Gregor. Niſſen. in exameron. dicens : Aquila pro *in principio*, vertit *in ſumma* fecit Deus ; ſignificat igitur Moyſes Deum ſimul omnia feciſſe, principium enim & ſumma æquè declarant ſimul. ita ille.

Quod ſi Deus Opt. Max. ita celeriter conſummauit ea quæ in noſtram vtilitatem cedebant, quid nos facere oportet in his quæ ad eius obſequium ſpectant ? quo, inquam, feruore ? quo ſpiritu ? qua celeritate Deo ſeruire debemus, qui tali tantáque promptitudine vniuerſa hæc bona mundi nobis ſic creauit ?

Cant. 2. Cant. 2. ſic Dei ſponſa, anima ſcilicet ſancta, *Dilectus meus mihi & ego illi*, verbum deeſt, ſuppleuit S. Bernard. ſer. 67. in Cantica dicens, ſic intelligendum eſſe : *Dilectus meus*, intendit, *mihi*, & *ego*, intendo, *illi*. Vbi obſerua non dixiſſe, *ego dilecto meo, & ille mihi*, ſed, *dilectus meus*, primùm S. Bern. *mihi*, deinde *ego illi* ; vt hoc loquendi modo, celerius Dei auxilium in nos quàm obſequium noſtrum in illum cognoſceremus ; ille præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, noſtrorum bonorum curam gerens, & nos tardè accedioſéque ei obſequemur ? Quid, inquam, Deus præuenit ? præuenit quidem & concomitatur, & conſequitur ſemper, quod S. Bernard. ſer. illo 67. in cant. ſic adnotauit, dicens : De præuentione loquitur Propheta dicens (Pſal. 56.) *Deus meus miſericordia eius præuenit me*, & iterum (Pſal. 78.) *citò anticipent nos miſericordia tua, quia pauperes facti ſumus nimis* : de ſubſecutione verò (Pſal. 22.) *& miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Pulchrè autem ſponſa priùs ait, *dilectus meus mihi*, & poſtea hæc eadem verba non eodem modo ponit, ſed, *ego dilecto meo & dilectus meus mihi.* (Cant. 6.) Cur ita ? nempe vt tunc magis gratia plenam ſe probet, cum totum gratiæ dederit, primas ſcilicet partes aſcribens & vltimas. hæc S. Bernard. Si ergo Deus ſic ſollicitè nobis attendit, erit ne par nos illi deſidioſè cooperari, & deſeruire ?

Audi quid dixerit Dominus ſancto Iob. c. 38. *Numquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adſumus ?* Quænam ſunt fulgura iſta ? S. Gregor. 30. mor. 3. & 4. cap. miniſtros verbi Dei eſſe affirmat : ſunt qui ad reliquos ſanctos viros hoc extendant. Cur autem eos fulgoribus comparet, conſtat : fulgura enim ſubitò cum apparent vndique lucent, & veloci in inſtanti fulgure ſuo totum hemiſpherium replere ſolent. Tales quidem ſunt veri Dei famuli, cum Deus eis aliquid iniunxit ; nam quaſi velocitate fulguris Dei monita perficiunt ; mittit ergo Deus fulgura, & eunt, dum ad ea quæ Deo placent velut fulgura citiſſima pergunt, *van alo que Dios quiere como vnos re lampagos velociſſimos.* Notanda verò ſunt verba illa, *& reuertentia dicunt, adſumus.* Vbi S. Gregor. Quid eſt dicere Deo, *adſumus ?* quoddam quidem in hoc verbo obſequium declaratur. ita ille. Ita eſt, promptitudinem quidem & alacritatem animi præſeferunt verba iſta, quaſi hæc fulgura dicant, *fecimus qua iuſſiſti, iube vlterius quod placuerit, tuum quippe eſt iubere nobis, noſtrum parere tibi.* Septuaginta interpretes loco illius verbi *adſumus*, legunt, *dicent tibi quid eſt ?* quod ſic interpretatur Nicetas, quid eſt quod nos facere optas ? Vbi maximè obſeruandum eſt, quod hæc fulgura diuina non dicunt, *adſumus*, dum mittuntur, parent enim, & antequam dicant, *adſumus*, opere iuſſa complent, completo autem opere dicunt *adſumus.* Cur non etiam prius ? ne vel per illam paruulam moram, *adſumus*, vel, *ita fiet ſicut præcipis*, ab executione retardentur ; mira promptitudo ; hæc igitur eſt quam à ſuis exigit, quámque nobis laudando commendat. Iob 38. S. Greg. S. Greg. Nicetas.

Quam etiam illa quatuor Ezechielis animalia præſeferunt, quæ vt habetur Ezech. 1. *Vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent* : quinam ille impetus ſpiritus ? Reſpondeat S. Greg. hunc locum verſans hom. 5. in Ezech. in electis, inquit, & reprobis impetus ſunt diuerſi, in electis videlicet impetus ſpiritus, in reprobis impetus carnis ; impetus carnis ad odium, ad elationem, ad rapinam, ad immunditiam, ad exteriorem gloriam, ad voluptatem animum impellit ; impetus verò ſpiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad opera pietatis, ad patientiam, ad lachrymas, ad Ezech. 1. S. Greg.

considerationem vitæ immortalis ducit. Oportet igitur cura magna semper considerare, in omni quod agimus, quis nos impetus ducat. ita ille. Sancti ergo viri per illa designati animalia ad bonum quod in Dei obsequium esse perpendunt, non segniter, non acediosè, & oscitanter pergunt, sed citissimo cursu, seu potius volatu; assumunt enim pennas vt Aquilæ, volant & non deficiunt. Vnde meritò subdit, *& non reuertebantur cum ambularent*, quod Isaias dixit, *volabunt & non deficient*: hoc de sanctis animalibus asseruit Ezech. dicens, *non reuertebantur*: reprobi enim, si quando viam aggrediuntur veritatis, & impetu incipere videntur, ad modum motus violenti citò deficiunt, electi verò ad modum motus naturalis quanto vlterius progrediuntur velociùs pergunt.

Fides.

1. *Fidem Christianam confirmant multa & magna miracula.*
2. *Fides pretiosa facit ea qua apud mundum contemptibilia sunt.*
3. *Iuxta fidem sanctè viuere tenemur.*
4. *Fidei veritas probatur ex tyrannorum sedata procella.*

Propositio I.

Fidem Christianam confirmant multa & magna miracula.

Inter ea, quæ maximè fidem Christianam confirmant, miracula Christi præcipuè numerantur; ad hoc enim mira illa, quæ Euangelistæ narrant, Dominus patrauit v. g. resurrectionem Lazari. Cur quæso per quatuor illos dies resurrectionem illam distulit, cum statim eum post obitum ad vitam reuocare posset? Præterea ait S Ambrof. lib. 5. exam. c. 7. iussit Dominus iam iam Lazarum suscitaturus, vt Iudæi lapidem de sepulchro remouerent, vt mortuum videntes postea resuscitatum crederent; deinde Lazarum vocauit, & tunc resurrexit, & ligatis manibus, & pedibus exiit foras. Nonne poterat remouere lapidem, qui potuit mortuum resuscitare? & qui potuit defuncto vitam reddere, non poterat nexus soluere vinculorum? & cui vinctis pedibus gressum dedit, non poterat ruptis vinculis incessum reddere? sed vtique aduertimus, quod voluit primò demonstrare mortuum, vt oculis suis crederent; deinde resuscitare, tertiò iubere, vt vincula ipsi soluerent, vt inter ista fides infunderetur infidelibus, & per hos gradus credulitas nasceretur. ita S. Ambrof. Et verè vti ait S. Ioannes c. 11. *multi ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderunt, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum*; sic miracula Christi Domini mirè fidei nostræ veritatem confirmant. Taceo reliqua mirabilia, &c.

Propositio II.

Fides pretiosa facit ea qua apud mundum contemptibilia sunt.

Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, beati estis cum maledixerint vobis homines*, &c. Matth. 5.

Etenim in oculis mundi in his non beatitudo sed infelicitas & miseria relucet; sed tamen hi qui fidei conspiciliis hæc intuentur, excelsa, nobilia, & magno pretio digna esse cognoscunt.

Ponderat S. Chrysol. hom. 2. in Matth. adorationem illorum Magorum de qua Matthæus c. 2. ait, *procidentes adorauerunt eum, & obtulerunt munera*, &c. Quid, inquit, ibi gloriosum viderunt? numquid palatium marmoribus splendidum? numquid aulam regiam diuersis gentibus personantem? Non, nisi pandochium tenebrosum, & sordidum, & magis animalibus quàm hominibus aptum. Sed numquid videtur natum auro & purpura inuolutum, & in lecto aureo recubantem? Non, sed pannis inuolutum, & positum in præsepio? Numquid videtur matrem eius diademate coronatam, & veste pretiosa indutam? Non, sed longum tegumentum, quod habere poterat vxor carpentarij. Etenim si Regem terrenum quærentes sic inuenissent, potiùs confunderentur, quàm gauderent; quia tanti itineris laborem in cassum suscepissent: sed quia Regem cælestem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen stellæ testimonio contenti, gaudebant, & oculi eorum contemptibilem, quia spiritus in corde eorum terribilem eum demonstrabat, & hunc adorauerunt. ita ille. Nota verbum *spiritus*, hoc est, Spiritus sanctus mediante fide eis Deum esse & hominem inspirabat; vnde ibidem addit S. Chrysol. Adorassent ne infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid diuinum credidissent in eo? ita ille. Sic igitur nunc philosophandum est de tribulatione & mortificatione & paupertate spiritus, & de humilitate & cruce Christiana; hæc enim omnia si solùm oculis carnis inspiciantur, vilia & contemptibilia videntur; si vero oculis fidei Christianæ, sublimia & amabilia multo magis nobis apparent. S. Petrus Chrysol. Matth. 2. S. Chrys.

Propositio III.

Iuxta fidem sanctè viuere tenemur.

Ad Rom. 1. agit Apostolus de Philosophis antiquis, qui rationis naturalis ductu, magnam de Deo cognitionem erant assequuti, qui tamen peccatores erant, quique cum Deum cognoscerent, non glorificabant Deum, & addit Apostolus, *ita vt essent inexcusabiles, etenim illi fidei nostræ cognitione carebant*. Cur igitur eos inexcusabiles dicit, cum quidem fidei lumen sit, quod nos Deo seruire deuinciat? Respondet Hugo de S. Victor. q. 38. in Epist. ad Rom. ideo sapientes illi inexcusabiles fuerunt, quia non fecerunt sicut potuerunt iuxta scientiam quam habebant. ita ille. Quod si cognitio illa debilis luminis naturæ ita illos obnoxios diuino cultui & obsequio tenebat, quid de nobis erit fidei lumine illustratis, si illorum vitiis laboramus? Rom. 1. Hugo. Victori.

PROPO

Propositio IV.

Fidei veritas probatur ex tyrannorum sedata procella.

Matt. 8. MAtth. 8. *Ascendente Christo in nauiculam cum discipulis, vt transfretaret, ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Expendit S. Petrus Chrysol. ser. 20. locum hunc dicens: Mare quod pedibus Christi inmentia terga submisit, & strauit in plano vertices suos, motus frænauit, & per liquentem viam saxea soliditate seruiuit: modò quid est, quod vsque ad periculum nauis Christi sæuit? & quid ipse Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, vt instantem procellam, tempestatis horam, tempus periculi non caueret? Et inter vigilantes omnes tunc solus teneretur somno, quando discrimen tam magnum eminebat? Fratres, gubernatoris peritiam non probat tempestas serena, sed tempestatis procella; vnde hi discipuli ad Christum tanquam ad gubernatorem omnium rerum, confugerunt, petentes vt sedaret mare, salutem redderet desperatis, cuius vbi addixit mare, recussit ventos, dedit quietem, & nauigantes illum fatentur omnium esse authorem. ita ille. Sic Christus diuinitatis suæ fidem comprobauit, sed in eo quod hîc latet mysterio, vniuersalius fidei Christianæ veritas confirmatur, quod sic exposuit S. Chrysol ibidem dicens, hîc quod intus est in hoc miraculo proferamus. Quando Christus Ecclesiæ suæ nauim mare sæculi transfreraturus ascendit, gentium flabra, Iudæorum turbines, persecutorum procellæ; dæmonum nebulæ sic ruerunt, vt totius mundi fieret vna tempestas. Regum spumabant vndæ, feruebant potestatum fluctus, mugiebant littora Christiana, & erat totius mundi vnum discrimen. Tunc discipuli accesserunt ad Dominum & suscitauerunt eum, dicentes, *Domine salua nos perimus; & dixit eis Iesus, quid timidi estis modicæ fidei?* tunc mare, hoc est, mundum corripuit, Reges mitigauit, potestates placauit, Romanos fecit Christianos, & executores fidei Christianæ reddidit eos, qui priùs fuerant persequutores populi Christiani, & hanc tranquillitatem seruat Ecclesia Christiana, gentilitas admiratur. ita ille. Ecce magnum fidei nostræ testimonium, sola Romanorum Monarchia aduersus Ecclesiam Christi decem crudelissimas persequutiones excitauit, quarum vel vna ad delendam Ecclesiam satis erat, nisi Dei nostri protectio interuenisset: hac enim & non ferreis armis a tot tyrannis & crudelitatibus liberauit, nonne magnum fidei nostræ testimonium est?

S. Petrus Chrysol.

S. Petrus Chrysol.

Filius.

Propositio Vnica.

Qualis fuerit filius erga parentes, tales erunt erga ipsum filij eius.

Matt. 1. MAt. 1. *Obeth genuit Iesse, Obeth,* Hebraicè, idem est quod Latinè, *subditus,* & *Iesse* apud Hebræos idem est quod Latine *refrigerium*; nomina autem horum Patriarcharum, cum in genealogia Christi Domini constituantur, non sine mysterio imposita illis sunt. Quale igitur hoc sit videamus. S. Ioan. Chrysost. hom. 1. imperfect. Nam verè (inquit) qui Deo & parentibus subditus est, tales Deo præstante generat filios à quibus refrigeretur, quia qui honorat patrem, honorabitur à filiis suis; qui autem contumaces existunt aut in Deum aut in parentes, non sibi refrigerium in filiis generabunt, sed dolores, vt à filiis recipiant, quod in parentibus ipsi fecerunt. ita ille. S. Chrys.

Fortitudo.

1. *Vir fortis nec frangitur aduersis, nec prosperis eleuatur.*
2. *Ad bona exequenda fortes & constantes esse debemus.*

Propositio I.

Vir fortis nec frangitur aduersis, nec prosperis eleuatur.



PRocop. cap. 3. Isai. fortem animum neque contrahit vituperatio, neque insolentem facit laudatio. ita ille. Etenim qui fortis est, eum verè & exanimo à sua constantia nec prosperitas nec aduersitas dimouebit; quare adamante fortior esse debet, adamas enim licet duris resistat, mollibus tamen cedit; fortis verò si vrgent aduersa, non frangitur; si mulceant prospera, non emollitur; sic Dauid qui ex pastorali officio, ad regiam dignitatem à Deo promotus est, pristinam humilitatem & mansuetudinem non dimisit, de quo sic S. Ambr. lib. 1. officior. c. 24. Dauid fortis in bello, patiens in aduersis, in peccato dolens, & in senectute prouidus fuit. ita ille. Ac si dicat, semper studiosus, nulla temporum mutatione à virtutum tramite recessit. Procop. S. Ambr.

Sic Esther ex captiua facta Regina, quamuis inciperet esse quæ non erat, nunquam tamen desiit esse quæ erat; vnde in nouo imperio mundi veterem erga Mardochæum obedientiam conseruauit; nam 2. cap. *Mardochæus* (inquit) *obseruabat Esther, & ita cuncta faciebat vt eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat.* Esteris.

Hinc S. Bernard. cum videret Eugenium discipulum suum ad summi Pontificatus dignitatem euectum, sic ad eum scripsit lib. 1. de consideratione, non quia pater pauperum factus es, ideo non pauper spiritus es, in te hanc mutationem factam esse confido, non de te, nec priori statui tuo promotionem successisse, sed accessisse. ita ille. Quasi dicat, mutetur in te status, sed non mens; sit munus diuersum, sed animus idem; non succedat tuæ humilitati sublimitas, sed accedat, ne scilicet fias sine humilitate sublimis, sed in sublimitate maneas humilis. S. Bern.

Eodem quoque modo cum aduersa succedunt, maneat homo fortis, & in sua fortitudine cōstans; & quidem qui aduersis frangitur, non erit in prosperis infractus; facilius enim est aduersa, quàm prospera superare; ideo quidem Iob se adeo for-

rem

tem in aduersia exhibuit, quia constans in prosperitate fuerat.

Exemplum etiam in Paulo habemus qui ad Phi. 4. ait, *scio & humiliari, scio & abundare* (vel vti Vatablus vertit, *noui & humilis esse, noui & excellere*) *vbique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati.*

S. Bern. Quem locum sic expendit S. Bernard. magna & rara virtus est inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores humiliari. ita ille. Annibal sciuit esurire & penuriam pati, sed nesciuit satiari & abundare; nam delitiæ Capuanæ Annibalem inuictum eneruarunt, & Romani iam imbellem vincendum obiecerunt. Paulus autem

S. Ansel. pati & potiri sciebat, vt recte S. Anselm. scire abundare & penuriam pati magna scientia est. ita ille. magna quidem & quæ discitur à perpaucis.

Propositio II.

Ad bona exequenda fortes & constantes esse debemus.

Psal. 58. PSal. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quonam, inquies, pacto custodienda ad Deum

Tirelm. est fortitudo? Tirelm. pro fortitudine vires animæ accipiantur, quas vir sanctus Domino custodire proponit, quoniam eis nnn nisi ad gloriam Dei vti decernit. ita ille. Peccatores autem ad mundi obsequium vires suas custodiunt; ieiunare non possunt, comedere vsque ad vomitum possunt; vigilare vel vnius horæ spatio in oratione non possunt, sed in alearum ludo pernoctare possunt; eleemosynam vel exiguam etiam dare non possunt, vt autem sericis & mollibus vestiantur, & supellectilem amplificent, omnia

S. Greg. possunt. Vide optimè de hoc plura apud S. Gregorium Mor. 8. vel in alia impres. cap. 9.

Fraus.

Propositio Vnica.

Quàm vituperabilis sit in homine fraus.

S. Ambr. SAnctus Ambros. lib. 3. officior. c. 11. Regula iustitiæ manifesta est quòd à vero declinare non deceat virum bonum, nec doli annectere quidquam, fraudisve componere. ita ille. qui exemplis id confirmauit dicens; quid euidentius eo quòd Ananias, quia defraudauit de pretio agri sui, quem ipse vendiderat, & portionem pretij tanquam summæ totius numeri ante pedes Apostolorum posuit, sicut reus fraudis interiit? licuit itaque illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset, sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exsoluit. Et Dominus in Euangelio cum dolo accedentes repudiauit dicens; *vulpes foueas habent*, quoniam in simplicitate cordis nos viuere iubet. Dauid quoque ait, *sicut nouacula acuta, fecisti*

Dauid. Ps. *dolum*, nequitiæ arguens proditorem. ita S. Ambros. loquitur autem Dauid ibi de Doeg qui apud Saulem prodidit Dauidem & Abimelech Sacerdotem; in exemplo autem Ananiæ idem Petrus

Actor. 5. Apostolus causam tantæ pœnæ indicauit Actor. 5. dicens, mentitum illum fuisse Spiritui sancto.

Vide locum. Imitantur autem huiusmodi fraudulenti Diabolum, qui primam fraudem ad primos homines perdendos adinuenit, dicens: *Nequaquam morte moriemini*, &c. quare merito fraudatores & dolosi filij Diaboli possunt nuncupari.

Furtum.

Propositio Vnica.

Quàm inuisum Deo peccatum sit furtum.

LEuit. 11. aues rapaces Deus immundas haberi voluit, vt aquilam (quantumuis auium regina dicatur) & herodium & miluum, &c. Cur ita? Theodor. q. 11. in Leuit. erudit nos Deus vt ab auaritia nos abstineamus. ita ille. Immundi ergo in conspectu Domini sunt auari, maximè fures. Vnde Apost. 1. Cor. 6. speciatim de his ait, *rapaces regnum Dei non possidebunt.* Leuit. 11. Theodor.

Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum quia esuriui, & non*, &c. S. Ioannes Damascen. serm. de vltimo iudicio. Si cum diabolo condemnatur qui pauperi non dederit, vti damnandus est qui tulerit alienum? si in ignem mittitur, qui nudum non vestiuit, vti damnandos est qui expoliauit? ita ille. Matt. 25.

Gaudium.

1. *Gaudium verum in virtute fundatur.*
2. *Gaudium in Domino est collocandum.*
3. *Lætitia spiritualis ad perfectius Dei obsequium conducit.*
4. *Gaudium mundi detestabile est.*

Propositio I.

Gaudium verum in virtute fundatur.

PSal. 4 *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Ponderans locum istum S. Basil. in scholiis ait: non simpliciter dicit, *dedisti mihi lætitiam*, sed addit, *in corde meo*, quia lætitia hæc non est in externis, veloci in argento & auro; nam quæ in externis est, oculorum est, non verò cordis, sed *in corde* ait, quod spiritualia & incorporea contemplatur. ita ille. At dices, cum aurum vel etiam argentum inuenio, vel lucror, lætitiam in corde sentio. Cur igitur ait S. Basil. cordialem lætitiam non ex rebus his externis procedere, sed ex internis, virtutibus scilicet & spiritualibus rebus? Nimirum, quia aliud est lætitiam cordialem esse, aliud verò in corde esse, & quoquomodo sentiri; sentitur aliqualiter lætitia ex rebus externis, sed lætitia talis oritur potius ex falsa quadam apprehensione mentis, qua sæculi amatores mouentur ad amandum argentum & aurum; ex consequutione verò rei amatæ nascitur gaudium; sed sicut est ille amor errans, sic & gaudium; errans verò gaudium ex se non est cordiale, sed ex errante imaginationis est in corde; gaudium verò rerum spiritualium ex se cordiale quidem est, & ea propter Psal. 4. S. Basil.

illi

illi erranti gaudio dicitur ab Ecclesiaste c. 2. *Risum reputaui errorem & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Loquitur cum gaudio quasi cum re animata, figura prosopopeia vtens; quasi dicat, si gaudium intellectus haberet, verè deciperetur, cum ortum haberet ex re gaudio indigna: loquitur enim ibi Sapiens de gaudio ex rebus inanibus

S. Bern. sæculi orto, sicut ait S. Bernard. in formula honestæ vitæ c. de visu & honestate faciei, & S.

S. Hier. Hieron. in eadem verba Ecclesiastes ait: Qui risu illo cachinnant, quem Dominus in Euangelio in fletum dicit esse mutandum, errore sæculi raptantur, censentes leuia bona perpetua esse, & in his exultantes quæ magis digna sunt planctu; vnde non absque causa Dauid in isto loco Ps. ait, *dedisti lætitiam in corde meo. In corde meo* dixit, quod sancti scilicet viri erat, in tale autem cor non intrat errans gaudium; sicut & sponsa dixit, *fructus eius dulces gutturi meo*: sancto enim gutturi nihil est dulce, quod sanctum non sit ac verum.

Psal. 5. Psal. 5. *Lætentur omnes qui sperant in te, & gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*; de iustis vt constat hîc agit propheta, & omnes illos affirmat absolutè affici lætitia; nimirum, quia etsi peccatores sæpe lætentur cum malefecerint, sed lætitia talis falsa est, super fundamentum falsum fundata: peccatum enim remorsum conscientiæ, & terrorem timorem & cruciatus parit; virtus verò cordis pacem & internum gaudium & gloriam animi quandam. Ideo subdit Dauid, *& gloriabuntur in te*, nimirum, quia gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, *vna buena consciencia es vn cielo portatil, que comienza aqui y se perpetua y eterniza en el cielo.* Sic expo-

S. Basil. nit locum hunc S. Basil. dicens in scholiis: Etenim hæc est constans lætitia & numquam desistens, *& inhabitabis in eis*, ita vt taliqua gaudia non melius sint comparata quàm fluuiorum fluxibus, eo quod velocissimè diffluant. Iustis ergo potissimum solis competit vt lætentur & glorientur, ita vt ij qui sese in rebus temporariis iactant, nihil ab illis differant qui in somnis delitiantur. ita S. Basil. vbi nota similitudinem somniantis: quæ læta & gloriosa sunt, somniat esu-

Simile. riens conuiuium regium, & dum somniat, gaudet: sed sicut conuiuium imaginatium & vanum est, ita & gaudium.

Matt. 2. Matth. 2. de Magis cum eis apparuit stella dicit Euangelista, *gauisi sunt magno gaudio valde*, non simpliciter gauisi sunt, sed addit, *magno gau-*

S. Ansel. *dio*, &c. Cur ita? S. Anselm. in hunc locum, gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium; sicut vita viuit, qui in virtutibus viuit, & morte moritur qui in peccatis est. Addit *& magno*, quia de magna re, *& valde*, quia nihil ipso maius. ita ille. gaudium autem mundi, nec magnum nec valde esse potest; quia in rebus nullius pene momenti vel in prauis fundatur, vnde falsum & caducum illud esse oportet.

Propositio II.

Gaudium in Domino est collocandum.

Psal. 9. PSalm. 9. sic ad Dominum Dauid; *lætabor & exultabo in te. In te* ait, non in gloria regni mei, non in fortitudine mea, qua leonem & vrsum & gigantem Philistæum interfeci, non in victoriis quas de hostibus reportaui, & reportaturim, non in diuitiis & reliquis bonis quæ ad huius mundi fælicitatem spectant, sed ad te Do-

mine; quid est in Domino delectari? S. Basil. S. Basil.

ibi, quod talem habeam Dnminum, id mihi gaudio, & voluptati est, in hoc exnltn: ita ille. Adde, quia in te æterna spero, quia tu regis me, quia tibi ex corde seruio, quia tu creator meus, & redemptor meus, & glorificator meus es, quia omnipotentem, & omnisapientem, & infinitè bonum te considero & infinitè gloriosum. ita ille.

Vnde cum in quadam tribulatione constitutus Dauid consolari optaret in Psal. 76. *Renuit* (inquit) *consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*, Si consolari volebat, quomodo ait, *renuit consolari anima mea?* S. Basil. in eod. Psal. 76. *Renuit* (inquit) *consolari anima mea*, id est, omnem consnlationis occasionem abieci, solam autem Dei mei recordatinnem refocillationis loco habui. ita ille. Et S. August. ibidem, clausit contra se humanam consnlarinnem; sed vnde respiratio? *Memor* (inquit) *fui Dei & delectatus* Psal. 76.

sum. ita S. Aug. Etenim Regi Dauidi non defuissent humanæ consolatinnes, musicæ nempe, ludorum, & venatinnum, &c. sed renuit sic consolari, qui lætari & exultare in Deo solitus erat. Quid autem efficiat huiusmodi gaudium in Do- S. August.

minn, exposuit S. Basil. in suprà dicto loco Ps. 9. dicens: Qui namque in Deo vt par est lætatur, omnem voluptatem abiicit sæcularem. ita S. Basil. S. Basil.

Propositio III.

Lætitia spiritualis ad perfectius Dei obsequium conducit.

PSalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Quid est dilatatio cor- Psal. 118.

dis? S. Aug. dilatatio cordis est iustitiæ delectatio, vt non timore sed delectatione aliquid agatur. ita S. August. Cum hac igitur delectatione animi, S. Aug.

ait Dauid, se per viam mandatorum Dei non solum ambulasse, sed cucurrisse; via autem mandatnrum Dei, ait Hugo Cardinal. arcta est, *arcta* Hugo Card.

enim (ait Dominus) *est via quæ ducit ad vitam.* ita ille. Et glossa nrdinaria, licet ergo sic arcta sit via mandatnrum Dei, cum adest in corde lætitia spiritualis, facilè quis eam percurret. Econuerso autem ait Salomon Prouerb. 17. *Animus gau-* Prou. 17.

dens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa. Exiccat scilicet fortitudinem animi, *seca el spiritu*; amittit spiritus tristis deuotionem & promptitudinem cordis ad obsequia Dei, ita vt per illa non solùm non currat, sed nec ambulet quidem. Hanc autem animi dilatationem & lætitiam ait Dauid sibi à Deo datam, *cum dilatasti*, inquit, *cor meum.* A Deo igitur eam postula, & quantum ex te fuerit, dilata & tu cor tuum, & proiice abs te melancholiam, & tristitiam; delectare in Domino, bonum enim Dominum habemus, qui nobis viam præparat ad cælum.

Propositio IV.

Gaudium mundi detestabile est.

SAnctus August. serm. 37. de verbis Domini: S. Aug.

Sæculi lætitia est impunita nequitia, luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, gula ingurgitentur, nihilque mali patiantur, & ecce sæculi gaudium; ista, inquam,

mala

mala, quæ commotaui non castiget fames, nou belli pauor, non aliquis morbus, non vlla aduersitas, non denique timor aliquis, sed sint omnia in rerum abûndantia, in pace carnis, & in securitate malæ mentis. Ecce vide sæculi gaudium. ita S. August.

Prou. 2. Hæc est pessima illa lætitia de qua Prouer. 2. *Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Pessimum igitur gaudium mundi, *gaudete* igitur (Apostolus ait) *in Domino semper*, &c.

Seneca. Senec. epist. 13. volo tibi lætitiam domi nasci, nascitur si intra te sit, cæteræ hilaritates non implent pectus, leues sunt, nisi forte tu iudices illum gaudere qui ridet. Hilari oculo mortem videre, paupertati domum aperire, voluptates tenere sub fræno, meditari dolorum patientiam, hæc qui apud se versat in magno gaudio est, sed parum blando vulgus perfunctoriam habet voluptatem & fundamento carentem.

Genus.

Propositio. Vnica.

Vera nobilitas non in genere, sed in virtute consistit.

Isai. 1. Isai. 1. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ*, &c. Cur populum Israël populum Sodomorum & Gomorrhæorum vocat, Procop. cum hi infidelium populi sint? Procopius in hunc locum, corporalem generis splendorem, tanquam qui de Abrahæ semine essent Israëlitæ iactabant; sed Isaias eos semen nequam & principes Sodomorum & populum Gomorrhæ vocat, vt animi institutum & vitæ nobilitatem econtra parari doceat. ita ille.

Non est damnanda, nec contemnenda nobilitas generis; sed tamen hoc nobiles animaduertere debent, quod maior incomparabiliter sit virtutis quàm generis nobilitas; quare nobilitas sine virtute parum, virtus verò etiam sine generis splendore multum valet; nobilitas autem simul Simile. cum virtute eminens quidem bonum est: præterea vitium super generis nobilitatem cadens, plus hominem dehonestat, quàm si nobilis ille non esset; sicut olei macula super sericum & pretiosum vestimentum, peius illud deformat, quàm si super vile caderet indumentum, *mas campea la mancha de azeite en la seda que en el sayal, realzala mancha el caer en buen paño.* Promisit Moyses narraturum se esse genealogiam Noë dicens, *hæ sunt generationes Noe*, & illico subdit, *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, &c. Cur non statim parentum & auorum Noë nobilitatem enarrauit? sed solum mores, & virtutes Noë? rectè ponde-S. Chryſ. rauit S. Chrysost. hom. 23. in Gen. dicens: Scriptura aures nostras spe quadam impleuit, quasi genus Noë narratura, quo relicto, *Noe*, inquit, *vir iustus, atque perfectus*, &c. ita S. Chrysost. qui respondens obiectioni ait: Quæ enim vtilitas ex claris parentibus originem ducere, te autem bonorum morum expertem esse? aut quod damnum fuerit si parentes & progenitores fuerint ignobiles, ipse autem virtutibus floreas? ita S. Chrysost. etenim in iudicio Dei non interrogaberis cuius generis fueris, sed cuius vitæ, nisi forte ad maiorem cumulum culpæ vel meriti.

Vnde S. Ambros. Probati viri genus, inquit, virtutis prosapia est. ita ille. & Horatius, *Dedecorant bene nata culpa.* ita ille. non ait, non prodest genus si adest culpa, sed culpa dedecorat genus. S. Ambros.

Luc. 1. sic S. Lucas de parentibus S. Ioannis Baptistæ, *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* Cur actutus de Baptista ista præmisit? S. Ambros. ibidem. Quæ, inquit, alia intentio S. Euangelistæ, nisi vt Ioannes Bapt. nobilitetur parentibus? Sic etiam sancti Samoëlis mater Anna laudatur, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. ita S. Ambros. agenti ergo de vera nobilitate Baptistæ attinebat virtutes præmittere parentum, vt ostenderet ex hac potissimùm ratione nobilitatem veram desumendam esse. Luc. 1. S. Ambr.

Miratur S. Chrysost. in cap. 1. Matth. quam apertè in genealogia Christi exposuerit Euangelista infames illas mulieres Raab scilicet, Betsabe, & Tamar, & viros etiam peccatores; abhorrent enim homines huiusmodi maculas in genealogiis suis. Respondet autem S. Chrysost. ibi hom. 3. dicens; vt nemo propter genus in superbiam eleuetur; sed considerans progenitores Domini omnem inflationem expectoret, & ob egregia facinora sibi placeat; nemo enim est ex vitio aut virtute parentum paruus, aut magnus, obscurus, aut clarus: imo, vt quod incredibile videtur dicamus, nescio quomodo magis resplendet is, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, ipse tamen fuerit bonus vir. ita ille. S. Chryſ.

Gloria.

1. *Quàm eximium bonum sit gloria.*
2. *Gloriæ consideratio ad tolerandos labores conducit.*
3. *Gloria cæli est fælicitas æterna fine carens.*
4. *Qualiter primo loco quærenda sit fælicitas gloria.*
5. *Gloria laboribus & bonis operibus promerenda est.*
6. *Gloriæ consideratio despicere facit bona transitoria.*
7. *Spes gloriæ gaudium parit.*
8. *Gloria præmium virtutis est.*
9. *Gloria est pacis & quietis secura possessio.*
10. *Gloria mundi quàm vana sit,*

Propositio I.

Quàm eximium bonum sit gloria.

Matth. 19. sic Dominus ad quendam, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Manifestum est hic Christum non de hac corporali, & temporali vita agere in hoc loco, sed de vita æterna gloriæ. Interrogauerat autē, dicens, *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* Ecce vitam de qua iste agebat: cur igitur Matt. 19.

respondens

respondens Christus non dixit, *Si vis ad vitam æternam ingredi, serua mandata?* sed solum, *si vis ad vitam ingredi?* cur abstulit adiectiuum illud *æternam?* Quia nomine vitæ noluit intelligi vitam istam, quia per antonomasiam nomen vitæ absolutè vendicat sibi æterna cæli vita; tum quia vita hæc temporalis adeo breuis est atque miseriis referta, vt potius mors sit dicenda quàm vita. Sanctus Augustinus sermon. 17. de verbis secundùm Matth. non dixit, *si vis venire ad vitam æternam*, sed, *si vis ad vitam ingredi*; eam definiens vitam quæ fuerit æterna vita. ita ille.

S. Aug.

Hinc colliges quo affectu prosequenda sit gloria, quo etiam conatu sit quærenda. Audi hoc expendentem ibidem sanctum Augustinum: Hinc videndum est quomodo amanda sit æterna vita; etenim amatur qualiscumque vita, & ipsam vitam ærumnosam & miseram homines finire timent & pauescunt. Hinc videndum quemadmodum amanda sit æterna vita, quando sic amatur misera vita. Considerate fratres, quantum amanda sit vita, vbi numquam finias vitam; amas vitam, vbi tantùm laboras, vbi oportet seminare, arare, nauigare, &c. & post hæc finire habes vitam. Disce ergo quærere æternam vitam, vbi hæc non tolerabis, sed in æternum cum Deo regnabis. De his autem diebus vitæ huius ait Apost. *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt*, dies mali sunt, quos agimus in corruptela huius carnis, in tanta vel sub tanta sarcina corporis corruptibilis, inter tot & tantas tentationes, inter difficultates tantas, vbi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida. Ecce quàm malos dies, & nemo vult finire illos, sed rogant homines Deum vt diu viuant. Quid est autem diu viuere nisi diu torqueri? quid est viuere diu nisi malis diebus addere dies malos? mali sunt hi dies, & eo peiores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus, vt nemo finire velit malos dies. Vita ergo æterna & beata est, cum resurgemus & regnabimus cum Deo. ita sanctus Augustinus.

Fateor peccatores ex bonis temporalibus scandalum sumere, ideo enim Sapiens ait: *Creatura facta sunt in muscipulam pedibus insipientium.* Sed tamen ex consideratione ipsorummet bonorum temporalium, in considerationem æternorum eleuati facilè temporalia spernent propter æterna. Si enim temporales diuitiæ sic placent, quanto magis placebunt immensa & æterna cæli bona? idem dicendum de gloria & honore, & delitiis, & salute, & vita. Vnde Apost.

Rom. 1.

Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi* (id est ab homine) *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Vbi sanctus Anselmus; quia ab inuisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est vt ad inuisibilia ipsius rursum visibilibus nitamur, & quo casu anima venit ad infima, eo gradu reuertatur ad summa: vbi enim lapsi sumus, ibi incumbimus vt surgamus, & quasi ibi surgendo manum figimus, vbi pede amoris lubrico corruentes iacebamus. ita sanctus Anselmus. Vbi nota similitudinem cadentis in terram, qui enim offendit in terram nixus super terram manu è terra ipsa surgit; sic qui ex offensione creaturarum cadit in peccatum, manu considerationis incumbens super creaturas (vti diximus,) resurget.

S. Ansel.

Simile.

Matt. 25.

Matth. 25. sic Dominus bono seruo, *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quid est, *in gaudium Domini tui?* Qui fieri potest, vt homuncio terreus intret in gloriam Domini sui? & sit eo modo beatus, quo beatus est Deus ipse? mirum quidem hoc, sed verum; quia beatitudo Dei in hoc consistit, quod Deus clarè ac distinctè essentiam suam videat, & cognoscat vti docet S. Thomas 1. p. q. 26. artic. 2. quia, inquit, beatitudo significat bonum perfectum intellectualis naturæ; id autem quod est perfectissimum intellectualis naturæ, est intellectualis operatio, secundùm quam capit quodammodo omnia. Attribuenda est ergo Deo beatitudo secundùm intellectum, sicut & aliis beatis. ita S. Thomas qui in artic. 3. ait: Ex hoc solo est aliquis beatus quòd Deum intelligit secundùm illud Augustin. lib. 5. Confess. cap. 4. beatus est qui te nouit etiamsi alia ignoret. ita sanctus Thomas. Adde illud Sanct. Augustin. lib. 22. de ciuitate cap. 29. visio est tota merces, hoc est in visione Dei consistit nostra beatitudo. ita ille. Cum ergo Deus sit beatus per actum intellectus, quo scilicet cognoscit seipsum, & nos etiam per actum quando ipsum vident beati, sequitur eo modo nos esse beatos, quo Deus, per cognitionem videlicet Dei, hoc excepto, quòd Deus per suam visionem beatificam seipsum comprehendit, homo verò & Angelus non comprehendunt illum; & cognitio sui in Deo est illi naturalis, nobis verò supernaturalis; illa in se infinita, in nobis verò quatenus intellectio finita; ex parte verò obiecti idem obiectum est beatitudinis Dei & nostræ. Vnde S. Io. 1. Ioan. 3. *Charissimi, nunc filij Dei sumus & nondum apparuit, quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, videbimus enim eum sicuti est.* Nota verba illa, *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quid amplius de beatitudine nostra dici valet, quàm quòd ita similis sit diuinæ? ideo Christus ait seruo, *intra in gaudium Domini tui*, non alterius, sed Domini tui.

S. Thom

S. August.

1. Ioan. 3.

Meritò quidem Christus Dominus discipulis suis dixit Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Quare annuncians eis beatitudinem præmisit, *nolite timere pusillus grex*, exultate vel scitote aut gratias agite Deo, sed *nolite timere.* Respondet sanctus Petrus Chrysologus sermone 23. promissionem regni sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet infulas principatus, & ideo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus. Ita sanctus Chrysologus; quasi dicat: Stupore meritò affici possent audientes, intrate in gaudium ipsius Dei, ideo confirmat eos prius dicens, *nolite timere, nolite pauescere*, Ita quidem futurum est, nec vos terreat indignitas propria, quia non propter vos id fiet, sed quia sic complacuit Patri vestro; quare iure ibi exclamat sanctus Petrus Chrysologus, dicens: O bonitas effusa! ô pietas inaudita! ô ineffabilis charitas! ad consortium dominationis seruos Dominus asciuit, & ad participationem regni Rex gregem totius populi admittit; sic, sic dat, cui vacuari potestas non potest largiendo. ita ille.

Luc. 12

S. Petrus Chrysol.

Vs excellentiam gloriæ dignè explicare possemus, eam priùs vidisse oporteret, & quidem nec ita qualia & quanta sit, verbis posset explicari: vidit eam in raptu Paulus, & cum de illa agere 2. Cor. 12. vellet dixit 2. Corinth. 12. *Scio huiusmodi hominem siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit quoniam raptus fuit in paradise, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Viderat gloriosa Dei, & cognouit celsitudinem gloriæ, eam tamen exprimere nequiuit, sed hoc solum dicere potuit, *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis:* Quasi dicat, nec ignis sancti Laurentij, nec excoriatio sancti Bartholomæi, nec omnium martyrum tormenta simul sumpta digna sunt tanta gloria. Cæterum exponere qualis & quanta illa sit, nequeo; quod si beatus Apostolus illam explicare vellet, similis quidem esset agricolæ, qui numquam ex oppidulo suo exiens, semel curiam regiam adiret, & ex mirabilibus curiæ obstupefactus in villam suam reuersus referre illa vellet quæ in curia vidit, magnitudinem scilicet ædificiorum, sumptuositatem domus re- Simile. giæ, Regis maiestatem, Magnatum ornatum, diuitias ciuium, officiorum copiam, ciborum abundantiam, gentium multitudinem, sermonis elegantiam, & reliqua omnia quæ amplitudinem gloriæ comitantur, referre prorsus nesciret quæ vidit & audiuit, referre non posset nisi balbutiens; quod si quid narraret, diceret, *vi este como asi y lo otro como asina*, &c. Sic quidem tanta est cælestis curiæ gloria, vt vel ipse Paulus qui ad illam prospiciendam fuit eleuatus, nisi per indirecta, *y como dizen à bulto y por maior*, de illa quæ vidit referre nequiuerit, quantumuis sapiens, & eloquens esset.

Luc. 12. sic Dominus ad discipulos suos, Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex.* Sistamus hic, quid ais Domine, *nolite timere?* tu non eis dixisti, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, numquid inter lupos agnus non merito timere potest? numquid non tu dixisti discipulis, *absque synagogis facient vos*, hoc est excommunicabunt vos, & venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo, & nihilominus ais, *nolite timere?* ita quidem, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum, *que trabajo puede hazer contrapese donde el pese es la gloria eterna?* Vnde merito sanctus Petrus Chrysologus serm. 22. expen- S. Petrus Chrysol. dens dictum locum, Luc. 12. ait: Christus discipulis suis regnum cælorum ponit in præmium vt in certamine non periculis nec timori cedant: pericula despicit qui tendit ad regnum, victoriæ cupidus timere nescit. ita ille.

Cantic. 1. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus* Cant. 1. *mihi*, sic Sponsa Christi. Sed cur non facem Myrrhæ, sed fasciculum dicit? Sanctus Ber- S. Bern. nardus serm. 43. in Cantica, Myrrha amara res, dura, & aspera, tribulationem significat, & propterea non facem sed fasciculum Myrrhæ dixit, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis; id enim quod in præsenti est leue & momentaneum tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; erit ergo quandoque in nobis ingens cumulus gloriæ qui modo est fasciculus Myrrhæ. ita S. Bern.

Matth. 6. *Adueniat regnum tuum.* Cassianus Matt. 6. Cassian. collatione 9. cap. 18. hoc petimus hîc quod est filiis Dei generaliter repromissum, in quo eis dicetur à Christo, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* ita ille. Nunc ad rem, Deus quid petit à te? Matth. 19. *serua mandata*; & tu à Deo? Matt. 19. adueniat mihi regnum tuum: quid maius quod petit à te, an quod tu à Deo? etenim licet obseruatio legis Christi nullum præmium haberet, ipsamet obseruatio sufficiens sibi præmium esset; tum quia ipsa natura hominis talem exigit obseruantiam, tum quia tanto Domino seruire & parere gloria magna nostra est. Quid quod insuper tam immensum, & æternum gloriæ pondus operetur in nobis? est denique confusio ingens nostra tale ac tantum regnum à Deo postulare, & obseruantiam mandatorum iustissimam, quam postulat Deus à nobis, illi denegare; videat ergo qui regnum Dei consequi optat, & mandata Dei obseruare detrectat, quid Dominus Matth. 19. saluari cupienti dicat: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hæc duo quæ Deus coniungit, homo non separet, si non vult & ipse à Deo separari.

):(

PROPOSITIO II.

Gloriæ consideratio ad tolerandos labores conducit.

Psal. 41. PSalm. 41. sic Dauid: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Cur lachrymas panes esse dicit, cum potius ad potum quàm ad cibum aptæ sint? cur non ait, *Fuerunt mihi potus?* Etenim qui sitiens panem manducat, non sitim extinguit sed auget. Cum igitur Deum videre optaret Dauid, & ob id lachrymas funderet, non solùm sitim videndi Deum non extinguebat, sed potius sitis eius crescebat, ac si Simile. is qui aquam sitit panem manducaret. Sed tamen tanta est consolatio interior, fundentis lachrymas propter Deum & eius visionem gloriosam, vt vel flere propter ea cibus animæ, quo anima in hac peregrinatione sustentatur, dici possit; nec multum ab hac expositione S. Greg. distat ea, quam sanctus Gregorius adducit 5. Mor. 7. vel. 4. luctu suo pascitur anima, cum ad superna gaudia flendo subleuatur, & intus quidem gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum, quo vis amoris lachrymas emanat. Suspirans ergo Propheta comedebat cum diceret, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* ita sanctus Gregorius.

PROPOSITIO

Propositio III.

Gloria cæli est fælicitas æterna fine carens.

Genes. 2.

GEnes. 2. *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Cur non dixit scriptura de die septimo, quod de aliis dixerat diebus, *Factum est vespere & mane dies vnus, & factum est vespere & mane dies secundus*, &c. Cur etiam non dixit, *factum est vespere & mane dies septimus?* Sanctus Anselmus in cap. 4. ad Hæbræos: sicut enim sabbatum in quo Deus requieuit, non legitur habuisse vesperam, sic requies iustorum non habebit finem; quia sicut ibi Deus cessauit ab operibus suis, sic illi cessabunt ab omni opere, liberi penitus ab omni laboris anxietate in æternum. ita ille, iuxta illud Apoc. 14. *Amodo dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

S. Ansel.

Propositio IV.

Qualiter primo loco quærenda sit fælicitas gloriæ.

Gen. 1.

GEnes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Obserua ordinem narrationis, non enim dixit, *in principio creauit terram & cælum*, sed è conuerso. Cur ita? rectè Doctor quidam: Terram Deus condidit & homini tribuit in vsus, sed primum & supra condidit cælum, quia pluris ab homine æstimandum & quærendum esse voluit cælum, & qui prius terram quàm cælum quærit, Dei ordinem peruertit. ita ille.

Doctor quidam.

Cui rectè consonat quod Dominus dixit Matt. 6. *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Ponderat eleganter S. Chrysost. locum hunc homil. 23. in Matth. dicens: Ethnicorum studium erga præsentem vitam consumitur, quorum nulla cælestium & futurorum cogitatio est; ideo Dominus dixit: Hæc omnia temporalia gentes inquirunt, nobis autem non sunt ista principaliter quærenda sed illa. ita S. Chrysost.

Matt. 6.

S. Chrys.

Vbi etiam obserua verbum illud, *adiicientur vobis*: quod sic etiam expendit ibidem optimè S. Chrysost. dicens, non dixit, *dabuntur vobis*, sed, *adiicientur*; vt disceremus horum quæ in præsenti dantur, nihil esse magnum si futurorum magnitudini comparentur. Et idcirco nec peti illa iussit Deus, sed adiicienda esse dixit. ita S. Chrysost. vbi nota verbum *adiicere*, adiectiua esse hæc bona mundi significare, adiectiua verò accidentia important secundùm Latinos, vt paries albus, carbo niger, &c. quo significatum est quàm parui momenti sint bona temporalia, qualia scilicet accidentia sunt comparatione substantiæ, qualia cælestia bona sunt: *En el cielo està la substantia de nuestros bienes, en la tierra los bienes son como accidentes sin substancia que son de poquissimo ser.* Cum igitur ita sit, *quærite primùm regnum Dei.* Insuper attende verbum illud, *quærite*, & subintellige, à Deo; donum enim Dei est affectus iste quærendi primò & principaliter regnum Dei, sicut indicauit Dei

S. Chrys.

Sponsa Cantic. 2. dicens: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; amoris ordinem tribuit Deus sponsæ suæ, vt nempe ordinatè diligat diligenda secundùm exigentiam cuiusque rei, amando videlicet primo, & præcipuo loco cælestia, deinde moderatè terrestria; id enim est quod religio & virtus Christiana requirit. Virtus enim, vti asserit S. August. nihil aliud est quàm ordo amoris: qui enim ordinatè res amat, ille quidem virtute præditus est, qui scilicet Deum amat super omnia, proximum sicut se ipsum, & temporalia tanquam temporalia.

S. August.

Apoc. 12. *Signum magnum*, ait S. Ioan. Euangelista, *apparuit in cælo, mulier amicta sole, & in capite eius corona stellarum duodecim & luna sub pedibus eius.* Etenim sol & stellæ bona immutabilia sunt, atque adeo symbola sunt bonorum cælestium, quæ immutabilia sunt; luna verò quæ assiduè mutatur, mundi symbolum est, & ideo sub pedibus Ecclesiæ collocatur, stellæ verò supra caput, & sol supra cor Ecclesiæ. Ecce debitus amoris nostri ordo & situs, vt terrestria pedibus teramus, cælestia verò supra capita nostra constituamus, iuuante Deo, à quo ordo iste procedit. Vnde quatuor illa animalia Ezechielis supra capita sua firmamentum ferebant, nimirum, quia vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Postula igitur à Deo hunc Dei spiritum vt supra caput non terram, sed firmamentum cæli apponas.

Apoc. 12.

Ezech. 8.

Propositio V.

Gloria laboribus & bonis operibus promerenda est.

2. AD Timoth. 2. sic Paulus ad discipulum suum Timoth. *Labora sicut bonus miles Christi*; & subdit: *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Quid, inquies, est *legitimè certare?* S. Anselm. id est, nisi certauerit prout lex certaminis requirit; sic miles Christi, qui cum diabolo pugnat in agone præsentis vitæ, non percipiet coronam æternæ gloriæ, nisi vicerit secundùm legem pugnæ Christianæ. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum, quia ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Non igitur coronabitur nisi vicerit, neque vincet nisi certauerit, neque certabit nisi inimicum habens, & tentationibus resistens. Prosunt ergo iustis labores certaminum, quia per hos merentur coronari. ita S. Anselm.

2. Timo. 2.

S. Ansel.

Iosue. 6. præcepit Dominus spolia Ierico sibi reseruari & sibi soli dicari; *Sit*, inquit, *ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino.* Cur, quæso, militibus suis non ea concessit Deus? Caietan. quia solus Deus eam vrbem expugnauit, filiis Israël nihil laborantibus; quibus autem pugnæ labor non contingit, prædæ emolumentum non debetur. ita ille.

Iosue 6.

Caiet.

Propositio VI.

Gloriæ consideratio despicere facit bona transitoria.

Matt. 17. S. Greg. — MAtth. 17. quid est quod S. Petrus in monte Tabor Domino dixit: *Domine bonum est nos hic esse*, &c. S. Gregor. in 1. Reg. 1. qoia ex pulchritudine gloriæ cuncta quæ transeunt velut fæda despexit beatus Petrus. ita ille. Etenim nouerat S. Petrus Christum Dominum in mondi redemptionem à Patre missum, sed radio illo gloriæ Christi transfigurati veluti obtenebratus & omnium aliarum rerum oblitus, solam gloriæ illius magnitudinem animaduertebat, quamuis non ipsam essentialem gloriam, sed dotem solummodo claritatis corporis Domini videret.

Matt. 17. S. Greg. — Rursus, Matth. 17. Apostolus Petrus videns gloriam transfigurationis Christi dixit: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*, &c. Cur desertum illum locum eligebat Petrus vbi subdio & vbi alimentis carebant? S. Gregor. in caput primum libri primi Regum, quia ex pulchritudine gloriæ cuncta quæ transeont velut fæda Petrus despexit. ita ille. Sicut si Rex pauperi diuitias & vestes pretiosas offerret, illico vestes tritas & vilem suam supellectilem despiceret & abiiceret; sic nos quibus Dominus talem ac tantam gloriam offert, vilia & contemptibilia mundi bona facilè despicere & à nobis reiicere debemus.

Propositio VII.

Spes Gloriæ gaudium parit.

Rom. 12. Toletus. Rom. 5. Matth. 5. — AD Rom. Apost. cap. 12. eum Christiani Romæ existentes persecutiones paterentur inter alia sic, *Spe*, inquit, *gaudentes, in tribulatione patientes*; hoc est, quamuis aduersa patiamini, non solùm patienter ea tolerate, verùm etiam cum gaudio ea sustinere propter spem æternæ gloriæ quam habetis. Vbi Cardinalis Toletus, quia spes confirmat animos in obsequio Dei, quæ tanta est vt generet gaudium. ita ille. Imo non solùm gaudio digna est spes tanti boni, sed etiam gloriatione, sicut de se & sibi similibus ait idem Paulus ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit*; vnde de primo ad vltimum propter spem gloriabatur in tribulationibus, & denique Christus Dominus non solùm gaudere hac spe sed etiam exultare nos posse ait dicens, Matth. 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* non ait solùm *gaudete*, sed, *exultate*, exultare autem est saltibus & signis exterioribus gaudium internum cordis manifestare.

Matth. 2. S. Chrys. — Matth. 2. cum Magi exeuntes ex Hierusalem viderunt stellam *gauisi*, inquit, *sunt gaudio*, non qualicumque, sed *magno valde.* Cur ita? qoia non inanem videbant esse spem videndi Christum; sic enim interpretatur gaudium hoc sanctus Chrysost. homil. 2. in Imperfect. dicens: *Gaudio magno gauisi sunt*, quia spes illorum non erat decepta, sed amplius confirmata, quod tanti itineris non frustra susceperant laborem. ita ille. Sic & nos etsi non videmus adhoc Deum, & inquirendo illum labores patimur; gaudemus tamen gaudio magno, & in tribulationibus gloriamur, & exultamus, sperantes gloriam Dei, spe gaudentes. Tantum enim bonum est cælestis gloria, vt sola eius spes maioris gaudij meritò causa sit, quàm possessio rerum omnium mundi; sicut dicere solemus, *mas vale buena esperança que ruin possession*, nec labor quiuis mundi in ratione laboris tanti mæroris causa est, quanti est gaudij spes gloriæ nostræ.

Iob. 7. Simile. S. Greg. — Iob. 7. *Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Hic S. Iob vitam non solùm suam sed etiam omnium hominum in hoc mundo viuentium mercenario comparauit, non solùm propter vitæ ipsius labores, sed etiam propter spem remunerationis quæ ex labore consurgit alleuiantem operis defatigationem, sic exponit locum hunc S. Gregor. 8. Mor. 5. dicens: Mercenarius cum facienda opera conspicit, mentem protinus ex longinquitate & pondere laboris addicit (seu vt alia littera habet, adiicit) eum verò lacessentem animum ad considerandum operis præmium reuocat, vigorem animi mox ad exercitium laboris reformat, & quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione: sic electi dum mundi huius aduersa patiuntur, cum contumelias & rerum damna & cruciatus corporis tolerant, esse grania quibus exercentur pensant; sed cum mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem extendunt ex comparatione præmij quàm sit leue quod pationtur inueniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione prouida ex remuneratione leuigatur. ita S. Gregor.

1. Cor. 11. S. Greg. — Exemplum S. Pauli hoc confirmat ibidem idem S. dicens: Paulus quàm esset graue quod tolerabat indicauit 1. Cor. 11. dicens, *in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse*, qui etiam à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepit, qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit, qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in solitudine, in mari, & in falsis fratribus pertulit, qui in labore, & ærumna & in ieiuniis multis, in fame, in siti, in frigore, & nuditate laborauit, qui foris pugnas, intus timores sustinuit, qui vltra vires grauatum se asserit dicens, *supra modum grauati sumus*, supra virtutem; sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat, ipse denuntiat dicens, *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Finem igitur operis quasi mercenarius præstolatur, qui dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pene deficiens laborat. ita S. Greg. & ideo S. Iob in hac comparatione mercenarij seipsum exemplar fecit dicens: *Sic ego habui menses vacuos & noctes laboriosas enumeraui mihi*; menses habuit vacuos propter aliquem

aliquem defectum, v. g. consolationis temporalis; & noctes laboriosas propter dolores, sed sicut mercenarius, nam mercenarius dum fatigatur laborans à labore leuigatur, mercedem post laborem futuram considerans.

Propositio VIII.

Gloria premium virtutis est.

Psal. 1. PSal. 1. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum*, &c. Hoc est, qui à peccatis cauet & virtute præditus est, hunc beatum vocat. Cur ita? S. Basil. S. Basil. in scholiis Psal. 1. sicut quodcumque humanæ vitæ institutum certum quendam finem petit, vtpote militaris disciplina, trophæa, ars medica sanitatem; ita & virtutis scientia suum habet finem & fructum, diuinam scilicet felicitatem. ita ille.

Propositio IX.

Gloria est pacis & quietis secura possessio.

3. Reg. 6. 3. REg. 6. de templo Salomonis sic scriptura, *Domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur*. Cur ita? quodnam inconueniens fuisset si malleus & securis & omne ferramentum esS. Thom. sent audita? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. per tabernaculum inquit & domum Dei duplex status siSimile. gnificabatur; per tabernaculum enim (quod est mutabile) significatur status præsentis vitæ mutabilis; per templum verò (quod erat fixum & stans) significatur status vitæ futuræ quæ omnino immutabilis est; & propter hoc in ædificatione templi dicitur quod non est auditus sonitus mallei vel securis, ad significandum quod omnis perturbationis tumultus longè erit ab statu futuro. ita S. Th. In hac igitur Ecclesia militante, sunt perturbationes tribulationum & tentationum, quia militia sine his esse non potest, in triumphante verò summa pax, quies, & fruitio, quia victis hostibus triumphantes gloria summa fruemur.

Propositio X.

Gloria mundi quàm vana sit.

Iob. 7. IOb. 7. sic S. Iob: *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascenSimile. det*. Metaphora est à nubibus sumpta; videbis nubem ingentem tonitruis tonantem, fulgoribus coruscantem, fulmina minitantem, & panorem, vel saltem admirationem sui omnibus incutientem, quæ tamen in pluuiam conuersa, in terram cadens, tanquam lutum conculcatur, & in obliuionem traditur, ac si non fuisset. Similiter etiam videbis Principem quendam mundi tonantem, fulgentem & in sui admirationem omnes adducentem, qui subitò in sepulchrum cadens, in puluerem conuertitur, quasi non fuisset; sic eius obliuiscuntur omnes, periit enim memoria eius cum sonitu, sicuti ait Dauid. Hoc igitur est quod ait Iob, *sicut consumitur nubes & pertransit*, à nube scilicet in lutum, *sic qui descenderit ad inferos*, id est ad sepulchra, *non ascendet*, amplius videlicet ad honorem & gloriam, qua paulo ante potiebatur. Sic sanctus Gregor. S. Greg. 8. Mor. 10. dicens, ac si apertè dicat: Sicut vir in altum currendo deficit, sic qui superbiendo ad interitum tendit. ita ille.

Gloria vana, *Vide* Vana gloria.

Gratia.

1. *Quàm felix & diues sit qui gratiam Dei habet.*
2. *Qui in gratia est, amicus Dei est.*
3. *Gratia est animæ vita.*
4. *Gratia hominem Dei filium facit.*

Propositio I.

Quàm felix & diues sit qui gratiam Dei habet.

SAnctus Ambrosius ponderans verba illa Dauidis Psalm. 118. *Portio mea Domine,* S. Ambr. *dixi, custodire legem tuam* (in originali Græco dicitur, *portio mea Domine tu es*:) ait ergo S. Ambros. quàm rarus est qui dicere possit Deo, *portio mea tu es*, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil huius mundi vindicet sibi! ita ille. Qui igitur verè diues esse desiderat, diuitias mundi calcet & contemnat. Quid inde? quid? Erit portio eius Dominus Deus; poterit ne altior possessio bonorum esse? Quid non habet qui habentem omnia habet? Deum autem habet, qui iustus est & gratiam eius habet. Qui gratia caret, Deo caret.

Pro eximio quidem beneficio Deus ordinauit olim Leuitas & Sacerdotes nullas terrenas possessiones possidere iuxta illud Dei, Num. 18. ad Num. 18 Aaronem, *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël.* vbi S. Ambros. in eundem Psal. 118. S. Ambr. negatur his terrena diuisio, vt ipsi dum sæcularem sibi non vendicant portionem, fiant possessio cælestis. ita ille; fiunt quidem hoc modo possessio Dei, & Deus possessio eorum. Quid igitur desiderate superest illis, quorum Deus possessio est? Qui replet in bonis desideria possidentium eum. Vide S. Ambrosium ibidem.

Actor. 3. petebat pauper quidam claudus Actor. 3. eleemosynam à S. Petro, ad quem sic Petrus: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Expendit & exponit hæc verba S. Ambrosius ibidem, quasi diceret, inquit, sanctus Petrus: Portio mea Christus est, in portione mea diues sum, in portione mea potens sum; quomodo poterat Petrus portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat? ita ille. vnde concludens S. Ambr. & agens de iusto viro qui per gratiam possidet Deum, ait:

Portio tua non ariditate ficcatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur; ea est portio quam terrenæ portiones æquare non possunt. ita ille. Habeat igitur Alexander magnus in ditione sua mundum vniuersum, si tu Deum habeas, non habebis cur inuideas Alexandro. Hinc igitur constat, quanta sit excellentia gratiæ: solus enim ille possidet Deum, qui gratiam habitualem habet.

Propositio II.

Qui in gratia est, amicus Dei est.

Psal. 138. PSal. 138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*, &c. Quos, quæso, Dauid hic amicos Dei vocat? quis tanto nomine dignus, homo, vel Angelus, vel Seraph, vel ille supremus

S. Greg. sit? S. Gregor. hom. 27. in Euangelia sic respondet: Electos Dei à mundi huius amore separatos Psalmista prospexit. ita ille. Viros itaque iustos amicos Dei esse ait Propheta Dauid. Quanta verò sit excellentia hominum, amicos Dei esse, expendamus: etenim Apostolus Paulus in principio Epistolæ ad Roman. sic incipit: *Paulus seruus Iesu Christi: seruus*, inquit, serui autem nomen in mundo vile reputatur. Cur igitur illud Paulus, qui tantus Apostolus erat, sibi assumpsit? Et similiter Apostolus Iacobus in principio epistolæ suæ ad duodecim tribus ait; *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus*. Cur non ait, *Apo-*

Didimus Alexand. *stolus*, sed, *seruus*? Respondet Didimus Alexandrinus in hunc locum Iacobi; quoniam sicut homines mortalem gloriam appetentes in suis conscriptionibus dignitates suas apponunt, ita sancti viri in epistolis suis seruos Domini nostri Iesu Christi se proferunt, æstimantes hanc appellationem supra regna totius orbis consistere. ita ille.

Psal. 115. Rex quidem erat Dauid, & tamen non gloriabatur nomine Regis sed serui Dei, Psalm. 115. *O Domine ego seruus tuus*; & quasi non illi satis esset semel se Dei seruum appellare, iterum subdit, *ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, tet simul seruum Dei se esse gloriabatur. Rectè: nam pro magno debet esse cuiuis magno Regi & mundi Imperatori, *serui* Dei appellatio.

Imò Imperatorum omnium caput, summus videlicet Pontifex, quasi indignum se reputans nomine serui Dei, sic de se, *Seruus*, inquit, *seruorum Dei*; quasi dicens, tanta res est Dei seruum esse, vt summo orbis principi satis, superque sit seruorum Dei seruum esse.

Sed quid mirum cùm Beatissima Dei Mater accepta dignitate matris Dei dixerit, *Ecce ancilla Domini*, nec pænitens in cantico suo repetat dicens, *respexit humilitatem ancillæ suæ*? tanta quidem res est seruum aut ancillam Dei esse; quanta igitur erit amicum Dei nominati & esse?

Propositio III.

Gratia est animæ vita.

Simile. VIde obsecro quid sit corpori tuo anima tua, & inde deduces, quid sit animæ tuæ gratia Dei. Anima enim est, quæ tribuit oculis visum, auditum auribus præstat, & quæ linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat; si quid vitæ, si quid sensus, si quid in te decoris est, ab anima tua procedit; denique discessus eius probat, quid præsentia conferebat: protinus enim anima recedente, lingua silet, oculi non vident, aures non audiunt, totum corpus riget, facies pallescit, & omnis corporis decor conuertitur in deformitatem, ita vt horrorem præseferat corpus quod antea videre libebat. Sic de anima nostra & gratia gratum faciente philosophandum est; homo enim per malitiam occidit animam suam, vt habetur Sap. 16. per gra- Sap. 16.
tiam autem anima viuit altissima quadam & supernaturali vita. Vnde cum gratia nihil in orbe melius quàm anima nostra, nihil pulchrius; sine gratia nihil turpius, nihil peius; mortua enim in corpore viuo anima iacet, & similis dæmonibus est. Vnde si animam in peccato mortali existentem videre liceret, terrorem & horrorem magnum in nobis excitaret, & ab ea velut à dæmone fugeremus.

Propositio IV.

Gratia hominem Dei filium facit.

IOan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit* Ioan. 1.
eis potestatem filios Dei fieri. Vbi interlinea. *Filios Dei fieri vt sint fratres eius & coheredes per gratiam*. ita glossa. Sed ponderandum est verbum, *quotquot*: numquid in filios recipiet Dominus pauperes & seruos & miseros omnes? numquid & peccatores qui serui diaboli fuerunt? S. Chrysost. in hunc locum, siue sint liberi, siue serui, siue sint Græci, siue barbari, siue sapientes, siue insipientes, quotquot eum receperunt, omnes eodem digni facti sunt honore. ita ille.

Quis autem pro dignitate dignitatem istam valeat æstimare? Rectè S. August. in hunc lo- S. August.
cum: magna beneuolentia vnius natus est Christus, & noluit manere vnus; non timuit habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta si eam possederint multi. ita S. August.

Angelus ad Virginem Luc. 1. de Christo agens, Luc. 1.
Hic, inquit, *erit magnus & filius Altissimi vocabitur*. Horum verborum connexionem expendens S. Bern. hom. 3. *super missus*, *est*, ait: Verè S. Bern.
magnus qui filius Altissimi merebitur appellari. ita ille. Christus quidem filius Dei per naturam dignitatem diuinæ filiationis habet; homo verò per gratiam. Christus igitur & homines iusti filij Dei ordine suo sunt, illi naturales, isti adoptiui; & quamuis illa omnino sublimior, hæc tamen quoque indicibilis dignitas est. Vnde Apost. Ioannes 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus*. Quærerem ego à Diuo Ioanne, qualem charitatem inquis? quid nos interrogas ignorantes? explica tu qui spiritum Dei habes, cuius lingua est calamus velociter scribentis; dicito nobis qualem charitatem dedit nobis Pater vt filij Dei nominemur per gratiam eius, & verè simus. *Charissimi*, inquit, *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus*. Rectè, sed magnitudinem filiationis huius non explicasti; nimirum, quia inexplicabilis est, deficit lingua, imo & sensus: ideo ait, *videte*, id est attendite, & considerate, & inuenietis causam, propter quam ego inexplicatum hoc relinquo, quia nondum apparet quid sit filium Dei esse; cum apparuerit clarè Deus, apparebit quoque dignitas filiorum Dei.

Hoc autem considerandum superest quod addit Apostolus

Rom. 8. Apostolus Paulus ad Rom. 8. *Si autem filij & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* *Heredes* quomodo, aut in quo *heredes?* numquid reseruauit nobis Dominus terram aliquam promissionis, sicut filiis Israël? aut pascere nos vult manna sicut illos? non enim contemnenda esset

S. Thom. hæreditas ista. Respondet S. Thom. in hunc Pauli locum: Dicitur aliquis hæres alicuius existere, qui principalia eius percipit bona, non autem qui recipit munuscula, sicut legitur Gen. 25. quòd Abraham dedit cuncta quæ possedit Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera; bonum autem principale quo Deus diues est, ipsemet est, est diues per se ipsum & non per aliquid aliud, quia extrinsecorum bonorum non indiget, vnde ipsum Deum adipiscuntur filij pro hæreditate, iuxta id Psal. *Dominus pars hereditatis mea*, ita S. Thom. Ecce quanta res sit filium esse Dei. O felices Dei filij, quibus talis ac tanta felicitas reseruatur! O infelices peccatores qui non filij Dei sed serui diaboli sunt, quibus nulla pars in illa sublimi cælorum gloria erit, sed ignis sempiternus! &c.

1. Ioan. 3. Rursus 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus*; quasi dicat, nomen solum filiorum Dei eximiæ excellentiæ nobis esset; quanto autem maioris erit non solùm dici sed esse? *videte*, inquit, hoc, id est non per modum transitus hoc consideremus, vt tanti beneficij æternas gratias agamus Deo nostro.

Verè dignum & iustum est; hinc enim sequitur primo altas & generosas cogitationes nos concipere debere, *para nunca degenerar de los al-*

S. August. *tos y generosos pensamientos de hijos de Dios*, S. August. 3. de ciuit. Dei c. 9. ait: Vir Romanorum doctissimus Varro vtile esse ciuitatibus dicit, vt se viri fortes etiam si falsum sit ex diis genitos esse credant, vt eo modo animus humanus veluti diuinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediatur & agat vehementius. ita S. August. Quod de Hercule, Romulo & Ænea narrant historiæ, & magis de Alexandro Magno, quem sui filium Iouis appellabant, & ipse talem se iactabat. Ad hoc igitur conducit nos filios Dei per gratiam esse.

Actor. 17. Et hinc S. Paulus Actor. 17. Atheniensibus suadebat idololatriam abiurare, quæ generosis animis indigna erat; allegans enim dictum Poëtæ, *genus Dei sumus*, subdit, *genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinũ, esse simile.* Sic igitur cum nos non sicut illi falsò sed verè per gratiam filij Dei simus, sublimia concipere animo, & factis exercere debemus. Hoc primum.

Secundum autem hinc nos Dei hæredes, cohæredes autẽ Christi sumus: quam quidẽ consequen-

Rom. 8. tiam ipse Apostolus expressit ad Rom. 8. dicens, *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum filiorum in quo clamamus, Abba Pater*, id est Pater Pater, *Abba* enim idem est quod *Pater*. Cur bis *Pater?* vt quàm Dei filij sint qui existunt in gratia explicaret: sed quid inde? Addit, *Quod si filij & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* ita Apostolus, hæredes autem regni cælorum in æternum. Quid fælicius?

Gratitudo.

1. *Quàm Deo grata sit gratitudo nostra in eum.*
2. *Quòd etiam pro flagellis & laboribus gratias agere Deo debeamus.*
3. *Quod etiam Deo gratias referre debeamus cum negat nobis postulata.*
4. *Grato multiplicat Deus beneficia.*
5. *Quòd multi in Deum ingrati sint.*
6. *Quòd etiam pro bonis temporalibus gratias Deo agere debeamus.*
7. *Quàm iustum sit pro beneficio gratias referre.*
8. *Quòd non tam pro beneficio, quàm pro bona voluntate dantis, sit exhibenda gratitudo.*

Propositio I.

Quàm Deo grata sit gratitudo nostra in eum.

Gen. 7. GEnes. 7. iussit Dominus Noë secum in arcam introducere animalia, & volatilia ex omni specie, non tamen eodem modo: sed *ex mundis septena & septena*, hoc est ex vnaquaque specie mundorum septem. Cur non sex sed septem? cur & septimo socium non dedit, sicut & aliis sex? Theod. q. 50. in Genes. sic

Theodor. respondet: vt Noë vnum animal offerens ex vnaquaque specie non perimeret coniugationes. ita ille. Quod & Noë fideliter præstitit, vt constat Genes. 8. nam in gratiarum actionem pro beneficio liberationis erexit altare, & obtulit ex illis animantibus sacrificium laudis Deo. Ecce quomodo præuenit Deus materiam gratitudinis; non enim ingratis sed gratis gaudet.

Exod. 16 Exod. 16. iussit Dominus vas plenum manna in tabernaculo testimonij asseruari, in quo miraculum magnum enituit; manna quippe adeo delicatus cibus erat, vt vel in diem reseruatus facile corrumperetur, & vermibus scateret, & tamen manna illud in futuras generationes perdurauit. Cur hoc? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 6. sic

S. Thom. respondet: manna conseruabatur in arca ad commemorandum beneficium, quod Dominus præstitit in deserto filiis Israël. ita S. Thom. Sed quid testibus egemus? Dominum ipsum audiamus Exodi. 16. vbi sic ad Moysem: *Imple gomor ex eo, vt custodiatur in futuras retro generationes, vt norint panes quibus alui vos in solitudine.* Ad quid autem, inquies, notitia ista? nempe vt Deo gratias referrent pro tanto beneficio antecessoribus collato. Bene, sed tamen cum beneficium illud non successoribus, sed antecessoribus exhibitum fuerit, prædecessorum erat, gratias pro illo agere & non subsequentium; etenim si pro beneficio à parentibus accepto voluit Deus gratias exhibere filios, quanto magis hi qui personaliter beneficiis diuinis potiuntur, gratias Deo agere oportebit? Quod & Dominus agendum significauit Sapien. 16. vbi dicitur, quod ab igne non potuit exterminari, statim ab exiguo radio solis

tabescebat, vt notũ omnibus esset quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, &c.

S. Thom. 1. Paral. 29.

Quamplurima sacrificia & holocausta in lege veteri Deus à populo suo exigebat. Cur ita? siquidem Deus ipsis minime indigebat? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. vt homo ex rebus suis offerens illa Deo, recognosceret se illa à Deo habere. ita ille. Ecce cur tot boues & oues & alia multa in sacrificio exigebat. Vnde Dauid 1. Paralip. 29. *Tua*, inquit, *sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.*

Gen. 2. Hugo. Victori.

Genes. 2. *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis, à principio in quo posuit hominem.* Cur, quæso, non produxit hominem intra paradisum, sed extra, in quodam videlicet campo Damasceno? cum constituisset non illum in campo illo degere sed in paradiso; cur ambage huiusmodi vsus est? Hugo Victorinus super hunc locum sic respondet: extra paradisum voluit Deus hominem formare, vt intelligeret se ex gratia, & non ex natura in paradiso locatum. ita ille. Etenim videmus paucos propter bona naturalia gratias referre Deo, v. g. propter solis lucem, propter ignis calorem, propter fertilitatem terræ, propter abundantiam aquæ, & propter aërem quo respiramus, & propter huiusmodi alia gratias, & gloriam Deo dare, quia bona hæc naturalia sunt; propter illa verò quæ de nouo nobis adueniunt, multi gratias reddunt Deo. Igitur vt pro paradisi habitatione Deo gratias referret homo; extra paradisum Deus formauit eum, vti ait Hugo: amat enim Deus gratitudinem nostram; & ideo fortasse inter alias causas in peccatum Adam labi permisit, quia non illico gratias exhibuit pro tanto beneficio.

Gen. 9. Hugo Card.

Gen. 9. Benedixit Noë filio suo Sem pro quodam filiali obsequio sibi ab eo exhibito, & dixit: *Benedictus Dominus Deus Sem.* Si à Sem filio suo accepit beneficium, cur gratias Deo & non ipsi filio retulit? Respondet Hugo de S. Victore, non Sem sed Deum benedixit, vt intelligamus omne bonum nostrum non nobis sed Deo tribuendum esse. Ita ille. Et ita quidem, quia omne datum desursum est originaliter à Deo.

Tobiæ.

Vnde Raphael Angelus postquam multa bona opera, & valde vtilia Tobiæ iuniori & patri eius fecisset, dixit eis: *Benedicite Deũ, & narrate omnia mirabilia eius*; etenim mirabilia illa Angelus patrarat; sed quia à Deo bona cuncta procedunt, ideo Raphaël Angelus de operibus suis Deo gratias referendas dicebat.

Gen. 8. Theodor.

Genes. 8. *Obtulit Noë Deo*, post liberationem à diluuio, *pecorum holocausta super altare, & odoratus est Dominus odorem suauitatis*, ait text. sacer. Theodor. q. 53. in Genes. inquirit, vnde odor iste suauitatis adeo gratus Deo? caro quidem & ossa combusta pessimum odorem exhalare solent? Respondet S. Theodor. excepit Deus promptitudinem animi Noë, non quidem odore illo delectatus, nihil enim peius olet quàm ossa exusta, sed offerentis animum laudauit. ita ille. Laudauit quidem Deus eius feruorem & bonam voluntatem, intentionem rectam, & gratitudinem eius.

Gen. 4. Procop.

Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius.* Theodotionis editio sic habet, *incendit Deus munera eius.* Ex quo S. Hieron. & Procopius colligunt super sacrificium Abelis misisse Dominum ignem de cælo, quo se beneuole sacrificium acceptasse manifestaret; sicut etiam ignem misit super Eliæ sacrificium. Syrus verò legit, *placuit sacrificium Deo*; Aquila verò sic, *consolationem accepit.* Qui autem fieri potest vt Deus consolationem accipiat? consolatio enim illius est, qui desolatione aliqua cordis seu tristitia est affectus. Deus autem huiusmodi affectus incapax est. At more nostro hic loquitur scriptura; solet enim inter nos qui mæret aut iratus est, beneficio aliquo aut obsequio grato consolari. Vnde Procopius hoc loco ait; Aquila sua interpretatione docet Deum placatum Abelis sacrificio fuisse, & deposuisse iram qua exarserat in Adam. ita ille. Sed tamen dixerim, Deum consolatum fuisse propter gratitudinem quam præsetulit Abel sacrificio suo; dum ex pecoribus sui gregis potiora elegit & obtulit Deo in gratiarum actionem pro augmento & conseruatione ouium suarum; solet enim mæstitiæ causa esse beneficium ingrato collocatum, & ex hac mæstitia liberari is, cui gratiarum actio refertur: sic ergo consolatus est, more nostro loquendi, Deus ex gratitudine Abelis. Quod & S. Chrysost. asseruit hom. 18. in Genes. dicens: Quid est *aspexit?* id est approbauit, laudauit mentem, voluntatem coronauit. ita ille; & infra subdit: vult quidem dicere quod fecerit illos cognoscere, se Abel approbare voluntatem, Cain verò repellere ingratitudinem. ita ille.

S. Chrys.

Sunt quidem multi adeò ingrati benefactori vt opus sit prius exprobrare illorum ingratitudinem, quàm ipsi gratos se benefactori exhibere, quod non gratitudo sed ingratitudo tunc erit. Etenim hæc beneficiorum lex est, vt qui beneficium confert, obliuioni ipsum tradat; qui verò beneficium accipit, nunquam obliuiscatur accepti; & rursus benefactoris est non exprobrare ingrato, & accipientis est non expectare huiusmodi exprobrationem.

Gen. 8. S. Ambr.

Rursus Genes. 8. postquam Noë à diluuio se liberatum vidit, *Ædificauit altare Domino & tollens de vniuersis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta Deo.* vbi S. Ambros. lib. de Noë & arca cap. 22. obseruauit cætera omnia quæ in scriptura dicuntur à Noë facta, fecisse monitu Dei; altaris verò constructionem & holocausti oblationem ab illo factas esse nullo interueniente diuino præcepto; verba S. Ambrosij hæc sunt: vtique Dominus non debuit quasi auarus mercedem gratiæ postulare, & iustus intellexit illam veram gratiarum actionem esse, quæ non iuberetur sed deferretur: qui enim debitum gratiæ vt à se exigatur expectat, ingratus est. ita sanctus Ambrosius.

Iosephus.

Solent itaque placere Deo ea quæ illi sponte offeruntur, non ita verò quæ vi extorquentur. Probat hoc Iosephus lib. 2. antiquitatum cap. 2. sacrificio Abelis & Caini, dicens: sacrificium Abelis fuit Deo acceptius, eo quòd sponte à natura genitis constaret, quàm ea quæ homo auarus & industrius per vim quandam extorserit. ita Iosephus. Sensus est, Abel obtulit ex fætu ouium, lac & primogenita pretiosa, quæ sponte natura confert, Cain verò obtulit agrorum fructus, qui non sponte proueniunt, sed vi agriculturæ extorquentur, & ideo Abelis oblatio Deo grata fuit, Caini verò nequaquam. Hinc constat illam gratiarum actionem Deo placere, quæ non extorquetur à nobis, sed quam sponte & libenter Deo exhibemus.

):(

Propositio II.

Quod etiam pro flagellis & laboribus gratias agere Deo debeamus.

Psal.147. PSal. 147. inuitat Psalmista Hierosolymam ad diuinas laudes, & gratiarum actiones, dicens: *Lauda Hierusalem Dominum*, &c. Et inter cætera propter quæ laudandus Dominus sit, subdit, *qui mittit chrystallum suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* id est, quia grandinem mittit in terras, & frigus in hyeme ingens, quid hoc? nonne grando vineas & fructus terræ demolitur? & frigus nonne, vti Philosophus ait, est inimicum naturæ? Cur igitur propter hæc nos Deum laudare monet? Propter beneficia merito laudandus est Deus, propter flagella autem timendus videtur. S. Basil. S. Basil. super Psal. 9. in principio: Etenim, inquit, si pro beneficiis acceptis gratias egeris, quod debuisti reddidisti: si verò pro supplicio & afflictione gratias egeris, Deum tibi debitorem constituisti. ita S. Basilius in scholiis. Pondera vltima verba. Exemplum manifestum habes in S. Iob. c. 1.

Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Paulus. Quid est *in omnibus?* numquid in omnibus donis à Deo nobis exhibitis? non, inquit, sed in omnibus euentibus vniuersaliter loquendo, siue dulcia nobis eueniant, siue amara, siue prospera, siue aduersa. S. Leo. Quare S Leo Papa ser. 1. de ieiunio expendens hunc locum Pauli ait: Si quis parcior fuerit in susceptis seminibus terræ & castigatiore prouentu vites oleæque defluxerint, accusatur annus, arguuntur elementa, & nec aëri parcitur, nec cælo, cum fideles & pios discipulos pietatis nihil magis commendet, & muniat, quam perseuerans in Deum indefessa laudatio, dicente Apostolo, *semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas est in Christo Iesu in omnibus nobis.* Quod igitur placet Deo, placeat & nobis; tam enim nobis copia quam parcitate consulitur; otiatur de cordis agro quod terra non dedit, nouit Dominus vasa hospitalis viduæ in opus pietatis suæ vacuata complere; nouit aquas in vina conuertere; nouit de paucissimis panibus quinque millia esurientium saturare; & ille qui potuit augere dando, potest multiplicare sumendo. ita ille.

Propositio III.

Quod etiam Deo gratias referre debeamus cum negat nobis postulata.

S. Chrys. SAnctus Chrysost. Qui eum votum assequitur, Deum colit, non magnum præsefert dilectionis Dei argumentum, neque sincere Christum amare. ita ille. Nimirum, quia perfecta charitas hac vna ratione diligit Deum quia Deus est & dignus, qui propter se tantum diligi mereatur, & non ob id maximè quod bene fecerit tibi; vnde cum quis obtinet aliquid à Deo amplius gaudere & Deo gratias referre debet, eo quòd inde Deus glorificatur, quàm quia ipse quod petiit fuerit assequutus. Hinc est quod in cantico Missæ in quo gloriam Deo damus, dicit Ecclesia, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; quid est *propter magnam gloriam tuam?* Etenim propter magnam gloriam Dei laudandus est valde Deus, at propter gloriam suam gratias illi referre minime congruere videtur. Sed tamen rectè quidem, nam in cantico isto agit Ecclesia de beneficio natiuitatis & aduentus Christi Domini ad redemptionem nostram; tunc enim Angeli dicere & canere cæperunt dicentes, *Gloria in altissimis Deo*, &c. Cum igitur gloriosissimum fuerit Deo sic nasci, & sic ad nos venire, non tam Ecclesia gloriam & gratiam illi refert propter bonum nostrum, quàm propter gloriam quæ inde resultauit Deo, & ideo ait, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.*

Vnde Psal. 50. David peccatorum veniam à Deo petens dixit, *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris*, hoc est, parce mihi Domine vt hac ratione si iudicaris ab aliquo seuerum iudicem esse, in remissione peccatorum meorum agnoscat te non ita seuerum iudicem sed pium agere patrem, & ita vincas huiusmodi iudicium temerarium, exemplo misericordiæ tuæ erga me magnum peccatorem. Psal.50. Ecce Dauidis erga Deum legitimam dilectionem; non enim ait, miserere mei propter bonum meum & saluationem meam, sed propter honorem & gloriam tuam. Cum igitur oraueris Deum non solum referas ei gratias cum obtinueris postulatum, sed etiam cum non obtinueris; eo quod si Deus tuam non fecerit voluntatem, fecit Deus quidem suam, quod ita negasse quod petis ad eius prouidentiam & gloriam spectat; quod quidem illi gratissimum esse procul est dubio, imò & vtile tibi; sic enim fiet vt tibi semper propitius sit, cuius gloriæ tu fidelis extitisti, attendens potius gloriam Dei quàm commodum tuum.

Propositio IV.

Grato multiplicat Deus beneficia.

GEnes. 4. Cum natus esset Cain primogenitus primorum parentum, Eua mater eius ei Cain nomen imposuit quod interpretatur *possessio*. Gen 4. Cur ita? ipsa Scriptura sacra rationem reddit dicens, *peperit Eua Cain dicens: Possedi hominem per Deum*; & statim subdit immediate; *rursumque peperit fratrem eius Abel*: quid sibi volunt verba illa, *possedi hominem per Deum?* S. Chrysost. hom. 18. in Genes. S. Chrys. Puellum, inquit, natum non naturæ sed Deo acceptum tulit, & suam gratitudinem declarauit; ait enim, non natura mihi filium, sed gratia diuina potius dedit; & quia pro nato puero grata fuit, accepit & alium. Talis enim est Dominus noster, quando in primis in eum gratitudinem declaramus & benefactorem agnoscimus, largiùs nobis erogat dona sua. ita ille.

Gen. 8. obtulit Noë sacrificium Deo, in gratiarũ actionem, quia liberauerat eum Deus à diluuio & familiam eius, & tũc inquit scriptura. Gen. 8. *Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequaquam maledicam terræ propter homines*, &c. vbi Lyranus, quia propter gratitudinem in aliquo beneficio meretur homo aliud beneficium; ideo post beneficium liberationis datur beneficium assecurationis, dum dicit, *nequaquam maledicam terræ*, &c. ita ille. Ecce quo pacto propter gratitudinẽ vnius beneficij non solùm gratiarum actionem sibi gratam dicit Deus, verum etiam cumulat beneficia.

S. Fulgen

S.Fulgen. S. Fulgentius in præfatione in tres libros ad Monymum: Deus author est debiti, qui author est doni. ita ille. Sensus autem est eo ipso, quòd Deus dona sua tribuit nobis, nos ad gratiarum actionem deuincit; eo autem quòd nos Deo donanti gratias exhibemus, velut debitores eum reddimus, vt plura deinceps nobis conferat beneficia; sicut ei qui alia quinque talenta lucratus fuerat, quinque super quinque priora dedit. At ingrato non solùm non tribuit noua beneficia, Isa.39. verùm & exhibita tollit. Isai. 39. ad mortem ægrotauerat Rex Ezechias, quamuis Rex bonus & sine successore decedens; ægritudinis autem ratio, si magistris Hebræis credimus, fuit, quia oblitus fuit Deo gratias agere pro victoria de S. Hieron. Assyriis parta, vti refert S. Hieron. in c.39. Isaiæ, dicens, ideo ægrotasse tradunt, quia non cecinit Deo laudes. ita ille.

Propositio V.

Quòd multi in Deum ingrati sint.

Simile. Cum quis iter agit pluuiæ tempore, vel grandinis, vel niuis, pallium aquarium induit & amplectitur; cessante verò pluuia, vel grandine seu niue, pallium deponit, & nec eius amplius recordatur, nisi cum similis se necessitas offert: sic etiam multi Deum se amare & colere ostendunt, *tienen à Dios amor de capa aqua dera ò amor de fieltro*: eum enim necessitate aliqua premuntur vel tribulatione laborant, ad Deum accurrunt, orant, & suppliciter deprecantur, vt sibi fauere dignetur; quod cum assequuti sunt, citò fecerunt, obliti sunt Dei, &c.

Ioan.16. Ioan. 16. prius quàm Christus Dominus miraculosè panes multiplicaret, *gratias Patri egit*. Cur quæso prius? gratias quidem non ante receptionem beneficij, sed post acceptum referre Toletus. solemus. Cardinalis Toletus, ideo, inquit, has gratias egit pro nobis Christus, quia bonum nostrum sibi proprium reputabat. ita ille. Sed cur antea? Crediderim ego, vt simul exemplum doret nobis magnas gratias Deo dandi pro beneficiis receptis, & recipiendis; sicut pro nobis ipse fecit; adeo enim tepidi nos sumus in gratiis Deo reddendis post accepta beneficia, vt opus nobis sit præponere beneficio gratias.

Vnde olim intra mænia ciuitatis Templum Gratitudinis Athenienses construxerunt, cum tamen cæterorum Deorum templa extra vrbem habe-Aristotel. rent, sicut Aristoteles ait in Ethicis suis. Solent enim homines ad alios Deos accurrere ad suffragia postulanda, quamuis longè eorum templa constituta sint: at cum optatis potiuntur, desides ad gratias exhibendas redduntur. Ideo ad manum & præ oculis Templum Gratitudinis constituerunt.

Ioan.13. Item Christus Dominus Ioan. 13. antequam institueret sacramentum corporis sui, *gratias egit Patri*, quia in gratiam nostram illud consecrabat, exemplum similiter faciendi præbens nobis. Vn-S.Chrys. de S. Chrysost. homil. 83. in Ioannem dicens: *Gratias egit*, antequam Corpus suum discipulis daret Dominus, vt etiam nos à gratiarum actione incipiamus. ita ille.

***

Propositio VI.

Quòd etiam pro bonis temporalibus gratias Deo agere debeamus.

Non solùm propter spiritualia, sed etiam propter omnia corporea & temporalia beneficia Deo gratias referre debemus. Ex libro Leuitici maximè in cap. 2. constat præcepisse Deum, quòd in sacrificiis speciatim offerrentur hæc quinque, panis, vinum, oleum, thus, & sal. Cur, quæso, hæc potius quàm alia Dominus in sacrificium requirebat? Respondet S. Thom. 1.2. q. S. Thom. 102. art. 11. ad penultimum argumentum. Ea quæ in vsum hominis veniunt de terræ nascentibus, vel sunt in cibum, & de his offerebatur panis; vel in potum, & de his offerebatur vinum; vel in condimentum, & de his offerebatur oleum, vel sal; vel sunt in medicamentum, & de his offerebatur thus, quod est aromaticum. ita S. Tho. In quo nobis significatum fuit velle Dominum nos illi gratias reddere propter omnia beneficia. Illa quippe sacrificia, gratitudinem animi præseferebant. Ex cunctis ergo bonorum corporalium generibus Deus sacrificia exigebat, vt in cunctis bonis etiam corporalibus nos Deo darent gratos exhibeamus.

Propositio VII.

Quàm iustum sit pro beneficio gratias referre.

Vetus monitum fuit, & Chiloni (qui vnus ex septem Sapientibus Græciæ fuit) tribuitur, cuius etiam meminit Seneca lib. 1. de benef. c.4. Seneca. videlicet: Obligantium & obligatorum animi certent, vt qui præstiterint, obliuiscantur, & pertinax sit memoria debentium. ita Chilon. Consonant hi versus Ausonij:

Tu bene si quid facias non meminisse fas est;
Qua benefacta accipias, perpetuò memento.

Propositio VIII.

Quòd non tam pro beneficio, quàm pro bona voluntate dantis, sit exhibenda gratitudo.

Seneca lib. 1. de benef. c 6. debere se dicit quis Idem. pecuniam quam accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam; ista potius sunt meritorum signa quàm merita; non potest beneficium manu tangi, animo geritur; multum interest inter materiam beneficij & beneficium; itaque nec argentum, nec aurum, nec quidquam eorum quæ à proximis recipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas: & ideo beneficium etiam amisso eo quod datum est, durat, est enim benefactum quod irritum nulla vis facit. ita Seneca. Quod si tempetare libet, dicamus donum esse id quod datur, est materiale beneficium pro quo etiam Deo donanti gratias reddere debeamus; sed formale beneficium & eximium, Dei voluntas est & amor, quem respicere in datis docuit Christus Dominus, Ioan. 3. *Sic Deus di-* Ioan.3. *lexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret:* vbi

vbi non solum datum, sed dantis amorem attendere nos voluit, cum sit vtrumque infinitum, & pro vtroque immensas agere gratias.

Gula. *vide* Abstinentia.

1. *Gula radix est multorum peccatorum.*
2. *Gula infirmitatum multarum causa est.*
3. *Quàm contra naturam & rationem sit Gula.*
4. *Gula est causa luxuriæ.*
5. *Gula mentis aciem obtundit.*

Propositio I.

Gula radix est multorum peccatorum.

Genes. 9. Sic Dominus ad Noë: *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Ante diluuium non concesserat Deus hominibus esum carnium nec piscium, sed tantum olerum, & arborum. Cur non? siquidem proprius cibus hominis est caro? Procop. Procop. in cap. 9. Genes. fortassis non citra diuinam prouidentiam, nec carnium nec vini vsus ante diluuium frequentatus est; si enim, vt docet scriptura, tanta fuit dementia illorum mortalium, vt diluuio donandi fuerint, quid euenisset, si carnium & vini vsus cognitus fuisset? ita ille. Hinc quanta sit ieiuniorum & quadragesimæ & quotidianæ temperantiæ necessitas patet.

Paschas. Paschalius Abbas in c. 4. Matth. carnis concupiscentia, quam in se vnusquisque repugnantem legi mentis suæ sentit, non aliunde magis nutritur quàm ex gula; vnde & ab iis qui de vitiis specialibus scripserunt, prima ex omnibus Gastrimergia, id est ingluuies ventris ponitur; vt ex hoc apertiùs declaretur, quod in vacuum quisquam laborat, si quod fomentum est reliquorum non hoste quidem, sed sola adhuc carne deuictus sobriè non refrænat. ita ille.

Propositio II.

Gula infirmitatum multarum causa est.

Gen. 9. Genes. 9. *Omnes pisces maris manui vestra traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* S. Ambros. Quid est *quasi olera*? S. Ambros. lib. de Noë & arca cap. 25. *sicut olera*, inquit; vtantur igitur qui vtuntur carne tanquam oleribus, non ad distensionem, non ad aruinam (id est ad crassitudinem) corporis, quam epulæ carnis facere consueuerunt, sed sicut oleribus. ita ille. vbi nota, quod olera infirmantium escæ sunt, sicut Rom. 14. Apost. ait ad Rom. 14. *Qui infirmus est, olus manducet.* Sicut igitur ad medicinam, sic ad ciS. August. bum accedere nos vult Dominus, vt ait S. August. ea tantum sumentes quæ necessaria sunt, ex oleribus enim & ex medicinis nemo superflua sumit.

Propositio III.

Quàm contra naturam & rationem sit gula.

Laërtius lib. 2. refert Socratem dicentem: Sapiens manducat & bibit vt viuat, stultus verò viuit vt manducet & bibat. ita ille. Sapientis quidem est, ordinare ad debitum finem debita media; finis autem cibi & potus est viuere; vitæ autem finis Deo seruire & vitã consequi æternam. Laertius.

Propositio IV.

Gula est causa luxuriæ.

Sanctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus; vt ignis materia lignum est, sic libidinis materia est ingluuies; & sicut illud flammam excitat, eodem modo hæc cupiditatem turpem. ita ille. S. Nilus. Simile.

Propositio V.

Gula mentis aciem obtundit.

Sanctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus; vt nubes solis radios obscurat, sic crassus vapor ex cibis emergens menti obscuritatem affert. ita ille. S. Nilus. Simile.

Rursus S. Nilus ibidem; qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, similis est illi, qui se impetum ignis stupa compressurum, aut flammam oleo extinctarum pollicetur. ita ille. Et etiam est similis illi qui non lapide aut fuste, sed proiecto pane canem à se mouere vellet. idem. Simile.

Homo.

Propositio vnica.

Quam excellens creatura sit homo.

Genes. 1. sic Dominus ad primos parentes: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus qua mouentur super terram.* Ecce hominis dignitatem, *hizolo Dios señor de todo lo que viue, señor de bien y mal tratar*, dans ei potestatem super vitas, quas Deus ipse viuentibus dedit. Vnde Dauid Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. & Genes. 9. sic Deus ad Noë: *Terror vester ac tremor sit super omnia animantia terra*, &c. At dices, si tam absolutum Dominum voluit Deus esse hominem super terram, cur homines hominibus subiecit vt hic Dominus illius dicatur, ille Iudex, ille Rex, &c. Respondet S. Gregor. 21. Mor. 15. homo non rationabilibus sed irrationabilibus prælatus est natura; ideo dicitur ei, vt ab animalibus non ab hominibus timeatur, quia contra naturam est ab æquali velle timeri; sed tamen alios aliis diuina dispensatio præponit, vt humana formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant, & ideo non hominibus sed bestiis dominantur, quia qua parte bestiales sunt, ea formidini subtracti sunt. ita ille. Quare vir bonus Genes. 1. Gen. 9. S. Greg.

bonus etiam in captiuitate & seruitute liber est, non enim habet quem timeat, qui Deum timet: nihil namque bestiale habet qui peccato caret; bestiale autem, ait S. Gregor. subiicitur aliis.

Gen. 1. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Multa sunt in his verbis consideranda, quæ hominis dignitatem commendant. Primum est verbum illud, *faciamus*, in creatione quippe aliarum rerum Deus nunquam tali est vsus modo loquendi, sed per verbum, *Fiat, fiat lux, fiat firmamentum*, &c. Cur igitur modò non ait, *fiat homo*, sed, *faciamus hominem?*

S. Chryf. S. Chrysost. hom. 8. in Genes. quid hoc noui? & quem faciendum Opifici tanto consilio, & circunspectione opus? Ne mireris frater, homo enim inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia, cælum, terra, mare, sol, luna, stellæ, reptilia, iumenta, & omnia animalia bruta. Et quare, inquies, vltimus creatus est homo, si cætera dignitate præstat? meritò, nam vt ingressuro in ciuitatem aliquam Rege, operæ pretium est præmittere satellites, vt bene adornatis palatiis Rex honestius ibi agat; ita hominem quasi Regem & Principem aliquem rebus terrenis præfecturus priùs hunc omnem ornatum fabricauit Deus, declarans factis istis quanto bonore homines prosequatur. Sed rogemus, ad quem dixerit Deus, *faciamus hominem?* cum quo Dominus hoc consilium habuit? numquid consilio & circunspectione opus habuit? absit. Quid ergo? figura verborum declarare voluit quàm excellentem honorem homini qui formabatur impendat. ita S. Chrysost.

Simile.

Idem. Vbi etiam adnotauit idem sanctus præeminentiam hominis ex illis verbis, *ad imaginem & similitudinem nostram*, dicens: per ea quæ adiunxit, manifestum nobis facit, quo sensu posuerit imaginis nomen: subdit enim, *& dominetur piscibus maris & volatilibus cæli & omnibus animantibus, quæ mouentur super terram*; imaginem ergo dixit de principatu & dominio, quia Deus fecit hominem principem omnium quæ sub terra sunt, & nihil super terram homine maius est, omnia autem sub potestate illius sunt. ita S. Chrysost.

Hinc constat primò, quanta sit illius hominis ingratitudo, qui Deum mortaliter offendit; cui merito dicere valeamus: *Generatio praua & peruersa, haccine reddis Domino? numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

Secundò collige ex hac hominis nobilitate, quanta etiam in moribus suis debeat esse nobilitas; siquidem nobilem nobilia opera decent, ne degeneres in die iudicij inueniantur homines.

Quid si huic naturali hominis dignitati, iungamus supernaturalem diuinæ filiationis eminentiam? S. Petrus Chrysol. serm. 10. exponens id Ps. 18. *Afferte Domino filij Dei*, &c. nomine filiorum Dei non Angelos ait, sed homines intelligi. & subdit: Audiuimus frattres, quò nos tulit diuina dignatio, quò paternitas extulit nos superna; credamus nos Dei filios, respondeamus generi, viuamus cælo, partem similitudine teneamus, ne perdamus vitiis quod sumus per gratiam consequuti. ita ille.

S. Petrus Chrysol. Psal. 18.

Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quam ob causam vniuersi huius visibilis mundi, vniuersa Dominus creauit? nulla enim creatura sibi Dominus indigebat, ab æterno Deus beatus & gloriosus se solo erat, absque hominibus & absque Angelis, & absque reliquis creaturis; nec modò his creaturis gloriosior in se nec ditior est, etenim creauit Dominus cuncta, non sui necessitate motus, sed bonitate ductus; bonum enim (vti cum S. Dionysio omnes Theologi aiunt) sui diffusiuum est, non solùm vt finis, verum etiam vt efficiens causa. Vide quàm largiter sol lucem communicet suam, & calorem ignis, & frigiditatem nix, & humiditatem aqua, & fructus suos terra. Vnde liberalitas hæc creaturarum, nisi ex bonitate quam à Deo participatam habent? si ergo bonitas hæc creaturarum, quæ Dei bonitati comparari non valet, adeo communicatiua, & sui est diffusiua, quanto magis diffusio hæc diuinam decet bonitatem? Ideo igitur Deus cuncta creauit. S. Dion.

Et hanc creationis rerum causam assignat Prosper in l. sententiarum dicens: Tria quædam nobis maximè scienda de creatione creaturæ oportuit intimari; quis scilicet eam fecerit, per quid fecerit, & quare fecerit. Si ergo quærimus quis fecerit, Deus est; si per quid fecerit, dixit & facta sunt; si quare fecerit, quia bonus est, nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quàm vt bonum crearetur à bono. ita Prosper. Et S. Gregor. Nazian. oratione in natiuitate Domini dicens. Quia summo illi bono non satis erat sua ipsius solum contemplatione moueri, sed bonum diffundi & propagari oportebat, vt plura essent quæ beneficio afficerentur; id enim summæ bonitatis erat, & ideo cælum & terram creauit. Prosper.

Hinc deducere licet, quam ob causam dixerit Ecclesiasticus cap. 10 num. 9. *Auaro nihil est scelestius.* Quid? peccata contraria virtutibus Theologicis nonne sceleftiora & peiora sunt? sunt quidem, sed tamen in quantum malum opponitur bono, quatenus est communicatiuum sui, nihil peius auaro secundùm genus suum, quia auarus est, qui sua communicare renuit, sibi acquirit, soli sibi retinet, sibi ascendit, & hac ratione Dei bonitati oppositus est. Eccl. 10.

Diximus vniuersa creasse Deum propter bonitatem suam, vt videlicet suis creaturis se communicaret: sed quia etiam talem inter res creatas ordinem instituit, vt alteram propter alteram etiam crearit, visibilia ergo cuncta secundariò Deus propter hominem, & in eius creauit obsequium, cælum, & terram, & elementa omnia, & quidquid in cælo & elementis produxit & producet. Nicolaus de Lyra hic, tota corporalis creatura propter hominem facta est, etiam ipsa corpora cælestia. ita ille. Lyra.

Sed habemus ad hoc certius scripturæ sacræ testimonium, Deut. 4. *Ne forte oculis eleuatis ad cælum, videas solem ac lunam & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, quæ creauit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus.* Ita ne propter nos homines & propter ministerium nostrum? ita quidem. Deut. 4. 19.

Hinc est quod hominem vltimo loco crearit: Sicut enim cum Rex Principi suo filio regiam constituere parat, priùs palatium construit, & supellectilem regiam præstat, famulorum ministeria ordinat, & demum Principem introducit; sic etiam Deus hominem quem rerum visibilium Principem instituit, non priùs formauit quàm cælum, & terram, & reliqua condidisset & ornasset, & tunc Dominus hominem creauit, quo illi significaret illius causa cuncta creasse. mirum valde, quid enim est homo de terra & puluere creatus, Simile.

creatus, vt omnium visibilium causa ille sit? *Domine quid est homo quod memor es eius?* ait Dauid Psal. 8. Quod si memorem esse Deum Opt. Max. homunculi ita magnum & mirabile est, quanto mirabilius esse dicemus visibilia omnia propter eius obsequium creauisse?

Sed hoc mirabile magis quod & ipsos Angelos in nostrum creauerit ministerium. Paul. ad
ad Hebr. 1. Hebr. 1. de Angelis agens, *Nonne omnes sunt administratory spiritus in ministerium missi propter eos*
S. Hier. *qui hereditatem capiunt salutis?* Exclamat S. Hieronym. super. cap. 18. Matth. expendens illa verba, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in celis est*, dicens: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis suæ in custodiam sui Angelum deputatum; si magnum id, quanto maius hoc, quod omnes ex omni ordine nouem Angelorum deputati à Deo sint in ministerium nostrum, nec ordine ipso seraphini dempto.

Dan. 7. At inquies Dan. 7. sic habetur: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Quem locum expendens S. Gregor. ait, ex Angelis alij sunt qui ministrant, alij verò sunt qui assistunt Deo, ita ille. Non ergo omnes ministrant, sed Apostolus, *omnes*, inquit, & qui *omnes*
S. Thom. dicit, nullum excludit. S. Th. lect. 6. in cap. 1. ad Hebræos sic ista conciliat: Sicut duplex est artificum genus, quidam enim sunt manu exequentes, alij autem non operantur manu, nec exequuntur, sed sunt artifices disponentes, & quasi præcipientes quid agendum sit; ita & in Angelis est, quia quidam sunt, quasi exequentes, quidam quasi præceptores, præcipientes ea quæ agenda sunt; accipiendo ergo largo modo administratores, tam pro exequentibus, quàm pro imperantibus, sic omnes sunt spiritus admini-
S. Thom. stratorij. ita S. Thom. Cuius doctrina confirma-
S. Dionys. ri potest ex eo quod S. Dionysius loquens de cælesti hierarchia cap. 9. dixit se ab Apostolo Paulo accepisse solos inferiores Angelos mitti & non superiores. Igitur si omnes sunt administratores nostri, non quia mittuntur; sed quia alij mittuntur ad ministrandum nobis, alij verò dirigunt mittentes secundùm ordinem præscriptum a Deo vtrisque, sed tamen Apostolus omnes dicit non solùm ad ministrantes sed etiam missos, & Isai. cap. 6. vidit missum vnum ex duobus Seraphin ad labia Isaiæ purificanda, & Angelus Raphaël missus fuit ad ministrandum Tobiæ, & tamen ipse de se, *Ego*, inquit, *vnus ex septem qui*
S. Basil. *astamus coram Deo.* S. Basilius in cap. 6. Isaiæ etiam Seraphim mitti in nostrum ministerium concedit: sed vt dictis S. Dionysij satis faciamus, non communiter dicemus mitti Seraphim, sed rarò & præcipuas ob causas. Atque ideo credo dixisse Apostolum Dionysio non mitti nisi Angelos ad ministerium nostrum, ne sibi contrarium Apostolum quis censeat.

S. Bern. Sed libet addere quæ in huius confirmationem pulchrè arguit sanctus Bernardus in festiuitate sancti Michaëlis. *Omnes* (inquit Apostolus) *sunt administratory spiritus in ministerium missi*, &c. Neque id cuipiam incredibile videatur, quandoquidem ipse Dominus noster Iesus Christus, Rex Angelorum venit ad nos non ministrari sed ministrare. Ita ille. Et verè ministrauit, & verè ministrauit, siquidem pedes discipulorum lauit. Quid igitur mirum si omnes ordines Angelorum in nostrum ministerium à Deo mittantur? Sit nomen Domini benedictum in sæcula, qui nos adeo honorificauit & exaltauit. Agnosce igitur homo dignitatem tuam, & noli degenere conuersatione vilem traducere vitam; ad maiora siquidem creatus es quàm vt sis mancipium corporis tui & dæmoniorum.

Hinc etiam deducere debemus, quàm benemeritus de nobis sit Deus, quantaque nos obligatione deuinxerit, cum nos omnium rerum apicem & finem fecerit: quonam honore eum venerari, quanam obedientia ei parere, quonam diligere cum amore poterimus, qui prior nos ita honorauit, amauit, & magnificauit facere nobiscum? Quid ad hæc is qui mortaliter eum offendere audet? nonne hunc incendio æterno gehennæ dignum merito iudicabis?

Homicidium.

Propositio Vnica.

Quàm graue peccatum sit homicidium.

Gen. Genes. 4. Cain post fratricidium se ab alio aliquo occidendum esse timebat, cui Dominus: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* [Pagarmelo ha con las setenas.] Hoc in fauorem Cain dictum videtur. Cur Domine non solùm non permittis occidi occisorem fratris, verùm septuplum minaris occidenti eum? Glossa ordin. sic respondet, Glossa.
Ne quis homicidium audeat iterare: ita Glossa. Homicidio illo aperuerat Cain ianuam ad alia homicidia suo exemplo perpetranda: hanc clausit Dominus seruando vitam illam miseram Caini, miseram, inquam, quia dixit ei Dominus, *Vagus & profugus eris super terram*; vbi Septuaginta legunt, *gemens & tremens eris super terram.* Videbant igitur eum omnes sic gementem & trementem in pœnam homicidij, atque adeo dicebant, absit committere crimen, quod tam tremendo tremore punit Deus.

Genes. 9. sic Dominus ad Noë & filios eius, Gen. 9.
Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu omnium bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris eius requiram animam hominis: quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo. Ad huius loci intelligentiam notandum hîc primum est quòd quantumuis quis vir sit, id est potens & validus sit, siue etiam propinquus, si occiderit alium, in graue Dei iudicium incidet. Ita interpretatur Lyranus, & insuper ait Dominus, quòd requiret sanguinem siue vitam occisi, non solùm ab homine occidente quicumque ille sit; sed etiam à bestia hominem occidente, quantumuis fera illa sit. Cur ita? numquid bestia rationis expers pœna huiusmodi digna est, cùm careat culpa? Lyranus non solùm Lyra.
punitur homo propter homicidium, sed etiam bestia si hominem interfecerit propter facti horrorem, quamuis brutum peccare non possit. ita ille.

**

Hoſpitalitas.

Propositio Vnica.

Qui egentem non recipit hoſpitem, timere debet ne & ipſe non recipiatur à Chriſto in cælo.

Matt. 10. MAtth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* S. Auguſt. S. Auguſt ſerm. 62. de tempore, ponderans & explicans hunc locum ait: Quare *frigida* dixit? ne forte ſe pauper de lignorum inopia excuſaret, aut certè ſi vaſculum vbi aquam calefaceret, non haberet. ita ſanctus Auguſtinus.

Qui eodem ſermone expendit etiam ad rem Iſa. 58. locum illum Iſai. 58. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam*, & ait S. S. Aug. Auguſt. non dixit, vt integrum panem daret, cum pauper forte alium panem non haberet; ſed *frange*, ac ſi diceret, etiamſi tanta paupertas tibi ſit, vt non habeas niſi vnicum panem, ex ipſo frange & pauperi aliquid tribue. ita ille.

Et de hoſpitalitate ſubdit, *Egenos & vagos induc in domum tuam* Quam excuſationem poſſumus habere nos, qui amplas & ſpatioſas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes quod in omnibus peregri- S. Auguſt. nis excipitur Chriſtus, ſicut & ipſe dixit, *hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me*; laborioſum ne nobis eſt excipere Chriſtum? Timeo ne nobis ille in cælo vicem reddat & non recipiat nos in beatitudinem ſuam, ſecundùm illud quod dixit, *hoſpes eram & non ſuſcepiſtis me*, & quod poſt hoc ſequitur, fratres, auertat Deus à nobis, *diſcedite maledicti in ignem æternum.* ita S. Auguſt.

Honor.

1. *Quàm ſit fugiendus honor mundi.*
2. *Maiores minoribus honorem deferre debent.*
3. *In honoribus examinatur humilitas.*
4. *Quàm breuis eſt honor mundi.*
5. *Quàm periclitetur anima in honoribus.*

Propositio I.

Quàm ſit fugiendus honor mundi.

S. Bern. POnderat ſanctus Bernardus ſerm 3. de natali Domini locum in quo Chriſtus Dominus naſci voluit, dicens: In ſtabulo naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur; nonne ipſe eſt qui dicit, *meus eſt orbis terræ & plenitudo eius?* Quid ergo ſtabulum ac præſepe elegit? Planè vt reprobet gloriam mundi & damnet ſæculi vanitatem, nec dum loquitur lingua & quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, euangelizant, in omnibus iudicium mundi arguitur, ſubuertitur, confutatur; quis enim ſi daretur optio non magis eligeret robuſtum corpus? &c. O ſapientia quæ de occultis traheris! ô verè incarnata & velata ſapientia! ipſe eſt, fratres, promiſſus olim per Iſaiam, paruulus ſciens reprobare malum & eligere bonum. ita ſanctus Bernardus.

Propositio II.

Maiores minoribus honorem deferre debent.

EXurgens Maria, &c. Nonne decentius fuiſſet veniſſe Elizabet ad Mariam quàm abiiſſe Mariam matrem Dei ad Elizabetam? etenim pro magno fuiſſet Elizabetæ famulam Dei genitricis eſſe. Cur ergo pergit Dei mater ad illam? S. Ambroſ. in hunc locum: Hæc diſciplinæ norma eſt, venit ſuperior ad inferiorem vt inferior adiuuetur, Maria ad Elizabeth, Chriſtus ad Ioannem. ita S. Ambroſ. Talis eſſe debet vrbanitas & hu- S. Ambr. militas Chriſtianorum honore inuicem ſe præuenire, vt Apoſt. ait; non ſic autem mundus non ſic, ſed gentilium more, innumera honoris puncta ſemper attendit, vnde & innumeræ rixæ procedunt; inter ſuperbos enim ſemper ſunt rixæ & contentiones.

Propositio III.

In honoribus examinatur humilitas.

QVæ occulta ſunt, examine fiunt manifeſta; profundum quidem eſt cor hominis & ſoli Deo cognitum. Sed ſicut igne probatur aurum Simile. & argentum, & an purum vel impurum ſit, ignis ipſe manifeſtat; ſic quale ſit cor hominis, & an purum vel impurum moraliter examinatio prodit. In litterario ludo quid ſciat quis, aut neſciat, in interrogationibus magiſtrorum & argumentis fit palam. Sic etiam an quis patiens ſit, contumelia & tribulatio; ſi amator proximi, neceſſitas ipſius proximi; ſi prudens, conuerſatio; ſi caſtus, ſollicitatio, ſi ſobrius, menſa copioſa; ſi humilis denique, honor & locus altus manifeſtat. Nam vti ait S. Bernardus, rara virtus eſt S. Bern humilitas honorata.

Geneſ. 18. cum Dominus Sodomam & Go- Gen. 18 morrham perdere prorſus ac delere vellet, ſecretum hoc priùs Abrahæ tanquam ſpeciali amico, & quæ geſturus erat prædixit; quod, vt patet, in eximium Abrahæ honorem cedebat. Sed quid inter loquendum Abrabam Domino? *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Expendens locum iſtum S. Gregor. quando hunc S. Greg. tes poſſeſſæ extollerent, qui de ſe tam abiecta ſentiret? apertè enim cernimus, in quo loco ſe poſuerat, qui puluerem ſe ac cinerem etiam cum loqueretur cum Deo æſtimabat? Si igitur ita ſe deſpexit, qui vſque ad honorem diuinæ collocutionis aſcendit; ſollicita intentione penſandum eſt, qua pæna illi feriendi ſunt, qui & ad ſumma non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. ita S. Greg. Ecce quonam pacto fue- S Bern. rit probata humilitas Abrahæ, honore nempe illo eximio, quo Dominus eum tunc affecit: honor enim magnum examen humilitatis eſt.

Rectè quidem S. Bernard. ſer. de Beata Maria ſuper c. 12. Apoc. Agit, inquit, hoc in cordibus electorum prærogatiua diuinæ gratiæ, vt eos nec humilitas

humilitas pusillanimos faciat, nec magnanimitas arrogantes. ita S. Bernard. qui hom. vltima *Super missus est*, in beata Maria verificat quod dico, expendens verba illa Virginis; *Ecce ancilla Domini*, &c. ait: quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, & insolescere gloria nescit? mater Dei eligitur & ancillam se nominat? Non mediocris re vera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria humilitatem obliuisci: nec enim magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. ita S. Bernard. Ecce quomodo honores & dignitates & scientiæ inflant, & patefaciunt cordis superbiam, quæ quidem in humili statu latebat.

Propositio IV.

Quàm breuis est honor mundi.

Iob. 7. Iob 7. sic S. Iob. *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos non ascendet;*
Simile. metaphora est à nubibus sumpta; videbis nobem ingentem tonitruis tonantem, fulgoribus coruscantem, fulmina minitantem, & pauorem vel saltem admirationem sui omnibus incutientem, quæ tamen in pluuiam concisa & in terram cadens, tanquam lutum conculcatur & in obliuionem traditur, ac si non fuisset. Similiter etiam videbis Principem quendam mundi tonantem, fulgentem, & in sui admirationem omnes adducentem, qui subitò in sepulchrum cadens & in puluerem conuersus quasi non fuisset, sic eius obliuiscuntur omnes, periit enim memoria eius cum sonitu, vt ait Dauid. Hoc igitur est, quod ait Iob. *Sicut consumitur nubes & pertransit*, à nube scilicet in lutum: Sic qui descenderit ad inferos, id est ad sepulchra, non ascendet amplius videlicet ad honorem & glo-
S. Greg. riam qua paulo ante potiebatur. Sic sanctus Gregorius 8. Mor. 10. dicens, ac si apertè dicat: sicut vir in altum currendo deficit, sic qui superbiendo ad interitum tendit. ita ille.

Propositio V.

Quàm periclitetur anima in honoribus.

Ioan. 6. Ioan. 5. *Quomodo potestis credere qui gloriam*
S. Hieron. *ab inuicem accipitis?* Vbi S. Hieron. Vide quale malum hoc sit, quod qui habuerit non potest credere. ita ille. Sed quæres, cur non potest credere qui amat honorem? numquid non potest honoratus esse fidelis? nimirum, quia Ecclesia in humilitate est, ideo superbi infideles ad eam conuerti nolunt. Quod si inter fideles superbi, nihilominus plures sunt, eruot quidem filij fideles, sed non filij obedientiæ: renuunt enim superbi Deo subdi.

***

Humilitas.

1. *Quàm Deo grata sit humilitas.*
2. *Quàm conducat humilitas ad impetrandum à Deo in oratione.*
3. *Humiles exaltat Deus.*
4. *Quàm conducat ad saluationem humilitas.*
5. *Quàm ignota sit in mundo excellentia virtutis humilitatis.*
6. *Vera humilitas in dignitatibus & honoribus probatur & manifestatur.*
7. *Quàm deceat magnates humiliari.*
8. *Humilitas dispositio magna est ad dona Dei recipienda.*
9. *Verus humilis contemni contemnit.*
10. *Quàm vtiles sint humiles Reipublicæ.*
11. *Quàm nobis necessaria sit humilitas, ex Christi doctrina & exemplo maximè constat.*
12. *Humiles sequitur honor, & superbos fugit.*
13. *Humilitas signum perfectionis est.*
14. *Quàm conducat ad Dei gratiam humilitas.*
15. *Quanta sit excellentia humilitatis.*

Propositio I.

Quàm Deo grata sit humilitas.

Luc. 16. ait Christus Dominus, *Homo quidam erat diues*, &c. Cur non exprimit nomen eius sicut pauperis expressit dicens, *& erat quidam mendicus nomine Lazarus?* Luc.16.
Cur principis illius qui induebatur purpura & bysso nomen retinuit? ob eam quidem causam quòd induebatur superbè purpura & bysso, pauperis autem nomen recitauit, quia tanquam humilis ad ianuam diuitis iacebat. Sic locum interpretatur Beda sop. cap. 16. Luc. quid est quod Beda.
Dominus de paupere & diuite verbum faciens, nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit, nisi quod Deus humiles nouit & approbat, superbos autem ignorat? ita ille.

Vnde Exod. 33. sic Dominus ad Moysem: *Inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine.* Cur ita? Cur, inquam; sic Moyses inuenit Exod.33.
gratiam coram Domino? Cur nouit eum ex nomine plus quàm alios, qui omnes nouit priusquam sint, & omnia nouit antequam fiant? Id ex cap. 3. Exod. constat. Princeps enim cum esset in Ægypto, elegit potius oues pascere, quàm temporalis regni habere iucunditatem; & insuper, quia cum Deus in Principem & ducem populi sui sublimare vellet, & tanquam nuntium à latere mittere eum ad Regem Pharaonem dicens, *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meũ filios Israël de Ægypto*; Respondit Moyses, *quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Ecce animum humilem in Moyse qui tanquã filius filiæ Pharaonis educatus & adoptatus erat in aula Regia; & cum instaret Dominus dicens, *ego ero tecum*, & potestatem miracula faciendi ei cõmunicasset; *Obsecro Domine, non*

ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius , mitte quem miſſurus es ; tanta quidem erat humilitas Moyſi. Ob hanc igitur cauſam Moyſes inuenit gratiam in oculis Domini, ob id nouit eum ex nomine; ſuperbis autem qui iactant ſe dicentes, *in nomine tuo prophetauimus*, &c. & dicet, *non noui vos*, &c.

Luc. 18. Luc. 18. in parabola de Phariſæo & Publicano ſic Chriſtus: *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo*, Publicanus ſcilicet à Phariſæo. Cur ita ? cum Publicanus publicum peccatorem ibi repræſentet, Phariſæus verò hominem virtute præditum illum nempe qui ieiunabat bis in ſabbato & decimas fideliter exhibebat omnium quæ poſſidebat, &c.
S. Nilus. S. Nilus de octo vitioſis cogitationibus; Quamuis humilitas in eo propriè ſita non ſit, vt qui peccator eſt, peccatorem ſe agnoſcat (iudicij enim æquitas hoc eſt & propriæ infirmitatis agnitio) verùm in hoc demum, vt qui iuſtitia præditus eſt nihil præclarum de ſeipſo exiſtimet; vnde peccator iuſtum vicit, Publicanus Phariſæum; ille iuſtitiæ opera oſtendit, *ieiuno bis in ſabbato*, & reliqua, hic verò verba hæc humilitati conſentanea protulit, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, ſermo verò huius illius opera ſuperauit. Atque illum quidem tot tantiſque virtutibus ornatum, ſuperbiæ ſpiritus exſufflauit, ac per ipſius linguam tanquam per feneſtram reconditas virtutis opes excuſſit; & è contrario paupertas ob humilitatem in diuitias commutata eſt, iuſto denique potius eſt ſuperbia metuenda; nam qui in peccatis eſt, conſcientia propria deprimit, quia numquam eum accuſare intermittit, nec caput attollere ſinit, at iuſtum, niſi attentum animum habeat, virtutes attollunt ita ille.

In tantum quidem apud Deum noſtra valet humilitas, vt aliquando iuſtos in peccata non leuia cadere permittat, vt inde humiliari diſcant & minimè de ſua præſumere iuſtitia. Huius rei
S. Chryſ. exemplum in Dauide ponit S. Chryſoſt in imperf. homil. 1. dicens: Dauid de nimia ſua iuſtitia confidens dicebat: *Domine Deus ſi feci iſtud,*
Pſal. 65. *ſi eſt iniquitas in manibus meis*, &c. & Pſalm. 65. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, &c. ergo dimiſſus eſt vt circumueniretur à carne, vt iactantia eius compeſceretur. ita ille.

Etenim mirari quis poterat audiens verba S.
Iob 14. Iob cap. 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.* Cum inter omnia animantia homo principatum teneat, cur de ſolo dicitur homine quòd multis miſeriis re-
S. Baſil. pleatur? S. Baſil. in id Pſalm. 18. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, &c. vt factum hominis deprimeret Deus, corpus nobis reddidit obnoxium & multis malis perturbatum, & vitam hanc præſentem diſciplinæ fecit officinam, vt animæ noſtræ temeritas caſtigetur. ita S. Baſilius in ſcholiis. Et ob hanc cauſam in ſcriptura tribulatio ſæpe dicitur humiliatio, *Bonum mihi quia humiliaſti me*, id eſt, *tribulaſti*. Pſalm. 118. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, &c. Scit enim Dominus nos ad ſuperbiam procliues, & malum eſſe maximum ſuperbiam, humilitatem verò gratiſſimam ſibi; ideo nos miſeriis humiliat, *mas nos quiere Dios humildes que proſperados en el mundo.*

Quid eſt quod Chriſtus Dominus, *vſque ad mortem crucis ſe humiliauit?* Audi quid ſancta reſpondeat Eccleſia in prima oratione miſſæ Dominicæ Palmarum; *Omnipotens ſempiterne Deus qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem noſtrum carnem ſumere & crucem ſubire feciſti*, &c. Ecce quam ob cauſam ab incarnatione ſua ad crucem vſque tot humilitatis eximia exempla nobis tribuit Dominus Chriſtus, vt videlicet nos exemplo ſuo humiles eſſe doceret, & efficaciter ſuaderet, & inde conſtaret quàm ſibi grata ſit humilitas noſtra. Vnde
S. Auguſt. tractat. 25. in Ioannem, vt ſuper- S. Aug.
bia omnium morborum cauſa curaretur, deſcendit & humilis factus eſt filius Dei. Quid igitur ſuperbis homo? Deus pro te humilis factus eſt, puderet te fortaſſe imitari hominem humilem, humilem Deum imitare. ita ſanctus Auguſtinus.

Contemptibilia quare *elegit Deus?* quod namque contemptibile eſt, reiiciendum vide-
tur ſecundùm id Pſalm. 118. *Aufer à me oppro-* Pſal. 118.
brium & contemptum. Quo in loco ſic S. Am- S. Ambr.
broſ. ſi contemptus opprobrij loco ducitur, quomodo ſcriptum eſt, *contemptibilia mundi elegit Deus*? Sed conſidera, quia *mundi contemptibilia* dixit, non *Dei*; quod enim in hoc mundo contemptibile, hoc pretioſum eſt apud Deum; humilitas in hoc mundo contemnitur, ſed Dei iudicio comprobatur, & ſi Publicanus ſe humiliauerit, exaltabitur; ſuperbus autem velut Phariſæus arrogantia ſua pro nihilo ab illo æſtimatur. ita S. Ambroſ. Erant Apoſtoli in mondo viri humiles, fortes & apti ad humilitatis virtutem ſectandam, ideo electi ſunt à Deo. Idem dicendum eſt de paupertate.

Iеremi. Thren. 3. de ciuitate Hieruſalem pæ- Thren. 3.
nas graues pro ſuis peccatis patiente, dicit, *Po-*
net in puluere os ſuum ſi forte ſit ſpes. S. Ambroſ. S. Ambr.
ſerm. 10 in Pſalm. 118. aliter legit, dicens: De Hieruſalem ſpem cæpit Hieremias promittere, dabit (inquiens) in ſepulturæ foſſuram os ſuum, quod idem eſt, *Pondra ſu voca en el poluo en la ſepultura, cobrando con eſo aliento de eſperanza en Dios*; quia videlicet licet excelſus ſit, gratis oculis reſpicit humiliatum, humiliatur autem homo oſculans puluerem, &c. ſicut
è conuerſo de ſuperbis ait pſalmiſta Pſalm. 72. Pſal. 72.
Poſuerunt in cælum os ſuum; non in terram ſed in cælum aduerſus Dominum noſtrum; humilis in puluerem ponit os ſuum, ſe puluerem & mortalem confitens, ſuperbus in cælum, dicens, *Aſcendam in cælum & ſimilis ero altiſſimo*; inde humilianti ſe vſque ad puluerem ſpes veniæ ac ſalutis, inde quoque ſuperbo timoris & damnationis cauſa, quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Luc. 1. ſic Angelus ad Paſtores: *Inuenietis in-* Luc. 2.
fantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio, &c. Ita ne maieſtas illa tanta in tam vili loco conſtituta, tam vilibus eſt pannis inuoluta?
Cælum & terram ego impleo, ait Dom. Ierem. 23. Ierem. 23.
& modo in præſepio eſt, & in ſtabulo iacet anguſto? *A ſæculo vſque in ſæculum tu es Deus*, & ecce factus eſt infans vnius diei? *Inuenie-*
tis, inquit, *infantem*, &c. Quærit ſanctus Ber- S. Bern.
nardus ſerm. 1. de Natiuitate, & ait: Ad quid hoc fratres? aut quæ neceſſitas fuit, vt ſic exinaniret ſe, ſic abbreuiaret ſe, ſic humiliaret ſe Dominus maieſtatis, niſi vt vos ſimiliter faciatis? Iam clamat exemplo quod poſtea prædicaturus eſt verbo, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*; obſecro proinde & plurimum rogo, fratres,

fratres, non patiamini tam pretiosum exemplar frustra vobis exhibitum esse. ita S. Bernard. Vbi duo notanda sunt; primum, quàm Deo sit grata humilitas nostra, siquidem vt nos suo deuinciret exemplo, sic suam exinaniuit maiestatem; secundum est, quàm modò sit damnanda superbia & proteruia, si nihilominus elati & superbi fuerimus. Intolerabilis impudentiæ est vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat. Quid denique detestandum magis, quid grauius puniendum, quàm vt videns sic Deum humiliatum vltra apponat homo magnificare se super terram?

Gen. 1. S. Chrys. Genes. 1. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Miratur meritò S. Chrysost. hom. 12. in Genes. hanc hominis formationem considerans; ex luto enim lateres & testa fingi solent, cato verò ex limo quando vel quomodo fieri valet? Etenim fieri ab Omnipotente posse non mirum. Cur autem creaturam inter visibiles nobilissimam, ad imaginem & similitudinem suam factam secundùm animam, fieri ex limo voluit secundùm corpus, cum ex cæli materia vel saltem ex alio nobiliori elemento eam potuerit Deus formare? Respondet S. Chrysostom. ibidem dicens: Propterea Deus (cui tanta salutis nostræ cura est) ad nostram eruditionem Prophetæ linguam sic direxit. Quippe cum superiùs dixerat, fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, & dedit illi omnium visibilium potestatem, vt ne magnus sibi esse videatur & præscriptos sibi limites transeat, propterea formationis eius originem, & vnde, & quomodo primus homo productus sit docet. Cum enim cogitauerimus, vnde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit, etiam si sexcenties supercilia surrigamus, ea reprimemus, & humiliabimur, & substantiæ nostræ qualitatem perpendentes modestiam discemus. Quod si post hanc doctrinam (serpentis deceptione) parem aliquam cum Deo æqualitatem imaginatus est homo si priori narratione contentus fuisset Moyses in quam non incidissemus in insaniam? ita ille.

Propositio II.

Quàm conducat humilitas ad impetrandum à Deo in oratione.

Psal. 67. PSal. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ & infirmata est, tu verò perfecisti illam.* Obscurus sermo, quomodo enim infirmatur per pluuiam hæreditas, v. g. vinea vel ager, cum potius vberiorem pluuia vtramque

S. August. hæreditatem reddat? S. August. ser. 13. de verbis Domini secundùm Matthæum, pluuiam dicit voluntariam non meritorum nostrorum; Infirmata est hæreditas & agnouit se infirmam in se, vt infirma esset in te; non enim firmaretur nisi infirmaretur vt abs te in te perficeretur. Nemo ergo erit à Deo firmus, nisi qui se à se ipso sentit infirmum. ita S. August.

Idem. Quod Pauli exemplo confirmat dicens; vide huius hæreditatis portiunculam, Paulum dico, vide infirmatum, qui dixit, *non sum idoneus vocari Apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam Dei.* Quare ergo Apostolus ea? *gratia Dei sum id quod sum.* Infirmatus est Paulus, tu verò perfecisti eum. *Et gratia*, inquit, *eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboraui*; vide Paule ne præsumption: perdas, quod infirmitate meruisti, quia quasi tibi cepisti tribuere, quod paulo ante dederas Deo, quia dicis, *plus omnibus laboraui. Non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum.* Bene infirme, firmissimè eris exaltatus, quia non es ingratus, tu quidem es Paulus, in te paruus, in Deo magnus. Tu es qui ter Dominum rogasti vt stimulus carnis Angelus Sathanæ à quo colaphizabaris auferretur à te. Quid tibi dictum est? *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Etenim infirmatus es, *tu verò perfecisti eum.* ita sanctus August. Sic tribulatio ad orandum prodest.

Propositio III.

Humiles exaltat Deus.

EXaltauit Deus Moysem, Exod. 3. dum enim pasceret oues Iethro, apparuit ei Dominus in rubo, & ibi principem & antesignanum populi sui eum constituit; nunquid inter viros primos Israël non inueniebatur alius honorabilior, cui Deus honorabilem illum principatum committeret nisi ei qui pastoris officio fungebatur? cur ita? Nimirum, quia humillimus vir erat Moyses, vt ex tribus constat. Primò, quia eum adhuc infans esset, & à filia Pharaonis in filium esset adoptatus, Pharao illum inter brachia suscepit sua, & diadema quod super caput suum Rex gerebat, capiti Moysis Rex ipse imposuit; infans verò quasi despiciens diadema manibus illud arripiens ex capite tulit, in terram proiecit, & è manibus Regis exiliens illud pedibus conculcauit, quo præsagio certo designauit fore Deus per illum, se Regiæ dignitati valedicturum propter obsequium Dei. ita refert Iosephus lib. 2. antiquitatum cap. 9. Secundò, quia eum iam adolescens esset, adoptionem filiæ Regis renuntiauit amore Dei, vti ait Apost. ad Hebr. 11. *Moyses*, inquit, *grandis factus negauit, se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Quod expendens S. Gregor. Nyssenus in vita Moysis sub finem ait: non solùm Regiam dignitatem contempsit, sed etiam regium iudicauit non satellitibus neque ornatu regio, sed virtute custodiri, & virtutis ornatu gloriari, vnde 40. annis pastoris officium exercuit, vt ait Philo lib. 1. de vita Moysis, non obstante regia in Regia aula educatione.

Exod. 3.

Iosephus.

Heb. 11.

Philo.

Tandem immatura iam ætate eum Exod. 3. eum in Principem populi Dominus eligere vellet, enixè & plurimis supplicationibus à Deo satagebat obtinere, ne se ad populi liberationem mitteret, quod ex magna submissione animi dimanasse adnotauit S. Gregor. Mag. 35. Mor. 13. dicens; quia Moyses apud se mente humilis fuit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit. ita ille. Nota verbum, non solùm fugiebat, sed etiam principatum expauebat per se valde imparem indicans muneri tanto. Ecce igitur causam cur Deus illum sublimauit, quia scilicet qui se humiliat, exaltabitur.

S. Greg.

Vnde S. Hieron. de Nepotiano sacerdotium recusante, sic ad Heliodorum scribit: Quanto magis repugnabat, tanto magis in se omnium studia concitabat & merebatur, negando quod esse nolebat, eo quod dignior erat, quo se clamabat indignum. ita S. Hieron.

S. Hieron.

Idem. Qui etiam epist. 17. ad Eustoch. sic de B. Paula, fugiendo gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens appetit contemptores. ita S. Hieron.

Matth. 1. Matth. 1. in Saluatoris nostri genealogia, cum ad Dauidem Euangelista narrans perueniter, ait, *Iesse autem genuit David Regem, Dauid autem Rex genuit Salomonem*, equidem & Salomon Rex fuit, imò & gloriosiur quàm Dauid fuit. Rectè doctor quidam grauis, nullum alium præter Dauidem Regem, in regis diuini genealogia nuncupauit, vt Dauidis humilitatem exaltaret; fuit enim Dauid humilis valde. ita ille. Quanta verò fuerit humilitas Dauidis, ex eo constat, quòd quantumuis regia fulgeret dignitate, semper se pastorem fuisse agnouit; vnde in Ps. quodam ad æternam rei memoriam scriptum reliquit officium suum pastorale; *Elegit Dauid seruum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum*, Psal. 77. Vbi Psal. 77. se & seruum Domini & non semel pastorem caulas gregis sequentem fassus est. Constat enim ex 2. Reg. 6. lib. 2. Regum, eum coram Domini arca, totis viribus saltasse, & hoc displicuisse Michol vxori suæ, quæ illum scurris comparauit; cui Dauid: *Iudam & vilior fiam, plus quàm factus sum, ante Dominum qui elegit me, & ero humilis in oculis meis.* Ecce cur non solùm Dominus Dauidem in sua attexit genealogia, sed etiam super alios Reges Regis nomine eum condecorauit.

Luc. 14. Luc. 14. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Hanc humilium exaltationem expressit Deus in prima hominis formatione. Gen. 2. vbi sic: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Priùs formauit hominis figuram ex luto, & deinde inspirauit animam rationalem, & sic factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei. Ponderemus factum: formauit priùs imaginem luteam, quam ex luto illo in imaginem Dei eleuauit. Cur ita? nonne simul & semel perfectum hominem efficere poterat? qui dixit, *& reliqua statim facta sunt*: etenim eleuare voluit lutum in perfectissimam omnium creaturarum corporalium, imò & formatum ex luto in imaginem ipsius Dei, vt ita nos diuinus magister doceret quomodo suscitat ex terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus Angelis in cælo; vt notum nobis sit quos Deus exaltat, eos quidem, qui vt lutum, & limus humiles sunt; quid enim nisi ab humo humilitas nuncupatur?

Exod. 3. Sed quid, inquam, ad imaginem Dei? imò vt sit quodammodo Deus eleuatur humilis. Vocauit Deus Moysem Exod. 3. vt mitteret eum ad Pharaonem, nota est historia. Erat autem Moyses adeo humilis, vt omnino munus illud honorificum recusaret; sed tamen Dei voluntate victus obedire voluit. Ad quem Deus Exod. 7. *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis*, & quia proprium est Dei habere prophetas, subdidit; *& Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Cur in tantam celsitudinem eum Deus sublimauit? nimirum, quia cum nuntij Dei munus recusauit, magna animi submissione dixit cap. 3. *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Et rursus instante Deo vt munus illud principis populi Israël acciperet, dixit: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius*, &c. Ecce quare Deus ad munus tantum elegit Moysem, quia scilicet humilis erat valde, & qui se humiliat, exaltabitur in tantum vt Dei nomine eum condecoret.

Imò ita vt quodammodo supra Christum ipsemet Christus collocare humilem videatur, vt in Ioanne Baptista considerare licet, à quo Dominus voluit baptizari, & in baptismo manum suam supra caput Domini leuauit; qui a tanta dignitate se indignum iudicans dixit Matth. 3. *Ego a te debeo baptizari & tu venis ad me?* Sed nihilominus Matth. 3. recepit ab eo baptismum Dominus. Cur ita? Propter hoc quidem speciatim quod dixerat Baptista Ioan. 1. *Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Quasi diceret Christus Ioan 1. quia tu te indignum iudicas ponendi manum tuam in pedibus meis, pone manum ipsam super caput meum, quia qui sic se humiliat, sic exaltabitur.

Sed hoc in Beata Virgine lucet magis, cuius humilitatem respexit Deus, vt speciatim propter eam, elegerit ipsam in matrem, sicut obseruauit S. Bernard. in ea verba canticorum, *cum esset* S Bern. *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*; effecisse autem illam Deus matrem suam, fuit, eam sibi quantum præcisè ad relationem matris & filij efficere superiorem. Ecce quàm Deus humiles exaltet.

Luc. 18. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quod Luc 18. exemplis sic ostendit & amplificat S. Chrysost. S.Chrys. homil. 3. in Matth. sic centurio dixit Domino, *Non sum dignus vt intres sub tectum meum*, & propterea dignus effectus est supra omnes Iudæos mirabilis. Sic Paulus ait, *Non sum dignus vocari Apostolus*, & ideo omnium primus inuentus est. Sic & Ioannes Baptista, *Non sum*, inquit, *idoneus soluere corrigiam calceamenti eius*, & ideo amicus factus est sponsi, & manum quam indignam calceamenti esse dicebat, eam Christus super caput suum collocauit. Sic etiam Petrus ait, *Exi a me Domine, quia homo peccator sum*, & propterea factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim adeo est amicum Deo quàm si quis se minimis annumeret, hoc est enim totius philosophiæ caput & fastigium. Qui enim humiliatur corde, non efferetur in vanam gloriam, non inuidiæ liuore erga proximum, non iracundiæ furore vexabitur, non aliis affectibus subiacebit. ita ille.

Rursus Luc. 18. *Qui se exaltat, humiliabitur; &* Luc. 18. *qui se humiliat, exaltabitur.* Dignum quidem hoc & iustum est, & ideo operibus id Dominus confirmauit. Humiliauit se S. Ioan. Baptista dicens ad eos qui interrogauerunt eum quis esset, *Non sum ego Christus, cuius non sum dignus vt soluam corrigiam eius calceamenti.* Postea autem venit Christus Dominus vt baptizaretur ab ipso, cui Ioannes; *Ego à te Domine debeo baptizari?* & Dominus ad eum, *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Ac si diceret, iustum est humiles exaltare, tu te ita humiliasti vt diceres ex corde, non sunt dignæ manus meæ soluere corrigiam calceamentorum Messiæ: extende igitur nunc manum tuam super caput meum, eam, inquam, manum quam attingere pedes meos indignam iudicasti; eam enim extollere supra caput meum S. Chrys. volo. Sic explicat locum hunc S. Ioan. Chrysost. homil. 38. ad populum dicens; Quia dixit Ioan. *non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius*, factus est amicus sponsi, & manum quam dixit calceamento esse indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. ita S. Chrysost.

Rursus Exod. 7. 1. sic Deus ad Moysem, *Ecce* Exod. 7. *constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit*

eris Propheta tuus; non ait, eris Rex Pharaonis vel superior illo, sed, *Deus illius.* Quis vnquam Rex nomen Regis alteri concessit? Proregis nomen cuiuis magnato nimium est, quanto magis Dei nomen? Et insuper tanquam Deo assignat Deus illi Prophetam, etenim respexit hic Deus humilitatem serui sui Moysis, cum se indignum asseruit vt Dei nuntius ad Pharaonem mitteretur dicens; *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* ideoque illum Deum Pharaonis constituit. Sic explicat locum
Rupert. istum Rupert. lib. 1. in c. 25. Exodi, dicens: Gloriosa virtus humilitas loquuta est in Moyso, & idcirco dignum ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum vt audiret homo priuatus regnantis hominis se Deum esse. ita Rupert.

Quod si propter humilitatem Moysi, sic Deus eum Pharaonis Deum constituit, ita Beatissimam Virginem Mariam propter humilitatem suam in matrem suam Deus accepit, & eximio matris
S. Bern. Dei titulo eam condecorauit, & exaltauit. S. Bernard. hom. 1. *super missus est*: Vt maria de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, *respexit humilitatem ancillæ suæ Deus.* ita ille. Quasi dicat, vt conciperet de Spiritu sancto filium Dei, expectauit Deus vt diceret Maria Gabrieli, *Ecce ancilla, Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*, & in puncto, quo se ancillam appellauit, concepit Deum.

S. Bern. Item idem S. Bernard. hom. 41. in cantica exponens verba illa, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* De B. Virgine explicans locum hunc ait: Est nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt esse naturæ, & ideo per hanc videor mihi non inconuenienter in hoc loco, virtutem humilitatis accipere, quæ sancti amoris vaporibus flagret; ait ergo, *dum esset Rex*, &c. ac si voce Virginis Mariæ dicat, nullius mihi meriti conscia sum ad dignationem tantam, nisi quod respexit Deus ad humilitatem ancillæ suæ: nam quid est aliud, *nardus mea dedit odorem suum*, quàm placuit humilitas mea? non inquit, mea sapientia, mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola erat humilitas dedit odorem suum. ita S. Bern.

Renuit S. Petrus eo modo crucifigi, quo Christus Dominus, & ideo deprecatus est crucifigentes vt eum è conuerso cruci affigerent, ita vt ipse caput haberet vbi Christi pedes affixi erant; sed vbi humilitatis causa, caput ad pedes Domini supposuit, pedes suos inuenit ibi vbi Dominus caput habebat: non sine diuina ordinatione factum est hoc, vt nempe sic Petri humilitatem exaltaret. Ecce quo pacto Deus humiles exaltet.

Denique in Christo Domino id apertius constat, qui humillimus omnium fuit, & ideo pari passu currebant in eo humilitas & sublimitas; nascitur in stabulo & reclinatur in præsepio, quid humilius? & illico descendunt è cælis Angeli canentes ei gloriam & dicentes, *gloria in altissimis Deo*, &c. Perseuerat ibi multis diebus, & veniunt ab oriente Reges ad eum adorandum; circumciditur, ac si peccator esset, & datur illi nomen IESVS, quod est super omne nomen, tanquam egenus; neque habebat vbi caput suum reclinaret, & ingentia atque innumera edebat miracula, quæ mirabilē & excelsum eum reddebant. Denique tanquam reus suspenditur in patibulo crucis, & ibi elementa, & cæli, & mortui resurgentes innocentem & sublimē eum prædicarunt, quasi dicendo, sic sic qui se humiliauerit, exaltabitur.

PROPOSITIO IV.

Quàm conducat ad saluationem humilitas.

1. COr. 7. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* S. 1. Cor. 7.
Thom. ibidem sect. 4. sic explicat, quasi dicat: S. Thom
Vnusquique in ea vocatione in qua vocatus est permaneat, v. g. seruus vocatus es ad fidem Christi? non sit tibi curæ, vt scilicet velis seruitutem effugere, sed potius si potes fieri liber, mane in seruitute. ita S. Thom. quis non miretur Apostoli consilium cum seruitus tãta miseria sit, vt in prouerbium recepta sit illa sententia, *Non bene pro toto libertas venditur auro?* Cur igitur consulit Apostolus seruo vt in seruitute remaneat etiam cum ab illa liberari iustè possit? S. Thom. sic respondet: Quia seruitus causa est humilitatis, & sicut ait Ambros. quanto quis despectior est in hoc sæculo propter Dominum, tanto magis exaltabitur in futuro. & Gregor. quanto quis Deo S. Greg.
gratior est, tanto propter eum vilior. Et Boëtius, Boetius.
cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen prospera quàm aduersa. ita S. Thom. & sanctus S. Ansel.
Anselmus.

PROPOSITIO V.

Quàm ignota sit in mundo excellentia virtutis humilitatis.

GEntiles antiqui virtutem humilitatis despiciebant, quia valorem & pretium eius ignorabant: sed proh dolor! etiam apud fideles multos despicitur vsque hodie; etenim Israëlitæ olim fideles erant qui Dominum Christum recipere noluerunt. Cur ita? nonne videbant eum virtutes & miracula eximie efficere, & prophetarũ oracula ei conuenire? Cur igitur in Messiam eum recipere renuerunt? Tertul. 3. contra Marcionem; Tertul.
Iudæi, inquit, venisse Christum suum negant, eo quod in sublimitate non venerit. ita ille. Eandem rationem reddit S. Chrysost. homil. 2. in acta S.Chrys.
Apost. & S. August. tract. 4 in Ioan. cum quidem inde magis sanctitatem Messiæ dignam agnoscere debuissent, quantum autem apud Christicolas etiam hodie talis ignorantia vigeat, amor excellentiæ vanæ demonstrat.

Humilitas & paupertas spiritus, seu diuitiarum contemptus, non solùm sunt pretiosæ virtutes ex intrinseca natura sua, sed quia rarissimæ in orbe sint; nam vti ait S. Hieron. lib. de quæst. He- S. Hier.
braicis in 1. lib. Regum, exponens id 1. Reg. 3. *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis. Pretiosus*, inquit, dicitur, quia rarus erat, omne enim quod rarum est, pretiosum est. ita ille.

PROPOSITIO VI.

Vera humilitas in dignitatibus & honoribus probatur & manifestatur.

QVæ occulta sunt, examine fiunt manifesta; profundum quidem est cor hominis & soli Deo cognitum. Sed sicut igne probatur aurum & argentum, & an purum vel impurum sit, ignis

P 4 ipse

ipse manifestat; sic quale sit cor hominis, & an purum vel impurum moraliter examinatio prodit. Simile. In litterario ludo quid sciat quis, aut nesciat, interrogationibus magistrorum & argumentis fit palam. Sic etiam an quis patiens sit, contumelia & tribulatio; si amator proximi, necessitas ipsius proximi; si prudens, conuersatio; si castus, sollicitatio; si sobrius, mensa copiosa; si humilis denique, honor & lucus alins manifestat. S. Bern. Nam vti ait S. Bernardus, rara virtus est humilitas honorata.

Gen. 18. Genes. 18. cum Dominus Sodomam & Gomorrham perdere ac delere prorsus vellet, secretum hoc priùs Abrahæ tanquam speciali amico, quæ gesturus erat prædixit; quod, vt patet, in eximium Abrahæ honorem cedebat. Sed quid inter loquendum Abraham Domino? *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* S. Greg. Expendens locum istum S. Gregor. quando hunc res possessæ extollerent, qui de se tam abiecta sentiret? apertè enim cernimus, in quo loco se posuerat, qui pulnerem se ac cinerem etiam cum luqneretur cum Deo æstimabat? Si igitur ita se despexit, qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit; sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt, qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. ita S. Greg. Ecce quonam pacto fuerit probata humilitas Abrahæ, honore neiope illo eximio, quo Dominus eum tunc affecit: honor enim magnum examen humilitatis est.

S. Bern. Rectè quidem S. Bernard. ser. de Beata Maria super c. 12. Apoc. Agit, inquit, hoc in cordibus electorum prærogatiua diuinæ gratiæ, vt eus nec humilitas pusillanimos faciat, nec magnanimitas arrogantes. ita S. Bernard. qui hom. vltima *Super missus est*, in beata Maria verificat quod dico, expendens verba illa Virginis; *Ecce ancilla Domini*, &c. ait: quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, & insolescere gloria nescit? mater De. eligitur & ancillam se nominat? Non mediocris te vera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria humilitatem obliuisci: nec enim magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. ita S. Bernard. Ecce quomodo honores & dignitates & scientiæ inflant, & patefaciunt cordis superbiam, quæ quidem in humili statu latebat.

Propositio VII.

Quàm deceat magnates humiliari.

Matth. 4. MAtth. 4. *Vicit Christus Dominus hostem, & illico venientes Angeli ministrabant ei.* Quomodo sibi cohærent duo hæc? quid cum tentatione dæmonum ministratio Angelorum? qui ab Angelis ministrari voluit, quumodo à Diabolo Paschas. tentari passus est? S. Paschasius Abbas: Quod pugnat Christus cum Diabolo, humanitatis susceptio erat; quod verò Angeli ministrent ei, diuinita is priuile ia prædicantur in eo; in vtroque ta nen vnus Christus, & doctrinarum exempla in o plenius commendantur ita ille. Nos autem vnum ex hoc loco ad nostram doctrinam exemplum depromamus; etenim dij fortes terræ vehementer eleuati sunt, Deos voco terræ hos qui magnates vocantur, & tanquam dij quidam adorari & ministrari volunt, & veluti ignorant, quoniam homines sunt; sunt vtique velut dij terræ; sed tamen simul sciant, quoniam homines sunt, & sicut is qui Deus & homo est, cum in terra conuersaretur nobiscum, diuinis humana miscebat, & dominari & humiliari sciebat; norint etiam hi qui vmbratili Deitate potiuntur, simul etiam tanquam homines humiliari, ne ab eo inniti humilientur, qui cum Deus esset, vsque ad tentationem, vsque ad præsepe, vsque ad crucem humiliatus ait, *discite à me quia mitis sum & humilis corde*, &c.

Propositio VIII.

Humilitas dispositio magna est ad dona Dei recipienda.

PSal. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ & infirmata est, tu vero perfecisti eam.* Psal. 67. S. August. serm. 13. de verbis secundùm S. Aug. Matth pluuiam voluntariam, id est, non meritorum nostrorum, sed voluntariam, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiam, & ipsa hæreditas tua infirmata est, agnoscens se infirmam in se vt firma esset in te, non firmaretur nisi infirmaretur vt abs te, in te perficeretur. Vide Paulum infirmatum, *Non sum dignus*, inquit, *vocari Apostolus quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Quare ergo Apostolus es? *Gratia Dei sum id quod sum.* Infirmatus est Paulus. tu verò perfecisti eum; *Et gratia*, inquit, *Dei in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboraui*; vide ne præsumptione perdas, quod infirmitate meruisti? bene, *Non sum dignus vocari Apostolus, gratia eius sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; quod si plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.* Bene infirme, firmissime eris exaltatus, quia tu es Paulus in te paruus, in Domino magnus; etenim infirmatus es, tu vero perfecisti eum. ita S. August.

Propositio IX.

Verus humilis contemni contemnit.

SVnt qui mundum se contemnere, & pro nihilo ducere illum videntur, & tamen ab illo contemni non patiuntur; hos inter superbos potius quàm inter humiles numeramus. verus enim humilis se à mundo contemni contemnere debet. Vide verum humilem, Paulum, inquam ad Gala. 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo*; quonam, inquies, pacto hic ad inuicem Paulus & mundus crucifixi erant? S. Greg. S. Greg. 5. Mor. 3. vel 2. mundus Paulo crucifixus erat, quia hunc cordi suo mortuum non amabat, sed & semetipsum mundo crucifixerat, quia ei talem se exhibere studuit vt ab eo quasi mortuus concupisci non posset. ita ille. Vbi nota non solùm mortuum se mundo, & mundum sibi mortuum dixit Apostolus, sed crucifixum, id est in mala cruce suspensum, sicut malefactores esse solent, & propterea despecti & contempti: sic Paulus gloriatur non solùm se despexisse mundum, & quæ in eo mundana sunt, verùm etiam se à mundo tan-

quam

quam crucifixum despectui haberi. Ecce verum & perfectum humilem corde.

Propositio X.

Quàm vtiles sint humiles Reipublicæ.

1.Reg.2. SIc in suo cantico manet Samuëlis 1. Reg. 2. *Domini sunt cardines orbis terræ, & posuit super eos orbem.* Quinam sunt hi cardines orbis terræ?
S.Hier. S. Hieron. lib. de quæst. Hebrai. in lib. 1. Reg. Hebræi (inquit) pauperes spiritu, & humiles corde intelligunt, super quos Dominus orbem posuisse dicitur, quia eorum meritis terram stare autumant. ita S. Hieron. & quidem textui congruit hæc explicatio, dixerat enim immediatè, *suscitat Dominus de puluere egenum & de stercore eleuat pauperem*, &c. Congruit etiam metaphoræ cardinum, cardo enim est infimum in ianuis & super eum porta sustinetur; sic humiles in vltimo consistunt loco, sed tamen adeo grati sunt Deo vt speciatim eorum causa orbem sustineat, & faueat ei, ideo ait, *& posuit super eos orbem.*

Propositio XI.

Quàm nobis necessaria sit humilitas, ex Christi doctrina & exemplo maximè constat.

QVantum nobis necessaria sit humilitatis virtus, ex eo maxime constat, quòd speciatim Christus Dominus huius virtutis se magistrum exhibuit nobis; ait enim; *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Licet enim omnium virtutum Doctor & Magister sit, non tam se ita cæterarum sicut harum magistrum appellauit, vnde & in nocte cœnæ postquam discipulorum pedes lauit, quod non Dei dignum opus, imo nec honorati hominis opus esse videbatur, *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis? vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim: si ergo ego laui pedes vestros Magister & Dominus, & vos debetis alter alterius lauare pedes, exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci & vos faciatis.* Ita ne humilitate indigemus, vt ad ipsam tali exempla non solùm inducas sed cogas?

Atque hoc nec vnicum nec maius exemplum est humilitantis Christi; etenim cum primum in terra pedem posuit, eximia humilitatis suæ exhibuit documenta: nasci enim voluit in stabulo, & reclinari in præsepio Dominus maiestatis, quem cæli capere non possunt, & cui pro nihilo est super capita Seraphim suum constituere thronum; quis sic humiliatum Deum vnquam imaginatus
S. Bern. fuisset? Deinde circumcidi voluit, vbi mirum in modum admiratus S. Bernard. dixit serm. 1. de circumcis. magnum Sacramentum, verbum Dei abbreuiatum in carne, amplius abbreuiatur suscepta carnis circumcisione, minoratus paulo minus ab Angelis filius Dei naturam humanam induit; sed in circumcisione multo minoratus est ab eis. Habes igitur hic magnum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi Domino circumcisio necessaria, qui peccatum nec commisisti nec contraxisti? qui ergo nec vestigium vulneris habet, alligaturam non refugit vulneris; non sic impij non sic, non sic agit peruersitas elationis humanæ. erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur; quem nemo potuit arguere de peccato, ipse peccati remedium verecundum pariter & austerum sine vlla necessitate suscepit. Nos è contra inuerecundi ad culpam erubescimus agere pænitentiam, quod extremæ dementiæ est, male proni in vulnera, peius in remedia verecundi; qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari, nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Ita ne sano opus est medicina, & non malè habentibus? ita S. Bern. qui sapienter quidem hoc magnum exemplum humilitatis Christi sic expendit; Ego autem id tantum infero inde, quanta fuerit necessitas humilitatis nostræ; siquidem factis adeò Christo Domino onerosis humilitatem nos voluit edocere.

Sed denique quodnam humilitatis exemplum admirabilius imaginari potuit, quàm passionis & crucis Christi, vbi nescies iudicare, quid ibi extitit, maior cruciatus, an contumelia; etenim tanquam latro captus, flagellis cæsus, præconis voce delatus, inter duos latrones crucifixus fuit: Deum cogita ista passum & causam specialem attende, quam sancta Mater clamat Ecclesia in principio hebdomadæ sanctæ dicens: *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti; concede propitius, vt patientia ipsius habere documenta & resurrectionis consortia mereamur per eundem Christum Dominum nostrum*, &c. Ecce quam ob causam Dominus maiestatis tam eximia humilitatis opera sic amplexus est, vt scilicet non solùm verbis, sed etiam admirandis humilitatis exemplis nos humiles esse doceret. Etenim fieri non potest quin magni momenti & eximiæ vtilitatis nobis humilitas sit.

Propositio XII.

Humiles sequitur honor, & superbos fugit.

EXod. 3. sic Dominus Moysi, *veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto.* Magna quidem dignitas Exod. 3.
hæc ad quam elegit & sublimauit Deus Moysem, vt scilicet Princeps & antesignanus esset totius populi sui. Cur ad hoc non elegit Aaronem fratrem eius, qui maior natu erat, & expeditioris esset linguæ, ad hoc vt Dei nuntius esset ad Pharaonem? Nimirum, quia humilis valde erat Moyses, & mundi contemnebat dignitates. Quod ex eo patet, quòd precibus pluribus oblatam sibi à Deo præfecturam recusabat. ita S. Gre- S. Greg.
gor. 35. Mor. 13. dicens: Quia apud se mente humilis erat, oblatam tanti regiminis gloriam expauit. ita S. Gregor. imo cum adhuc paruulus esset & in principem Ægypti adoptatus, vti refert Ioseph. lib. 2. antiquitat. cap. 9. vice quadam cum à Rege Pharaone inter brachia reciperetur, & Rex regiam quam gestabat coronam à capite suo in caput pueri transferret; puer coronam in terram proiecit, & de Regis vlnis subsiliens, coronam proculcare cæpit, quasi certo præsagio significans, se dignitates etiam regias aspernari. Quid autem adultus iam fecerit, accipe ab Apostolo ad Hebr. 11. *Moyses grandis factus negauit se filium esse filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* ita Apost. & S. Gregor. Hebr. 11.
Nyssenus

Nyssenus. Nyssenus ponderans vlterius humilitatem Moysis, in vita Moysis prope finem ait: Non solùm Regiam dignitatem contempsit, sed etiam iudicauit esse regium non satellitibus & ornatu regio, sed virtute custodiri, & virtutis ornatu gloriari. ita ille ideo à Deo exaltatus est.

S.Hier. S. Hieron. epist. 3. ad Heliodorum, agens de Nepotiano qui sacerdotium recusabat: Quanto, inquit, magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, & merebatur negando quod esse nolebat, eoque dignior erat, quo se magis clamabat indignum. ita ille, qui etiam epist. 27. ad Eustochium de humilitate Paulæ; fugiendo, inquit, gloriam merebatur eam quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens appetit contemptores. ita ille.

Propositio XIII.

Humilitas signum perfectionis est.

Simile. IN arbore rami fructu onusti ad terram inclinantur, qui verò fructum eriguntur, fructu carent; sic etiam de virtutibus philosophandum est, cum videris aliquem superbire & eleuari virtutibus, vacuum esse cognosces: cum verò humiliantem se & pro nihilo se ducentem videris, hunc virtutum fructu refertum scito.

Propositio XIV.

Quàm conducat ad Dei gratiam humilitas.

S.Bern. SAnctus Bernard. hom. 4. *Super missus*: Semper solet esse gratiæ familiaris virtus humilitas: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. ita S. Bernard.

Propositio XV.

Quanta sit excellentia humilitatis.

S. Petrus Chrysol. SAnctus Chrysost. hom. 3. in Matth. minimum sentire de se tam magnum est, quàm maximas res fecisse, quod si non adsit, nec illæ magnæ poterunt esse laudabiles; nam nos quoque famulos habentes, tunc eos maximè comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsequuti, nihil se grande arbitrantur egisse ita ille.

Idem Item idem ibidem, si bona tua magna vis facere, noli ea magna existimare; aliter enim magna esse non possunt. ita ille.

Hypocrisis, *Vide* Vana gloria.

Propositio vnica.

Hypocrisis quàm insanabile malum sit.

S. Petrus Chrysol. SAnctus Petrus Chrysol. serm. 7. Hypocrisis virtutum fucus, subtile malum, secretum virus, tinea sanctitatis. ita ille. Quatuor hæc pondera. Primò, est *fucus virtutum*, quia hypocrita non virtutem sed speciem virtutis habet, apparentiam non existentiam; quid inde mali sequatur subdit; *Secretum virus*; virus est sed latens, mala autem tanto difficilius curantur, quantò secretiora sunt, in eum hypocrisis sanctitas apparet, interius verò in visceribus venenum est; inde est quod sicut malo corporis latenti remedia non adhibentur: sic nec hypocrisi. Præterea, *subtile malum*, adeo quidem subtiliter animam ingreditur, vt & ipsummet hypocritam decipiat; sæpe namque se sanctum sibi mentitur, qui nihil minus, adeo subtile vitium est. Denique hypocrisis, inquit, est *tinea sanctitatis*: sicut enim tinea sine strepitu, ex ipsa purpura oriens, purpuram priùs absumit & consumit, quàm sentiatur; sic hypocrisis priusquàm perspiciatur, merita bonarum actionum destruit & furatur; vnde meritò subdit S. Chrysol. crudeli arte virtutes truncat, mucrone virtutum, etenim abstinentiam debellat gula, castitatem luxuria, charitatem inuidia, & cæteras virtutes cætera vitia: at media hypocrisi sibi ipsi actus virtutis ingerit bellum, virtutem virtutis actione perimens. Simile.

Remedium autem tanti damni est amare secretum, & à conspectu hominum opera virtutum præstare. Nam vti ait idem S. ibidem thesaurum qui non absconditur prodit, virtutes proditæ non manebunt, virtutes enim sicut proditores suos deserunt; sic suos instant custodire custodes. Hoc Christus hortatur, cum dicit, *tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum*, &c. ita ille.

Iactantia.

Propositio. Vnica.

Qualiter iactantiam & propriam laudem vitare debeamus.

IOan. 1. cum Christus à Ioanne baptizatus fuisset, vox de cælo ruit, *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Audiebat populus multus hanc vocem, cui tamen conueniret, Christo an Ioanni nesciebat. Id autem opus erat, vt testimonio tanto deitas Christi comprobaretur: dicere autem Christum de se propter se factam vocem non expediebat; dicerent quippe illi male affecti: Tu testimonium perhibes de te, testimonium tuum non est verum; quod si assereret Ioannes, non propter se fuisse prolatam, existimaret populus id ex humilitate Ioannis emanasse; quapropter affuit spiritus Domini in specie columbæ, & supra caput Christi resedit, vt videns populus diceret, *digitus Dei est hic*, assignans quem anunciauerit vox Dei filium esse. Theophyl. in c. 1. Marci, operatur hoc Spiritus sancti descensus, ne cum Pater supernus diceret, *hic est filius meus dilectus*, putaretur qui audirent hoc, de Ioanne dixisse: descendit super Iesum ostendens quod de illo dictum esset. ita ille. Ioan.13. Theophy.

Hinc discamus de nobis non testimonium dare, dabit cum opus fuerit, qui dederit illud promereri, vt hoc loco effectum videmus; & similiter quando S.Ioseph vidit vxorem prægnantem, voluit occultè dimittere illam; & Virgo mysterium cælauit, ne de se testimonium ferret, dicens: *Ego de spiritu sancto concepi filium Dei*. Remisit negotium Deo, nec frustra; Deus enim Angelum misit qui mysterium Iosepho aperiret in Virginis testimonium.

Iesus

IESVS.

1. *Quàm gloriosum sit Christo Domino nomen* IESV, *id est, Saluatoris.*
2. *Quàm eximium beneficium nostrum sit Christum esse Saluatorem nostrum.*
3. *Quàm bene conueniat Christo nomen* IESV, *cum ardenter sitierit salutationem nostram.*
4. *Quantam reuerentiam exhibere debeamus nomini* IESV.
5. *Quàm augeat spem salutationis nostræ nomen* IESV.
6. *Quàm suaue & multæ consolationis sit nomen* IESV.

PROPOSITIO I.

Quàm gloriosum sit Christo Domino nomen, IESV, *id est, Saluatoris.*

Psal. 50.

PSal. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Expendamus verba illa, *tibi soli peccaui*; etenim cum prodigus ille veniam à patre postularet, non dixit, *pater tibi soli peccaui*, sed, *pater peccaui in cælum & coram te*; &

Matt. 18.

Matth 18. dixit Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus*; hic autem Dauid non ait, *in te*, sed, *tibi soli peccaui*; etenim diuersa inter se sunt, *tibi soli peccaui* (vel vt originale Hebræum habet, *tibi solum peccaui*) & *in te peccaui*. Nam peccare in aliquem est contra eum deliquisse; peccare verò alicui, potius dicit aliquid expediens ei cui peccauit, vt in hunc locum obseruauit Ropert. lib. de victoria verbi Dei, cap. 18. cui fauet Origen. hom. 1. in Ezec. Ait ergo Dauid, *tibi soli peccaui*, hoc est, ego quidem peccaui contra vxorem Vriæ, quia eam in peccatum incidere feci, & peccaui in Vriam quem interfeci, & in animam meam quam occidi, & in subditos meos quibus malum exemplum præbui, & etiam contra te Domine tunc peccaui; sed postquam à Propheta tuo Nathan audiui, *Dominus transtulit peccatum tuum*, vocem muto & assero, *tibi solùm peccaui*, contra alios peccaui, sed modò affirmo, quia *peccaui tibi*, in tuum scilicet honorem, & gloriam tuam, quatenus in venia & remissione peccatorum meorum misericordissimi & clementissimi Saluatoris mei nomen acquisiuisti, atque adeo hoc mihi solatij causa est, quoniam *tibi peccaui*. Ecce quanta Dei gloria sit misericorditer parcere peccatori. Ne igitur animum despondeat pænitens, cum peccatorum suorum grauitatem attendit, quia si verè pænitens est, iniuriam Dei misericordiæ irrogaret, si non firmiter speraret omnium suorum delictorum remissionem.

Ropert. Origen.

PROPOSITIO II.

Quàm eximium beneficium nostrum sit Christum esse Saluatorem nostrum.

EST adeo ingens beneficium remissio peccatorum, vt Christus ex eo nomen illud sublime IESVS voluerit tanquam insigne honorificum sibi assumere, *y poner esso por blason en el timbre de sus armas estas palabras*: Vocatum est nomen eius IESVS. Etenim Reges terræ in remissione criminis læsæ maiestatis inexorabiles sunt, Rex autem noster Christus tanquam pius & bonus Dominus, inde sibi nomen gloriosum vindicauit. Hac etiam de causa inter articulos fidei ponitur remissio peccatorum; voluit enim è cordibus nostris excludere omnem oppositi suspicionem, & de fide tenendum esse ab eo in Ecclesia institutam, remissionem peccatorum, & similiter magnitudinem rei voluit commendari, articuli enim fidei de rebus arduis, & quæ rationem nostram naturalem superant, à Deo in symbolo collocantur.

Hinc etiam in lege veteri institutum à Deo fuit Festum expiationis, quod præcedebat aliud Festum quod tubarum appellabatur. Voluit autem hoc festum tubarum celebrari ante festum expiationis, vt omnes præpararent se ad ritè & exactè celebrandum festum expiationis, vti asserit S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. Quodnam igitur erat hoc festum expiationis, ad cuius solemnitatem & debitam celebrantium præparationem, sic tubæ insonabant, & talem vigiliam alterius festi Deus requirebat? neque ad alia festa etiam paschalia talem instituit ritum. Respondet S. Thom. ibidem, festum expiationis institutum fuit à Deo in memoriam illius beneficij, quo Deus propitiatus est peccato populi in adoratione vituli ad preces Moysi. ita S. Thom. ita ne tanta res est peccati vnius remissio, vt tali ac tanto festo voluerit celebrari? ita quidem. S. Thom.

Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Expendens locum istum S. August. serm. 15. de Sanctis, tom. 10. ait: O miræ pietatis affectus! ô inæstimabilis ardor charitatis! Quis vnquam spectare posset vt ex Deo ante tempora natus, pro hominibus nasceretur ex femina homo factus? quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiscat? ita ille. Cur ait, *non contremiscat*, cum beneficium hoc redemptionis nostræ & charitatis Dei, gaudij potius ac lætitiæ causa & occasio esse videatur? nimirum, quia munere tanto ita nos deuinxit charitas Dei, vt meritò pauere debeamus ingratitudinem nostram; quis enim pro eo debitas Deo gratias poterit referre? Quod si quas reddere possumus, non præstiterimus, qua non grauissima pæna digni erimus? Meritò ergo S. August. ait; Quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiscat? & subdit: Quis vnquam posset æstimare, vt portaretur manibus feminæ portator orbis, & panis Angelorum aleretur, & omnium vita moreretur? Rom. 8. S. August.

PROPOSITIO III.

Quàm bene conueniat Christo nomen IESV, *cum ardenter sitierit salutationem nostram.*

PSal. 68. *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; qui consolaretur, & non inueni.* Miratur hîc S. August. quia tempore passionis discipuli, valde contristati sunt cum Christo, & piæ mulieres flebant cum eo; quomodo ergo ait, *& non inueni*? Respondet S. August. non ait Christus, *sustinui qui contristaretur*, sed, *qui simul contristaretur*, id est, ex ea re qua ego contristabar, *& non inueni.* ita ille. Contristabantur discipuli, contristabantur Psal. 68. S. Aug.

tristabantur & mulieres, sed non sicut Christus; quia discipuli & mulieres contristabantur propter cruciatus & dolores Christi, Christus verò non propter cruciatus suos, sed propter peccata eorum, qui eum cruciabant, pro quibus orabat in cruce; non enim consolatur patientem qui plorat eo quod ploret, sed quia pro ea re pro qua & ipse patiens plorat; sicut nullum solamen sentit Simile. portans magnum pondus eo quod alius quis tantumdem pondus portat, sed qui alleuiat pondus suum. Sic Christum non consolabantur flentea eius mortem, quia ipse non dolebat mori, sed quia peccata illorum flebat, pro quibus Christus flebat & dolebat. Ecce igitur quo ardore Christus Dominus damnationem peccatorum lamentabatur, vt quæreret consolantem se simul dolentem pro condemnatione animarum.

Propositio IV.

Quantam reuerentiam exhibere debeamus nomini Iesv.

Philip. 2. AD Philip. 2. *In nomine* Iesv *omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum,* &c. Cur non inflexibilia genua dedit homini Deus sicut Elephanti? Omissis alus physicis cau- S. Ambros. sis, audi. S. Ambrosium lib. 6. exameron c. penultimo: Fecit Deus hominem flexibilem genu, quia hoc Patris summi erga filium donum est, vt *in nomine* Iesv *omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum.* ita ille. Ecce quàm Deo grata sit reuerentia exhibita nomini Iesv; siquidem in prima hominis formatione flexibilia voluit formare eius genua vt in nomine Iesv filij sui flecteret ea.

Propositio V.

Quàm augeat spem saluationis nostra nomen Iesv.

Actor. 4. ACtor. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Sanauerat S. Petrus Apostolus claudum quendam à natiuitate in nomine Iesu, & mirante populo dixit verba prædicta, repletus Spiritu sancto, prout ibi scriptura sacra testatur, in nomine autem Iesv saluatio nostra continetur, quia titulo Saluatoris data & concessa est Christo Domino salus nostra; hæc enim est hæreditas Christi, hæc merces laborum passionis & mortis illius, prout cecinit Psaltes diuinus in Psal. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij, merces, fructus ventris.* Somnum iu- Cassiod. storum vocat mortem, vti exponunt Cassiodor. & alij, quia sicut qui dormit requiescit à labore suo, sic iustus moriens à laboribus mundi huius requiescit, iuxta id Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, & subdit, *amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* In morte igitur iusti, *Ecce hæreditas Domini filij; merces,* Bellarm. *fructus ventris.* Ita legit Cardinal. Bellarminus: vocat autem Christum fructum ventris scilicet generosæ Mariæ matris, secundum id, *Benedictus fructus ventris tui.* Sensus igitur est, cum moritur iustus, & cæli culmina tenet, tunc hæreditate sua gaudet Christus; illa enim est merces eius sicut Cassiodorus & Bellarminus interpretantur.

Vnde Psal. 2. ait sic Pater ad Christum: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hinc spei nostræ colligitur fundamentum eximium, etenim meritò speramus gloriam propter misericordiam & bonitatem Dei infinitam, sed gloriam nostri Christi Domini hæreditatem & mercedem esse, nescio superaddere videtur, quod maximè nostram spem firmat & auget; quî enim fieri potest vt à mercede fraudetur filius Dei? quomodo hæreditatem filio denegauit Pater? *Se que no querra desheredara tan buen padre à tan buen hoy.* Quo igitur pacto, inquies, pereunt multi? nimirum, quia ipsi volunt perire dum volunt in peccato perseuerare, & Christi Domini hæreditatem se esse nolunt; at qui quod in se ipsis est præstant, & in timore sancto Domini viuunt, anchoram hanc firmam spei habeant, hæreditatem nempe se Christi & mercedem esse illius, atque adeo, cum nomen Iesv audiunt, toto gaudere animo debent, quia Saluator cum sit, in hæreditatem & mercedem suam nos vendicauit. Ecce quomodo in nomine Iesv salus & spes nostra continetur.

Propositio VI.

Quàm suaue & multa consolationis sit nomen Iesv.

MAtth. 1. sic Angelus ad Ioseph de Christo Matth. 1. nasciturо, *Vocabis nomen eius* Iesvm, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* O quàm gratum & amabile nuntium! Rectè ponderat hunc locum S. Bern. hom. 3. *super missus est*, dicens; Duos Iesus lego in typo huius quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populo Dei præfuisse, quorum alter populum de Babylone eduxit, alter in terram promissionis introduxit; & illi quidem illos quibus præerant ab hostibus defendebant: sed numquid saluabant à peccatis eorum? noster autem Iesvs & à peccatis saluat populum suum, & in terram viuentium introducit, *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* ita S. Bernard. Fæ- S. Bern. lix igitur populus qui populus Dei est, siquidem venit vt saluet eum, felices quidem nos siquidem sumus de populo eius. Bene, sed audi quid S. Bernard. subdat: vereor ne multi se profiteantur de populo eius, quos tamen ipse non habeat pro populo suo; vereor ne plerisque qui quasi in populo meliores esse videntur, ipse aliquando dicat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*; nouit enim Dominus Iesvs qui sunt de populo eius. Fac quæ dicit Iesus, & computabit te in populo suo, ipse enim ait; *Quid me vocatis Domine Domine & non facitis quæ dico?* ita S. Bernard.

Ieiunium, *Vide* Abstinentia & gula.

1. *Quàm gratum Deo sit ieiunium, & è conuerso gula.*
2. *Ad superandas tentationes conducit ieiunium.*
3. *Contra illos qui post ieiunia gulæ indulgent.*
4. *Ieiunium peccatorum remedium est.*

PROPOSITIO I.

Quàm gratum Deo sit ieiunium, & è conuerso gula.

2. Cor. 12. 1. Or. 52. sic de se Paulus: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Eximium quidem donum Dei, sed quid ex parte sua operatus est Apostolus, vt tale ac tantum reciperet donum? S. Basil. S. Basil. ser. 1. de ieiunio: Paulum, inquit, inter alia multa ieiunium in tertium cælum euexit. ita S. Basil. vide quantum apud Deum ieiunium valeat.

Exod. 39. Exod. 19. assumpsit Deus Moysem in montem Synai, & ibi quadraginta dierum spatio cum Deo conuersatus est, & Deus illi communicauit mirabilia legis suæ, & speciatim tribuit tabulas legis diuinæ, &c. Mirum hoc, & quidem beneficium tantum etiam ieiunio tribuit S. Basil. serm. 1. de ieiunio, dicens: Moysem per ieiunium nouimus montem ascendisse, neque enim aliter ausus esset verticem fumigantem adire nisi ieiunio munitus; per ieiunium mandata conscripta digito Dei in tabulis suscepit, inferius verò gula ad idololatriam populum deduxit & cõtaminauit, *Sedit*, inquit, *populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quadraginta igitur dierum laborem, & perseuerantiam seruo Dei, continuo ieiunante & orante, vna tantùm populi ebrietas irritam fecit; quas enim tabulas digito Dei conscriptas ieiunium accepit, has ebrietas contudit, propheta sanctissimo existimante vinolentum populum ex Deo legem accipere indignum esse. ita S. Basil. S. Basilius.

3. Reg. 19. 3. Regum 19. in monte Oreb visitauit Dominus Eliam, & cum eo benignè & familiariter egit, magnum quoque hoc beneficium fuit: causam autem eius expendens Origen. hom. in cap. ieiunij ait; Elias per quadraginta dierum ieiunium magnificam illam visionem vidit. ita Orig. S. Basil. Et S. Basil. vbi suprà. Ieiunium, inquit, Eliam magnæ visionis spectatorem fecit; quadraginta namque dierum ieiunio animam purgans, In spelunca Oreb meruit, quantum homini fas est Deum videre; ieiunans quoque viduæ filium resuscitauit & incolumem reddidit matri, & fortis ac potens contra mortem apparuit. ita S. Basil.

Dan. 3. Eximium quidem miraculum & ingens Dei fauor fuit trium puerorum Dan. 3. quando Nabuchodonosor Rex potens misit illos in fornacem ignis ardentis, & misit Deus ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, neque molestiæ quidquam intulit; imò adeo hilares ibi erant, vt simul ibi componerent & canerent canticum illud celebre, quod Ecclesia ex illorum ore sumens, fere quotidie canit: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, &c. Origen. Vnde illis gloria tanta? Origen. in eadem hom. in capite ieiunij sic respondet: Tres illi pueri deliciosam mensam contemnentes legumina in ieiunio sumebant, & ita flammam fornacis sumpta virtute fidei extinxerunt. ita Orig. fide, inquit, extinxerunt, quia fides firma miraculorum effectrix est. Sed in hoc miraculo ait Origen. fides cincta ieiunio tam gloriosum miraculum patrauit, quod omnium gentilium illorum in eximiam admirationem extulit, & præcipuè Regis qui eos ad fornacem damnauerat, qui deinceps & propterea eos valdè honorauit & reuerentiam eis & Domino nostro exhibuit.

Prodigiosæ fuerunt Samsonis vires, quis ignorat? quibus mira Dei ope operatus est, leones trucidauit, mandibula asini mille Philisthæos semel occidit, funes fortes velut filum brachiorum vi rupit, templi Philistinorum duas fortissimas columnas euertit, & templum ipsum deturbauit totum. Vnde vires & auxilia tanta Dei? S. Basil. serm. de ieiunio. Quid, inquit, fortissimum Samsonem & indomitum reddidit? nonne ieiunium? per quod in matris ventre conceptus est, ieiunium illum concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium virum fortem fecit. S Basil.

Magnum etiam miraculum fuit Danielis, quem missum in lacum leonum fame laborantium septem leones nec tangere vestimenti pilum ausi sunt, & hoc quidem Deus effecit post ieiunium Danielis vti asserit S. Basil. ibidem dicens: Daniel vir desideriorum panem tribus hebdomadis non comedens, nec aquam bibens, etiam leones ieiunare docuit, in eorum lacum descendens; velut enim ex lapide & ferro factus esset, leones in eum dentes figere minimè potuerunt, ieiunium enim eum inuictum leonibus fecit. ita S. Basil. Idem.

Exod. 16. sic Moyses ad populum agens de manna, *Nullus relinquat ex eo in mane: qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque manè, & scatere cæpit vermibus atque computruit.* Exod. 16. Ponderat locum istum S. Ambr. ser. 7. in quadragesima & ait; Vsque adeo placuit Deo abstinentia filiorum Israël in deserto, vt quorumdam intemperantia notaretur, ita vt quisquam auidior duplum in mane sibi colligeret, hac iniuria feriretur, vt non tam in cibum inuenitetur reseruasse quàm vermes. ita S. Ambrosius. S. Ambr.

PROPOSITIO II.

Ieiunium ad superandas tentationes conducit.

MAtth. 4. sic de Christo Domino: *Cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus postea esuriit.* Cur, quæso, Christus, Dominus ieiunauit? nos quidem ieiuniis indigemus, vt carnem spiritui subiiciamus, & passiones eiũs moderemur, & pro peccatis satisfaciamus; at Christus cum Deus sit & nihil horum indigeat, cur ieiunat? Matth. 4. S. Basil. ser. 1. de ieiunio, sic respondet: Dominus Iesus, qui carnem humanam causa nostri assumpsit, ieiunans priùs Diabolum vicit, profectò nos instruere volens, vt ieiuniis nos ad inimicorum certamen paratos reddamus. ita ille. Christus enim non solùm verbis, sed etiam exemplis docuit, sicut in lotione pedum discipulis suis dixit, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Vnde Dauid Psalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Gratias ibi agit Dauid Deo, quia docuit eum pugnare, & vincere gigantem Goliath: non ait, qui robur mihi dedit ad superandum viribus, sed quia docuit eum in funda & lapide militare & occidere eum; quod si tanti fecit, & tales refert gratias Deo Dauid, quia è cælo docuit sic militare corporaliter; quales nos dignas Deo gratias reddere debemus, qui factus homo in terra, opere & exemplo suo docuit nos contra Diabolum, & contra mun- S. Basil. Psal. 143.

dum, & carnem pugnare, & facile eos superare? Vicit in deserto diabolum non consentiendo tentationibus eius, & opponendo voluntati eius voluntatem patris sui; docuit nos vincere mundum, recedens ab eo in desertum; docuit nos vincere carnem ieiunio suo; restat nos eius sumere exemplum & practicam doctrinam, vt facile & nos victores euadamus. Concludit igitur ad rem S. Basil. ibi: Si mentem robustam ac valentem tibi esse volueris, carnem per ieiunium subiugabis, hoc enim est, quod Apostolus ait, *quantum exterior homo corrumpitur, tanto interior de die in diem renouatur.* & rursus, *quando infirmor, tunc potens sum.* ita S. Basil.

S. Basil.

PROPOSITIO III.

Contra illos qui post ieiunium gulæ indulgent.

S. Epiph. DE vulture sic scribit S. Epiphanius, vultur, ait Physiologus, cunctis auibus voracior est; quadraginta enim diebus abstinet à cibo, quem cum inuenit totidem se ex illo labris ingurgitat; quadragenariam itaque abstinentiam, quadragenaria ingluuie compensat. Tu igitur, spiritualis homo, qui quadragesimali ieiunio Dominicam resurrectionem expectas, noli ventri fœdè indulgere, ne quadragesimalis ieiunij fructum perdas. ita ille.

PROPOSITIO IV.

Ieiunium peccatorum remedium est.

SVnt qui cum tempus ieiunandi adest, contristentur, & occasiones non ieiunandi quærant, quasi ieiunium vel contrarium illis vel inutile sit. Ad hos sic S. Chrysost. hom. 5. in Genes. Deus nos veluti pater filios indulgenter amans, cupiens nobis abluere peccata nostra, hanc quæ per ieiunium fit curationem adinuenit. ita ille. Ecce quid ieiunium sit, peccatorum curatio; ecce quid Deus per indictum ieiunium intendat, nos à peccatis liberare, & tu ieiunia refugis? Quis infirmus præcepta medici optimi non libenter recipit, gratias illi agens? Imò & remunerans?

S Chrys.

Infernus.

1. *Quàm horribilis sit ignis æternus inferni.*
2. *Inferni grauitas grauitatem peccati manifestat.*
3. *Grauitas ignis inferni ad quærendam misericordiam Dei nos prouocat.*

PROPOSITIO I.

Quàm horribilis sit ignis æternus inferni.

Nahum, 1. NAhum. 1. *Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* Originale Hebræum sic habet, *& silices dissolutæ sunt ab eo.* Diuinam indignationem ignem vocat, silices dissoluentem, vt magnitudinem eius & periculum, damnumque nostrum, aliquo modo significet; quod si talis est, vt silices in cinerem conuertat, quid de nobis dicendum est, qui caro tenuis, & delicata sumus? & ita hæc vehemens in peccantes, sæpe in sacra Scriptura nobis denuntiata est, vti Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima,* [*La ira de Dios es vna manera de fuego que penetra hasta los infiernos.*] Etenim apud nos ignis accenditur licet ingens versetur aqua, vel aliis remediis extingui soleat, ignis verò iræ Dei inextinguibilis est, Ier. 4. *Ne forte*, inquit, *egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.* Vbi nota locum supradictum, Nahum. 1. sic vertisse Symmachum & Theodotionem, *Indignatio eius stillabit vt ignis*; instillatio autem temperare videtur vim indignationis diuinæ; quod enim stillatur, paulatim cadit. Sed tamen in litteris diuinis cum de ira Dei sermo est, non minuit magnitudinem diuinæ indignationis, sed magnitudinem periculi nostri exponit vt constat ex illo 2. Paralip. 34. *Magnus furor Domini stillauit super nos*; & infrà, *stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur.* Perpende quomodo furor Dei stillatus magnus, & inextinguibilis nihilominus dicatur; quod si stillatio iræ Dei talis est, quid erit effusio illa ignis æterni in inferno? Ponderatio est S. Gregor. 21. Mor. 16. quomodo toleranda est pœna, quæ reprobat, si ferri non potest ira quæ purgat? ita ille, quem etiam vide 17. Mor. 21. ponderantem verba illa Iob. 26. *Cum vix paruam stillam*, &c. Meritò igitur exclamat Isai. 33. *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* Quasi dicat: si scintillam ignis huius domus nostræ ferre non possumus, cum ignis hic quasi pictus sit comparatus igni inferni, quique solum tangit corpus, & non animam, quis poterit sustinere ignem illum, qui corpus penetrat & animam, & durat in sempiternum? væ nobis!

Deut. 32.

Ierem. 4.

Nahum. 1.

S. Greg.

Isai. 33.

Psal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, veruntamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Si *merum*, quomodo *mixtum?* Sensus communis est, quòd hic loquatur Propheta de calice iræ, & iustitiæ Dei in peccatores in hac vita, quòd purus sit, hoc est fortis & vehemens, vt patet in punitione primorum parentum in diluuio, in supplicio Sodomorum, & aliis similibus; *mixtum* verò propter diuersitatem pœnarum, sed tamen fæx eius remanet ad puniendum peccatores in die iudicij, & in inferno, vti explicuit Isidorus Pelusiota in hunc locum, dicens, quia si peccatores modò salutem animæ aspernantur, vim numinis vltricem non effugient ad extremum, sed bibent meritò poculum fæcis in iudicio. ita ille. Etenim grauia solent esse supplicia Dei in hoc mundo, sed huius grauitatis fæx erit in iudicio; modò enim pęnæ sunt temporales, tunc æternæ; modò tolerabiles, sed tunc intolerabiles prorsus; denique ignis æterni gehennæ, & numquam terminandæ. Væ impœnitentibus, &c.

Psal. 74.

PROPOSITIO II.

Inferni grauitas grauitatem peccati manifestat.

LItteræ q̃ succo cibri cõscribũtur, legi nõ possũt nisi admotæ igni, ita etiã magnitudo peccatorũ hominis præsciti occulta est etiã ipsi homini, & non

non percipit grauitatem eorum, quamuis in corde ea contineat; percipiet autem ea in tartareo igne, pœna quippe oculos aperit, quos culpa clau- S. Gregor. dit, vti ait S. Gregor. Papa. Vnde Diues ille damnatus ab Abraham petebat, mitti aliquem ex alio mundo, qui grauitatem illam peccatorum quam ipse tunc in igne cognoscebat, fratribus prædicaret, ne & ipsi damnarentur, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum: vt testetur (inquit) grauitatem nempe peccatorum, quæ tali ac tanta pœna puniuntur.

Propositio III.

Grauitas ignis inferni ad quærendam misericordiam Dei nos prouocat.

S. Leo. Sanctus Leo Papa serm. 4. de collectis, quis fortem æternorum cruciatuum non paucscat? Quis mala numquam finienda non timeat? ita illa cui similis est interrogatio illa Isaiæ. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis? Addit autem sanctus Leo ibidem, sed ideo nuntiata est seueritas vt quæratur misericordia. ita ille.

Infirmitas.

Propositio vnica.

Infirmitatibus solet Deus punire peccatores.

S. Basil. Sanctus Basilius q. 55. ex his quæ fusiùs disputauit, morbi, inquit, sæpenumerò velut quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, quam vt vitam nostram Simile. in melius commutemus. ita S. Basil. Vnde sic se Deus nobiscum gerere videtur, sicut puerorum magister, à quo pueri vapulant vt à defectibus corrigantur; nec mireris peccatores pueris comparati, cum non minori quàm pueri ignorantia laborent, imò & maiore quamuis senes illi sint.

Matth. 9. Vnde Matth. 9. sic Dominus ad Paralyticum, quem sanauit priusqoàm salutem illi concederet: *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Etenim ille non peccatorum remissionem, sed corporis sanitatem postulabat. Cur igitur Christus illam præmisit? Strabus. Strabus in illum locum sic respondet: Ecce modum curationis, prius dimittit peccata tollens caussam morbi & postea corpus curat. ita ille Tollens, inquit, caussam morbi; sic etiam medici corporum faciunt, dolet caput, & sanguinem ex bra- Simile. chio detrahunt, nimirum, quia ex abundantia vel malitia sanguinis caput dolere vident, & quia ex capite sanguinem extrahere non expedit, ex brachio illum educunt; sic Deus propter peccata punit. Si ergo radicitus à morbo liberari vis, tolle peccata, quæ morborum radices sunt.

S. Hieron. Ex eadem paralytici curatione idem docet S. Hieron. ibidem, dicens, *remittuntur tibi peccata tua*, ait Dominus: quo nobis intelligi datur propter peccata pleraque debilitates euenire. ita S. Hieron.

Ioan. 5. Quod etiam constat ex curatione alterius paralytici Ioan. 5. cui Dominus dixit, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare*; quasi dicat, propter peccata longa infirmitate laborasti, caue ne iterum pecces; & ideo meritò addit Christus ibi, *ne deterius tibi contingat*: dictum sibi puter peccator cum infirmatur, peccata tollat, si infirmitatem tollere cupit & post sanitatem ad peccatum non redeat ne deterius illi contingat.

Præterea Paulus 1. Cor. 11. agens de his qui 1. Cor. 11. indignè communicabant; *Propterea*, inquit, *multi infirmi & imbecilles inter vos, & dormiunt multi.* Vide quæ patiant peccata, infirmitates nempe & imbecillitates, & mortem: id enim est, *dormiunt multi*, id est moriuntur.

Denique generaliter ait Spiritus sanctus Eccl. Eccl. 38. 38. *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Vbi Iansen. Bene, inquit, Iansen. ad exagerationem peccati dicit, *qui delinquit in conspectu eius*, qui fecit eum; sic enim notatur hominis ingratitudo, qui peccare audet contra eum, qui vitam illi dedit & sanitatem; & ob id dignus est, vt si non vita, saltem sanitate priuetur, & morbos patiatur, & cum morbis amara etiam & molesta medicorum remedia simul cum grauamine impensarum. ita Iansenius.

Hic tamen obseruа pro iustorum consolatione, qui etiam infirmitates & graues nonnumquam patiuntur, quòd sicut Deus peccatores in pœnam peccatorum infirmitatibus punire solet, sic etiam iustos infirmitatibus afficere, tum in præseruationem salutis animæ, tum etiam in cumulum meritorum, vel aliis iustis de causis. Vnde ad interrogationem illam Apostolorum de cæco à natiuit. Ioan. 9. dicentium: *Rabi, quis peccauit hic an parentes eius vt cæcus nasceretur?* respondit Dominus, *neque hic peccauit, nec parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Caue igitur ne præcipitanter iudices aduersa proximis euenire propter peccata. Examinet autem qui patitur malam conscientiam suam & tunc si se in aliquo deliquisse inuenerit, iudicet ipse propter peccata se illud pati, & conuertatur ad Dominum & sanabit illum; sin minus gratias agat Deo, iudicans misericorditer se Deum agere cum ipso, & in bonum tendere iudicium illud, cum scilicet examinata conscientia nullum remorsum patitur in ea.

Ingratitudo. *Vide* Gratitudo.

Propositio I.

Quo Deus odio prosequatur ingratos.



D Rom. 2. *His qui sunt ex contentione ira & indignatio.* Quinam Roma 2. sunt ex contentione? S. Thom. lec. S. Thom. 2. Hæc contentio est hominis ad Deum beneficiis hominem ad se vocantem, contra quem peccator contendere videtur beneficiis diuinis resistendo secundùm id Deut. 31. *Adhuc viuente me* (ait Moyses) Deut. 31. *& ingrediente vobiscum semper contentiosè egistis contra*

S. Thom. *contra Dominum*. ita S. Thom. bis igitur ſic Deo ingratis ira(inquit Apoſtolus) & indignatio Dei, ex ita autem & indignatione Dei quid ni graue ſupplicium timendum eſt?

Gen. 2. Geneſ. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. Ecce beneficium ingens homini exhibitum à Deo, non enim eduxit animam hominis de potentia materiæ, ſicut eduxit cætera animalia, ſed per inſpirationem ſpiritus ſui ſpiritualem animam creauit. Præterea verba illa, de limo terræ, *leuantolo del poluo de la tierra aſer ymagen de Dios y Señor del mundo vniuerſo*; Quapropter maiorem gratitudinem Deo exhibere debebat, ſicut gratus magis debet eſſe Regi, qui eum pauper & abiectus eſſet, ab eo ſublimatus eſt, quàm qui eum princeps ſic honoratur ab eodem Rege.

Rupert. Ponderat ergo Rupert. lib. 2. in Geneſ. cap. 39. ingratitudinem Adæ, qui cum talia beneficia à Deo recepiſſet, & ſimul ineffabilia dona tum naturalia tum ſupernaturalia, nullas Deo reddidit gratias. Quapropter Doctus quidam author infert dicens, fortaſſe callidior ſerpens hoc aduertens ſilentium ingratitudinis index, opportunum iudicauit tempus oppugnandi & expugnandi eum, victoriam ſibi pollicens ob ingratitudinem illam. ita ille. Quod ſi res ita ſe habeat, meritò Deus permiſit Diabolum ingratum hominem ſuperare, vt cadens agnoſceret, quod erectus non intellexerat, & id accidit ei, quod aſſeruit Da-

Pſal. 48. uid Pſal. 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit*; quid ergo inde? *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Vnde rectè S.

S. Baſil. Baſil. relatus ab Oleaſtro Geneſ. 4. in annotatione ad mores ait: Dominus à nobis ſua beneficia auferre ſolet, vt ea cognoſcamus, quod ingratiſſimi animi eſt, cognoſcere ſcilicet beneficia eum au-

S. Auguſt. feruntur. ita S. Baſil. Hinc S. Auguſt. lib. ſoliloq. c. 18. multum diſplicet Deo ingratitudo, quæ radix eſt totius mali, & ventus deſiccans omne bonum. ita S. Auguſt. ſi ergo vis omnia bona perdere, eſto Deo ingratus qui fons eſt totius boni, &c.

Propositio II.

Quàm facile homines obliuioni tradant beneficia.

Exod. 1. EXod. 1. *Surrexit Rex nouus in Ægypto, qui ignorabat Ioſeph*. Quonam pacto ignorare potuit Ioſephum Rex Ægypti, cum tam ingentia fuerint beneficia, quæ regno Ægypti contulit Patriarcha Ioſeph? Imò qui non ſolùm ignorauit illum, ſed omne genus Ioſeph in ſeruitutem crudelem redegit, filios Iſraëlitici populi occidens, & parentes operibus laterum plurimum torquens.

Lypoman. Reſpondet Lypomanus in catena, quia facile beneficiorum obliuiſcuntur magnates. ita ille. Nimirum, quia nullius opera ſe indigere præſumunt, & omnia ſibi deberi cenſent. Generaliter ve-

Pindarus. tò loquẽdo vera eſt ſententia Pindari in Iſthmiis, vetus beneficium obliuioni traditur, quaſi ſomnus. ita ille. Quam ob rem Deo obſequia aſſidua & magna præſtare curemus, qui numquam obliuiſcitur eorum, ſed habet alta mente repoſita vt ſuo tempore, imò æterno remuneret præmio.

Seneca. Seneca lib. 1. de beneficiis, beneficia nec dare ſcimus, nec accipere. ita ille. Senſus verò eſt, neſcimus dare beneficia, quia non exhibemus gratis illa, ſed ad proprium commodum proſpicientes. Beneficium à benefaciendo dictum eſt, dandum eſt igitur beneficium cauſa & ratione benefaciendi, alioquin non eſt beneficium ſed negotiatio. Vnde idem Seneca ibidem: Demus beneficia non fœneremus. ita ille. Secundò beneficia recipere neſcimus, quia grato animo ea neſcimus accipere, ſed ſicut ſues glandes arripiunt, nec paſtorem excutientem è quercu reſpiciunt: ſic nos beneficia capimus, & datorem non attendimus.

Propositio III.

Quàm contra naturam ſit ingratitudo.

SEnec. lib. 5. de beneficiis cap. 3. officia etiam feræ ſentiunt, nec vllum tam immanſuetum animal eſt, quod non mitiget cura & in amorem ſui vertat; leonum ora à magiſtris impunè tractantur, elephantorum feritatem vſque in ſeruile obſequium demeretur cibus. ita ille. Seneca

Propositio IV.

Ingratitudo ex ſuperbia procedit.

PHilo. lib. de charitate circa finem: Gratus animus alienus eſt ab arrogantia; ſicut è diuerſo ingratus affinis eſt ſuperbiæ. ita ille. Quia ſcilicet ſuperbo omnia ſibi deberi videntur, ideo gratias referre veluti dedignatur. Philo.

Propositio V.

Ab ingratis Deus beneficia tollit.

SAnctus Baſilius Cogitur Deus à nobis ingratis tollere beneficia, vt ea cognoſcamus. ita ille. S. Baſil.
Pondera verbum illud *cogitur*; Deus enim naturâ ſuâ, non ſolùm liberalis, ſed etiam magnificus eſt, atque adeo velut coactio quædam eſt, cum reuocat beneficia; reuocat autem, cum nos gratias non refertimus illi, *porque el bien y el beneficio no es conoçido haſtaque es perdido*. Vt igitur beneficiis diuinis pacificè potiaris, eſto Domino in omnibus bonis tuis gratus, nihil enim boni habes quod Dei non ſit: quod ſi gratus fueris Deo, multiplicabit ille tibi beneficia ſua. Vnde Geneſ. 4. cum natus fuiſſet Euæ primus filius dixit, *poſſedi hominem per Deum*, vel vt originale Hebræum habet, *à Deo*, hoc eſt, à Deo beneficium huius filij accepi; vnde factum eſt vt etiam alios filios multos ſuperaddiderit ei.

S. Bern. S. Bernard ſerm. 4. ſuper Pſ. *Qui habitat*: Deuotè gratias referenti ampliora beneficia promittuntur; ſicut è conuerſo accipiendis indignus eſt qui fuerit de acceptis ingratus. ita ille.

Inſpiratio diuina.

1. *Inſpirationi diuinæ illico reſpondere debemus.*
2. *Delitiæ mundi inſpirationibus diuinis valde obſtant.*

Propositio I.

Inspirationi diuinæ illico respondere debemus.

Cant. 5. CAntic. 1. sic Diuinus Sponsus ad animam sanctam, *Murenculas aureas faciemus tibi*
S. Aug. *vermiculatas argento.* S. August. lib. 1. de Trinit. cap. 8. Has murenulas inspirationes Dei in animabus nostris esse ait; nam has murenulas aureum ornamentum esse ait; ornamentum aureum animæ, sunt inspirationes diuinæ; & meritò quidem, ad animam enim ornandam ordinantur à Deo, ad diuina scilicet obsequia, & ad ipsius animæ profectum; sunt igitur magnum Dei beneficium. Aduertenda tamen est lectio ab originali Hebræo desumpta, quæ sic habet, *murenulas aureas faciemus tibi cum punctis* Quadrat translatio LXX. interpretum, quæ ait, *cum stigmatibus & punctis*, id est, argenti punctis variatas, ad instar illorum vermiculorum quorum dorsum variorum colorum pun-
Gislerius. ctis variatum conspicimus, vti ait Gislerius in hoc loco. Ornat ergo Deus inspirationibus suis aures interiores animæ, cum punctis. Cur ait, *cum punctis*? nimirum, vt doceat inspirationes in puncto consistere, & quasi per transitum, vt & nos punctuales simus in respondendo, & acquiescendo sine mora, ne in puncto transeat sicut euenit sponsæ Christi Cantic. 5. quæ non illico aperuerit ei, & cum aperuerit iam non inuenit eum, quia iam, inquit, *declinauerat atque transierat*, quia vocatio Dei in punctis consistit. Vnde S. Ambr. in hunc locum ait; Tunc ergo vigilandum est, ne cum venerit sponsus recedat exclusus. ita ille. Pœnam huius exclusionis audi, *vocaui illum*, ait sponsa, *& non respondit.* Ita bene, hoc enim promeretur, qui vocanti Deo non respondet, vt scilicet nec ipsi respondeat Deus cum ab eo vocatur, & ita fit pœna talionis damnatus; *que al si raquien pierde puncto pierde mucho, y mas en cosa tan importante como es aprouecharse de las inspiraciones de Dios al puncto que nos llama.* Et nota denique puncta ista in verme sita esse; sicut enim vermis vbi adhæret mordet, sic qui frustratur bonis diuinarum inspirationum, postea verme conscientiæ valde torquetur, &c. Sicut manna olim quod vtilissimum erat, sed erat eodem die colligendum, alioquin statim corrumpebatur, & in vermes conuertebatur; sic vtilissima quidem est diuina inspiratio, si tamen statim animo recipiatur, alioquin in vermes vertitur conscientiæ.

Propositio II.

Delitiæ mundi inspirationibus diuinis valde obstant.

S. Ant. de Padua. SAnctus Antonius de Padua in quodam serm. de iudicio inquirit rationem, cur metus iudicij & inferni nihil in hominibus multis operetur, & concludit delitias mundi in causa huius esse. Sicut enim, ait, in locis vbi sericum fit, si tonare, & fulgurare contigerit, ne vermes deterriti moriantur, tympana, & alia musicæ instrumenta pulsantur, quo vermes distrahantur, ne aliquam impressionem tonitruorum recipiant; sic Diabolus cum tonitrua diuinorum iudiciorum, & pœnarum inferni intus vel exteriùs in auribus peccatorum

sonant, ne aliquam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel quid simile peccatoribus proponit, ne inde conuertantur, & terreantur.

Intellectus.

Propositio Vnica.

Quàm parum prosit bonus intellectus sine bona voluntate.

LVc. 1. sic Angeli Christi natiuitatem cele- Luc. 2.
brantes, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cur non dixit, *hominibus boni intellectus*? siquidem apud nos, quod inter animæ potentias potissimum æstimamus, intellectus bonus est; si enim de aliquo dixeris bonam non habere memoriam, pro nihilo ferè ducet; si bonam in eo voluntatem desiderari, non multum qui vitiosus est propter hoc irascetur; at si cum dixeris bono intellectu carere, valde commouebitur, quia acumen intellectus pluris apud homines habetur. Cur igitur Angeli non laudant homines, *boni intellectus*, sed, *bonæ voluntatis*? Nimirum, quia Angeli, his quæ in diuinum honorem & obsequium cedunt, & in hominis saluationem, primum concedunt locum: potest autem quis Deo seruire & saluari bonam habens voluntatem, etiamsi intellectus præstantia careat, non verò si voluntate bona; bonam autem voluntatem virtus præstat & opera bona facilitat.

Imò vt semel etiam dicamus, qui bona caret voluntate, oportet careat simul intellectu bono. Psal. 110 *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Iansenius ex originali Hebræo sic legit, *intelligentia bona omnibus facientibus eam*: vbi Iansenius locum reciprocum esse animaduertit, quasi dicat: Ille habet bonam intelligentiam qui opere complet, quod bono percipit intellectu, vt si cognoscat bonum esse orare, oret; bonum esse eleemosynam dare, det; bonum esse Sacramenta frequentare, frequentet; aliter non bonum sed malum habebit intellectum.

Sicut se habet intellectus bonus ad bonum, ita se habet intellectus malus ad malum. Intellectum malum voco non qui stupidus est, sed qui malam comitatur voluntatem. Denique hominis mali intellectus, quamuis in se acer & peracutus sit, in homine malo tanto peior est, quanto in se melior; sicut gladius tanto peior ad vulnera quanto est acutior, sicut in Achitophole videre licet.

Hinc dæmon maxima cura subuertere nititur eos qui maiori pollent acumine intellectus, tanquam ad maiora mala aptiora instrumenta, quod ex prima eius tentatione desumi potest, cum per serpentem Euam decepit. Cur enim non aliud animal inuasit? Innuit Scriptura causam Gen. 3. *Sed & serpens*, inquit, *callidior erat cunctis animantibus terræ.* Quod expendens S. Chrysost. S. Chrys.
hom. 16. in Gen. ait, vide maligni dæmonis tegnas, inuento serpente, qui cætera animalia malignitate superabat, eo quasi instrumento vsus est, per quod Euam in deceptionem prouocaret. ita ille. non quidem hoc, eo quod ratione capax esset ille, serpens, sed quia Deus nobis manifestare voluit pessimum dæmonis artificium, qui ad seducendos alios callidiores homines quærit.

Intentio.

1. *Quàm Deo grata & necessaria sit intentio bona.*
2. *Quòd Deus in operibus nostris maximè intentionem attendat.*

Propositio I.

Quàm Deo grata & necessaria sit intentio bona.

Matth. 8. Matth. 8. sic homo quidam scriba ad Christum: *Magister sequar te quocumque ieris.* Cui Dominus: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Sic eum
S. August. Christus reiecit. Miratur S. August. serm. 7. de verbis Domini secundùm Matt. dicens, quid tam promptum, quid ad tãtum bonum aptissimum sequi Dominum quocumque ierit? Quid est hoc quod Magistro bono inuitanti discipulos, quibus daret regnum cælorum displicuit tam paratus? sic miratur hic S. August. & admirationem addit, dixisse illico Dominum alteri, *sequere me*, qui quidem pro tunc sequi Dominum recusabat, *permitte me primùm ire & sepelire patrem meum*; cuius excusationem Christus non admisit dicens, *sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Cur quæso volentem sequi reiicit, nolentem sic
Idem. compellit? S. August. vbi suprà, quia Christus sciebat quid esset in homine, quantum mali videbat in illo, tantum boni videbat in isto; ideo dixit illi, *vulpes foueas habent*, scilicet in corde tuo, quia dolosus es; *& volatilia cæli nidos habent*, in corde tuo, quia superbus es; ideo hunc declino, quia video ibi foueas, video nidos. ita S. August. Ecce quantum interfit bonam vel malam intentionem habere.

Gen. 4. Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius.* Ordinem huius respectionis attende, non ait, respexit Dominus ad munera Abel & ad ipsum Abel, sed prius ad Abel; si enim munera illa fuissent, propter quæ Abel placuit Deo, prius dicendum erat, respexit Deus ad munera, & secundo loco ad Abel; siquidem vti ait Philosophus, *Propter quod vnumquodque tale & illud magis.*
Hugo. Victori. Respondet Hugo Victorinus ibidem, ideo prius persona offerentis posita est, quia munera nostra ex merito offerentis Deo placent. ita ille. Etenim recta & bona offerentis intentio in causa est, vt munus quantumuis leue, placeat Deo, vt in vidua duo minuta offerente contigit.

Genes. 9. Genes. 9. *Post diluuium ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare, odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.* Vnde quæso hæc suauitas odoris? quod in holocausto offerebatur, comburebatur, caro autem & ossa combusta non suauem, sed ingratum odorem exhalant; quomodo ergo *odoratus est Dominus odorem suauitatis?* Respondet Rupert. Abbas cap. 18.
Rupert. non quod carnis nidoribus oblectaretur Deus, neque enim ipse caro aut corpus est, vt odoratu huiusmodi ducatur, sed quia offerentis cor intuetur, & sic quasi magno munere delinitus dixit, *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines.* ita Rupert. Intentio autem Noë fuit gratias agere Deo, propter liberationem à diluuio, vti ait ibidem Rupert. dicens, altare quod ædificauit Noë, & holocausta quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, beneficiorum memoriam recolens vt dignum erat. ita ille. Et quia Deo gratissima est gratitudo, ideo maximè gratum fuit illi holocaustum Noë, & non obstitit grauiolentia carnium. Vide etiam Theodoretum ibidem.

Propositio II.

Quòd Deus in operibus nostris maximè intentionem attendat.

Genes. 18. Deo Abrahæ filium promittente, risit Abraham & risit Sara vxor eius. Ponderat locum istum S. Aug. in quæstionibus super Genesim dicens: Arguitur Sara quia risit, & non Abraham cum similiter risit, quia risus Abrahæ fuit admirationis, Saræ verò dubitationis, quod diiudicare potuit qui corda nouit. ita S. Aug. Gen. 18. S. August.

Iniuria.

1. *Quàm seuerè puniat Deus eum qui proximo iniuriam facit.*
2. *Quàm stultum sit nolle petere veniam cum qui iniuriam irrogauit.*

Propositio I.

Quàm seuerè puniat Deus eum qui proximo iniuriam facit.

Genes. 20. cum Abraham ingrederetur in regnum Abimelech in Geraris cum vxore sua Sara, timens ne Rex aut Principes aliquis illius terræ occideret eum propter Saram, quæ valde pulchra erat, vt scilicet acciperet in vxorem, dixit Saram sororem suam esse; erat enim consobrina filia Aaron fratris sui, quæ ideo Soror dicebatur. Quapropter Rex Abimelech accepit eam, & duxit in domum suam vt duceret vxorem; Deus autem ne tangeret eam, morbo quodam graui affecit Regem, ita vt desperantibus medicis remedio careret Rex. Cur igitur Deus sic grauiter puniuit hunc Regem cum ipse nesciret esse vxoratam? sic Procopius respondet: Licet Regem fugeret, quòd esset Abrahæ vxor, delictum tamen vitare non potuit, eo quòd non abstinuit manum à sorore peregrini & hospitis, & in hoc non potuit effugere culpam. ita Procop. Admonitus autem à Deo Rex Saram viro restituit intactam, & tunc precibus Abrahæ Deus Regi restituit salutem. Quod si nec Regibus licet iniuriam etiam peregrinis facere, quis proximioribus nocere audebit? Vide quid contigerit Regi Acab & Reginæ Gethzabel, propter iniuriam illatam Naboth. Genes. 20. Procop.

Vbi aduerte iniuriam iustis viris factam maximè Deo inuisam esse, vti verba illa Dei ad Abimelech ostendunt, scilicet, *Custodiui te ne peccares in me.* Cur non ait, *ne peccares in Abraham?* Respondet

Idem. Respondet idem Procop. qoia qui delinquit, & iustos lædit, Deum offendit. ita ille. Offendit scilicet speciali quadam ratione secundùm illud Zachariæ, *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

S. Chrys. Vnde etiam S. Chrysost. hic eum docuit (ait) quasi dicens, ne pecces in me, mei (inquit Dominus) famuli sunt, & adeo mihi commendati, vt mihi fieri existimem, quæcumque illis fiunt, siue bona, siue mala; magnam enim illorum curam gero. ita ille.

Saluian. Vnde Saluian. lib. a. de vero iudicio: Dauidem cum fugasset è Regno filius persequutor, iudex in breui Dominus vindicauit; nec vindicauit tantum, sed magis viodicauit, quàm ipse voluit, qui vindicabatur. ita ille. quia nimirum nolebat Dauid filij persequutoris necem, & tamen Deo permittente atroci fuit morte occisus.

Etenim ideo Dominus in iudicio dicturus est reprobis. *Quod vni ex minimis non fecistis nec mihi fecistis; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*; non ait, esurierunt serui mei, & non dedistis illis manducare, sed, *mihi*, vt & nos sciamus res seruorum Dei, quasi proprias Dominum habere, vbi etiam Eusebius Emissenus. Quæ tormenta, inquit, patientur qui aliena rapiunt, cum isti talia patiantur qui sua non largiuntur? si talia patiuntur immisericordes, qualia patientur crudeles? ita Eusebius. Sic etiam Saulo Dominus dixit; *Saule, Saule cur me persequeris?* Act. 9.

Emissen.

Propositio I.

Quàm stultum sit nolle petere veniam eum qui iniuriam irrogauit.

S. August. Sanctus August. serm. 16. de verbis Domini secundùm Matth. Si dicis facienti iniuriam proximo, pete veniam ab homine quem læsisti; respondet, non me humiliabo; non vis te humiliare, & cecidisti? iaces & humiliare te non vis? bene diceres, nolo descendere si ruere noluisses. ita ille. Humiliaret ergo se facile iste, si animaduerteret se ad infernum vsque corruisse, & inde se resurrecturum, si vellet se humiliare, veniam postulando.

Inuidia.

1. *Quàm vehemens & incurabilis ferè sit affectus inuidia.*
2. *Quàm vniuersale vitium sit inuidia.*
3. *Quàm crudele vitium sit inuidia.*
4. *Quanto prosequatur odio inuidiam Deus.*
5. *Quàm indigna homine sit inuidia.*
6. *Quàm graue peccatum sit inuidia.*
7. *Prosperitatem proximi sequitur inuidia.*

Propositio I.

Quàm vehemens & incurabilis ferè sit affectus inuidia.

Mirum cur Dæmones tanta sollicitudine homines tentent, & eorum condemnationem procurent, cum hominum damnatio in maiorem eorum redundet pænam. Respondet Nicolaus de Lyra in c. 3. Genesis. Considerandum est quòd sicut per salutem hominum augetur gloria sanctorum Angelorum, per quos excitantur homines ad bonum; ita è contrario per damnationem hominum, augetur pæna dæmonum eos tentantium. Veruntamen propter nimiam inuidiam, qua Dæmones torquentur ex eo quod homines perueniant ad eam beatitudinem, qua ipsi priuati sunt, non cessant homines tentare, licet sciant ex damnatione hominum suam crescere pænam. ita ille. Quod quidem admirandam continet exaggerationem, nam pæna dæmonum ex consortio damnatorum, quamuis accidentaria sit cum tamen in inferno & æterna sit, grauis admodum est; & tamen nihilominus ob inuidiam sic tentant, quasi magis eos inuidia torqueat quàm illa accidentalis inferni pæna. Lyranus

idem In huius igitur confirmationem hoc ibi Lyranus exemplum adducit. In ciuitate quadam inuidus quidam, & alter auarus homo simul conciues degebant, Dominus autem ciuitatis qui valde prudens erat, vocatis illis ad se iussit vt peterent ab eo quod vellent, promittens se postulata eis daturum; hac tamen lege, vt is qui primo loco peteret, petitum obtineret, qui verò secundo loco duplum. Quam ob rem cupidus vt duplo frueretur, similiter & inuidus, primo loco petere renuebant, tamen cum vrgeret Dominus eos ad petendum, inuidus priùs petiit vt vnus sibi oculus erueretur vt alter vtrumque amitteret oculum, quod executioni Dominus mandauit, vt ita debitis pænis punirentur propter vtriusque vitium. Et subdit Lyranus; sic Dæmones ex inuidia homines tentant, quamuis non ignorent eorum pænam in futuro crescere ex hominum damnatione; & hoc est quod Dominus hic asserit dicens Dæmoni; *quia fecisti hoc*, (inducendo scilicet homines ad peccandum) *maledictus es*, quia videlicet ex hoc crescet pæna tua. ita ille.

Propositio II.

Quàm vniuersale vitium sit inuidia.

Mortis hoc proloquium est, *Nemini parco*; è manibus mortis videtur inuidia hoc arripuisse sibi; nemini enim parcit, vti videre licet in fratribus Ioseph, quodque in fratribus illis parabolicis Christus significauit Luc. 15. venienti enim filio prodigo & hilari animo à patre suscepto inuidit senior frater. Quod expendens S. Petrus Chrysol. ait serm. 4. de duobus filiis, &c. O zeli tumor! duos non capit domus ampla germanos, & quid mirum, fratres? fecit inuidia, vt mundi tota latitudo duobus fratribus esset angusta, ipsa namque Cain in iunioris mortem erexit. ita ille. Imò nec Deo pro nobis homini facto pepercit, inuidia namque permoti Scribæ & Pharisæi eum in crucem egerunt. Luc. 15. S. Petrus Chrysol.

Propositio III.

Quàm crudele vitium sit inuidia.

Ad Rom. 1. agens Apostolus de quibusdam hominibus perditis, ait plenos fuisse inuidia, homicidio, &c. Pondetar ibi S. Anselmus connexionem illam inuidiæ & homicidij, cur Rom. 1. S. Ansel.

scilicet

scilicet coniunxit inuidiam cum homicidio magis quàm cum vitio alio; & respondet: Pulchræ homicidium inuidiæ sociauit Apostolus, quoniam ipsa est prima huius criminis materia, nam primum homicidium diaboli & Cain ex inuidia ortum fuit, & adhuc nonnumquam fiunt homicidia propter inuidiam; imò & fratricidia vt patet, non solum in Cain sed etiam in fratribus Iosephi; imò & Deicidia vt patet in Scribis, & Pharisæis, qui Dominum Christum occiderunt. Quòd,enim non eum Deum esse agnouerunt,hoc ex nimia eorum ignorantia simul cum malitia processit.

Psal. 18. Psalm. 18. *A resistentibus dextera tua custodi me vt pupillam oculi sub umbra alarum tuarum: protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* S. Basil. Ps. istum explicans de persecutione Saulis contra Dauidem, sic locum hunc expungit; *Resistentes dextera Dei*, eos vocat, à quibus impugnabatur, & admodum meritò; erat enim Dauid dextera Dei iunctus atque Regiam ab eo electionem consequutus. ita S. Basil. Cur autem dicit Dauid Saulem cum suis satellitibus resistere dexteræ Dei? manifestum est, nam dextera manus fælicitatem significat, sicque dicere hispanè solemus, *Dios os de buena manderecha.* Dauid igitur in sua ad regnum electione dextera Dei potiebatur, Saul autem inuidia aduersus Dauidem magna tenebatur; tum quia mulieres canentes victoriam Dauidis, quam reportauerat de Golia dixerunt; *Saul percussit mille, Dauid autem decem millia.* 1. Reg. 18. tum etiam, quia suspicatus est regnum suum deuenturum ad Dauidem, quia manifestè Dei dextera erat cum illo. Ideo ergo ait Dauid, *à resistentibus dextera tua custodi me*; inuidebat enim Saül felicitati Dauidis à Deo illi prouenienti: tanta verò est crudelitas inuidentis, vt peteret à Deo Dauid, dicens, *custodi me vt pupillam oculi*, hoc est magna custodia, quali nempe solet à nobis pupilla oculi custodiri; & insuper ait, *sub umbra alarum tuarum protege me*, quo ostendit vix refugium inueniri à persequutione inuidorum; non enim solum est sæua persequutio eorum, sed etiam fraudulenta, quia inuidia non fundatur in aliqua iniuria, tunc enim caueret sibi qui eam fecisset; sed fundatur in occulta nequitia inuidentis, & ideo est eius persequutio sæuior, quia secretior. Quare ait Dauid, sicut sub alas pulli gallinæ currentis eos confugiunt à facie milui,eo quod resistere ei nequeunt: sic ego Domine, ad te confugio, quia magnam & simul fallacem Saulis persequutionem à me vitare nequeo, &c. Ecce quanta sit sæuitia & crudelitas inuidiæ.

S. Basil.

PROPOSITIO IV.

Quanto prosequatur odio inuidiam Deus.

Gen. 4. SIc Dominus ad Cain statim post occisionem fratris sui Abel: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus eris super terram*, &c. Omnia hæc Domini verba grauitatem criminis præseferunt. *Quid*, inquit, *fecisti*? quasi dicat: ô Cain, si attendisses grauitatem delicti tui,non fuisses ausus illud perpetrare; *Vox*, inquit, *fratris clamat ad me*, hoc est, quamuis tu taceas, facinus ipsum clamat ad me vindictam petens; *maledictus* ergò *eris super terram.* Cur non dixit sicut peccanti Adæ dixit, *maledicta terra in opere tuo*? ibi terram maledixit, hic verò ipsam personam delinquentem. Cur ita? Respondet S. Chrysost. Quanto maius peccatum S. Chrys. præuaricatione protoplasti fuerit, ex maledictionis varietate videre licet: illic enim ait, *maledicta terra in operibus tuis*, in terram effusa est maledictio, ostensa in hominem cura Dei; hic verò quia res perniciosa & facinus iniquum erat, ipse Cain pœnam luit, *Et nunc*, inquit, *maledictus tu de terra*; & sicut serpenti dixit, *maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ*, sic & Cain, quia eadem, quæ ille operatus est. Nam sicut diabolus qui inuidia mouetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem collocata sunt, ex inuidia ad deceptionem stimulatus est, quæ mortem induceret;ita & Cain videns Deum erga fratrem suum magna beneuolentia affici, ex inuidia ad homicidium prosiliit. ita S. Chrysost. Ecce quanto Deus odio inuidiam prosequatur.

PROPOSITIO V.

Quàm indigna homine sit inuidia.

IOb. 5. sic quidam amicus Iob: *Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* Iob. 5. Cur paruulorum solummodo ait esse inuidiam, cum videamus quòd hoc vitium etiam & vehementius comprehendat dynastas, & in regiis consistentes, imò & duces & in bello potentes? hi enim maximè dolent, cum alios vident ditiores vel honoratiores, vel potentiores. Cur igitur ait sapiens iste, *paruulum occidit inuidia*? S. Gregor. S. Greg. 5. Mor. 30. vel etiam 33. sic respondet; quia inuidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo superiores censemus; paruulus ergo est qui occiditur inuidia, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod illo minor sit cuius inuidia torquetur. ita Ille. Et liber addere locos aliquos scripturæ, quibus idem Sanctus ibidem intentum confirmat. Hinc, inquit, est quòd callidus hostis primo homini inuidendo surripuit, quia amissa beatitudine minorem se illo cognouit. Hinc etiam est, quòd Cain fratricidium perpetrauit, quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit fratrem minorem, cuius Deus hostiam accepit. Hinc etiam Esaü ad persequutionem fratris exarsit, quia benedictione primogenitorum perdita quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat, minorem se eo quem nascendo præibat ingemuit. Hinc Ioseph fratres Ismaëlitis vendiderunt, quia mysterio reuelationis cognito ne se fieret melior eius profectibus obuiare conati sunt. Hinc Saul Dauidem subditum lancea persequitur,quia quem quotidie magnis virtutum successibus augeri sentit, vltra se crescere expauit. Paruulus igitur est qui occiditur inuidia,quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. ita S. Gregor.

Præterea quàm nociua sit inuidia corpori & animæ, optimè prosequitur S. Gregor. 5. Mor. vltimo ad finem. S. Greg.

):(

PROPO

Propositio IV.

Quàm graue peccatum sit inuidia.

S. Petrus Chrysol. SAnctus Petrus Chrysol. serm. 4. *De duobus filiis*, &c. sicut nos Deo charitas iungit, sic à Deo inuidia seiungit. ita ille. Quid peius de inuidia dici potest, quàm oppositam illam dicere omnium virtutum principi charitati? tanto enim virtus & peccatum maius est, quanto excellentiori opponitur virtuti.

Iracundia.

1. *Virilis animi est iram superare.*
2. *Ira mentis aciem turbat.*
3. *Quanta mala secum ferat iracundia, & quòd vitium sit stultorum.*
4. *Iracundia hominem similem Diabolo reddit.*
5. *Iracundia cordis tormentum est.*
6. *Iracundia etiam in somno molestias infert.*
7. *Iracundia furoris causa est.*
8. *Iram proximi in nos vitare & fugere debemus.*
9. *Quàm deceat Christianum iracundiam superare.*

Propositio I.

Virilis animi est iram superare.



Nahum. 1. Ahum. 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine.* Cur patientiam cum fortitudine coniungit? Theoph. sic Theophy. respondet; quòd Deus longanimus & patiens sit, super iniquitates peccantium, non propter imbecillitatem hoc fecit; est enim magnus fortitudine, & ingens robur Theodor. eius est. ita ille. & idem ait Theodor. Et hac de causa propheta Nahum simul dixit Deum patientem & fortem esse, quasi dicat, apud homines multi iniuria affecti vindictam non sumunt de inimicis suis, quia non possunt: Deus verò non sic, cum omnipotens sit, sed tolerat, quia patiens est.

Imò in hoc fortitudinem suam manifestat, quòd non ita subitò iram suam ostendat, vindi- S. Hier. cans se de inimicis suis. Vnde S. Hieron. sic explicat hunc locum Nahum: Dominus quidem diu sceleris Assyriorum patiens fuit, & magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum sustinuit. ita ille, exponens hunc locum Prophetæ Nahum, qui de Assyriis agit. Vbi etiam Vatablus sic exponit dicens: Deus non dicitur iracundus more hominum, sed potest iracundiam cohibere quandiu velit, opportuno tempore puniturus. ita Vatablus. Hæc igitur laus tribuitur Deo nostro, quod cum fortis & omnipotens sit, & iustè ac facilè possit, plenam de peccatoribus sumere vindictam, patientet & longanimiter ferat, dissimulans peccata propter pœnitentiam, & patientia hac sua ostendens fortitudinem suam.

Vnde viri potentes in hoc laude digni iudicantur, quòd patientia & clementia iram & affectum vindictæ vincant. Vnde Marcus Tullius Tullius. orat. pro Marco Marcello; Hodierno (inquit) die te ipsum vicisti, vereor vt hoc quod dicam non perinde intelligi possit, atque ego ipse cogitans sentio, ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta victis remisisti: nam cum ipsius victoriæ conditione, iure victi omnes occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. ita Cicero.

Hinc Psal. 7. sic ad Dominum Dauid; *Deus* Psal. 7. *fortis & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* Vide quumodo Dei patientiam cum fortitudine collocauit; non enim opposita sed composita sunt. Vnde meritò ait, *Numquid irascitur per singulos dies?* Vbi Cassiodorus; *patiens est*, quia pa- Cassiodor. tienter ad pœnitentiam expectat, quos perdere pro suorum scelerum qualitate potuisset. ita ille.

Vnde Numer. 14. Moyses petens misericor- Num. 14. diam à Deo irato in populum Israël ob eius peccata dixit, *magnificetur fortitudo Domini*, &c. quidnis Moyses sancte? clementiam postulas & ad fortitudinem accurris? ita quidem, nam fortium & potentium est propria virtus clementia.

Veruntamen caueat sibi peccator, ne dum ita pium & elementem Deum consideret, inde occasionem peccandi siue in peccato perseuerandi arripiat, quia sic scriptum est Eccl. 5. *Ne dixeris,* Eccl. 5. *peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor*; quasi dicat: Verum est Deum expectare ad pœnitentiam peccatorem, sed simul est redditor, id est, iustus iudex reddens vnicuique secundùm opera sua. Vnde subdit: *Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius*; id est, ne dicas: Quantumuis peccem, & peccata multiplicem, scio Deum esse ita elementem, vt facilè obid speremme ab eo misericordiam consequuturum, quia in sic peccantes respicit ira illius, vt citò puniat. Et meritò, nam est hic abominabilis diuinæ misericordiæ abusus.

Propositio II.

Ira mentis aciem turbat.

1. MAtth. Herodes cum audisset à Magis na- Matt. 2. tum esse Regem Israël, timens regni amissionem, iratus in Puerum & in Magos, videns se illusum ab eis, tanquam vrsa captis catulis iussit innocentes pueros necari; & aduersus huius Regis stultitiam ita S. Chrysost. in imperfect. S. Chrys. hom. 2. Quid agit insensata tua ira, Herodes? aut credis Magorum verbis, aut non credis; si non credis quæ Magi dixerunt de Rege futuro, quare sine causa in pueros insanis? si credis, cur in eos sæuis? numquid poteris tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum quem Deus defendit? Sed quid mirum, si Herodes censebat se posse mutare consilium Dei? cum sapientissimus Salomon audiens à prophetis propter peccatum suum Hieroboam Regem futurum apposuit persequi eum, existimans se posse perdere eum, quem Deus prædixit futurum Regem, qui ira consilium non admittit. ita ille.

S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Ira S. Nilus. cum semel pectus obsederit, mentem fumo excæcat, iudiciumque corrumpit, ac denique lubrica omnia

omnia & confusa reddit; sicut Dauid ait Ps. 30. *Conturbatus est in ira oculus meus.* ita ille. Sicut ergo fumus oculos, sic ira mentem obcæcat. Rursus ibidem. Sicut torrens exundans quidquid obuium habuerit deuoluit: sic iracundia infer-uescens mentem secum trahit. ita ille. mens autem conturbata cuncta perturbat. Item ibidem. Iracundia more canum cæcas cogitationes parit. ita ille. Scitum est fœtus canis per plures dies oculos clausos habere.

Idem. Simile. Idem.

Propositio III.

Quanta mala secum ferat iracundia, & quòd vitium sit stultorum.

Iob. 5. Iob 5. sic quidam amicus S. Iob: *Virum stultum interficit iracundia.* Vbi iram tribuit homini stulto, & perniciem, quæ oritur ex ira. Vnde Sapiens Ecclesiastes cap. 7. *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Cur ita? S. Gregor. 5. Mor. 30. vel 31. quia nimirum intelligentiæ lumen subtrahit, cum mentem confundit, vt quid quóve ordine agendum sit, nesciat homo. ita ille. Ex quo rectè infert S. Gregor. ibidem per iram simul cum iudicio rationis iustitiam & virtutem amitti iuxta illud Iacobi c. 1. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Rationem reddit S. Gregor. ibi, quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum censet. ita S. Gregor. Vide illum in eodem c. 30. & 31. vbi optime & eruditè loquitur de malis iracundiæ.

S. Greg.

Propositio IV.

Iracundia hominem diabolo similem reddit.

S.Ambr. Sanctus Ambros. 1. offic. 49. non inueniat in te aduersarius imaginem suam, non rabiem, non furorem; in hoc enim imago eius est; aduersarius enim diabolus tanquam leo rugiens, quærit quem occidat, quem deuoret. ita ille. Mansuetus autem Christo Domino similis est, est enim mitis corde in quo nos imitatores desiderat, dicens Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum,* & humilis corde. Elige nunc cui similis sis Deo an diabolo.

Propositio V.

Iracundia cordis tormentum est.

S. Nilus. Sanctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus. Iracundi cogitationes viperini fœtus sunt, & pectus ex quo nascuntur irrodunt. ita ille. Sicut etiam tinea demolitur pannum in quo generatur, sic iracundia cor vbi producitur.

Simile.

Propositio VI.

Iracundia etiam in somno molestias infert.

Idem. Sanctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus. Iracundorum perturbata & cum terrore coniuncta sunt somnia; *sol non occidat super iracundiam vestram*, ait Apost. Eph. 4. ne alioqui irruentes Dæmones animam per horrenda spectra conturbent: etenim ex iracundia hæc existunt. ita ille.

Propositio VII.

Iracundia furoris causa est.

Sanctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus; Ira cum feruuerit feruorem parit. ita ille; tum quia more hominis mente capti, & iracundi omnia sursum deorsumque inuoluit; tum quia sæuum hominem & crudelem reddit & furentem. Idem.

Propositio VIII.

Iram proximi in nos vitare & fugere debemus.

Genes. 27. sic ad Iacob mater eius: *Fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, & obliuiscatur eorum quæ fecisti in eum.* Ecce matris Iacob consilium prudens, quo cuncta in bonum cesserunt illi: sic enim ira fratris cessauit, & Iacob non solum viuus, sed etiam diues euasit. Et ecce quoque nobis exhibitum simile consilium; si iratum viderimus in nos proximum, demus iræ locum sicut Iacob, vt sicut & ipsius Iacob felix sit exitus fugæ, vti super hunc locum monuit S. Chrysost. hom. 1. imperfecti, dicens: Sicut Esaü persequebatur Iacob, sic filij sæculi huius persequuntur filios sæculi futuri; & sicut Iacob non resistendo sed fugiendo superant malos, iuxta consilium Christi, *si vos persequuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam.* ita ille. Genes. 27.

Propositio IX.

Quàm deceat Christianum iracundiam superare.

Sanctus Hieron. Epist. 8. irasci hominis est, & finem iracundiæ ponere Christiani. Vide Apostolus ait: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* ita S. Hier. *vestram*, inquit, qui scilicet Christiani estis. S. Hier.

Ioannes Baptista.

1. *Quanta dignitas sit Præcursorem esse Christi.*
2. *Quàm ingens fuerit sanctitas Ioannis Baptistæ.*

Propositio I.

Quanta dignitas sit Præcursorem esse Christi.

Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam te.* Quis & ad quem hæc loquutus est? Theophyl. in c. 1. Marci: Sermo, inquit, est Patris ad Filium dicentis, Angelum esse Baptistam, eo quod Angelicam & materiæ expertem egerit Mala. 3. Theophyl.

egerit vitam, & quia annuntiauit & ostendit Christum venientem; cæterum, *ante faciem tuam* significat prope te fore Angelum tuum; vnde ostenditur familiaritas præcursoris erga Christum, nam prope Reges incedunt, qui familiarissimi illis sunt. ita ille. Angelus autem vt ait S. Gregor. Papa, nomen officij est, & importat idem quod nuntius seu legatus; fuit igitur Ioannes legatus à latere Christi, qui ob nimiam cum Christo familiaritatem, ante faciem eius dicitur missus. Quod si eos, qui familiarissimi Regi sunt, digniores cæteris esse constat & qui maiora & excellentiora dona recipiant à Rege, & per quos alij à Rege dignitates & alia officia honorifica & munera consequantur; quid de dignitate S. Ioannis dicendum est, qui non Regi terreno & humano, sed Regi cœlesti humano & diuino simul familiarissimus fuit? S. Greg.

Isai 40. & Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto &c.* Cur Ioannes Baptista vox appellatur? cur non dixit interrogantibus quisnam esset, *ego sum Ioannis filius Zachariæ*, sed *vox*? Respondet Beda in c. 1. Marci, constat Christum verbum esse Dei Patris, dicente Ioanne, *in principio erat verbum & verbum erat apud Deum &c.* Aduentum itaque præcurrens Christi Ioannes vox, quia per eius ministerium patris diuini verbum auditum fuit, & ex ipsa nostra loquutione cognoscimus, quia priùs vox sonat per quam verbum postea valeat audiri. ita Beda. Tanta ergo dignitas fuit Baptistæ esse Christi Præcursorem, vt inde illi præcipoè tam magnum hoc nomen tributum fuerit, & propterea tot antea sæculis fuerit à magno Propheta Esaia prophetatum. Isa 40. Beda.

Est autem & alia ratio moralis; vox enim dictus est Ioannes, quia à planta pedis vsque ad verticem capitis velut quædam vox sonora clamabat contra peruersos mundi mores, ieiunio suo magno clamabat abstinentiam contra gulæ deditos; veste illa cilicina clamabat aduersus induros veste peregrina; antro suo exiguo clamabat contra sumptuosos ædificatores; paupertate sua clamabat aduersus auaros; humilitate sua aduersus superbos, & denique pœnitentia sua aduersus delitiosos, voluptuosos &c.

Propositio II.

Quàm ingens fuerit sanctitas Ioannis Baptistæ.

Ioan. 10. dicebant homines de Baptista, *Ioannes signum fecit nullum, omnia autem quæ dixit de hoc*, scilicet Christo, *vera erant*. Quærit S. Tho. 3 p. q. 38. art. 2. in 2. argum. cur non dederit facultatem Baptistæ ad signa & miracula facienda cum aliis minoris meriti illam concedit? Respondet S. Thom. quia ipsa austeritas vitæ Ioannis, eius officium commendabat: vt enim ait Chrysost. erat admiratione dignissimum tantam in hominis habitu fulgere virtutem, &c. Ioan. 10. S. Thom.

Iudicium Finale.

1. *Quàm tremendum sit iudicium finale.*
2. *Quàm terribile sit ex parte eo quod in eo agatur de æterna sorte nostra.*
3. *Horrendum ex parte stricti examinis.*
4. *Etiam de beneficiis acceptis reddenda est ratio.*
5. *Quàm horrendum sit ex parte infinita sapientia Iudicis.*
6. *Quod etiam de occultis cogitationibus sit reddenda ratio.*
7. *In iudicio non erit qui reprobis faueat.*
8. *Quod in iudicio Deus opera bona examinabit.*
9. *In iudicio ipsa diuinæ legis transgressio testis infallibilis erit contra peccatores.*
10. *In iudicio nihil proderunt apparentes excusationes.*
11. *Quanta ira Dei & creaturarum erit in iudicio contra peccatores.*
12. *Quàm grauis tunc erit dolor damnatorum.*
13. *Nulla misericordia tunc fruentur peccatores.*
14. Signa *iudicij tremenda malis, iucunda erunt bonis.*
15. *Quàm ingens beneficium Dei fuerit prædicere nobis quæ futura sint in iudicio.*
16. *Cur Deus signa iudicij præmittat.*
17. *Quod in die iudicij omnia pugnabunt contra peccatores.*
18. *Quàm vtilis sit iudicij consideratio.*
19. *In iudicio nulla erit acceptio personarum.*

Propositio I.

Quàm tremendum sit iudicium finale.



AD Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Loquitur ibi Apostolus de iudicio Dei, in quo incidemus in manus Dei viuentis; nunc quidem in manus Dei mortui cadimus, quia nunc mors Christi prodest peccatoribus, qui pœnitere volunt; tempore autem iudicij non est locus pœnitentiæ, vnde non proderit eis mors Christi nisi ad maiorem eorum damnationem. Quare tunc in manus Dei viui cadent, qui sicut in æternum viuit, sic in æternum puniet. Quid horribilius? Hebr. 10.

Vmbram quandam huius iudicij vidit Abraham Genes. 15. vbi obtulit sacrificium Deo, & sopore irruente super Abraham, *horror*, inquit, *magnus & tenebrosus inuasit eum*. S. August. 16. de ciuit. c. 24. de extremo iudicio hoc interpretatur, quando præ expectatione iudicij erit in orbe terror maximus. Huius ergo prænuntius est horror Abrahæ. At, inquies, quid ita horret S. Abraham, cum magna amicitiæ Dei pignora possideret? nimirum, quia, vt ait S. Petrus 1. Pet. 4 *pius & iustus vix saluantur*, quidni timeat & horreat iustus Abraham & quiuis alius iustus? Gen. 15. S. August.

Sanctus erat S. Chrysost. & in c. 29. Matthæi, Cum mihi, inquit, dies iudicij in mentem venit, horror inuadit terribilis, & amarissimè flens ex profondo corde ingemisco. ita ille. Sanctus etiam erat S. Ephrem Syrus, & in sermone de extremo iudicio ait: Corde tremo ob exactam discus- S. Chrys.

discussionem, quæ tunc fiet. ita ille. Sanctus erat S.Hieron. & tamen dicebat: Quoties diem iudicij recolo, toties corde & corpore contremesco.
S. Bern. Sanctus quoque S. Bernard. & tamen ser. 55. in cantica dixit; Prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis. Denique sanctissimus erat Apost.
1.Cor.9. Paulus,& tamen 1.Cor. 9. dicebat: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quare sic tantum timebat Apostolus Paulus? Numquid in aliquo accusabat eum conscientia sua? nequaquam; *nihil mihi conscius sum*, aiebat
1. Cor. 4. 1. Cor. 4. *sed non in hoc iustificatus sum; qui enim iudicat me. Dominus est*: quasi dicat, quis non timebit tam perspicacem iudicem qui in his qui nihil sibi mali conscij sunt, potest facile reperire, vnde valeat illum condemnare? Si ergo adeo sancti viri iudicari à Deo reformidant, quid de nobis peccatoribus dicemus? & quidam talem horrorem habent sancti
Simile. mudò, quando solum considerant iudicium. Depinxit peritus quidam artifex in tabella arborem pinum, ex qua naues fieri solent, artificio tanto, vt ventorum flatibus hinc inde insurgentibus concussa tremeret,& toto vertice nutabunda perstreperet, cum hac subscriptione, *Quid erit in pelago*: hoc est si pinus hæc ita quatitur dum in fixo & firmo terræ consistit, quid erit cum in summam maris redacta, super instabiles & fluxas ducetur vndas? ita modò sanctos viros extra iudicium existentes sola iudicij consideratio sic concutit, sic terret; quid si iudicium præsens subitò adesset? vel quid sentient peccatores, cum Dominus ad iudicandum veniet?

Psal. 71. In Psal. 71. agit Dauid de aduentu Domini ad iudicium, & huic Psalmo hunc imposuit finem Dauid, *Defecerunt laudes Dauid*; sic constat ex originali Hebræo, id est, vt doctus quidam interpretatur, *Defecerunt orationes Dauid.* Cur ità? quia iudicium Dei ita seuerum est ac districtum, vt nullus in eo precibus nostris, vel sanctorum locus detur. Ecce igitur nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nunc Christus Dominus manibus in cruce extensis peccatores vocat, & venientes ambobus recipit brachiis, nunc peccatores visi, tunc verò nec iustos, neque sanctos, neque Angelos pro eis orantes exaudiet.

1.Cor. 4. 1. Cor.4. sic de se Apost. Paulus: *mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, (hoc est, ab humano intellectu, vt exponit S.Tho.) *sed neque me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum* (id est, nullius peccati conscientiam ha-
S. Thom. beo mortalis, sic explicat S. Thom.) *sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.* Cur quæso sanctissimus Apost. sic timet iudicium Dei? ille, inquam, qui ad tertium cœlum raptus audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui? ille, inquam, de quo Dominus: *vas ele-
S. Greg. ctionis est mihi*, &c. S. Gregor. 5. Mor. 23. exponens prædicta verba dicit; quasi dicat Apostolus. Rectè egisse me recolo, attamen de meritis non præsumo, quia ad eius examen vita nostra ducitur, sub quo fortitudinis nostræ ossa torbantur. ita ille. Quod si tantus Apostolus sic Dei iudicium timet, si fortis illa totius Ecclesiæ columna tremnit, quid leuis faciet arundo?

Hebr.10. Ad Hebr. 10. *horribile est incidere in manus Dei viuentis.* Itane incidere in manus illas, quæ propter nos homines & propter nostram salutem in-
S. Bern. fixæ cruci fuerunt? S.Bern. serm. 8. in psal. *Qui habitat.* Quid enim tā pauendum, quid tā plenum anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis excogitari potest, quàm iudicandum astare illi tam terribili tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam? ideo horrendum est ait Apost. incidere in manus Dei viuentis. ita S. Bernar. quasi dicat: In primo aduentu non venit iudicare, sed saluare; & ideo pium Saluatoris munus piè valde & misericorditer exercuit; at in secundo aduentu tanquam iustissimus & districtus iudex adueniet, & sicut perfectum se exhibuit saluatorem in primo aduentu, sic in secundo perfectissimus iudex erit in iudicis munere ac ratione. Ideo horrendum erit incidere in manus tam recti iudicis & Dei viuentis.

Vnde Rectè subdit ibi S. Bernard. iudicemur Idem.
interim fratres, & terribilem illam expectationem, præsenti studeamus declinare iudicio: non enim iudicabit Deus bis in idipsum. ita ille. Consonat dictum illud Apostoli, *si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Hoc dicit idem, qui dixit, *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Isai.30 *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Locus est de iudicio finali, vt ait Isai.30.
S.Hieron. Quis igitur non valde miretur talem S. Hieron.
ac tantam in Christo Domino indignationem? nonne ipse est de quo Baptista dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Quomodo igitur sic agnus mansuetus conuersus est in leonem ferocem? nonne tanquam suauis agnus ductus est pro nobis ad immolandum? quomodo igitur sic furens est contra nos? Nimirum, quia in primo aduentu ad saluandum venit, tunc verò ad funeta; ita Dominus dissimili habitu diuersis temporibus incedit; cum ad saluandum è cœlis descendit, indutus mansuetudine venit; cum transfigurari voluit, decorem indutus est; cum verò ad iudicandum veniet, tanquam leo rugiens aduersus pessimos & rebelles peccatores apparebit. O quàm horrendum erit incidere in manus Dei viuentis!

Psal.2 1. sic Dauid ad Reges terræ sicut S. Hie- Psal.21.
ron. interpretatur: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore.* S. Hieron.
Quid? Reges mones seruire & timere? etenim Reges sunt quos reliqui timent, & quibus reliqui omnes seruiunt, etiam optimates, & capita populorum; & tu illis ais, *seruite, & timete?* Ita quidem, *seruite Domino in timore*, quia licet Reges domini sint, non tamen sic absoluti vt illorum Dominus ille non sit, qui in vestimento scriptum habet, *Rex Regum & Dominus dominantium.* Quare meritò Dauid antequam diceret, *& nunc Reges intelligite* &c. præmisit verba illa omnipotentis Patris ad filium, *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*; eos scilicet tam Reges, quàm reliquos omnes. Sed quid est, *in virga ferrea confringes eos sicut vas figuli?* Cardinal. noster Bellarmin. hic, inquit, significatur potestas Bellarm.
Christi in nos summa & iustissima, vt possit tam facilè impios suppliciis afficere, quàm facilè potest figulus confringere lutea vasa; virga autem ferrea est iudicium & inflexibile, cui resisti non potest. ita ille. Etenim quamtumuis homo Rex sit, erit Rex homo; quod si homo vas erit luteum, ex luto enim factus est homo, iudicium autem Dei est virga ferrea, virga propter rectitudinem, ferrea propter inflexibilitatem; licet enim quis totius orbis fuerit imperator, inueniet iudicij

Dei virgam in flexibilem, imo quia Rex tenetur eo ampliùs feruire Deo, quo maiori est ab eo dignitate & potestate condecoratus; si hoc non præstiterit, maiori dignus est pœna. Meritò ergo ait Dauid Regibus & ipse Rex, *seruite Domino in timore*; quia scilicet reget vos in virga ferrea & confringet vos sicut figuli vas. Sic S. Hieron. hic, dicens: figulus Christus, vas figuli homo, sicut enim vas in manu figuli, sic vos in manu mea; confringetur autem in die iudicij in ignem. ita S. Hieron. in die quippe iudicij aderit coram Domino, Alexander magnus, ille, inquam, à cuius facie conticuit terra velut inualidus lepusculus coram leone feroci timens & toto corde tremens, nam hic ille fuit Rex, ibi autem nō Rex, sed reus.

Propositio II.

Quàm terribile sit ex parte eo quod in eoagatur de æterna sorte nostra.

Nam ibi non solùm de actibus exterioribus, nec de verbis tantùm, nec de cogitationibus tantis, sed etiam de intrinsecis intentionibus, quas vix percipit qui eas habet, iudicaturus est Deus. 4 Reg 10. Locus ad hoc notandus venit 4. Reg. 10. vbi Deus elegit Iehu ad puniendum Acab propter interfectionem Naboth; præstitit Iehu quod præcepit Deus; cui Deus, *quia studiose egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia qua erant in corde meo fecisti contra domum Acab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Ecce factum Iehu & laudatum à Domino & præmio remuneratum, & nihilominus Os. 1. ait Dominus, *adhuc modicum & visitabo sanguinem Israel super domum Iehu*; quid hoc? si rectè exequutus est & laudabiliter Iehu mandatum Domini, cur minatur ei pœnas propter illud? quia vti ait Rupert. Iehu non recta omnino intentione executus fuit mandatum Dei, eo quod in ea vltione Iehu nonnulla gessit, odio peculiari motus, ait Rupert. & quia non zelo Dei sed cupiditate regni fecit, & ideo secundum libram diuini iudicij in eius posteros seuerè iudicatum est. Hinc constat quanta solicitudine intentiones nostras etiam in operibus bonis examinare debeamus, Deus enim intuetur cor & intimas intentiones, prauum autem est cor hominis, quis nostrum cognoscet illud?

Isai. 10. Vnde etiam ad hoc id Isai. 10. *va Assur virga furoris mei!* cur *ve* illi? & Zach. 1. vbi ait Dominus, *ira magna irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuuerunt in malum*, &c.

Psal. 74. Ps. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, veruntamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*; Si *merum* quomodo *mixtum*? Sensus communis, quod hic loquatur propheta de calice iræ & iustitiæ Dei in peccatores in hac vita; quòd *purum* sit, hoc est forte & vehemens vt patet in punitione primorum parentum, in diluuio, in supplicio Sodomorum, & aliis similibus; mixtum vero, propter diuersitatem pœnarum, sed tamen fæx eius remanet ad puniendum peccatores in die iudicij & in inferno vti Pelusiota. explicuit Pelusiota in hunc locum dicens, quia si peccatores modo salutem animæ aspernantur, vim numinis vltricem non effugient ad extremū, sed bibent meritò poculum fæcis in iudicio. ita ille. Etenim grauia solent esse supplicia Dei in hoc mūdo, sed huius grauitatis fæx erit in iudicio: modò enim pœnæ sunt temporales, tunc æternæ, modo tolerabiles, sed tunc intolerabiles prorsus; denique ignis gehennæ & numquam terminandæ. Væ impœnitentibus.

Labata loci Mor. Tom. I.

Propositio III.

Horrendum ex parte stricti examinis.

1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est.* S. Gregor. 5. Mor. 8. vel 6. in alia editione, ac si dicat, idcirco in eo quod nihil mihi conscius sum, iustificatum me abnego; quia ab eo qui me iudicat, examinari me subtiliùs scio; sæpe enim ipsa iustitia nostra ad examē diuinæ iustitiæ deducta iniustitia est, & sordet in districtione iudicis quod fulget in æstimatione operantis. ita S. Gregor. Ecce maximum periculum nostrum, quia cum peccatorum remedium sit pœnitentia, ad pœnitentiam autem requiratur cognitio peccatorum, quomodo pœnitebit, qui iustum existimat quod iniustum est apud Deum? ideo clamabat Dauid, *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Clama igitur & tu. 1. Cor. 4. S. Greg.

Prou. 14 *est via qua videtur homini recta nouissima autem eius ducunt ad mortem.* Locum hunc expendens S. Gregor. 5. Mor. 6. vel 4. vnde sancti viri cum mala superant, etiā sua benefacta formidant, ne cum bona agere appetant, actionis imagine fallantur, ne pestifera putredinis tabes, sub boni specie lateat coloris, quia diiudicare bona subtiliter nesciūt, & quia vnde placari iudex creditur, inde ad irascendum instigatur. ita S. Gregor. Prou. 4. S. Greg.

Quod nam igitur remedium? id certè quod sibi adhibuit S. Iob c. 3. vbi ait: *quare misero data est lux, viro cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris? antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aqua sic rugitus meus,* Quem locum sic interpretatur S. Gregor. 5. Mor. 6. & 7. ac si dicatur: Cur huius vitæ successus appetit, qui sub qua æstimatione iudicis sit, iter operis sui nescit, tenebris autē circumdatur homo, quia quamuis cælesti feruet desiderio, quid de se dispositū à Deo sit ignorat: ideo *antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ sic rugitus meus*; aquæ autem cum inundant, cum impetu veniunt, & crescentibus multiplicitei voluminibus intumescunt. Electi ergo dum meditantur sua iudicia opponunt diuina, dum Dei occulta super se iudicia trepidant, quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur, quæ in mæroris rugitus, quasi in subiecta litora defluunt. ita S. Gregor. Quod si propter Dei occulta iudicia sic trepidant iusti, quanto magis trepidare debent peccatores? si enim iustus vix saluatur, impius & peccator vbi parebunt? Rugiat igitur corde peccator & oret; oret etiam & timeat Iustus, vt Deus vtriusque misereatur; si enim Deus culpa offenditur, pœnitentia placatur. Iob 3. S. Greg.

Propositio IV.

Etiam de beneficiis acceptis reddenda est ratio.

Apoc. 15. *quis non timebit te Domine, quia solum pius es?* Quid ais Apostole sancte? ideo ne timendus est Deus quia pius? non timēdus sed Apoc. 15.

amandus propterea est, & in quem omnis homo quantumuis peccator sit debeat sperare. Ita quidem pietas Dei confidentiam, & spem salutis nostræ excitat in nobis; si enim pietate Dei non abutamur, si enim abusi fuerimus, ipsa pietas, beneficentia, & misericordia in damnationem nostram cedet: sicut qui saccharum vel mel, vel ex sacchato & melle bellaria confecta comederit, si ea non digerit, & decoquit, in damnum illi conuertuntur, & infirmitatis vel etiam mortis occasio fiunt; sic dulcissima beneficia Dei, ex eius pietate & bonitate promanantia; si non rectè ea digerimus, & actuamus, in mortem nobis æternam cedent. Ideo igitur ait, *quis non timebit te Domine, quia pius es?*

Gen. 1. Vnde Genes. 1. sic incipit Moyses, *In principio creauit Deus cælum & terram*; in Hebræo sic, *in principio creauit Eloim cælum & terram. Eloim* autem idem est quod *iudex*. Cur igitur iudicium cum creatione coniungit? quia creatio beneficentiam Dei erga nos importat; nobis enim creauit Deus cælum, & terram; sed ait Iudicem hæc nobis creasse, quia de omnibus quæ nostri causa creauit, rationem illi tanquam iudici reddere debemus, quomodo scilicet creatis vsi fuerimus.

Genes. 1. Rursus Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. hic in originali Hebræo dicitur, *In principio creauit Eloim cælum & terram. Eloim* idem est quod *iudex*, seu *iudices*. Cur igitur non dixit, *In principio omnipotens creauit*, &c. Siquidem in creando Deus omnipotentiam suam demonstrauit: nemo enim nisi qui omnipotens est, potest creare etiam instrumentaliter. Ratio huius est, vt hac ratione nos creasse Deum & nobis bona creata tradidisse intelligeremus, vt de bonis acceptis per creationem rationem Deo

S. August. reddendam sciremus. Vnde S. Aug. in illa verba S. Iacobi Apost. cap. 2. *Superexaltat misericordia iudicium*, ait; Quo enim maior Dei est erga homines magnificentia, eo iudicium eius seuerius erit, si beneficiis eius ingrati fuisse conuincantur. ita ille, qui etiam in tractatu quinquaginta humiliarum hom. 36. ait: Gratias agamus diuinæ misericordiæ, & totis viribus laboremus, vt beneficia Dei non nobis iudicium pariant, sed profectum, quamuis enim multum præsumere debeamus, de misericordia Dei, non tam negligenter timere debemus iustitiam eius. ita ille. Imo quanto maior extitit beneficẽtia eius in nos, tanto magis nos gratos in vsu beneficiorum ostendere debe-

S. Gregor. mus, dicente S. Greg. hom. 9. in Euangelia: Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; tanto ergo esse humilior atque ad seruiendum Deo promptior quisque este debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. ita S. Gregor. Cum igitur cuncta visibilia propter nos creauerit Deus, meritò in ipsa creationis mentione dictum est, iudicem esse qui hæc creauit dicens, *In principio iudex creauit cælum & terram*, seu, *iudices*, id est, omnes tres personæ Trinitatis. Et ad hoc deseruit parabola Talentorum Matth. 25. vbi dedit talenta, & postea rationem exegit eorum, &c. Vbi expende supplicium irrogatum ei qui talentum abscondit. Qualis igitur futura est pæna illius, qui non solùm talentum sibi præstitum reseruauit, sed etiam dilapidauit & prodegit? & qui, vt ait S. Gregor. Nazianz. talenta & creaturas sibi à Deo concessas tanquam arma in datorem retorsit?

Propositio V.

Quàm horrendum sit ex parte infinitæ sapientiæ Iudicis.

Psal. 7. Psal. 7. *Scrutans corda & renes Deus*, hoc est, talis ac tanta est Dei sapientia, vt sine aliqua notitia externa per se penetret omnia intrinseca

S. Basil. nostra. Sic interpretatur locum hunc S. Basil. dicens: *Scrutans corda & renes*, hoc est probans & examinans; neque enim testibus illi opus est vt iudicet, ipse enim abscondita nouit; renes enim & corda hic abscondita mentis vocat, propter situm in corpore partium harum. ita ille, nulla quippe latet illum cogitatio nostra quantumuis latens.

Ierem. 17. Vnde Ierem. 17. *Prauum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, qui do vnicuique iuxta viam suam.* [*Torcido y retorzido al fin vn labirintho de Creta es el coraçon del hombre quien atinara sus bueltas y rebueltas.*] *Ego Dominus*, attende, non dixit, solus ipse homo & ego nouimus illud, sed *ego*, ait tantummodo; quia sæpe censet homo se in operibus suis suam cognoscere intentionem & propter Deum facere, qui propter vanam gloriam vel vindictam, vel commodum temporale vel propter aliquem huiusmodi affectum facit, *pero à Dios no ay echarle dado falso*; solus enim ipse ex certa & propria scientia nouit intrinseca nostra melius quàm nos ipsi. Vnde valde timendum est quod subdit, *qui do vnicuique iuxta viam suam*; iudices nostri iudicant secundùm allegata & probata, vnde sæpe saluandum damnant, & damnandum saluant. Deus autem qui secundùm suam infinitam sapientiam, & æquitatem iudicat, æquè damnat, & saluat, iuxta demerita vel merita nostra. Væ his qui negligenter degunt.

Gen. 10. Genes. 10. de Nemrod qui tyrannus, & hominum oppressor fuit, dicitur: *Nemrod cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Quid est robustus venator? Respondet Alcuinus in hunc locum; Erat robustus venator, id est, hominum oppressor, & extinctor quos allexit vt turrim contra Deum construerent. ita ille. Sed cur ait *coram Domino?* nonne id manifestum erat? quid enim est vel fit quod non coram Domino sit vel fiat? Hoc quidem ad nos omnes tacita admonitio fuit. Nam idem fuit, ac dicere: Videant & attendant, omnes impiè agentes quod oculis apertis Deus facta & verba, cogitatus, & intentiones omnes elatè intuetur, *en todo esta Dios alamira*, vt scilicet cuncta adducat in iudicium, sic Lyranus ibi dicens: *Coram Domino*, inquit, nam Dominus illa omnia videt, ad puniendum suo tempore grauissima pæna. ita ille. Quis coram iusto prætore crimen morte dignum committere audet? Deus autem Iudex iustus & fortis est, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, quod prætores & iudices mundi facere non possunt. Quis ergo non contremiscat coram tali ac tanto Iudice peccare?

Iob. Iob c... Sic sapiens quidam amicus Iob, *Ecce stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*, quanto magis homo putredo & filius hominis vermis? In sacris litteris illi stellarum nomina sortiuntur, qui bonis operibus fulgent. de his igitur ait amicus Iob *ecce stella*, &c. Sic locum hunc interpretatur S. Greg. 8. Mor. 10. dicens: Astra non sunt mun-

da in

da in conspectu eios, quia apud Deum districtè iudicati ipsi quoque maculas inquinationis habent; qui per munditiam sanctitatis lucent. ita S. Greg.

Idem. S. Gregor. 5. Mor. 27. sæpe lignum rectum creditur, sed cum regulæ iungitur, eius tortitudo innotescit, quia rectitudo accedens increpat, quod oculus deceptus approbat. ita ille. Simile.

S. August. S. August. ser. 46. de verbis Domini secundùm Ioannem: Deus timendus est in publico & in secreto, procedis, videris; intras, videris; lucerna ardet, videt te; lucerna extincta, videt te; in cubile intras, videt te; in corde versaris, videt te. Illum igitur time, cui cura est videre te; aut si peccare vis, quære vbi te non videat. ita S. Aug. vbi nota verba illa, *illum time cui cura est videre te*, scilicet, quia illi incumbit sic attentè videre, quia est iudex earum rerum, quas agimus, dicimus, & cogitamus.

Propositio VI.

Quòd etiam de occultis cogitationibus sit reddenda ratio.

Ierem. 17. IErem. 17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Prauum*, id est, vt Septuaginta transtulerunt, *profundum*, es vn abismo, *& inscrutabile*, ab omnibus creaturis, imò quod mirabilius est ab ipso homine cuius est; sæpe namque censet homo bonum intendere finem, & decipitur, intendit enim vel suam gloriam vanam, vel aliquam vtilitatem, vel quid simile; & censet se propter Deum, vel propter alicuius virtutis causam aliquid velle. Vnde textus Hebræus sic habet, *Fraudulentum est cor hominis.* Quis ergo cognoscit illud? & respondet ipse Deus; *Ego Dominus scrutans cor & probans renes.* Probare in factis litteris idem est quod explorare & examinare; per renes verò interiora hominis & secretiora intelliguntur, cogitationes videlicet, & desideria, & intentiones, &c. Clariùs enim cognoscit Deus hæc profunda, & arcana, & inscrutabilia, quàm nos quæ oculis videmus, & manibus attrectamus.

Quod quidem ita manifestum est vt naturali lumini sine fide assequuti sint multi philosophi. Etenim Cicero lib. 3. de legibus recitat sententiam Philosophi magni Thaletis Milesij, dicentis: Assiduè volutandum animo est, non solùm facta & dicta, verùm etiam cogitata diuinis oculis patere. Ita Milisius, cui subscripsit Cicero, & insuper dixit; Omnem virtutis Philosophiam hoc vno verbo Thales complexus est. Recitat quoque dictum hoc Thaletis Valerius Maxim. lib. 7. cap. 2. nom. 7. & ait; Mirificè Thales interrogatus an facta hominum Deum laterent? Nec cogitata, inquit, vt non solùm manus, sed etiam mentes puras haberemus, cum secretis cogitationibus nostris cæleste numen adesse credidissemus. ita Valerius. Ecce quid ex hac intima & certa Dei sapientia & cognitione inferre debeamus. Thales. Valerius.

S. August. Quòd exactiùs intulit S. August. in soliloquio cap. 14. dicens: Magna nobis est indita necessitas iustè rectèque viuendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis. ita S. Aug. Pondera *ante oculos iudicis*, non ait solum, *ante oculos Dei*, sed, *iudicis*, quasi dicat: Ante oculos Dei, qui de cunctis malis, & bonis iudicare debet. Et ratio aperta huius est, quia omnis bona actio interna & externa, laude & præmio digna est, mala verò supplicio: supplicium autem hoc, aut præmium, à iudice aliquo reddi debet; quis autem talis nisi Deus; qui solus omnia interiora nouit, quique rectissimus, & iustissimus iudex est? Vide igitur quid agas, quid loquaris, quid cogites, vel ames interius; quia de his omnibus iudicandus es ab ineuitabili Iudice.

Item Seneca; Sacer (inquit) intra nos spiritus residet, bonorum, malorumque obseruator & custos. ita ille. Pondera, *obseruator*, quæ quidem dictio duo importat, & quod videt & notat Deus nostra interiora, & seruat ea secum ad iudicàdum, scilicet de illis; ad quid enim aliud obseruaret? alioquin videre dicendum erat, & non obseruare. Seneca.

Item Seneca Epist. 25. sic (inquit) viue tanquam sub alicuius boni viri ac semper præsentis oculis. ita ille. Quòd si tantùm ad bene viuendum imaginaria præsentia alicuius boni viri iuuat, quanto magis realis Dei iudicis nostri præsentia iuuabit?

Iosephus lib. 1. antiquitat. c. 4. de Abel iusto ait. In omnibus quæcumque gerebat, Deum censebat esse præsentem. ita ille. Vnde non mirum quod adeo strenuus fuerit in oblationibus suis, & adeo Deo charus & acceptus: De Enoch etiam Genes. 5. dicitur, *ambulauit cum Deo*, hoc est præ oculis Deum habebat, & quæ oculis Dei placita erant faciebat. Quam ob rem transtulit illum Dominus & à laqueis mundi liberauit. Iosephus.

Propositio VII.

In iudicio non erit qui reprobis faueat.

IOb. 5. sic amicus Iob Eliphaz, agens de reprobis: *Conterentur in porta & non erit qui excipiat.* Quænam est hæc porta? S. Gregor. 6. Mor. 5. sicut orbis aditus dicitur porta, ita dies iudicij est regni Dei porta; quia per eum ab electis omnibus ad cælestis patriæ gloriam intratur. ita ille. In hac igitur porta non erit qui eripiat, quia tunc nec Sancti, nec Angeli, nec etiam piissima Dei mater, eis patrocinabuntur; nunc quidem Sanctos in patronos nobis asciscimus, & Angelos etiā, & maximè Angelum custodem, & ipsi enixè pro nobis orant; tunc autem digitum imponent ori, & non solùm non orabunt pro reprobis, verùm etiam lauabunt manus suas in sanguine peccatorum. Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria* (in qua scilicet est vera exultatio) & subdit: *& gladij ancipites in manibus eorum*, scilicet in die iudicij. Gladij isti significant approbationes Sanctorum, quibus sententiam iudicis diuini approbabunt, veluti gladiis transfigent corda reproborum, ad faciendam hoc modo vindictam iustam in nationibus; & tunc nec Nobilibus, nec Regibus parcent. Inde subdit, *ad alligandos Reges in compedibus*, &c. vt videre nobis liceat, quàm verum sit, quod tunc non erit, qui eripiat, neque qui saluum faciat, neque qui erga reos illos compassionis signum ostendat. Quod quidem vehementissimi doloris cordis causa illis erit. Iob. 5. Psal. 149.

Propositio VIII.

Quod in iudicio Deus etiam opera bona examinabit.

PSal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Quid est, *iustitias iudicabo*? Quidam sic Psal. 74.

ſic exponunt: Cum accepero tempus præfixum ad iudicandum, ego iuſtiſſimè iudicabo. Hugo. Victori. Hugo cardinalis ſic: Terribile (inquit) verbum, quod non tantum peccata iudicabit, ſed etiam iuſtitias, bona ſcilicet opera examinabit. ita Hugo.

Matt. 10. Vnde Matth. 10. ſic Chriſtus Dominus: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proyce abs te; & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proyce abs te*, &c. Quid ſibi vult parabola illa? cur de oculo dextero & manu dextera potius quàm de oculo ſiniſtro & manu ſiniſtra hoc dixit? S. Hieron. S. Hieronymus in hunc locum: Cauendum eſt igitur, ait, ne quod in nobis optimum eſt, labatur in vitium: ſi enim oculus dexter & manus dextera ſcandalizant, quanto magis ea, quæ in nobis ſiniſtra ſunt? ita S. Hieronymus. v. g. quia eleemoſyna, & oratio, & confeſſio, & communicatio, &c. vanitatis periculo expoſita ſunt, &c.

Idem. Idem de muneribus ſpiritualibus & officiis reſp. hæc enim omnia bona ſunt, ad dexteram pertinent, ſed propter defectum bonæ intentionis vel alterius debitæ circumſtantiæ, ita maculari poſſunt, vt ex bonis ſiniſtra reddantur. Ideo igitur Dominus ait, *cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo*. Vigilate iuſti.

1. Cor. 4. 1. Corint. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Timorem magnum Pauli præſeferunt verba iſta. Cur ergo timet ſanctiſſimus Apoſtolus, maximè cum nullius peccati ſibi conſcius ſit, & à Deo ipſo electus ſit, & aſſiduè in operibus ſanctis verſatus & conuerſatus? Reſpondet S. S. Greg. Gregor. 5. Mor. Sancti viri iuſta indeſinenter faciunt, & aſſiduè patiuntur dura, quia ſæpe ipſa iuſtitia noſtra, ad examen diuinæ iuſtitiæ deducta iniuſtitia eſt, & fordet in diſtrictione iudicis, quod in æſtimatione operantis fulget. Idcirco ait Paulus, *qui iudicat me, Dominus eſt*; ac ſi dicat, idcirco in eo quod nihil mihi conſcius ſum, iuſtificatum me abnego, quia ab eo qui me iudicat, examinari me ſubtilius ſcio. ita S. Gregor. Quis non opus bonum foiſſe iudicaret, quod exhibuit Oza deriniens cadentem Dei arcam, & tamen ob id eum Dominus repentina occidit morte? 2. Reg. 6. num. 6. Habet Deus plus quàm lynceos oculos. Videmus autem apud pictores, qui nullum in ſuis picturis defectum inueniunt, adueniente quodam peritiſſimo artifice plures defectus notari. Quid ergo mirum ſi adueniente Domino ad iudicium, multa quæ nos approbamus, in nobis ille condemnet?

Gen 4. Geneſ. 4. *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti.* Quid eſt, *rectè offerre*, & *non rectè diuidere*? S. Gregor. 3. Mor. 10. Rectè offertur cum bona intentione bonum opus agimus, ſed non rectè diuidimus ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus, & quod piè agitur etiam ſubtiliter non diſcernatur; oblata enim diuidere, eſt quælibet bona noſtra ſtudia, ſollicitè diſcernendo penſare: nonnumquam enim fit reatus criminis, quod exiſtimatur cauſa virtutis. ita S. Greg. S. Gregor. quaſi dicat, non ſolum quod ſecundum ſe bonum opus eſt, ſed quod etiam piè & cum bona intentione facimus vel dicimus, examinare debemus; poteſt enim aliqua circumſtantia claudicare.

Idem. Probat hoc S. Gregor. amicorum Iob exemplo, dicens: penſemus cuius charitatis opus fuerit ad afflictum concorditer conueniſſe, & quanta virtus longanimitatis extiterit, ſeptem diebus & ſeptem noctibus cum afflicto tacuiſſe? quæ humilitas tot diebus & noctibus in terra ſediſſe? quæ compaſſio puluere capita conſperſiſſe? Sed tamen inchoantes loqui vnde ſe præmium mercedis æſtimauerunt acquirere, inde eos contigit reatum reprehenſionis inuenire, quia incautis ſæpe ad peccati finem vertitur, etiam quod ſolo ſtudio mercedis inchoatur. Ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto pretio mercari ſunt. Quanta ergo Dominus animaduerſione puniet ea quæ malo voto perpetrantur, ſi inchoata bono ſtudio ſed negligentia indiſcretionis admixta in ſectione caſtigat? Vnde neceſſe eſt vt non ſolùm intueamur quod agimus, ſed etiam quanta cum diſcretione agamus, vnde Hierem. 48. *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Bona ergo geſta timeamus, quia ſæpe in iuſto iudicio Dei culpa deprehenditur, quod virtus cenſebatur, & vnde expectatur merces, ſupplicium ſequatur. ita S. Gregor.

Gen. 1. *Dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux; & vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Ponderat Oleaſter locum hunc dicens: Non ſat fuit Deo lucem creare pulcherrimam, niſi eam poſtquam condidit examinauit: numquid Domine in opere tuo defectus aliquis eſſe poteſt, vt examine opus ſit? cum potius ad lucem, reliqua omnia examinentur? Exiſtimo te hoc mihi dicere velle, vt examinem & diſcernam ego tenebras meas, ſiquidem ita tu examinas lucem tuam. Quare quantumcumque opus tuum ô homo purum & bonum tibi eſſe videatur, confer illud ad ſpeculum diuinæ legis, vt videas & emendes ea, quæ emendatione deprehenderis digna ita ille. Bona eſt eleemoſyna, bona ſunt ieiunia, bona omnino; ſed ea examina, ne forte ſint velut opera ſimilia Phariſæorum, de quibus Chriſtus Dominus, *omnia opera hæc fiunt, vt ab hominibus videantur*, hoc eſt plena ſunt ſuperbia, & vana gloria, &c. Gen. 1.

Matth. 3. ſic Ioannes Baptiſta agens de Chriſto Domino: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Hoc loco, primò paucitatem ſaluandorum, & multitudinem damnandorum attende. Metaphoram enim propriam valde tetigit Baptiſta; videbis enim in area agricolæ aceruos magnos meſſium, in quibus grana mixta ſunt paleis, ventilabro autem examinati ex magno quodam aceruo, aceruus exiguus tritici remanet, reliquum verò palea erat, & à vento rapta; ſic in populis Chriſtianis aceruos magnos hominum videas in quibus paleæ peccatorum cum tritico iuſtorum mixtæ ſunt; ſed eum ad iudicium venerint & ventilabro diuini examinis fuerint ſeparati, perexiguos aceruos ſaluandorum videbis, magnam verò valde palearum quantitatem in æternum ignem mittendarum. Væ nobis! aperite oculos mortales, & cauete ne ex magno palearum numero ſitis. Matt. 3. Simile.

Secundò aduerte in eadem metaphora quot & quanta ſint opera, quæ iudicio noſtro pretioſa videantur, quæ tamen in iudicio Dei vilia & mala & ſupplicio digna eſſe conſtabunt. Sicut enim in area aceruj magni ſunt, dum non accedit ventilabrum, poſtea verò tritici parui ſupereſt menſura, & quod reliquum erat palearum ventus abſtulit, ſic ante

ante iudicium multa bona opera esse videntur, quæ tunc vana & tanquam palea à vento rapientur.

Psal. 74. Psal. 74 introduxit David Christum Dominum tanquam iudicem supremum sic loquentem: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Quod hæc vox in nomine Christi sit testantur Sanct. Aug. & alij. Et verbum ponderans Hugo Card. ait: Terribile verbum quod non tantum peccata iudicabit, sed & iustitias, id est bona opera examinabit. ita ille. Et hinc iustorum pavor, nam licet iusti esse videantur, tamen iudicia Dei differunt nimis ab hominum iudicio. Vnde ponderans
Beda. Beda verba illa Luc. 1. vbi agens S. Lucas de parentibus S. Ioannis Baptistæ ait, *erant ambo iusti ante Deum*: Bene (inquit) iusti ante Deum; non enim omnis qui iustus est ante hominem, iustus est ante Deum; aliter namque vident homines & aliter videt Deus, homines in facie, Deus in corde: beatus autem ille qui in conspectu Dei iustus est. ita Beda.

Agatho Abbatis. Hinc timor ille S. Abbatis Agathonis, qui morti propinquus iudicium Dei timens dixit: Egredere anima mea quid times? Septuaginta prope anni Deo servisti, & nunc egredi times. Hinc
Arsenius. timor ille assiduus B. Arsenij Abbatis, qui interrogatus cur ita semper paveret, dixit, quia iudicia Dei, à iudicijs hominum valde diversa sunt, nimirum quia ipse dixit: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

Propositio IX.

In Iudicio ipsa divinæ legis transgressio testis infallibilis erit contra peccatores.

Psal. 18. Psal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele.* Testimonium hoc loco idem est quod Lex Dei. Cur igitur eam
S Basilius. vocat testimonium? S. Basil. ibidem: Testimonium vocatur Lex Dei, ob id quod peccatores contestatur, & transgressionis supplicium ostendit. ita ille. Duo igitur ait hic David; primum, *Lex Dei immaculata convertens animas.* hoc est, Lex Dei adeo sancta est, ac vera, vt ipsa per se, absque alia persuasione, seu ratione, convertendi peccatores vim ac virtutem habeat, quia satis superque iustificata est in se ipsa, tum quia iustissima est, & rationi naturali consentanea, tum quia præceptum Dei est. Vnde Esdr. 2. libro, c. 8. Le-
Esdr. 2. gente Esdra librum legis in platea civitatis, vbi convenerat omnis populus, & audiens lugebat, *flebat*, inquit, *omnis populus cum audiret verba legis*, sic lugebat, & adeo, vt Esdras & Nehemias, & Levitæ dicerent populo, *dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere & nolite flere.* Cur sic lugebat populus omnis? nimirum, quia lex ipsa tanquam immaculata animas convertebat, atque adeo opus nō erat alia concionatorum exhortatione. Secundò vocatur Lex testimonium, quia in die iudicij non erit opus testibus, & fiscalibus adversus peccatores, quia ipsa legis transgressio sufficiens testis & accusator erit in eos, ipsa enim sicut sanguis Abel clamabit de terra petens iustitiam à Deo.

Propositio X.

In iudicio nihil proderunt apparentes excusationes.

Genes. 3. sic Eva Deo: *Serpens decepit me.* Gen. 3.
Verum quidem est quòd mendacijs & fallacijs serpens decepit Evam; sed numquid talis excusatio profuit illi? Nequaquam, apparens enim tantummodo erat: debuerat enim illa Deo potius, quàm serpentis figmento fidem dare. Ob- Oleaster.
servatio est hæc Oleastri ibi dicentis: Docemur hic quàm parum valeat excusare peccata apud Dominum, cum post excusationes tam Adam quàm Eva dederint pœnas. ita ille.

Propositio XI.

Quanta ira Dei & creaturarum erit in iudicio contra peccatores.

Luc. 21. *Erunt signa in sole & luna, &c.* Signum, Luc 21.
ait S. August. lib. de doctri. Christi, est id, S. Aug 9.
quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Si ergo signa sunt hæc, quid significant? Etenim primò Dei adversus peccatores iudicandos iram & indignationem præ se ferunt: si videres hominem ensem Simile.
nudum vibrantem, pallium brachio involutum ferentem, & faciem turbatam & pallidam, labiis trementem, & oculos sanguinolentos habentem, & voce tremula clamantem, & dicentem, moriatur; facilè agnosceres magna ira adversus aliquem inimicum teneri. Cum igitur ad iudicium properans Deus, solem luce sua, & lunam claritate privet, & stellas & elementa perturbet, quid aliud hîc audies nisi adversus peccatores minas? ac si diceret, moriantur iniqui, pereant omnes peccatores terræ, væ peccatori: horrendum enim est incidere in manus Dei viventis. Vbi similiter creaturarum iracundiam adversus peccatores ad- Simile.
verte, vti observavit Oleaster in c. 4. Genes. dicens: Sicut illum quem princeps respicit torvè, omnes servi eius illum prosequuntur, ianitor enim ei introitum negat (*dalo con las puertas en los ojos.*) & alter qui ei arridere solebat, iratum in eum vultum convertit, & denique omnes de eo vindictam sumere conantur; sic creaturæ eum, qui Deū creatorē offendit, & cui iratus Deus est, omnes, inquā, creaturæ persequentur, sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent, & nasum & iram ostendent adversus eos, quibus tūc Dominus irascetur. Sūmè ergo fratres cavendum est, ne Deum offensum habeamus, quia non solum eum, sed etiam omnes creaturas eius habebimus adversarias, terra non dabit fructum, nec mare pisces, &c. ita Oleaster.

Et hoc quidem præsefert metus ille Cain, di- Gen 4.
centis Gen. 4 *Eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Cur ita omnia sibi adversa fore timet? Manifestum est, quia omnium Dominum sibi offen- Psal. 33.
sum videbat. Rectè enim David. Psal. 33. *oculi Domini super iustos*, favorabiles scilicet, & grati: *vultus autem Domini*, nempè turbidus & iratus, *super facientes mala.* Sicut enim placidis & suavibus oculis Deus bonos intuetur, ita

iracundè & terribili vultu aspicit malos. & inde creaturæ Dei gloriam intendentes toruis oculis peccatores intuentur, & solitum eis obsequium denegant, & vindicant de inimicis suis creatorem suum.

Propositio XII.

Quàm grauis tunc erit dolor damnatorum.

Math. 25. MAth. 25. priusquam proferat Iudex sententiam damnatorum, proferet sententiam iustorum, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, &c. Cur præcedet sententia bonorum? S. Bern. ferm. 8. super Psalm. *qui habitat*: Priùs benedicti vocantur in regnum, quàm maledicti eiiciantur in ignem æternum, quo videlicet acriùs doleant videntes, quid amiserunt, sic etiam iusti videbunt & lætabuntur, videntes quid euaserint: & sicut illa tanta separatione grauissimi liuoris occasio reprobis fiet, sic electis ex regione consideratio reproborum immensa quædam actiunis gratiarum & laudis. ita ille. (S. Bern.)

Propositio XIII.

Nulla misericordia tunc fruentur peccatores.

Psal. 57. PSalm. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Num lætitiæ materia est perditio peccatorum? numquid quamuis peccatores homines non sunt? quod si homines sunt, humanitate & pietate digni videntur, & ob hanc rationem Christus Dominus peccatores recipiebat, & parcebat illis, sicut latroni etiam, iam propter delicta sua ad crucem damnato misericordiam & veniam concessit. Cur igitur ait Dauid, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam*, &c. S. Bernard. ferm. 8. in Psalm. *qui habitat*, locum istum ex alio Scripturæ loco exponit, nempe Prouerb. cap. 1. vbi sic ad reprobos Diuina sapientia: *Vocaui & renuistis, extendi manum meam & non erat qui aspiceret*: & post pauca, *ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis id quod timebatis aduenerit.* Quid ergo in interitu hominum credimus placiturum sapientiæ diuinæ, nisi sanctissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? & sanè quod sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque vniuersis placeat est necesse. ita S. Bern. (S. Bern.)

Propositio XIV.

Signa iudicij tremenda malis, iucunda erunt bonis.

Luc. 21. LVc. 21. *His fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra.* Quasi dicat, *aunque las señales del Iuizio sean en si espantosas, no huyais de ellas ni les cerreis los ojos sino respicite, miraldas y miraldas sin temor, como los que miran desde el puerto seguro las temerosas borrascas del mar*: & leuate capita vestra, *leuantad cabeza iustos que aora andais cabizbajos*, respicite illa signa tanquam signa annuntiantia vobis saluationem vestram. Etenim si Princeps aliquis Christianus obsideret ciuitatem Turcarum in qua multi essent Christiani captiui, hi audientes armorum strepitum & exercitus Christiani clamorem, haud quidem terrerentur, sed gauderent libertatem proximam expectantes, timerent quidem vehementer Turcæ ob periculum suum, non verò captiui Christiani; timebunt in illa die peccatores de quibus Dominus, *arescentibus hominibus præ timore*, &c. iusti verò caput leuabunt, & exultabunt. (Simile.)

Propositio XV.

Quàm ingens Dei beneficium fuerit prædicere nobis qua futura sint in iudicio.

LVc. 21. *Erunt signa*, &c. Cur Deus sic prædicit in iudicio futuro futura, & manifestat ea de quibus ei rationem reddere debemus? Ratio in promptu est, etenim magnum beneficium censeret, qui in scholis ad gradum Doctoris promouendus ab examinatore acciperet, de quibus esset in examine examinandus: sic enim responsa ipsa præpararet, quod non ita forte feliciter foret, si repentè esset ad sibi proposita dubia responsurus. Deus in iudicio antequam ad æternam gloriam promoueamur, interrogaturus est nos, quid fecimus, & quid facere debuissemus; de his igitur nos promonuit, rigorem nempe iudicij prædixit, & de quibus futurum sit examen, & propter quæ saluandi sunt iusti; & damnandi peccatores, dum scilicet dicit, *venite benedicti*, &c. nonne hoc beneficium magnum est? (Simile.)

Propositio XVI.

Cur Deus signa iudicij præmittat.

ERunt signa in Sole & Luna, &c. E terra in altam aëris regionem ascendunt vapores quidam frigidi, & exhalationes etiam calidæ, quæ in nubibus conuenientes inter se pugnant, & inde fragor tonitruorum, quorum timore homines se signo crucis muniunt, & ad Ecclesiam properant, & pro diuino postulando fauore ad Deum confugiunt; sed non inde damnum, quo vsque fulmen nubem disrumpat; tunc enim, quem percutit, comburit & interimit in puncto, & si in peccato fuerit inuentus, sic percussus ad ignem pergit æternum; tonitrua autem illa præcedentia, veluti admonitiones sunt Dei, quibus monet peccatores, vt ad Ecclesiam & Deum pro remissione peccatorum accurrant. Idem de signis iudicij dicendum est, & ideo Christus Dominus veniet tunc in nubibus cæli, quia tanquam fulmen exibit ad peccatores damnandos, &c. (Luc. 21. Simile.)

***

Propo

PROPOSITIO XVII.

Quod in die iudicij omnia pugnabunt contra peccatores.

Sap. 5. SAp.5.agit sapiens de die iudicij,& ait: *Pugnabit cum Domino orbis terrarum, contra insensatos.* Insensatos vocat peccatores, quæ enim maior insipientia quàm peccare? si enim insensatos vocamus eos, qui stulta proferunt verba, quanto magis qui operantur stulta? *Contra hos*, inquit, *pugnabit orbis terrarum*; hoc enim est quod Dominus ait: *Erunt signa in sole & luna* &c. radij enim solis cum tunc se retraxerint, vehementem incutient timorem malis; similiter luna, & stellæ,& maris turbatio; ideo Dominus ait, *arescentibus hominibus præ timore* &c. E conuerso autem omnia fauebunt iustis; quod ex his quæ acciderunt in Ægypto tempore Moysis intelligi potest; tunc enim decem illæ plagæ ranarum nempe, & pulicum,& reliqua maximo fuerunt terrori Ægiptiis; filiis verò Israël cuncta propitia fuere: nam cœlum illis exhibuit cibum Angelorum, ignis tanquam dux eos præcedebat in itinere suo, & aquæ quæ Ægyptios suffocarunt,filiis Israël quasi pro muro fuerunt; aër siccabat viam per medium mare, montes exultauerunt vt arietes & colles sicut agni ouium: sic etiam tempore iudicij omnia pugnabunt contra insensatos peccatores,& omnia se iustis fauorabilia exhibebunt.

PROPOSITIO XVIII.

Quàm vtilis sit iudicij consideratio.

S.Damasc. SAnctus Damascen. ser. de die Iudicij; fratres charissimi lectionem de iudicio attento corde audite, & memoriter retinete. Qui enim lectionem istam mente diligenti attendit, etiamsi reliquas scripturas minimè intelligat, hæc sola sufficere potest ad omne opus bonum faciendum, & ad omne opus malum effugiendum.ita ille.

PROPOSITIO XIX.

In iudicio nulla erit acceptio personarum.

IN tribunalibus nostris sæpe acceptiones personarum videbis; at tribunal illud æquissimum Christi nullam admittet personarum acceptionem. S. Hier. S. Hieron. epistola 1. ad Heliodor. Iudicaturo Domino lugubris mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. ita ille. *nudo latere*, inquit, quia si modò Regum latera, equites & milites protegentes cingunt, tunc magnus etiam Alexander solis suis operibus vna comitantibus ibi assistet, omni fauore creaturarum destitutus.

Iudicium temerarium.

PROPOSITIO I.

Quàm iniustum sit iudicium temerarium.

ETenim quamuis proximum peccantem videamus,suspendere iudicium nostrum debemus; quia cum interiora eius, causas,& circunstantias ignoremus, sæpe damnamus iniustè proximum. Ob hanc causam eum primi parentes peccassent, antequam eos Deus afficeret pœna debita, in iudicium vocauit & interrogauit, *quare hoc fecistis?* &c. Cur ita? Respondet Nicolaus de lyra in c. 3. genes. ante condemnationem interrogauit virū & mulierem, quia nullus est ante inquisitionem condemnandus. ita ille. At dices,quid opus erat Deo interrogare, qui omnia sine interrogationis necessitate cognoscebat? constat quidem non ei opus fuisse, sed quia nobis opus erat, magistri vices gerens, quid à nobis agendum esset docebat; vt scilicet inaudita parte neminem ore vel corde condemnemus, quamuis res nobis aperta esse videatur. Quid enim ad nos, de his quæ non pertinent ad nos?

PROPOSITIO II.

Quàm temerarium sit non bene examinata malè iudicare.

GEnes. 18.sic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est,& peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerint,an non est ita.* Quid hoc? numquid Deus ignorabat aut dubitabat clamorem illum verum esse? Respondet S.Gregor.19 Mor. 23.expendens hunc locum & ait; Ipse Deus hoc fecit, vt nos à præcipitata sententia liberaret cum omnia nuda & aperta sint oculis eius; mala tamen Sodomæ noluit tantùm audita iudicare, vt grauitatis nobis exemplum proponat,ne mala hominum antea præsumamus credere, quàm probare. ita S. Gregor. Genes. 18. S. Gregor.

Vnde viri sancti valde timent aliena opera iudicare. Audi quid S. Iob. affirmet: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* ita Iob c. 29. vbi S. Gregor. 19. Mor. 23. ait; Qua in re notandum video ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa iudicemus, & ne qualibet audita nos moueant, & ne passim dicta sine probatione credamus. ita S. Gregor. vbi nota quod Iob Iudex imò & Rex populi sui erat; vnde Regibus & Principibus ac Iudicibus vtilissimum exemplum præbuit à temerariis iudiciis se abstinendi; nam sæpe, quæ vera sine dubio esse videntur, falsa sunt; Quis non crederet Susannam adulteram fuisse affirmantibus duobus senibus, & iudicibus populi,qui omni exceptione maiores videbantur & tamen falsissimum testimonium proferebant. S. Greg.

* *

Iudex.

1. *Quàm sine passione debeat iudicare.*
2. *Quanta sit excellentia iudicantis.*
3. *Iudex non debet esse personarum acceptor.*
4. *Quàm teneatur iustè iudicare, & peccatores punire.*
5. *Quantùm debeat examinare causam ante sententiam.*
6. *Quomodo misericordiam & iustitiam simul copulare debeat.*
7. *Quod Iudex omni auaritia carere debet.*
8. *Iudex surreptiones caueat.*

Propositio I.

Quàm sine passione debeat iudicare.

S.Thom. IVdex enim qui ex vitio suo punit reum, similis est diabolo, de quo ait S.Thom. 1.p.q.19 art. 1.ad 1. aliquando impugnant dæmones, homines puniendo, & tunc mittuntur à Deo, sicut missus est spiritus mendax ad puniendum Regem Acab. 3.Reg vltimo, pœna enim refertur in Deum sicut in primum actorem, & tamen dæmones ad puniendum missi, alia intentione puniunt, quam mittantur, ex odio nempe aut ex inuidia; mittuntur autem à Deo propter eius iustitiam. ita S. Thom. Iudices ergo qui puniunt reos odio vel inuidia, vel ira commoti, meritò dæmonibus comparantur.

Propositio II.

Quanta sit excellentia iudicantis.

Exod. 22. EXod. 22. *Diis non detrahes*, &c. Quosnam hic Deus Deos vocat, cum Deus solus ipse sit?
Theodor. S.Thom. q.51. in exod. Iudices (inquit) Deos appellat, propterea quòd ad imitationem Dei omnium commissum est illis iudicandi munus; & hoc clarius docuit Propheta Dauid, dicens ps. 81. *Deus stetit in synagoga eorum, in medio autem Deos diiudicat.* ita ille. Adeo enim iudicare proprium Dei est, vt Deos illos Deus ipse appellet, qui iudices sunt. Et obserua sic Deos esse vt in medio eorum cum iudicant, assistat diiudicans eos Deus, vt videat scilicet & puniat iniquè iudicantes; quanto enim sublimius est eorum munus, tanto magis tenentur æquius illo vti.

Propositio III.

Iudex non debet esse personarum acceptor.

1.Reg. 28. QVid est quod Rex Saul. 1. Reg. 26. afflictione quadam affectus Pythonissam quæsiuit, vt consuleret eam, quam & inuenit, cum ipse & publico edicto omnes é medio tollere iussisset; Cur igitur & hæc Pythonissa sublata pariter non fuit? Facilè rem & causam aperuit S. Hieron. in quæstionibus Hebræis locum hunc Regum exponens. Ait ergo, Pythonissam hanc fuisse matrem Abner ducis & familiaris maximè Regis Saul. Ecce causam cur vel ipse Saul consulto ei pepercit, vel hi quibus commissa fuit legis executio eam non punierunt. Nam vt rectè Petrus Damianus asseruit epistola 12. nullus de legibus metus est, & quod potest redimi, non timetur. ita ille. Quod potest redimi ait, hoc est pecunia & pretio redimi, aut amicitia vel fauore consequi valet, non timetur, licet legis pœna prohibitum fuit Melior quidem Iudex Phinees, qui numerot. 25. duos præcipuos optimates occidit, quantumuis optimates, eo quod cum magno scandalo in Deum deliquerunt: & Deus ipse in iudicum exemplum numerot. 25. præcipuos populi Israëlitici viros suspendi iussit, quia digni tali supplicio fuerunt. P. Damia. Num. 25.

Propositio IV.

Quam teneatur iustè iudicare & peccatores punire.

4. REg. 15. moribundus iam Rex Dauid sic ad filium Salomonem; *Tu nosti que fecerit mihi Ioab, que fecerit duobus principibus exercitus Israel Abner & Amasa quos occidit* &c. Pondera verbum illud *mihi*; etenim Dauidi nihil mali fecit sed duobus illis. Cur igitur ait, *mihi*: Oleaster super. c. 4 Genes. Prius, inquit, se quàm occisos queritur offensum, quia cum iudicis sit homicidia prohibere & rempublicam custodire, priùs homicida iustitiam lædit quàm partem. ita ille. Iudex ergo ita in reos inuehi debet, ac si iniuria & damnum sibi fuisset illatum, quia licet ipse inquantum Petrus vel Franciscus non fuerit offensus, bene tamen in quantum Iudex. 4.Reg. 25. Oleaster.

Propositio V.

Quantum debeat examinare causam ante sententiam.

GEnes. 18. sic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita.* Quid hoc? Numquid Deus ignorabat aut dubitabat clamorem illum verùm esse? Respondet S. Gregor. 19. Mor. 23. expendens hunc locum, & ait; Ipse Deus vt nos à præcipitata sententia liberaret cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit tantum audita iudicare, vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antea præsumamus credere, quàm probare. ita S. Gregor. Gen. 18. S Greg.

Vnde viri sancti valde timent aliena opera iudicare. Audi quid S. Iob affirmet: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* ita Iob c. 29. vbi S. Greg. 19. Mor. 23. ait: Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa iudicemus, ne quælibet audita nos moueant, & ne passim dicta sine probatione credamus. ita S. Gregor. vbi quod Iob Iudex imò & Rex populi sui erat. Vnde Regibus & Principibus ac Iudicibus, vtilissimum exemplum præbuit à temerariis iudiciis se abstinendi; nam sæpe quæ Iob. 29. Idem.

vera

vera ſine dubio eſſe videntur, falſa ſunt: quis non crederet Suſannam adulteram fuiſſe, id affirmantibus duobus ſenibus & iudicibus populi, qui omni exceptione maiores videbantur, & tamen falſiſſimum teſtimonium proferebant?

Propositio VI.

Quomodo miſericordiam & iuſtitiam ſimul copulare debeat.

Matth. 17. MAtth. 17. *Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum Chriſto loquentes* &c. Cur priùs Moyſem nominauit? Numquid eo quod Moyſes prior & potior eſſet? Petrus Cluniacenſis in ſer. de transfiguratione. Duo illi patres eum Domino apparent, alter mitiſſimus, alter ſeueriſſimus: quare? quia miſericors & miſerator Dominus, & quia iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit. Miſericors ergo miſericordem, iuſtus autem iuſtum Dominum deſignat. Vnde congruè ſcriptura non priùs Eliam, & poſtea Moyſem, ſed è conuerſo poſuit. (Pet. Clun.)

Pſal. 100. Hinc pſ. 100. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* S. Auguſt. ibi: Forte non ſine cauſa eo ordine hæc duo poſita ſunt, vt non diceret iudicium & miſericordiam, ſed *miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* ita. S. Aug. Sic igitur Iudex priùs miſericordiam poſſibilem ſibi exhibeat, deinde iudicium, non autem vnum ſine altero. Vide ſanctum Auguſtinum ibidem. (S. Aug.)

Propositio VII.

Quod omni auaritia Iudex carere debeat.

S. Leo. SAnct. Leo Papa ſer. 9. de paſſione Domini. Nullum eſt in eo corde iuſtitiæ veſtigium, in quo auaritia habitaculum fecit. ita ille. *no ay raſtro de Iuſticia, donde ay auaricia.* Attendant indices, & qui eligunt eos.

Propositio VIII.

Iudex ſurreptiones caueat.

Gen. 18. GEneſ. 18. ſic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendam, & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Quis non miretur hoc dixiſſe Deum? *videbo*, loquit, quaſi non præuiderit, qui præuidet omnia, antequam ſint; *vt ſciam* ait, quaſi poſſibile ſit neſcire Deum: quid eſt, *an non eſt?* Quid ergo ſibi vult iſta lo-

S. Pet. Da. quutio? S. Petrus Damianus Epiſt. 4. ad Papam Leonem nonum: hoc profectò ad nihil aliud dictum videtur, niſi vt humana doceretur ignorantia, non leuiter adiudicare, nec ante ſententiam promere, quàm rem dubiam teſtimoniis approbarit. ita ille.

Et in huius doctrinæ confirmationem adducit illud. 2. Reg. 16. cum Dauid qui ſpiritu prophetico plenus erat, dum ſibi inconſultiùs credidit innocentem Miphiboſeth, proſcriptionis ſententiæ addixit.

):(

Iuſtus, *Vide* Virtus.

1. *Quàm Deo charus ſit iuſtus.*
2. *Quanta ſit Dei prouidentia erga iuſtos.*
3. *Quàm vtiles ſint iuſti communitati.*
4. *Quàm pretioſa res ſit iuſtum eſſe.*
5. *Deus iuſtis in tribulationibus fauet.*
6. *In iuſtis reſplendet bonitas & ſanctitas.*
7. *Quanti faciat Deus iuſtos.*
8. *Quòd iuſti liberantur à laboribus, quibus iniuſti in hoc mundo vexantur.*
9. *Qualiter Dei benedictione potiatur iuſtus.*
10. *Quàm proſit iniuſto oratio iuſti.*
11. *Iuſtis omnia cedunt in bonum.*
12. *Iuſti in diuinis donis potiores ſunt.*
13. *Deus iuſtis ſe cognoſcendum offert, non ita iniuſtis.*

Propositio I.

Quàm Deo charus ſit iuſtus.

GEneſ. 32. *Iratus Dominus contra Iſraëlitas propter vituli adorationem dixit Moyſi: Dimitte me vt deleam eos. Cui Moyſes: Memento Domine Abraham, Iſaac & Iacob,* &c. quo Dominum placauit. Quod expendens Dauid ait pſ. 105. *Si non Moyſes electus eius ſteiiſſet in confractione, in conſpectu eius*, &c. Quid eſt *in confractione?* alia littera ſic habet *in ruina muri*, metaphora ſumpta à bello; cum hoſtis rupto muro adoritur vrbem, cives ruinam occupant, & irrumpentes vi repellunt: ſic cum rupto muro legis ira Dei irrumpere ſatageret contra populum, obſtitit Moyſes opponens velut clypeum fortè memoriam Abrahæ & Iſaac & Iacob. Vnde Rupert. in c. 15. Geneſ. cum diceret Deus, *Dimittte me vt deleam eos*, detinuit eum homo, dicens: Memento Abraham, Iſaac & Iacob. ita ille. Quis non miretur tantum apud Deum valere merita Iuſtorum etiam poſt mortem ipſorum? Geneſ. 32. Rupert.

Quod etiam obſeruauit S. Chryſ. ſuper illa verba Dei ad Ezechiam Iſa. 37. *Protegam ciuitatem hanc propter me & propter Dauid.* Dauid (inquit) Chryſoſt. mortuus eſt, & merita eius vigent? ò rem admirandam! homo defunctus patrocinatur viuo? ò iuſtorum etiam poſt mortem inexpugnabilis pugna! ita ille. ita, quando & Deum ipſum expugnat. S. Chryſ.

Pſ. 145. adeo Dominus diligit iuſtos, vt dixerit Luc 12. diſcipulis ſuis iuſtis & dilectis. *veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt.* Quid ſibi vult hæc capillorum numeratio? S. Ambroſ. ſer. 4. in Quadrageſima: Per talem numerum, curam circa nos, ſolicitudinemque cognoſcimus; nemo enim numerat, niſi qui veretur, ne fraudem abſque numero patiatur. Paſtor vt ſaluum gregem habeat, eum frequenter annumerat; vnde quoque Dominus, qui eſt paſtor bonus, cum ouicula vna ex centum aberraſſet, recurrens ad numerum propriis eam humeris ad gregem reportauit. Vſque adeo ergo habetur ſub tutela, qui habetur in numero, vt errans propriis humeris apportetur, ne quid de numero minuatur. ita S. Ambroſ. Ait ergo Pſal. 145. S. Ambr.

ergo Dominus dilectis ſuis: *veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt*? non quidem ſic capillos iſtos numerat Deus, ſicut numerat ſtellas cœli & arenas maris, quia ſapientiſſimus eſt; ſed ſicut Iuſtorum amator, quia maximam eorum curam habet. Quæ enim mater ita pulcherrimam filiam amat vt capillos quantumuis anteos habeat numeratos? ſit ille in ſæcula benedictus.

Propositio II.

Quanta ſit Dei prouidentia erga iuſtos.

Sap. 3. SAp. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt* &c. *alos Iuſtos Dios los tiene de ſu mano.* Quid ampliùs iuſtus deſiderare valet? quid timendum ſuper eſt illi? David pſ.5. ſe veluti oppreſſum cernēs

Pſal. 5. inimicorum perſequutionibus ſic Deum orauit. *Deduc me Domine in iuſtitia tua propter inimicos meos; dirige in conſpectu tuo viam meam.* Etenim inſidiis inimicorum circumdatus, ſic mihi orandum videtur: *Libera me Domine de manibus eorum* &c. at Dauid qui meliùs nouerat, quomodo ab inimicis tutus eſſe poſſet, ſic orat; *Deduc me Domine in iuſtitia tua.* Quid eſt *in iuſtitia tua?*

S.Baſil. S.Baſil. in ſcholiis, rectè dicit *in iuſtitia tua*; eſt enim & hominum iuſtitia, ab externis videlicet legibus orta, verùm illa perfectionem non habet; ego verò tuam ſpecto iuſtitiam. Rectè autem & illud adiecit, *Deduc me*, quod eſt quaſi manu prebenſum velut ex quibuſdam tenebris vitæ huius educere. ita ille. Non igitur petit hic arma & ſcutum ad defenſionem, ſed iuſtum virum eſſe, & in virtutis veritate incedere. Sic enim pro comperto illi erat ab hoſtium telis & inſidiis ſecurum fore, *ſea vno Iuſto que ſeguras tiene las eſpaldas en Dios.* Vnde concludens pſal. hunc ait

S.Hieron. Dauid: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* S.Hieron. ex Hebræo legit, *Coronaſti eum*, ſcilicet iuſtum. Eſt autem metaphora à militia ſumpta in qua milites pro defenſione ſua ſcuta ſumunt, quibus ictus & iacula, hoſtium repellant, *para rebatir los golpes enemigos.* Sic protectio diuina veluti ſcutum quoddam eſt, quo Deus iuſtos defendit ab ictibus inſidioſis. Bene tamen protectio diuina; eſt enim velut circumdans ſcu-

Pſal. 90. tum, ſicut aſſeruit Dauid pſal.90. ad iuſtum dicens: *Scuto circumdabit te veritas eius*: non enim ait ſimpliciter *ſcuto ſua veritatis ſeu lucis auxiliabitur tibi, ſed circumdabit te*: belligeramus enim cum hoſtibus, qui inſidioſè pugnant. Vnde Dauid ait hîc: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* & in alio pſal. *qui coronat te in miſericordia & miſerationibus* &c. Felix, quem ſic Dominus in hac vita coronat, quia in futurum coronabit eum corona gloriæ.

Deut.34. Deut. 34. *Mortuus eſt Moyſes & non cognouit homo ſepulchrum eius.* Cur Deus ſic abſcondit cadauer Moyſis ſerui ſui, cum potius moris eius ſit, reliquias ſanctorum nobis tradere, tum vt eos veneremur, tum vt memores ſimus eorum, eoſ-

S.Auguſt. que imitemur. S. Auguſt. lib. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ c. 35. vt ſcilicet faciem illam (quæ ex conſortio ſermonis Domini rutilauerat) mortis pallore repreſſum nullus videret. ita ille. Si enim Hebræi viderent Moyſem mortis pallore deformatum, quem viderant ex Dei conſortio

Exod.34. coruſcantem Exod.34. ſuſpicarentur illum à Dei familiaritate decidiſſe & in pœnam alicuius criminis, illum ſplendorem, cum iſto pallore commutaſſe. Ne igitur tam ſiniſtra opinio de ſancto viro in populo oriretur, Deus ab oculis omnium ſubduxit, non minus conſulens amici mortui honori, quam conſuluerat viui. Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde!

Cum fama bona bonum non exiguum reputetur, magna quidem prouidentia & cura famam ſuorum defendit Deus.

Quærunt authores ſacri cur voluerit Deus de matre naſci deſponſata cum ex virgine eligiſſet naſci. Reſpondet S. Ambr. l.lib.2. in Lucam; Ne S. Ambr. mater, inquit, temerariæ virginitatis adureretur infamia, maluit Dominus de ſuo ortu quam de matris pudore dubitari. ita S. Ambr. Altam hanc ponderationem aduerte.

At dices quid mirum? mater enim Dei erat Maria. Ita quidem, ſed & famulorum ſuorum non diſſimilem valde curam habet Deus; vti videre licet in S. Iob, cuius bonum nomen denigrauerant tres eius amici, aſſerentes propter delicta euenisse illi aduerſa illa grauia. Ad quos ideo ſic Deus Iob 42. *Iratus eſt furor meus, quoniam non* Iob 42. *eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob*; & ſubdit: *Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Vide quàm honorificè de Iob locutus eſt Deus. Cur, inquies, non orationibus illorum remiſit, vel promiſit Deus veniam, ſed Iobi? Reſpondet Olympiodorus in catena Græca trium patrum ſuper Iob. Voluit Deus vt Iob iniuriarum oblitus pro perſecutoribus oraret, & impetraret, vt ipſimet virtutis Iobi teſtes eſſent. ita

Olympiodorus. Olymp. Geneſ. 20.

Idem dicendum de Abraham: nam Geneſ. 20. Rex Abimelech, malam de Abraham concipere poterat opinionem, virúmque ſub dolum & mendacem cenſere, eo quòd vxorem ſuam Saram ſororem dixerat eſſe. Quam ob eanſam eam ſibi in vxorem accipere volebat, propter quod à Domino vapulauit, & inſuper ſic ad eum Dominus; *Redde viro vxorem ſuam, & orabit pro te, & viues*, Dei curam vide in famam viri iuſti, vti ponderat

S.Chryſoſt. hom.45. in Geneſim. S. Chryſ.

Idem patet in Moyſe quando propter detractionem Aaronis fratris eius & Annæ ſororis, Moyſis opinionem maculabant.

Prou. 10. *Benedictio Domini ſuper caput iuſti.* Prou. 10. Quomodo, inquies, *Benedictio Domini ſuper caput iuſti?* Ianſenius, id eſt, Deus ſuis beneficiis Ianſen. caput iuſti ornat, capiti autem iuſti tribuitur benedictio, ad ſignificandum quòd de cœlo veniat ſuper iuſtum benedictio. ita Ianſenius. Alij verò ſic: *Benedictio Domini ſuper caput iuſti*, hoc eſt affluentia bonorum omnium homini eueniet iuſto; nam in ſacris litteris nomine benedictionis Domini talis affluentia ſignificatur, vt in eod. c. 20. Prouerb. u 22. *Benedictio Domini diuites facit,* Prou. 22. Ianſen. *nec ſociabitur eis afflictio*, vbi Ianſen. quamquam hæc ſententia locum habeat in corporalibus piorum hominum diuitiis, vera tamen maximè eſt de diuitiis ſpiritualibus, quæ in ſapientia & virtutibus conſiſtunt; hæ enim ſunt veræ diuitiæ, & ſolùm diuina beneficentia parari poſſunt, nec aliquam ſecum afferunt moleſtiam, ſed plurimam voluptatem. Vnde de Sapientia, *non habet amaritudinem conuerſatio illius.* cap. 7 ita Ianſenius.

Quam autem valeat benedictio iſta Dei ex c.9. Geneſ. conſtat, vbi filius Noe nomine Cham, iniuriam quandam intulit patri ſuo Noe, propter Gen. 9. quam maledixit non quidem ipſi filio Cham, ſed filio ipſius Cham, qui vocabatur Chanaan, dicēs: *Maledictus*

Maledictus Chanaan; seruus seruorum erit fratribus suis. Theod. Qoærit hoc loco Theodor. cur non maledixit ipsi Cham, qui deliquerat, & maledixit Chanaan nepoti, qui non intulit iniuriam auo? & Respondet, post sedatum diluuium omnes tres filij Noë pariter benedictioois diuinæ participes fuerunt, temerariom autem existimauit Noë maledictionem inferre illi, qni Dei benedictionem fuerat consequutus. ita ilie. Benedixisse aureio Deum omnes filios Noë, constat ex initio capitis 9. Genes. vbi dicitur. *Benedixit Deus Noe & filiis eius.* Ecce quanti momenti sit beuedictio Dei. Huius autem beoedictionis omnes iusti participes suot, vt constat ex loco citato Prou. 10. *Benedictio Domini super caput iusti.*

Gen. 32. Genes. 32. reuertens Iacob ex Mesopotamia, In domum Patris sui, fuerunt obuiam illi Angeli Dei, quos eum vidisset dixit: *Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen illius Castra.* Quid sibi vuit apparitio hæc Augelorum tunc, cum illis viginti aunis superioribus, quibus versatus fuerat io Mesopotamia, nullum Angelum vidisse sciamus? Respondet S. Athanas. in lib. quæstionum q. 102. dicens: ideo tunc apparuerunt Angelorum castra Iacobo, vt animaretur & non timeret fratrem suum Esau, fuerat enim consilium Esau occidere Iacobum. ita S. Athan. S. Athan. Simile quid habemus 4. Reg. 6. 4. Reg. 6. Cum enim exercitus Sytiorum circumdaret ciuitatem, vbi erat Eliseus Giezi seruus eius, videns exercitum timuit valde & clamauit ad Eliseum dicens: Heu, heu, heo, Domine mi, quid faciemus? *Cui Eliseus: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cùm illis.* Orauit igitur Eliseus Dominum vt aperiret oculos Giezi; aperuit & vidit montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Elisei. Sic sic Deus seruos suos custodit prouidentia sua magna.

Luc. 15. Luc. 15. adolescens ille qui in parabola à Patre substantiæ suæ portionem petiit, & obtinuit; & abiens *in regionem longinquam* (in peccatum scilicet, quia longè à peccatoribus salus) *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Ibi cœpit egere & maximam famem pati; copiosum quidem secum tulerat patrimonium, quomodo in tantam incidit egestatem? S. Pet. Chr. S. Petrus Chrysol. ser. 1. de duobus filiis; filium data fecit egere substantia, quæ diuitem negata seruabat, vt penes se deficeret habendo, qui penes Patrem abundarat non habendo. *Adhæsit,* inquit, *vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Sic inoenit, qui se negat Patri, qoi se committit extraneo, vt sentiat iudicem seuerom, qoi fugit iodulgentissimum prouisorem. ita ille. Quia igitur peccator peccando recedit à Patre diuino, in miserias & necessitates incidit multas, qui dum in gratia patris maneret abundabat.

Propositio III.

Quàm vtiles sint iusti Communitati.

Gen. 18. GEoes. 18. cum Dominus prædiceret Abrahamo Sodomæ & Gomorrhæ destructionem, dixit ei Abraham: *numquid perdes iustum cum impio,* &c. Et denique propter decem iustos vniuerso regoo illi parceret Deus. Vbi expendens Procop. pietatem hanc Dei Procopius, ait: Paucæ salis micæ conseruant à putredine carnem multam; sic iusti conseruant iniustos. ita ille.

S. Ambr. Similiter S. Ambros. lib. 1. de Abrah. c. 6. discimus ex hoc loco quantus murus sit patriæ vir iustus, illorum nos fides seruat, illorum iustitia nos ab excidio defendit, Sodoma denique si habuisset decem viros iustos potuit nun perire. ita ille.

Auget S. Chrysost. hom. 42. in gen. Dicens: sæpe solet Dominus propter paucos iustos dare salutem multis, & quid dico *propter paucos iustos?* S. Chrys. Sæpe quando non est inuentus in hac vita iustus, propter defunctorum virtutem viuentium miseretur & eorum curam habet. Vnde clamat dicens: *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum:* quasi dicat, Dauid author erit saluris his, qui se sua desidia perdiderunt. ita S. Chrysost.

Genes. 7. sic Dominus ad Noë: *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum in generatione hac;* Gen. 7. non ait, quia vos vidi iustos, sed te *vidi iustum;* forte omnes illi iusti erant, qui in eius domo degebant filij cum nuris, sed ex modo dicendi Dei colligitur, quod quamuis illi iusti non fuissent, propter solum Noë iustum illos quoque liberasset. Vnde S. Chrysost. in huuc locum; S. Chrys. Salute, inquit, potiti sunt in honorem iusti Noë; consuetudo enim Dei misericordis est honorem hunc dare seruis suis, vt propter Deum saluentur & alij. ita S. Chrysost.

Item actor. 27. Augelus sic ad Paulum cum in mari naufragium pati periclitaretur. Actor. 27. *Ne timeas,* inquit, *Paule, dedit enim tibi Deus omnes qui tecum nauigant.* Vide quantum profuerit illis consortium sanctissimi Pauli! perissent nisi cum eis Paulus interfuisset.

Genes. 15. promisit Dominus Abrahæ & semini eius terram promissionis, Gen. 15. quam à Gentilibus auferendam asseruit, non quidem statim sed post quadrigentos annos. Quæres cur non statim? Respondet scriptura sacra, *nondum sunt completæ iniquitates Amorrhæorum,* qui nempe à terra illa eiiciendi erant, vt filij Abrahæ eam possiderent; non autem esse completas iniquitates illorum. sic interpretatur Theod. q. 84. in genes. quia temporibus illis adhuc erant viri pij inter illos, videlicet Melchisedech, & Abimelech, & alij habitantes in terra Hebron. ita Theodoretus. Theodor. Vide qoam vtile sit viros religiosos & iustos inter nos degere, vt propter ipsos nobis reliquis benefaciat Deus.

Rursus decreuerat Deus dare terram promissionis filiis Abrahæ, non tamen statim sed post quadringentos annos. Cur sic distulit Dominos, quod amico suo Abraham promiserat? Responsum à Domino habemus genes. 16. nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad tempus præsens: quod autem illis temporibus essent viri pij constat ex Melchisedech & Abimelech, & his qui incolebant terram Hebron. illi enim Patriarcham Abraham magnopere venerati sunt & dixerunt illi, *Rex es tu à Deo apud nos in electis monumentis nostris, sepeli mortuum tuum.* ita Theod. quasi dicat, ideo non statim abstulit terram illam à Chananæis dando illam filiis Israël, Theod. quia degebant adhuc inter Chananæos nonnulli viri pij qualis erat Melchisedech & Abimelech & alij, vt notum sit nobis, quàm grati Deo sint similes viri pij; siqoidem eorum causa noluerit delere Chananæos malos, etenim propter viros bonos sustinet Deus peccatores, & eorum rempublicam tuetur.

Genes. 20. *Profectus inde Abraham in terram Australem* &c. Gen. 20. Degebat Abraham in terra Mambre, prope terram Sodomorum, quam tunc Deus euerterat,

euerteret propter grauia eorum peccata & abiit ad Austrum, in quo quidem calor viget. Moralizat hunc locum glossa moralis dicens; Bonus prælatus qui per Abaham significatur, tendere debet ad perfectionem charitatis, quæ per Austrum designatur, eo quod inde prouenit feruor caloris, iuxta illud Iob. 37. *Nonne vestimenta tua sunt calida, cum superflata fuerit terra Austro?* ita Glossa. Hoc autem non ad prælatos tantùm, sed etiam ad nos omnes spectat: omnes etiam aquilonarem regionem, frigidam, inquam, societatem fugere debemus, quia inter frigidos socios frigidi erimus, inter australes verò hoc est inter eos, qui Dei charitate feruent, & nos etiam charitate fruemur.

Iob. 37. Glossa.

Propositio IV.

Quàm pretiosa res sit iustum esse.

Deut. 32. IVstus eo ipso quod iustus & in gratia Dei, hereditas & possessio est Dei, vti constat Deut. 32. *quando diuidebat Altissimus gentes, constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel*, id est, vnicuique nationi consignauit portionem terræ Deus, specialiter verò populo suo Israël, reseruauit terram promissionis; & subdit: *pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius.* Ponderanda est dictio illa *autem*, quasi diceret; cæteris diuisit terrenas hereditates, sibi autem in hereditatem accepit populum Israël, iustos scilicet ex populo illo, peccatores dum interim peccatores sunt, non sunt digni hereditas Dei nominari.

Exod. 19. Vnde Exod. 19. sic Dominus ad iustos, *eritis mihi in peculium de cunctis populis*, siue vt habet littera alia, *eritis mihi thesaurus dilectus, præ omnibus populis.* Quod si iustus est thesaurus Dei, sequitur quod in iusto Deus positum habeat cor suum, dicente ipso met Christo, *vbi est thesaurus tuus; ibi est cor tuum*: quod si in iusto situm habet cor suum, erit quidem Deus custos & pater, & pastor eius. Quid ergo deesse poterit iusto ex omnibus bonis conuenientibus sibi? *Dominus pascit me, nihil mihi deerit*, &c. Expende verba illa, *eritis mihi in peculium.* Peculium idem nomen diminutiuum est à pecus descendens, vnde peculium idem est quod paruum pecus, seu parua possessio, qualis est, possessio pauperis hominis; qui autem pauper est tanto maiorem curam habet peculij sui, quanto ipse pauperior est, & exiguum magis est peculium. Ideo igitur vocat Deus iustos peculium suum, vt ostendat non exiguam sibi esse de eis curam.

Leuit. 26. Vnde Leuit. 26. sic Deus de iustis, *inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Pondera illa duo verba *inhabitabo, inambulabo.* Quomodo fieri potest, vt Deus immensus, qui omnia replet, cui cœlū sedes est, & terra scabellum pedum eius, imò quem cœlum, & terra, & omnia spatia creata, & creabilia, & imaginaria capere nequeunt, in homine inhabitare & inambulare possit? Ita quidem locutus est Deus ad gloriā iusti, vt tali periphrasi, & circumlocutione, quam pretiosa res sit in oculis Dei iustus ostenderet; & quanto sit illi cura de iusto manifestaret. Ponderat ergo merito sic locum istum S. Ambrof. ser. 8. in Psal. 118. Quid magnificentius hospite isto cœlesti? quid beatius tali possessione diuina? Alij queruntur de sui ruris angustiis, in te Deo est ampla possessio, in quo deambulare se dixit spatia laxæ habitationis inueniens, qui terram manu includit (Isai. 40. num. 12.) & cui mundus angustus est, tu ei ampla domus es. ita S. Ambrof.

S. Ambrof.

Isai. 40.

Quod si Deus ita gloriatur ex tabula ista cordis iusti, quanto magis iustum oportet gloriari de possessore tanto? merito de iusto agens Isai. 44. Isai. 44. ait. *iste dicet, Domini ego sum; & ille vocabitur in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino*, seu vt habent Septuaginta, *scribet manu sua, Dei sum ego*, hoc est non solùm iustus fatebitur se esse possessionem Dei, sed etiam de illo adeo gloriabitur, vt secum scriptum habeat, *ego sum possessio Dei*, sicut Paulus manu sua sic scribebat, *Paulus seruus Iesu Christi.*

S. Ambrof. ponderans verba illa Dauidis Psal. 118. *portio mea Domine, dixi custodire legem tuam*, (in originali græco dicitur: *portio mea Domine tu es*,) ait ergo S. Ambrof. quàm rarus est qui dicere possit Deo, *portio mea tu es*, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil huius mundi vendicet sibi. ita ille. Qui igitur verè diues esse desiderat, diuitias mundi caleet & contemnat, quid inde? quid? erit portio eius Dominus Deus, poterit ne altior possessio bonorum esse? quid non habet qui habentem omnia habet? Deum autem habet qui iustus est & gratiam eius habet.

Pro eximio quidem beneficio ordinauit olim Leuitas & Sacerdotes nullas terrenas possessiones possidere iuxta illud Dei Num. 18. ad Aaronem, Num. 18. *ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israel.* vbi S. Ambrof. in eundem Psal. 118. negatur S. Ambrof. his terrena diuisio vt ipsi dum sæculatem sibi non vendicant portionem, fiant possessio cælestis. ita ille. Fiunt quidem hoc modo possessio Dei & Deus possessio eorum, quid igitur desiderare superest illis quorum Deus possessio est, qui replet in bonis desideria possidentium eum? Vide S. Ambrof. ibidem.

Actor. 3. petebat pauper quidam claudus eleemosynam à S. Petro, ad quem sic Petrus *argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Expendit & exponit hæc verba S. Ambrof. ibidem, quasi diceret (inquit) S. Petrus: Portio mea Christus est, in portione mea potens sum, quomodo poterat Petrus portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat? ita ille. Vnde concludens S. Ambrof. & agens de iusto viro, qui per gratiam possidet Deum ait: Portio tua non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur, & est portio, quam terrenæ possessiones æquare non possunt. ita ille. Habeat igitur Alexander in ditione sua mundum vniuersum. Si tu Deum habeas, non habebis cur inuideas Alexandro. Hinc igitur constat quanta sit excellentia gratiæ: solus enim ille possidet Deum qui gratiam habitualem habet.

Actor. 3.

S. Ambrof.

Propositio V.

Deus iustis in tribulationibus fauet.

AD Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. iustis hic agit Apost. vti constat ex contextu. At obiicit sic S. Chrysost. ibidem dicens: S. Chrysost. *Quis contra nos*, ait Apostolus. Etenim terrarū orbis contra nos, tyranni, populi, & ciues & cognati:

fed

ſed tamen hi cum contra nos ſtent, tantùm abeſt vt nobis incommodent, vt vel nolentes coronarum authores nobis exiſtant, & infinitorum bonorum procuratores, ipſa Dei ſapientia ipſorum inſidias in noſtram ſalutem & gloriam conuertente; etenim Iob hoc ipſum ſplendidum reddidit, quod videlicet diabolus, & vxor, & amici eius, & vulnera contra eum militarunt, nihil tamen contra illum effecerunt, ſed omnia illi fœlicem exitum attulerunt, ſiquidem Deus pro illo ſtabat. ita S. Chryſoſt. Et ſubdit: Si iuſtum morti tradideris, coronam martyrij illi texueris. ita ille. Loquitur de perſecutione principum tyrannorum contra fideles, propterea ait Apoſt. *ſi Deus pro nobis quis contra nos?*

Propositio VI.

In iuſtis reſplendet bonitas & ſanctitas.

1. Cor. 3. 2. Cor. 3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur.* Quonam, inquies, pacto ſic in Deũ transformari nos poſſumus? Theodor. Theod. q. 70. in exod. ſic reſpondet: Sicut ſpeculum nitidum inſpicienti vultum repræſentat, ita munda corda ſuſcipiunt Dei gloriam, & qui accedit ad gratiam diuinam ſplendoribus inde manantibus lucet. ita ille. Ita quidem in bonis bonitas Dei, & Simile. in ſanctis ſanctitas Dei relucet. Sicut enim in famulis Salomonis maieſtas & gloria Salomonis reſplendebat, ſic etiam & Dei in famulis ſuis; qui vident veritatem, & charitatem, & pudicitiam, & pietatem, & puritatem morum ſeruorum Dei, inde colligunt, qualis ſit is cui ſeruiunt. Vnde Chriſtus Dominus Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*; ſicut è conuerſo, mali & peccatores Chriſtiani in cauſa ſunt, vt inter infideles nomen Dei noſtri blaſphemetur, ſicut ait Iſai. 52. n. 5. & cum eo Apoſt. ad Rom. 2. num. 19. aiunt enim infideles. En qualis Deus eſt Chriſtus, qui tales habet famulos & ſectatores.

Propositio VII.

Quanti faciat Deus iuſtos.

Exod. 3. Exod. 3. *Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob, &c. hoc nomen mihi eſt in æternum & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Itane gloriatur Dominus omnipotens hominum illorum ſe Deum eſſe? *Quid eſt homo,* ait Dauid, *quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum?* Imò quia ita reputas eum vt eius te eſſe Deum ita glorieris, vt dicas, *hoc memoriale meum,* id eſt, *eſte es mi nombre por el qual quiero yo ſer conozido, y del qual quiero que aya eterna memoria.* Ponderauit hoc Apoſt. ad Heb. 11. dicens: *Non confunditur Deus, vocari Deus eorum,* quia ta is ac tanta eſt maieſtas Dei, vt facile quis iudicare poſſet, quod Deus confunderetur Deum alicuius hominis nuncupari, cum infinita diſtantia interſit; ſed minimè id quidem. ſed pleno ſe ore Deum Abraham, Iſaac & Iacob dici voluit, & etiam Deum Dauid in cap. 38. Iſai. num. 5. & 4. Reg. 20. num. 5. Cur ita? Cur non dedignatur? Reſpondet Theophy. Theophylact. ſuper illud. c. 11. ad Hebræos, quia Deus adeo magnifacit ſeruos ſuos, vt cum ſit Deus totius mundi, viſibilis nempe & inuiſibilis, non erubeſcat vocari eorum Deus. ita ille. Vide ergo, quàm magnifaciendus ſit homo iuſtus, quamuis homo & ex humo & puluere ſit formatus.

4. Reg. 19. Rex Aſſyriorum Sennacherib exercitu eximio & valido inuaſit ciuitatem Hieruſalem tempore Regis Ezechiæ, qui tantam potentiam timens adeo humiliter & enixè auxilium poſtulauit; miſit propterea ad ſeruum ſuum Ezechiam Deus Iſaiam Prophetam qui diceret ei: *protegam vrbem hanc & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum, & factum eſt ita. Nocte enim illa venit Angelus Domini & percuſſit in Caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Vide quam diligat & æſtimet iuſtum vnum; & pondera dixiſſe Deum ſimul *propter me & propter Dauid ſeruum meum,* quaſi non ſatis fuiſſet dicere *propter me,* &c. Et cum Dauid multis retro ſæculis iam obiiſſet, ac ſi adhuc regnaret in Hieruſalem, ait, *propter Dauid ſeruum meum.* Talis ac tantus eſt amor Dei in iuſtos. Sic ponderat S. Chryſoſt. hom. 43 in geneſ. dicens; qui ante tot annos è vita migrauit, hic author ſit ſalutis his qui ſua deſidia ſe perdiderunt. ita ille. 4. Reg. 19. S. Chryſ.

Item S. Ambroſ. lib. de Abraham. c. 5. expendens quomodo propter decem tantùm veniam peſſimorum Sodomitarum regioni cunctæ offerebat, ait: Propter paucorum iuſtitiam Deus impunitatem promiſit populo vniuerſo, vnde diſcimus, quantus murus ſit patriæ iuſtus vir, iuſtorum ergo nos fides ſeruat, & eorum iuſtitia nos ab excidio defendit. ita S. Ambroſ. & S. Chryſoſt. hom. 24. in geneſ. ponderans quemadmodum Deus ob merita Noë, non ſolum ipſum ſed filios & vxores eorum à diluuio protexit, ait: Conſuetudo miſericordiæ Dei eſt honorem ſuis ſeruis exhibere. ita ille. S. Ambroſ. S. Ambroſ. S. Chryſ.

Actor. 27. Procella magna inuaſit Paulum in mari, & multos qui cum ipſo nauigabant; erant autem omnes ibi ducenti ſeptuaginta ſex, violentia verò tanta erat vt iam ablata eſſet omnis ſpes ſalutis eorum. Dixit ad eos Paulus: Bono animo eſtote, *aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cui deſeruio, & dixit mihi: Ne timeas Paule. Ecce donauit tibi Dominus omnes qui nauigant tecum.* Quod non ſine ſpeciali Dei auxilio & miraculo factum eſt, ſicut Paulus enunciauit. Ecce quomodo cauſa & amore Pauli Deus omnes illos liberauit. Audax quidem fuit olim Iulius Cæſar in turbulentiſſima maris tempeſtate, Nauarcho iam de ſalute deſperanti, fortiter inclamare dicens, *Ne timeas, fortuna enim te Cæſaris comitatur, Cæſarem vehis.* ita refert Plutarchus in eius vita. & Apian. lib. 2. de bello ciuili, & Lucanus lib. 5. verſ. 578. ibi, *ſperne minas,* &c. Superbus fuit valde. Iuſtis autem in Deo confidentibus hoc confidenter dicere valemus, in tribulatione quacumque nolite timere, Deum, & eius omnipotentiam vobiſcum habetis, à *Dios ya ſu omnipotentia lleuais con voſotros.* Quid igitur non proſperè illis eueniet? Actor. 27. Plutarch. Apianus. Lucanus.

Gen. 15. & ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Quid, inquies, mirũ, quod Abraham crederet Deo? mirum potius ſi non credidiſſet. Reſpondet Hugo Vict. in gen. 15. quia ſic credere Deo tunc temporis magnum erat, quando pene vniuerſus orbis in cultura dæmonum errabat. Sic igitur dicendum, plurimùm æſtimare Deum ſæculares virtute præditos, quia mundus in maligno poſitus eſt, & cum exempla Geneſ. 15. Hug. Vict.

malorum efficacia ſint ad illorum animos peruertendos, magnum eſt inter malos bonum eſſe hominem. Etenim quod in clauſtris religioſi boni ſint, non ita mirum, quia bona aliorum exempla eos ſeruant, & alia adminicula plura quæ ad ſanctè viuendum iuuant; at degentem in media platea Babylonica ſe innocentem ſeruare, multum quidem eſt.

Iob 5. Iob 5. ſic ſcriptua ſacra de S. Iob. *vir erat in terra Hus, nomine Iob, vir ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo.* Eximia eſt laus iſta, tum quia eximias Iobi continet virtutes, tum quia laudator eſt Deus, qui & ſummatim perſtringens laudes eius dixit hoſti, *numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* Quid amplius deſiderari poteſt de laudibus viri huius? Sed quid eſt, quod inter laudes eius patriam numerans ait, *vir erat in terra Hus?* Hus namque terra gentilium erat, & Idololatrarum; hoc autem non videtur in laudem cedere Iobi ſed in vituperium; gloriari enim ſolent homines in nobilitate & gloria patriæ: quæ autem nobilitas? quæ gloria ex infidelium patria prouenire poteſt? S. Gregor. 1. Mor. 1, Dicatur, inquit, vbi habitauerit Iob, vt hoc eius laudibus proficiat quod tam bonus inter malos fuit; neque enim valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis. Sicut enim grauioris culpæ eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi præconij eſt bonum etiam inter malos extitiſſe. ita S. Gregor. vnde cum idem S. Iob de ſe dixit c. 30. *frater fui draconum & ſocius ſtruthionum*, nolens non exiguam de ſe laudem protulit, ſicut obſeruauit ibidem S. Gregor. dicens: Idem Beatus Iob ſibi atteſtatur dicens, *frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* ita ille. Vide ibidem S. Gregor.

(Margin: S. Greg.; Iob 30.; S. Gregor.)

Hic Dauid Pſal. 11. *ſaluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum* &c. Quaſi dicat, perdifficile quidem eſt inter malos bonum eſſe, ideo precor bonitatem tuam Domine vt me inter malos habitantem ſerues, & in tua gratia conſerues; exiguæ quippe ſunt humanæ vires ad ſocietatem & exempla malorum ſuperanda.

PROPOSITIO VIII.

Quod iuſti liberantur à laboribus, quibus iniuſti in hoc mundo vexantur.

Iob. 5. IOb 5. ſic Eliphas amicus Iobi: *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Per hominem S. Gregor. intelligit peccatorem, dicens. Poteſt hominis appellatione carnalium vita deſignari, vnde & Paul. ait (1. Cor. 3.) *Cum ſit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* quibus paulo poſt ſubiicit dicẽs: *Nonne homines eſtis?* ita S. Greg. Per autem idem ſanctus intelligit hominem iuſtum & virum ſanctum, quia ad cœleſtia vſque volare nouit. Senſũ igitur huius loci ſic explicat S. Greg. 9. Mor. 7. *homo naſcitur ad laborem*, quia homo carnalis cum tranſeuntia appetit, deſideriorũ ſuorum ſe pondere affligit; grauis quippe labor eſt, præſentis vitæ gloriã quærere, quæſitam quandoque percipere, perceptam cuſtodire, & cũ magna fatigatione apprehendere, quod diu ſtare nõ poteſt. Vnde meritò ſubdit, *& auis ad volatum*, quia tanto ſe animus à labore ſubtrahit, quanto per ſpẽ ſuſtollitur ad ſuperna. An non quaſi auis ad volatum

(Margin: S. Greg.; Idem.)

Pauł natus fuerat, qui tot aduerſa ſuſtinẽs dicebat (ad Phil. 3.) *noſtra cõuerſatio in cœlis eſt?* ita S. Greg. Idem.

Et rurſus Apoſt. ad Eph. 2. *conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cœleſtibus.* Ponderat hæc verba S. Greg. 6. Mor. 10. dicens, fortaſſe Paulum exteriùs tunc catena religabat, mente tamen in ſublimibus poſitus erat, quia iam per ſpei ſuæ certitudinem in cœleſtibus ſedebat. ita S. Greg. Et quidem conſtat, quod tunc in vinculis erat Paulus, quia in eadem epiſtola paulo poſt c. 4. dixit, *Ego vinctus in Domino* &c. attamen animo & ſpiritu tanquam auis ſuaui conſolatione in cœlos euolabat.

(Margin: ad Eph. 2.; S. Greg.)

Vnde etiam Prouer. 12. ait Salomon: *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit*; quia inquit S. Gregor. ibidem, rectus quiſque in alto intentionis ſuæ vertice poſitus eſt. ita ille.

(Margin: Prou. 12.; S. Gregor.)

PROPOSITIO IX.

Qualiter Dei benedictione potiatur iuſtus.

PRou. 10. *Benedictio Domini ſuper caput Iuſti.* Prou. 10.
Et hoc quantum eſſe cenſes? Audi, iniuria quadam affectus Noë à ſuo filio Cham, & propterea maledixit non ipſi Cham, ſed filio ſuo Chanaan dicens: Geneſ. 9. *maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Cur quæſo maledixit Chanaan, qui non peccauerat in eum, & non patri eius Cham, qui patrem ſuum offendit? Reſpondet Theodor. q. 58. in Geneſ. quia poſt ſedatum diluuium, omnes tres filij benedictionis diuinæ participes facti ſunt, temeratium exiſtimauit Noë maledictionem inferre illi, qui Dei benedictionem conſequutus fuerat. ita Theodor. Benedictionem autem hanc in filios Noë habes in principio capitis 9. geneſis, *Benedixit*, inquit, *Deus Noe & filiis eius* &c. Vide igitur quàm felix ſit iuſtus, qui tali potitur Dei benedictione. *Benedictio*, inquit, *Dei ſuper caput iuſti.* Caueat ergo iuſtus ne peccando hanc Dei benedictionem amittat, ne pariter cætera amittat bona; ea verò ſeruata nihil mali timere debet, nulla enim nocebit aduerſitas, ſi nulla dominatur iniquitas, vti aſſerit S. Gregor. S. Greg.

(Margin: Theod.)

PROPOSITIO X.

Quàm proſit iniuſto oratio iuſti.

LVc. 13. propoſuit Dominus parabolam de homine, qui habebat ficulneam infructuoſam in vinea ſua, & dixit colono, *ſuccide illam, vt quid etiam terram occupat?* pro qua interceſſit colonus dicens, *dimitte illam & hoc anno*, &c. Quid hæc ficulnea ſignat? quiſnam eſt colonus iſte? S. Aug. ſer. 31. de verb. Domini, per ficulneam infructuoſam hominem in peccato mortali exiſtentem intelligit; & meritò, quamuis enim tradiderit corpus, ita vt ardeat, & omnia bona ſua pauperibus dederit, ſi tamen in mortali extiterit, vti ait Apoſtolus 1. ad Cor. 13. nihil illi ad meritum gloriæ prodeſt. De colono autem ſic ibi S. Auguſt. Colonus qui intercedit, eſt omnis ſanctus qui in Eccleſia orat, dicens, Parce Domine infructuoſis, parce peccatoribus. ita S. Auguſt. Et hinc conſtat, quam vtiles iuſti peccatoribus ſint, & quomodo ab ipſis petere debeant peccatores vt pro eis orent, nam vti ait S. Iacobus, *multum valet oratio iuſti aſſidua.*

(Margin: Luc. 13.; S. Aug.; 1. Cor. 13.; S. Aug.)

Propositio XI.

Iustis omnia cedunt in bonum.

Rom. 8. AD Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum* S. Bern. *vocati sunt sancti.* Ponderat locum istum S Bernard ser. de nimia fallacia præsentis vitæ, & ait; solerter attende, quod non famulari ad libitum dixit, sed *cooperari ad bonum*, neque enim ad voluntatem seruiunt omnia iusto, sed ad vtilitatem; non ad voluptatem, sed ad salutem; non ad votum, sed ad commodum eius, & vsque adeo cooperantur in bonum, vt inter hæc omnia etiam ea, quæ in se nihil sunt numerentur molesta, morbus, & ipsa mors, & reliqua, quæ quidem constat natura non esse, sed naturæ corruptiones. ita S. Bern. S. Bernard. etenim Deus sic se cum iusto gerit sicut medicus cum infirmo, medicus enim non attendit ea, quæ infirmo placent, sed quæ prosunt.

Propositio XII.

Iusti in diuinis donis potiores sunt.

Gen. 4. GEnes. 4. cum diuina scriptura de natiuitate Cain & Abel agit, primo loco Cain constituit. At cum de modo quo Deus se erga illos habuit, cum vterque sacrificium Deo obtulisset, priori loco Abelem posuit dicens, *respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain verò & ad munera eius non respexit.* Cur ita? nonne prior Procop. natu erat Cain? Respondet Procopius: Vide generationis seriem, in ea priùs posuit Cain respectu temporis; si autem respectus habeatur studiorum, priori loco pius & iustus collocatur. ita ille. Vnde cum Christus Dominus in montem Thabor ascenderet vbi transfigurandus erat, & tres tantùm testes transfigurationis secum ducere vellet, Petrum & Iacobum & Ioannem elegit, qui tanto illo fauore simul potirentur. Cur potius hos quam alios? Respondet S. Chrysost. S. Chrys. quia hi potiores erant. ita ille. *si que en los fauores de Dios los primero sensu seruicio vande lante, los buenos son los mejorados de Dios entercio y quinto.*

Propositio XIII.

Deus iustis cognoscendum se offert, non ita iniustis.

Matth. 2. MAtth. 2. tribus illis Regibus Magis se Christus manifestauit, non verò Herodi, S. Leo. vel consortibus eius. Adnotauit hoc S. Leo Papa ser. 2. de Epiphania Domini, dicens: Verbum caro factum sic susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus Iesus credentibus manifestus & persequentibus esset occultus. ita ille. Hoc autem quotidie Dominus agit. Iustis enim & bonis se cognoscendum exhibet, peccatoribus autem non sic. Audi Apostolum Ioannem 1. Ioan. 2. *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.*

***

Lachrymæ.

1. *Verus pœnitens lachrymis suis magnam gloriam promeretur.*
2. *Lachrymæ nostræ quàm impetratoriæ sint apud Deum.*
3. *Quàm conducant lachrymæ pœnitentis ad remissionem peccatorum.*
4. *Quàm effœminatum sit pro damnis temporalibus flere.*

Propositio I.

Verus pœnitens lachrymis suis magnam gloriam promeretur.

MAtth. 11. ait Christus Dominus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. Cui sententiæ obstare videtur, quod Dominus idem ait Matth. 18. *nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Si regnum cœlorum vim patitur, & violentium ac fortium est rapere illud, quomodo ait ad rapiendum cœlum nos paruulos esse debere? paruuli enim nec fortes sunt, nec vim habent &c. Responsio in promptu est, pueri in lachrymis fortitudinem habent, si aliquid petunt & illis denegatur, lachrymis importunis illud assequuntur; si vapulare à parentibus debent, ploratu & lachrymis veniam extorquent: arma denique puerorum lachrymæ sunt, arma quibus vim faciunt. Sic pœnitentes lachrymis suis vim regno Dei faciunt, & rapiunt illud.

Hinc Christus Dominus conuiuium Simonis Pharisæi acceptauit Luc. 7. sciens adfuturam Magdalenam, quæ lachrymis suis & ipsi placeret, & illa salutem consequeretur. Vnde Petrus S. Pet. Chr. Chrysol. ser. 63. ad prandium, & ad Pharisæi prandium venisse Christum, sollicitus, forte miretur auditor, Pharisæi domum Christus intrauit non accepturus eius cibos, sed pœnitentis lachrymas potaturus, & diuinam misericordiam ei largiturus. ita ille. Quod si dicas, poterat Christus vel in templo vel alibi id præstare, cur igitur in conuiuio? vt pro conuiuio lachrymas illas fuisse videamus. *el mas regalado plato deeste combite fueron las lagrimas de la Magdalena.*

Propositio II.

Lachrymæ nostræ quàm impetratoriæ sint apud Deum.

ISai, 38. *orauit Ezechias & fleuit* &c. Et Dominus Isai. 38. ad eum: *Audiui orationem tuã, & vidi lachrymas tuas:* Tertul. Tertul. lib. 5. contra Marcionẽ, lachrymis adscribit placatũ fuisse Deum Ezechiæ, dicẽs, facilis Deus Ezechiæ fletibus flecti. ita ille. etenim Ezechias non solũ fleuit corã Domino, sed etiã orauit Dominũ; & tamẽ potius lachrymis quàm orationi exauditionem tribuit Tertullianus; nimirum, quia sermo non ita explicat veritatem & intentionem cordialis affectus sicut lachryma, quæ verè

prodit affectum animæ. Vnde rectè sapiens quidam dixit, lachrymæ doloris in animo concepti testes incorrupti sunt, & omni exceptione maiores, & manifesti indices latentis in corde pœnitentiæ. ita ille. & S.Greg. Nissenus in oratione funebri de Placilla, dolor in corde delitescens per fletus & lamentationes significatur, ac vulnerum animi tanquam sanguis lachrymæ sunt. ita ille. Sicut ergo sanguinis effusio ex corpore vulnerato procedens, grauitatem vulneris ostendit, sic etiam lachrymarum effusio doloris cordis grauitatem manifestat, & ob hanc causam Deus facilè lachrymanti desiderata concedit, quia placet illi valde vetus affectus cordis.

Nyssenus.

Tobiæ 12. Vnde Tobiæ 12. sic Angelus Raphael ad Tobiam, *quando orabas cum lachrymis*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino*. Licet enim per se oratio sine lachrymis valde sit grata Deo, lachrymis tamen sociata, gratior multo est Deo, quia tunc oratio ex maiori affectu cordis procedit vt dixi, suprà.

Quàm ergo Deo placeant lachrymæ nostræ

Psal.55. constat ex verbis illis Dauidis Psal. 55. *Deus vitam meam annūtiaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; quasi non omnia sint in conspectu eius. Cur igitur speciatim ait *in conspectu* Dei esse? S.August. & glossa dicunt ideo dici lachrymas in conspectu Dei positas, quia exaudiuit orationem eius qui flens orabat. Bene, sed adde ideo in conspectu Dei constitutas, quia valde gratæ Deo erant; id enim quod amamus frequenter intueri solemus, & quod frequenter aspicimus multum nos diligere indicamus. Ideo ergo dixit, *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, id est immensas tibi gratias ago, eo quod tanti facias & ames lachrymas meas quòd posueris eas in conspectu tuo.

S.August.

Propterea tanto in pretiō à Deo habentur lachrymæ nostræ, maximè autem quando pœnitentis lachrymæ sunt; quod si etiam tacens & nihil petens, quis eas effuderit, efficacius quàm vocalibus vocibus impetrabit à Deo quod cupit. vnde

S.Maxim. S. Maximus hom. de pœnitentia S. Petri in illa verba S. Lucæ. c. 22. *egressus foras Petrus fleuit amarè*. Ergo Petrus (inquit) prorupit ad lachrymas nihil voce precatus, inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit; lauat crimina delictum, quod voce pudor est confiteri; lachrymæ

S. Ambr. igitur preces sunt, veniam non postulant & merentur. ita S. Maximus. Vide S.Ambros.in eadem verba S Lucæ, & quæ de S. Maria Magdalen. obseruant expositores, Loc.9.numero 38.

Hinc est quòd in sacris litteris vox lachrymis

Psal.6. attribuatur, vt in Psal. 6. *exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, non ait, vocem orationis, sed vidit fletum meum, sed *exaudiuit fletum*, quasi fletus ipse tacens clamaret Ps. 18. Item Psal. 18. n. 13. *auribus*

Thren.2. *percipe lachrymas meas*, & Threnorum 2. *neque taceat pupilla tua*.

S.Maxim. Vnde S. Maximus vbi suprà, confirmans rationem de hac re supra assignatam subdit; vtiliores, inquit, lachrymarum preces sunt, quàm sermonum; quia sermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit; sermo autem interdum non totum profert negotium, lachryma verò semper totum prodit affectum. ita ille. Mirabili ergo modo lachrymæ dum vbertim diffusæ deorsum fluunt, contrario celerique cursu ad cœlum vsque sursum ascendunt.

Quare merito exclamat S. Laurentius Iustinia-

S.Laur.Iu. nus lib. 6. de ligno vitæ cap.9. O lachryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum, tribunal iudicis non vereris, non est qui te ad Deum accedere vetet; si sola intraueris, vacua non redibis; quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, aperis cœlum & diabolum fugas. Idem S.Hieron.

Hac de causa sacri expositores solent lachrymas pœnitentiæ baptismo comparare. S. Isidorus S.Isidor. lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 25. eas vocat baptismum laboriosum, & S. Leo ser. 9. de passione Domini agens de lachrymis S. Petri, fœlices, inquit S. Apostole lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis. ita ille.

Et S. Ioann. Climac. gradu 7. ponderat, quod S Ioa. Cli. baptismus nos dumtaxat abluit a peccatis, sed lachrymæ toties quoties peccator eas fudit, si inueniunt, quod abluant.

Item S.Gregor. Nazianz. orat. 1. contra Iulia- S. Nazian. num: lachrymæ, inquit, peccatorum diluuium sunt & mundi expiamentum. ita ille.

Hinc S.Chrys. hom. 1. de pœnitentia; ob hoc, S. Chrys. inquit, tristitia facta est, vt ipsa ad peccata delenda vtamur; mulctatus est quis pecunia, tristatus est? sed mulctam non emendauit; filium amisit? doluit, sed mortuum non resuscitauit; in morbum periculosum incidit? luxit, sed non sustulit morbum, imo reddidit difficiliorem. vides nulli horum, nulli prodesse tristitiam? Peccauit quis, lachrymatus est, & peccatum deleuit. ita sanctus Chrysostom.

Etenim cum Samuel populum Hebræum Idololatria contaminatum sanari vellet, fecit eos conuenire in eodem loco, *& hauserunt*, inquit, *aquam, & effuderunt in conspectu Domini*, &c. Quid sibi vult hæc aquæ effusio? aut quid illi cum peccatorum curatione? Paraphrasis Chaldaica sic locum illustrat: Hauserunt, inquit, aquas, è puteo cordis sui, & abunde lachrymati sunt coram Domino pœnitentes. ita Chaldæus, & Latina versio in Bibliis Regis, *impleuerunt aquas, & effuderunt in pœnitentia ante Dominum cor suum*. Et sic explicat S.Gregor. hunc locum in commentatio suo dicens: Quid est aquam haurire, nisi de S. Greg. profunda animi pœnitentis confusione lachrymarum fluenta producere? velut enim aquam haurimus, dum quàm profunda iniquitate recidimus considerantes plangimus. ita S. Gregor. vnde etiam Threnorum. 2. *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*. & ibidem nuo. 18. *Deduc quasi torrentem lachrymas*. Hauserunt ergo aquam & effuderunt coram Domino, quasi tali ceremonia tacitè diceret: Peccauimus Domine nimis contra te, & ad ea diluenda riuis lachrymarum nobis opus erat. Vtinam sic manerent corda nostra in lachrymis resoluta sicut aqua hæc mauet effusa!

Hinc S. Chrysol. ser. 93. ô, inquit, quanta est S.Chrysol vis in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam, & extinguunt gehennam. ita ille. Pondera hæc vltima verba; qualis, dic, esset vis vnius guttæ aquæ, si ea sola fornacem illam Babylonicam, in quam missi sunt tres illi adolescentes, penitus extinxisset? Vide igitur quanta sit virtus lachrymarum pœnitentiæ, cum vel vna tantùm lachryma extinguat fornacem illam infernorum à qua liberat peccatorem.

Adeo quidem efficaces lachrymæ sunt ad impetrandū à Deo, vt vel vna tantū lachryma facile ad

misericor

misericordiam Deum flectat. Vnde Isai. 38. fleuit Ezechias Rex fletu magno, audiens ex ore Isaiæ sententiam mortis suæ, & ita fletus eius apud Deum præualuit, vt statim reuocationem illius præcepti impetrarit, dicente Domino, *Audiui orationem tuam & vidi lachrymas tuas*; in originali Hebræo dicitur, *vidi lachrymam tuam*. Si fleuit fletu magno, cur ait, *lachrymam tuam* in singulari? etenim hoc apertè insinuare videtur, quod primam quam effudit lachrymam ita misericorditer respexit Deus, quòd ad reuocandam sententiã non fuerit necessaria lachryma secũda.

Psal. 55. Item ps. 55. *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, in Hebræo etiam est *lachrymam meam*, ita vertit ex Hebræo translatio Regia. Isidorus Clarius sic locum hunc legit: *Pone lachrymas meas in languncula tua, & in libro rationum tuarum scribe illas*, quasi dicat, *no pierde de vista Dios ni vna lagrima de quãtas por suamor se derraman, en vn vaso las manda guardar como vino precioso para su mesa y las recibe por quenta, y las assienta en el libro de su memoria*. Quare meritò S. Bernard. ser. 30. in cantic. meritò dixit: lachrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum. ita ille. Verum, sed parum dixit, vinum enim dicere possumus ipsius Dei, vt constat ex proximè dictis.

S.Bern.

Propositio III.

Quàm conducant lachrymæ pœnitentis ad remissionem peccatorum.

4.Reg.9. 4. Reg. 9. sic Dominus ad Salomonem: *Si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus in simplicitate cordis, & in æquitate*, &c. *ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum*. Numquid Dauid Pater Salomonis non ordinauit insidiosè mortem Vriæ? numquid non commisit adulterium; in quorum primo non ambulauit in simplicitate, & in secundo non ambulauit in æquitate? Cur igitur ait Dominus Salomoni, *si ambulaueris in simplicitate & æquitate sicut Pater tuus?* Nimirum, quia Dauid iam egerat conuenientem pœnitentiam, & lachrymis deleuerat illa duo peccata, sicut ipse dixit, *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, &c. & iterum, *lachrymis meis stratum meum rigabo*. Quapropter Deus quasi illorum peccatorum oblitus, ait, *si ambulaueris in simplicitate* &c. iuxta illud Ezechiæ, *proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*. O misericordia Deo digna! ô eximia pœnitentiæ commendatio!

Propositio IV.

Quàm effœminatum sit pro malis temporalibus flere.

Ezech.8. Ezech. 8. introduxit Dominus in mentis excessu Ezechielem in templum dicens: *Ingredere, & vide abominationes pessimas quas isti faciunt*. introiuit & inter alia vidit mulieres quasdam sedentes & plangentes Adonidem, mortem scilicet eius. Cur igitur dixit Dominus Ezechieli, *vide abominationes quas isti faciunt*, & non etiam dixit, *quas istæ mulieres faciunt?* Per mulieres S. Hieronym. intelligit viros quosdam gementes secundùm antiquorum fabulas damna quædam temporalia. Cur ergo eos mulieres nominauit Deus? S. Hieron. vt eos qui ad sæculi mala & bona vel contristantur vel exultant, mulieres appellemus. ita ille.

S. Hier.

Idem.

Ita quidem, nam qui mala spiritualia peccatorum & culparum plangunt, viri nomine digni sunt. Vnde Ezech. 9. *signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*, nempe Hierusalem; numquid non inter homines etiam mulieres? erant etiam gementes, erant & fortè plures quàm homines. Cur igitur eas exclusit? sed nõ exclusit, potius inclusit in nomine virorũ; quia sicut viri qui lugent propter dãna tẽporalia digni sunt qui fœminæ vocentur, sic fœminæ, quæ solum peccata plorant dignæ sunt quæ viri nuncupentur.

Laus.

1. *Laus in ore proprio vilescit.*
2. *Quod multi iactant se habere quod non habent.*
3. *Vitium laudatum crescit.*
4. *Cognitio sui remedium est laudis vanæ.*

Propositio I.

Laus in ore proprio vilescit.

Ioan. 1. Cum Christus à Ioanne baptizatus fuisset, vox de cœlo tonuit, *hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Audiebat populus multus hanc vocem, cui tamen conueniret Christo an Ioanni nesciebat; id autem opus erat, vt testimonio tanto Deitas Christi comprobaretur; dicere autem Christum de se propter se factam vocem non expediebat, dicerent quippe illi male affecti, *tu testimonium perhibes de te, testimonium tuum non est verum*. Quod si assereret Ioannes non propter se fuisse prolata, existimaret populus id ex humilitate Ioannis dimanasse. Quapropter affuit spiritus Domini in specie columbæ, & supra caput Christi resedit, vt videns populus diceret, *digitus Dei est hic*, assignans quem annuntiauerit vox Dei filium esse. Theophylact. in c. 11. Marci: Operatur hoc Spiritus sancti descensus, ne cum Pater supernè diceret, *hic est filius meus dilectus*, putarent qui audirent hoc, de Ioanne dixisse, descendit super Iesum ostendens quod de illo dictum esset. ita ille.

Hinc discamus de nobis non testimonium dare, dabit cum opus fuerit, qui dederat illud prometeri, vt hoc loco effectum videmus. Et similiter, quando S. Ioseph videns vterum prægnantem, voluit occulte dimittere illam, & Virgo mysterium celauit, ne de se testimonium ferret, dicens: Ego de Spiritu sancto concepi filium Dei. Remisit negotium Deo, nec frustra; Deus enim Angelum misit, qui mysterium Ioseph aperiret in Virginis testimonium.

S. Cyprian. epistola 2. in proprias laudes: Odiosa iactantia est. ita ille; odiosa, inquit, & non otiosa, vt alia lectio habet; quia non solùm otiosum est, sed & molestum audientibus; vnde non tantum in laudem dicentis non S.Cypr.

cedit, sed potius in vituperium; vanum enim & superbum iudicant laudantem se.

Propositio II.

Quod multi iactant se habere quod non habent.

Plinius. PLinius lib. 10. c. 33. Gallus, inquit, victor illico cantu superiorem se esse testatur, ita multi sua facta laudant & iactant, & suarum laudum ridiculi sunt tibi cines. ita ille. Simile. Hoc tamen est discrimen quòd iactatio illa galli naturalis est, atque adeo carens culpa, laus verò tua vana & vitiosa & indecora est.

Propositio III.

Vitium laudatum crescit.

INcessanter crescit culpa fauoribus nutrita, ait Doctus quidam. Curari enim vulnus negligitur, quod dignum laudis præmio videtur. ita ille. quod in peccatis superbiæ & gulæ, & abusionibus mundi, vestimentorum videlicet & supellectilium & aliis huiusmodi constat. Denique sicut virtus laudata crescit, ita & vitium. Vnde sapiens Prou. 1. Prouerb. 1. *fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas illis.* Quod sic exponit ibidem S. Greg. S. Gregor. peccatores etenim lactant cum vel perpetranda mala inserunt, vel perpetrata fauoribus extollunt. ita ille.

Propositio IV.

Cognitio sui remedium est laudis vanæ.

SIc Cato in distichis suis:
Cum te aliquis laudet, iudex tuus esse memento.
Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli.

Lectio.

Propositio vnica.

Quàm vtile sit libros legere bonos.

Aristotel. REctè Philosophus quidam: libri boni hominis sunt amici veri, qui in aduersis consulunt, in prosperis moderantur, nihil celant, veritatem dicunt, quæsiti præsto adsunt, non vocati non se vltro ingerunt, mores docent bonos, vitam instituunt, hæc omnia veri amici munia sunt.

Hoc autem hic animaduertendum est non satis esse probos & approbatos legere libros, nisi attentè & meditatè legas, maturè sententias notatu dignas mente reuoluens. Vnde Rectè Vrsinus in libro Epigrammatum.

Quid iuuat Ægypti versare volumina Regis,
Aut Didim, isi nil mente tenere queas?
Vtiuuat at parum quæ mox excluditur aluo,
Sic neque quæ subito pectore lecta fluunt.

Lex Christi.

1. *Lex Christi seruanti salus est, non seruanti damnatio.*
2. *Quod Deus etiam in vita puniat legis suæ transgressores.*
3. *Quàm delectabilis sit obseruatio legis Christi.*
4. *Quàm contra transgressores erit in iudicio lex Christi.*
5. *Ad legis obseruationem Deus auxilia præbet.*
6. *Quàm conducat ad legis Dei obseruationem audire verbum Dei.*
7. *Ad legis Dei obseruationem deseruit eius meditatio.*
8. *In legis diuinæ præceptis relucet bonitas, & misericordia Dei.*
9. *Quàm facilis sit obseruatio legis diuinæ.*

Propositio I.

Lex Christi seruanti salus est, non seruanti damnatio.

EXod. 3. cum pergeret populus Israël in terram promissionis, Dominus Deus dux eius Exod 3. fuit. Audi quo pacto: *Dominus, inquit, præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Clemens Alexan- Clem. Ale. drinus oratione ad Græcos, sic locum & mysterium interpretatur; Hoc, inquit, simul est gratiæ, & timoris indicium, si obedieris lux, si non obedieris ignis est. ita ille. qui supponit nubem hanc diuini verbi seu legis esse figuram; ideo enim ait *si obedieris*, &c. Qui ergo verba Dei audit & seruat, lucem ea sibi facit, qua in terram beatam pergat; qui ergo minimè per eandem legem damnabitur à Iudice Deo *Como el arancel de Iusticia que enseña losque vno debe hazer y sino lo hiziere por el mesmo aranzel le condena la Iusticia.*

Nemo dicat, si hæc præcepta non essent, ne- Simile. que transgressiones eorum fuissent, atque adeo nec peccata. Cur ergo ea Deus apposuit? Nemo, inquam, id dicere præsumat, hæc enim præcepta naturæ ipsi insita sunt, etiam si Deus conscribi noluisset, per ipsummet & intrinsecum naturæ nostræ rationalis dictamen tenemur ea seruare; sed ne amor proprius deprauatus à concupiscentia nostra tenebras menti iniiceret, voluit Deus expressius litteris conscribi mandata illa, ne ignorantiam affectemus, hoc autē ingens beneficium fuit ne ignorātia affectata pereamus.

Matth. 11. in parabola vineæ, *sepem* (inquit Math. 11. Dominus) *circumdedit ei.* Etenim vineam hanc esse Ecclesiam seu populum Dei exposuit Isaias Isai. 5. cap. 5. de sepe autem ait S. Basil. hom. 2. exa- S. Basil. mer. ea tutela est, quæ ex præceptis resultat. At inquies, non sunt præcepta, quæ seruant nos, sed nos potius sumus qui præcepta seruamus; etenim nos præcepta seruamus, & vicissim seruamur ab eis. Audi Ecclesia- Eccl. 15. stic. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem,*

& rels

& reliquit illum in manu consilij sui, [diole libre albedrio que es gran beneficio suyo, mas para que no viui elle asu aluedrio y sin orden alguna,] adiecit mandata, & præcepta sua, id est beneficium beneficio cumulauit, *si volueris*, inquit, *mandata seruare, conseruabunt te*, ecce mutuam dictam conseruationem : sicut enim vestimentum à corpore, & corpus à vestimento calorem recipit, sic homo à præceptis, salutem animæ & præcepta tutelam ab homine capiunt; ideoque sepem dixit esse præcepta; sicut enim ciuitatem mutus defendit, si tamen ciuitas mutum conseruet, sic de nobis & præceptis diuinis ait spiritus Sanctus, *si volueris mandata seruare, conseruabunt te.*

Simile.

Simile.

Vnde cum S. Ioannes Baptista legem Dei populo prædicaret Mat. 3. *iam*, inquit, ad *radicem arboris posita est securis, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Quænam est securis hæc? S. Hieron. ibidem. Prædicatio, inquit, sermonis Euangelici, qui gladius ex vtraque parte acutus appellatur, iuxta Hieremiam prophetam, qui verbum Domini securi comparat cædenti arborem, Hier. 6 ita S. Hieron. miraris forte, quid enim securi cum Euangelio prædicato? *que tiene que ver el euangelio predicado con hacha de cortar? si fuere con hacha de alumbrar.* Bene, ait enim Dauid Psal. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum?* rectè quidem, nam his qui audiunt legem Euangelicam & custodiunt illam, lucerna est, his verò qui non obseruant, securis.

S. Hieron.

Psal. 118.

Vide optime S. August. ser. 1. de verbis Domini in illa verba, *esto consentiens aduersario tuo*, &c. Vbi optimè ad rem exponit locum illum.

S. August.

Propositio II.

Quod Deus etiam in hac vita puniat legis suæ transgressores.

Exod. 4. EXod. 4. pergenti Moysi in Ægyptum ad liberandum populum Dei à tyrannide Pharaonis, apparuit ei Angelus Dei qui euaginato ense Moysem occidere minabatur. Cur ita? cum Moyses Dei mandatum exequi properabat? S. Theodor. duas adhibet rationes q. 14. in Exodum, dicens: vxor Moysi arbitrabatur ob id factum esse, quia filiorum alter non erat circumcisus secundùm legem Hebræorũ, vnde protinus eum circumcidit. ita ille. Hæc prima ratio reddi potest, qua nobis notum sit quam meritò dixerit Dauid, Psal. 118. *tu mandasti mandata tua custodiri nimis, vtinam dirigantur viæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Si enim dilectum Moysem sic Deus occidere volebat propter legalis cuiusdam præcepti transgressionem, quid non timere debet qui non parua nec leuia contra naturalia seu Euangelica Dei præcepta delicta committit?

S. Theod.

Idem. Secundam autem rationem subdit Theodor. dicens : veruntamen aliud quidpiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum ostentabat; siquidem Moyses (alioquin magnus) metuebat Pharaonem, quod sæpius manifestauit, modò dicens : *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem Regem?* modò dicens : *præpara tibi alium idoneum, quem mittas*, & rursum, *exilis vocis & tardæ linguæ sum ego.* Minabatur ergo illi pœnas Angelus, metum metu repellens, maiore videlicet minorem, ac si per hunc ensem nudatum dixisset : Si Pharaonem timuisti, me multo magis timebis, qui inuisibili modo possum te vulnerare. ita Theod. Dicam igitur & ego si amissionem honoris times, cur non magis ô superbe amissionem æternæ gloriæ times? si paupertatem temporalem times, cur non magis æternam? si pœnas corporis times, cur non magis, ô sensualis, tartareas ignis sempiterni?

Propositio III.

Quàm delectabilis sit obseruatio legis Christi.

Psal. 118. PSal. 118. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Cum obseruatio mandatorum Dei ardua & difficilis sit, est enim lex Dei carni & sanguini satis opposita, quomodo Dauid in testimoniis Dei seu mandatis, (quod idem est) ait se delectatum fuisse? Respondet S. Ambros. ibidem, alij in auro & argento, alij in possessionibus, vineis, oleis, segetibus, in diuersis denique singuli delectationes habent: sed vir spiritualis in via testimoniorum cœlestium delectatur, tanquam omne possidens patrimonium, & in omnibus diues. Sic delectabatur Dauid in omni actu operum bonorum. ita S. Ambr. Ecce huius rei ratio, quia spiritualis erat, animalis enim homo in rebus corporalibus delectatur, & non in spiritualibus, spiritualis verò in spiritualibus operibus gaudet. Et quamuis in actualibus obseruantiis & operibus bonis nonnulla difficultas intercedat, postea verò & maximè tempore mortis ex eo maximè afficitur gaudio, quod multa patrauerit opera bona, sicut è conuerso peccator & animalis homo licet in operibus malis actualiter fuerit delectatus, postea & potissimùm in morte ex operibus prauis & delectationibus transactis dolet, contristatur, & anxiatur.

S. Ambr.

Psal. 18. Psal. 18. *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Iudicia vocat Dauid hoc loco præcepta diuina. Cur ita? S. Basil ibidem : Propterea, quod sententias Dei manifestat, & quibus potiturus sit bonis, qui legem custodit, quibusque tradendus suppliciis qui transgreditur illam docet. ita ille. Sed dices, quare pretiosa magis quàm aurum & lapides pretiosos esse ait, & dulciora super mel & fauum, cum apud multos pro auro & argento eorum obseruatio reiiciatur, & potius amara quam dulcis eis esse videatur? Respondet ibi S. Basil. in omnibus hominibus ita pretiosa & dulcia videntur, sed his quorum vita non est bestiis irrationabilibus conformis. ita ille. nimirum, si enim coram iumento discum lapidibus refertum posueris, & mellis fauum, & simul hordeum & paleam, relictis margaritis & fauo, ad hordeum & paleas properabit, quia iumentum est, & vsu rationis carens. Talis est quidem peccator, si coram posueris bona temporalia, quæ veluti paleæ sunt, bonis æternis & spiritualibus comparata, relictis his ad paleas properabit, quia vsu rectæ rationis caret.

S Basil.

Idem.

Simile.

Propositio IV.

Quàm contra transgressores erit in iudicio lex Christi.

Psal. 118. PSal. 118. *Lex Domini immaculata, conuertens animas : testimonium Domini fidele.* Testimonium

nium hoc loco idem est quod lex Dei; cur igitur (S. Basil.) eam vocat testimonium? S. Basil ibidem. vocatur testimonium Lex Dei, ob id quod peccatores contestatur, & transgressionis supplicium ostendit. ita ille. Duo igitur ait hic Dauid, Primum. *lex Dei immaculata, conuertens animas*; hoc est, lex Dei adeo sancta est ac vera, vt ipsa per se absque alia persuasione seu ratione conuertendi peccatores vim ac virtutem habeat, quia satis superque iustificata in seipsa est, tum quia iustissima est & rationi naturali cõsentanea, tum quia præceptum (Esdr. 8.) Dei sit, vnde Esd. 2. lib. c. 8. legente Esdra librum legis in platea ciuitatis vbi conuenerat omnis populus & audiens lugebat, *flebat*, inquit, *omnis populus cum audiret verba legis*. Sic lugebat, & adeo vt Esdras, & Nehemias & Leuitę dicerẽt populo, *dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere & nolite flere*. Cur sic lugebat populus omnis? nimirum, quia lex ipsa tanquam immaculata animas conuertebat, atque adeo opus erat illa concionatorum exhortatione. Secundò vocatur lex testimonium, quia in die iudicij non erit opus testibus & fiscalibus aduersùs peccatores, quia ipsa legis transgressio sufficiens testis & accusator erit in eos; ipsa enim sicut sanguis Abel clamabit de terra petens iustitiam à Deo.

(Exod. 19.) Exod. 19. *Totus mons Sinai fumabat eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis; & sonitus buccinæ paulatim crescebat, in maius & prolixius tendebatur*. ita ibi. Cum Dominus ad dandam legem descenderet, cur terroribus (Theodor.) his legem dedit? Theodor. q. 36. in Exodum, vt per hæc omnia cor eorum lapideum emolliret, & timerent Deum, ne suppliciis afficerentur. ita ille. Cum igitur legislatorem se illis ostendit, terrores tantos exhibuit, vt eum tanquam legislatorem pauerent, & legem eius transgredi non auderent, qui terribilis est.

Propositio V.

Ad legis obseruationem Deus auxilia præbet.

(Matt. 2.) MAtth. 2. Vocauit Dominus Magos ad sui adorationem. Res quidem perdifficilis illis, reges enim erant. *y arrancar vn Rey de su casa y reyno, es como arrancar vn monte de su lugar*; multæque difficultates imo & pericula se illis offerebant, ab alieno enim regno nouum proclamare Regem, periculosum nimis erat. Iter etiam prolixum, terminus ignotus, & sumptus magnus. In Deo autem spem suam reponentes iter aggres(S. Leo.)si sunt, Deo quidem fauente. Vnde S. Leo Papa ser. 1. de Epiphania, dedit aspicientibus intellectum qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus. ita S. Leo. Ita etiam qui nobis legem dedit, & eam obseruare præcepit, dabit & gratiam, qua illam seruare possimus, non enim præcipit & deserit. Ideo legem suam iugum appellauit, *tollite*, inquit, *iugum meum super vos*. Iugum à duobus bobus ferri solet, & maior maius onus defert; sic & onus legis Deus cum homine tollit, & gratia eius est quæ maiorem vim ponderis defert.

(S. Leo.) S. Leo Papa ser. 1. in anniuersario assumptionis suæ de onere pontificatus sui agens, ait: Qui mihi oneris est author, ipse erit administrationis adiutor; & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. ita ille. Et idem ego de obseruantia diuinæ legis dixerim: Qui author est oneris, legis est & adimpletionis adiutor. Et ideo Matth. 11. legem suam appellauit Deus iugum suaue: *Iugum*, inquit, *meum suaue est*, iugum autem à duobus v. g. bobus portatur non ab vno tantum, & maior bos maius portat onus, Christus nobiscum auxilio suo onus legis portat, & ille magis quia maior est.

Propositio VI.

Quàm conducat ad legis Dei obseruationem audire verbum Dei.

EXod. 25. præcepit Dominus Moysi arcam testamenti inter duos Cherubim constituere. (Exod. 25.) Cur, inquies, inter Cherubim potius quàm inter Archangelos. v. g. vel inter Potestates & Principatus? Etenim in arca illa lex Dei in duabus tabulis conscripta continebatur, quare non immeritò inter Cherubim posita fuit Dei iussu, Cherubim enim, vti ait Beda, idem est quod scientiæ plenitudo; (Beda.) obseruatio autem legis inter eos solùm inuenitur, in quibus plenitudo scientiæ reperitur. Qui enim Dei legem transgrediuntur, insipientes sunt. Audi Dominum per Hieremiam c. 4. sic de his loquentem: *Stultus populus meus non cognouit, insipientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt*. Insipientes & vecordes vocat Dominus eos, qui legem Dei non obseruant; sapientes verò qui eam custodiunt. Prouerb. 28. *Qui custodit legem, filius sapiens est*. (Prou. 28.) Meritò igitur lex in arca custodita inter Cherubim, id est inter eos qui pleni scientia sunt, collocatur.

Hinc colligitur quàm necessarium populo sit verbum Dei audire: hoc enim pacto sapientes, qui indocti sunt, fiunt; est enim concio sacra lectio quædam sapientiæ, quam quidem audiens etiam sapiens sapientior fiet.; si verò non audiunt, quid mirum si fuerint ignorantes, cum nec scholas adierint, nec sacram nouerint scripturam?

Propositio VII.

Ad legis Dei obseruationem deseruit eius meditatio.

DEut. 16. festum Pentecostes instituit Deus (Deut. 16.) inter tria festa solemnia, quæ populus Israël magna religione obseruabat. Quam autem ob causam institutum fuerit hoc festum Pentecostes, non constat apertè. Sunt qui dicant institutũ fuisse in memoriã legis datæ in mõte Sina; fuit enim Dei beneficiũ tali celebratione paschali dignum. Sunt autem nonnulli sacri authores, qui dicũt institutum fuisse in gratiarum actionem pro collectione nouorũ fructuum. ita sentit S. Chrys. hom. (S. Chrys. Ioseph. Philo.) 4. in acta Apost. cum Iosepho lib. 3. antiquitatum c. 10. & Philone lib. Decalogi ad finẽ, & alij Quod si quæras cur non fuerit institutum festum in memoriã tam eximij beneficij, quale fuit donatio & institutio legis; dicendum est, quia memoria diuinę legis non annualis, sed quotidiana esse debet iuxta illud Ps. 1. *& in lege eius meditabitur dię ac nocte*, id est quotidie, & non semel, sed assiduè. Vnde post datam legẽ subiunxit Deus, Deut. 6. (Deut. 6.) *Erunt verba hæc in corde tuo & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedẽs in domo tua, & ambulãs in itinere,*

dormiens

dormiens atque consurgens & ligabis ea quasi in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, & scribes ea in limine, & ostiis domus tuæ. Vbi nota verbum illud, *& dormiens*, id est, adeo assidua debet esse & feruens talis meditatio in vigilia, vt dormiens homo somniet ipsam legem; quod enim vigilantes attentè perpendimus, in somno somniare solemus. Vide quàm magnam à nobis & assiduam requirat Deus considerationem suæ legis.

Propositio VIII.

In legis diuinæ præceptis resplendet bonitas & misericordia Dei.

Psal. 39. PSal. 39. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Cum quo
Lyra. hic loquitur Dauid? Lyranus & Titelmanus asserunt cum peccatore indurato hic Dauidem loqui, & sensus est, ô peccator qui falsò affirmas esse laborem magnum in custodia præceptorum fingens quod verè non est, & ideo sedes in sede malitiæ tam constanter, ac si adhæreret tibi sedes ista, quærens hoc modo excusationes in peccatis.

Hieron. S. Basil. Sed tamen S. Hieron. & S. August. & S.Basil. asserunt hic Dauidem cum Deo loqui, & tunc sensus est; O Domine qui verè pingis & ponis laborem in tuis mandatis, præcipis enim nobis passiones refrænare, parcere inimicis, condonare iniurias, pænitentiam agere, voluptatibus mundi valedicere, & alia huiusmodi: tibi Domine, qui talia præcipis, numquid adhæret sedes iniquitatis? Hoc est iniustitiæ, æquitas enim idem est quod iustitia. Vnde è conuerso iniquitas idē est q̄ iniustitia, ac si diceret: Tu Domine iussisti nos difficilia mandata tua seruare, nunquid tu qui promisisti seruantibus hæc præcepta, præmia æterna, & promissioni tuæ debes ex iustitia promissis stare sine præmio tali relinques seruantes mandata? absit, tu enim Domine bonus essentialiter cum sis, non fraudabis nos mercede ista.

Hieron. At dices. Si Deus ideo quia bonus est, cur nos ad tales labores deuinxit? cur independenter sine obligatione præceptorum, bona ista nobis non tribuit? S.Hieron. respondet: sine huiusmodi laboribus regnum cœlorum possidere nō possumus, quia naturalia præcepta in se laborem habent. ita S. Hieron. Ideo ergo in lege scripta & in lege noua, præcepta ista confirmauit quæ naturalia erant, ne æternam fælicitatem amitteremus. Vnde Dauid Psal. 24. ait: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Etenim quòd rectus sit Dominus non dubium, & quod rectissima & iustissima sint præcepta eius; quomodo autem intelligitur dulcis præterea esse cum laborem supra dictum contineant? Nimirum quia ad promerendam beatitudinem præcepta illa necessaria sunt, & ideo dulcis Dominus, &c. Et Mat. 11. *iugum meum suaue*, non quia carni graue non sit, sed quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: etenim dulce præceptum, & dulce præcepti onus, & denique dulce mandatorum vinculum, quod nos ad libertatem ducit æternum, sicut dulce vinculum phrenetici, qui solutus ab illo se præcipitare contendit.

Cant. Hinc etiam Cant. 5. sic sponsum laudat sancta sponsa: Labia eius lilia destillantia myrrham primam. Etenim labia Christi sponsi distillabant præcepta & documenta salutaria; hæc autem præcepta vocat myrrham primam; myrrham quidem, quia myrrha amara res est; primam autem, id est, optimam & salutarem. Sic præcepta Domini amara sunt humanitati nostræ quæ delicias amat: sed amaritudo hæc salutem æternam secum affert, vt in sanctis patet, & maximè in martyribus.

Præcepit Deus Genes. 17. Abrahæ vt circumciderentur omnes qui in populo Israël existerent, & subdit: *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus sempiternum.* Vbi pactum vocat circumcisionem, & hoc pactum ait fore in fœdus sempiternum. Cur ita? Glossa interlinearis sic respondet, *quoniam ad æternitatem ducit*, ita Glossa. Amarum quidem erat vulnus circumcisionis; myrrha erat, sed præcepti illius adimpletio ad æternitatem cœlestem ducebat. Gen. 17.

Lingua.

1. *Quàm necessarium sit linguam coercere.*
2. *Quàm difficile sit linguam moderari.*

Propositio I.

Quàm necessarium sit linguam coercere.

NVm. 19. *Vas quod non habuerit operculum, & ligaturam desuper, immundum erit;* Cur si intus nullam contineat immunditiam? Num. 19.
S. Thom. 1.2.q. 102. ar. 2. ad 4. per vas quod operculum non habet, significatur homo, qui non habet aliquod velamen taciturnitatis, & qui non constringitur aliqua censura disciplinæ. ita Sanct. Thom. Vnde Prouerb 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Vbi Iansenius, quia præter alia peccata, quæ loquendo nimis committuntur, difficilè vitatur mendacium, difficiliùs verba vana, & otiosa. ita Iansen. vnde meritò subdit sapiens: Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. S. Iacob. c. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Ex quo facile colligitur, quàm difficilis sit linguæ moderatio, & similiter quanti sit momenti & ponderis. S. Th. Prou. 10. Iansenius. I. Io. 3.

Propositio II.

Quàm difficile sit linguam moderari.

CAto in distichis.

Proximus ille Deo qui scit ratione tacere.

ita ille. Cur inquies, proximus Deo, cum exigente ratione id facile esse videatur? nimirum, quia difficile adeo est compescere linguam, vt etiam quando id exigit ratio, paucorum sit illam moderari. Vnde Rex Dauid licet tam sapiens & sanctus esset, à Domino id deposcebat,

pone Domine custodiam ori meo.

Psalm. 40. Psal. 40.

):(

Luxu

Luxuria.

1. *Vitanda sunt occasiones ad castitatem seruandam.*
2. *Ex gula oritur luxuria.*

Propositio I.

Vitanda sunt occasiones ad castitatem seruandam.

Gen. 39. GEnes. 39. Ioseph ab hera sollicitatus pallium in manibus illius dimisit & fugit. Cur ita? cum vir fortior esset illa, & facile posset è manibus eius pallium extrahere? S. Ambros. de vita

S. Ambr. Ioseph: Contagium iudicauit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incendia transirent. ita ille. Sanctè quidem id fecit Ioseph, & ideo merito in castitatis exemplar proponit eum nobis scriptura Sacra, sed tamen quàm longe absunt, qui per medios luxuriæ ignes incautè se ipsos proiiciunt.

Hinc pallium in symbolum castitatis venit

S. Bern. secundùm S. Bernard. & in Heliæ pallio quod intendimus probat; Helias enim pallium Helisæo reliquit, non priùs tamen quàm iam in curru à Deo misso ad supera reperetur. Vnde S. Bernard. de obitu Malachiæ, deposuit Helias pallium suum, non est quod timeat, non est quod tangi ne dum teneri ab adulrera vereatur. ita ille. Ita & tu dum vixeris, castitatis pallium ne deseras.

Propositio II.

Ex gula oritur luxuria.

S. Nilus. Simile. SAnct. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Vt ignis materia lignum est, sic libidinis materia est ingluuies; & sicut illud flammam excitat, eodem modo hæc cupiditatem turpem. ita ille.

Idem Idem ibidem. Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, similis est illi, qui se impetum ignis stupa compressurum, aut flammam

Simile. oleo extincturum pollicetur. ita ille. Et etiam est similis illi, qui non lapide aut fuste, sed proiecto pane canem à se amouere vellet.

Magnates.

1. *Peccata magnatum quomodo grauiora sint.*
2. *Ad magnates & Principes Christianos pertinet Christianam religionem seruare.*

Propositio I.

Peccata magnatum quomodo grauiora sint.

EZech. 28. volens Propheta Ezechiel grauitatem culpæ primi Angeli augere, sic cæpit: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in delitiis paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, &c. Et subdit Dominus: *Peccasti & eieci te de monte Dei.* Cur relaturus peccatum Angeli à laudibus sublimitatis eius cœpit? S. Hieronym. in eundem locum sic respondet; Commonetur quod fuerit vt doleat se perdidisse quod habuit. ita ille. S. Gregor. 35. S. Greg.
Mor. 18. sic consideret homo quid elatus in terra mereatur, si & prælatus Angelus Angelis in cœlo prosternitur. ita ille. Sed ad rem doctus quidam auctor: vt culpa, inquit, quam sublimis illa gloria præcessit, grauior haberetur.

Patriarcha Iacob reprehensurus filium suum primogenitum Ruben propter peccatum incestus, laudes eius præmisit, dicens: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.* & subdit: *effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Cur sic maledicturus eum, & peccatum eius dicturus, priùs Origen.
laudauit? Origen. hom. 17. sic respondet: Quod in initio laudis aliquid videtur ascribere filio Ruben, idcircò fit, vt grauius notetur in crimine, quia cum virtus Patris haberetur, & initium filiorum, nesciuit seruare reuerentiam patri. ita ille.
Et elegantius idem obseruauit Sanct. Chrysost. S. Chrysost.
hom. 67. in Genes. dicens: Vide quanta sapientia iusti, volens enim accusationem magis intendi, priùs dixit præuilegia et à natura concessa, & dignitatem quam tenebat, quod principium filiorum, & primogenituræ honore clarus sit, & postea voluntatis peccata illius, quasi ænea columna inscribit, monstrans, quòd nihil proderunt nobis ea quæ à natura insunt, nisi & voluntatis bona opera sequantur. ita ille.

Sic etiam Eliphaz volens reprehendere S. Iob, inuictè tamen sic loqui cæpit, Iob. c. 4. *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti.* ita cæpit. sed vide quid subdat, *vbi est* (inquit) *timor tuus? fortitudo tua? patientia tua? & perfectio viarum tuarum?* etenim opposita iuxta magis sibi opposita elucescunt: sic iuxta albedinem nobilitatis vel dignitatis vel litterarum, &c. nigredo morum nigrior apparet. Sic iste licet errore deceptus. Iob. 4.

Hinc Dauid Psal. 4. *fily hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* vbi Septuaginta, *vsquequo inclyti mei?* Aquila & Symmachus, *vsquequo gloriosi mei?* Vatablus, *vsquequo potentes, & principes graui corde*, &c. id est, cum sitis ô principes regni Dei inclyti & gloriosi, vsquequo ignominiosè diligitis & quæritis vanitatem? Vbi Eusebius gloriosos (inquit) ad deteriora prolapsos suggillat sermo. ita ille Et ita est quidem, nam quo magis eorum extollitur dignitas, eo magis eorum exaggeratur iniquitas. Psal. 4. Eusebius.

Vide Genes. 6. de pessimis illis Gigantibus (quorum peccatia Deus diluuio mundum inundauit) ait scriptura: *videntes fily Dei filias hominum.* Cur eos filios Dei & non potius diaboli appellauit? siquidem tam improbi & tanti mali causa extiterunt? S. Chrysost. in Psal. 4. Dei filios, inquit, vocauit eos, quia ex viris bonis nati fuerant, & Dei honorem perceperant, & deinde euaserant deteriores, & suum perdiderant honorem. Vt enim magis ampliaret reprehensionem eorum, honorem in memoriam reuocauit, maximum esse crimen ostendens quod cum tales essent & ex Gen. 6. S. Chrysost.

talibus

talibus orti ad tantam se præcipitassent improbitatem. ita ille.

Threno. 4. Sic etiã Threnor. 4. ad inclytos illustres Israëlitas Ieremias. *filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea*, opus manuum S. Hieron. figuli? vbi S. Hieron. hi sunt viri inclyti Christianæ religionis, qui ornati sapientiæ fulgore, & decore virtutum, postea emolliti carnalibus desideriis & terrenis cupiditatibus tabefacti, vasis testeis comparantur, quæ dominica virga in futuro examine conterens franget, & ad nihilum rediget. ita ille. Quia vbi dignitas delinquentis fuerit maior, culpa erit detestabilior & pœna seuerior.

Daniel. 5. Hinc quoque Daniel 5. post sententiam Dei contra Regem Balthasar in pariete latam, sensum exprimens Regi sic exorsus est, *ô Rex, Deus altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor Patri tuo*, &c. Quid sibi voluit Daniel his laudum præmissis sententiam S.Chrisost. mortis Balthasaris expressurus? S. Chrysost. in Psal. 95. sapientiam Danielis laudat, qui non ab interpretatione scripturæ, quæ in pariete visa fuerat, sed ab interpretatione cum debita præfatione honoris exordiatur. Sed tamen crediderim ego (Deo linguam Danielis gubernante) laude illa exaggerasse culpas Regis, quibus iram Dei meruit, ostendens grauiorem esse lapsum, qui ex altiori & eminentiori contingit loco, & turpiorem culpam, quam gloria præcedit.

Leuit. 4. Hinc similiter Leuit. 4. iussit Deus, vt pro peccato vnius sacerdotis & pro peccato totius populi vnus Deo vitulus immolaretur. Ita ne peccatum vnius sacerdotis peccatum totius populi exæquabat, vt non minori sacrificio indigeret vnus sacer-S.Chrisost. dos ad veniam à Deo impetrandam? S. Chrysost. in Psal. 6. Pro vniuerso, inquit, populo qui peccarat tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote, quia quo maior est authoritas, eo est maior eorum qui peccant supplicium. ita ille. Est autem supplicium hoc maius, quia dignioris S. Bern. personæ grauius est delictum. Vnde S. Bernard. lib. 2. de consideratione, fugienda, inquit, est otiositas mater nugarum, & nouerca virtutum, inter sæculares nugæ, nugæ sunt, sed in ore sacerdotis blasphemiæ. ita ille.

Propositio II.

Ad Magnates & Principes Christianos pertinet Christianam religionem tueri.

Tabernaculum illud quod Dei nutu fecit Moyses in deserto ad Dei cultum Exod. 26. Exod. 26. postquam ventum est ad terram promissionis, in vrbe Silo collocatum fuit, vt constat ex c. 18. Iosue vbi ait scriptura: *Congregati sunt filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij*, Dices, Cur potius in Silo quàm in alia vrbe? Caiet. Respondet Caiet. par fuit in sorte Principis scilicet Iosue, vt vbi erat principum domicilium, locaretur diuinus cultus. ita Caiet. ac si Principem inter cæteros populares diuini cultus studiosissimum esse oporteret.

Eadem ratione in Hierusalem prope templum S. Hieron. situm Regium Palatium, vt patet ex S. Hieron. in quæstionibus Hebraicis ad c. 22. Genesis, & Genebrar. ex epistola 27. ad Eustochiũ, & ex Geneb. in Ps. 36. vt Reges prope templum Dei degentes, templi & diuini honoris curam haberẽt. Imò & Romani gentiles vti ait S. August. lib. 5. de ciuit. c. 12. S. August. duo templa ad inuicem propinqua construxerunt, vnum Virtuti, alterum Honori dicatum, vt ostenderent conuenientiam inter Honorem & Virtutem.

Hinc Psal. 47. *Deus in domibus eius cognoscetur*, Psal. 47. &c. seu vt in Hebræo, *Deus in palatiis cognoscetur*, in tantum enim Principes & Magnates, Dei cultum & honorem tueri deberent, ac si Regis Palatium tanta debeat religione florere, vt templum Dei esse videatur; Nec immeritò, est enim religio regnorum custodia; quandiu in Silo mansit tabernaculum Dei, floruit, vt patet ex c. 18. Iosue, Iosue 18. tabernaculo autem euerso fuit pariter & imperium. Vnde Dauid Psal. 77. postquam dixit, Psal. 77. *repulit tabernaculum Silo*, addidit, *& tradidit in captiuitatem virtutem, & pulchritudinem eorum in manus inimici*; ac si euerse sacra æde non posset stare Regia.

Mariæ excellentia.

1. *Ex maternitate Mariæ colligitur eius excellentia.*
2. *Mariæ excellentia colligitur ex eo quòd tribuerit carnem Christo ad redemptionem generis humani.*
3. *Quanta sit excellentia Mariæ.*

Propositio I.

Ex maternitate Mariæ colligitur eius excellentia.

Sanct. Bernard. hom. 2. *super missus*: Quid S. Bernard mirum si Deus qui mirabilis legitur, & cernitur in sanctis suis, mirabilem se exhibuit in matre sua? ita ille. & in hom. 2. hominum factor vt fieret homo talem sibi ex omnibus debuit eligere imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. ita ille.

Vnde S. Rex Dauid Psal 64. sic de Beata Virgine Psal 64. sub nomine domus, & templi Dei, *replebimur in bonis domus tuæ, Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate*, [*Es vuestro templo señor admirablemente igual, y bien proporcionado.*] Æquitas In ædificio est, quando secundùm regulas Geometriæ seruatur proportio inter longitudinem, altitudinem, & latitudinem eius in hoc mystico Dei templo. Mariæ altitudo est altissima dignitas matris Dei, quæ tanta est, vt infinitatem quandam in se contineat propter relationem quam habet ad filium, qui secundùm personam suam Deus infinitus est. Cum igitur ex altissima ista altitudine desumenda sit altitudo gratiarum, & donorum & virtutum Virginis, facilè deduci potest eximiam & supra modum esse altitudinem eius. Scire desideras qualis sit gratia Virginis? Dicam, gratia est digna Dei matre. Vis nosse quãta sit eius sapiẽtia? Sapientia est digna matre Dei. idem de misericordia, charitate & gloria, &c. Secundum hoc enim est hoc templum Dei mirabile in æquitate.

Propo

Propositio II.

Maria excellentia ex eo quod tribuerit carnem Christo ad redemptionem generis humani.

SVppnnamus boni operis gloriam non solùm ex operante pendere, sed etiam ex adiuuãte & causam aliquam exhibente. Ideo vti adnotauit S. Chrysost. voluit Deus quòd Dauid bellaturus cum Gigante abliceret arma Saulis, ne Saul armis suis tribueret victoriam: sic etiam Christus Dominus noluit sapientes, & potentes, & nobiles Apostolos vocare, ne potentiæ, & sapientiæ, & nobilitati eorum mundi conuersio tribueretur, vti adnotauit Apost. 1. Cor. 2. & eadem ratione Genes. 14. noluit Abraham accipere diuitias quas quidam Rex ei offerebat, dicens, *ne* (*in quit*) *dicas ego ditaui Abraham*, Deo enim reseruabat gloriam illam. — 1. Cor. 2.

Hac autem de causa voluit filius Dei carnem humanam ex Virgine sumere, vt in mundi redemdemptione partem sibi maria vindicaret, quia carne ab ea sumpta mundi perfecit salutem. Etenim in Christo sicut duplicem substantiam confitemur, diuinam scilicet & humanam, sic etiam duplicem fatemur operationem, diuinam scilicet & humanam; diuina autem non solùm tribuitur Christo sed patri, à quo esse diuinum habet, ex quo diuina operatio procedit, & ideo miracula sua Christus patri suo referebat, vt patet Io. c. 5. Si ergo opera diuina attribuit Christus patri, quia ab ipso habet esse diuinum, quo talia opera faciebat; ergo opera humana tribui quoque valent matri, a qua humanitatem accepit, qua talia opera efficiebat: redemptio igitur generis humani, quam media humanitate operatus est Christus, tribui etiam suo modo debet B. Mariæ Matri eius. O quàm admirabilis excellentia!

Hinc puritas Beatæ Virginis etiam in primo instanti conceptionis suæ colligi potest; nam de Christo Domino sic philosophatur Apostol. ad Heb. 7. *talis decebat vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Si ergo quia Christus redemptor mundi erat, oportuit eum omni labe etiam originali carere; sic oportebat B. Virginem omni culpa etiam originali carere, qua concurrit ad redemptionem mundi media illa humanitate, qua Christus mundum redemit, quámque à Virgine suscepit.

S. August. — Rationem hanc magnus Pater August. insinnauit lib. de natura & gra. c. 36. vbi ait: De Virgine matre eum de peccatis agitur, propter honorem Domini nullam prorsus volo habere quæstionem. Inde enim scimus, quòd plus gratiæ ei datum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. ita S. August. vbi obserua primò quod non dixit nullam de peccato præter originale volo habere quæstionem, sed absolute, ne tu plusquàm Augustinus sapere volens talem habeas quæstionem. Secundò nota verba illa causalis vim habentia, *quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*, nullum autem habuisse peccatum Christum, ait Apost. oportebat, quia redempturus erat peccatores; quam rationem pro suo modulo Virgini conuenire ostendimus.

S. August. — Quod non minus subtiliter docuit idem Sanct. August. ser. 3. de natiuitate Domini, & ser. 10. ad fratres in eremo, dicens: Quoniam pretium redemptionis nostræ immaculatum esse debuerat, propria mater Christi electa est, & præ omnibus creaturis prælecta, omnibus gratiis fæcunda, omnibus virtutibus ornata, & in vtero matris omni sanctitate repleta, vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur; vt sicut in cœlo qualis est pater talis est filius secũdùm diuinitatẽ, sic in terra qualis est mater talis esset filius secundùm humanitatem. ita S. August. vbi pondera verba illa, *in vtero matris omni sanctitate repleta*. Equidem si in vtero matris fuisset in peccato originali concepta, minimè in eo fuisset omni sanctitate repleta, sed aliqua per sanctificationem ante natiuitatem, &c. nec à posteriori ex puritate Virginis rectè colligeret Augustin. mundissimum fuisse filium. Denique si in puritate, qualis mater talis filius, si mater non fuisset ab originali munda, non esset qualis mater talis filius.

Redemptio quidem nostra à Domino Deo est, non autem à Deo vt à Deo solummodò sed etiam vt ab homine, ideo enim appellatum est nomen Christi Domini *Iesus*. Hinc constat quanta sit pars & portio Mariæ in opere redemptionis, humanitatem enim, qua Christus nos redemit, à matre sua accepit, ita vt nonulli dicant portionem illam, quam à Virgine habuit Dominus, semper in eo remansisse, & in ea carne passum fuisse, ita vt dicere possemus mediante carne à Virgine recepta mundum redemisse. Vnde Rupert. in ea verba, Genes. 1. *in principio creauit Deus cælum & terram*, sic fatur: Deus creauit, Maria recreauit. ita ille. Addit Petrus Damianus: Per ipsam, cum ipsa, & in ipsa totum quod de redemptione faciendum erat, decerniitur, vt sicut sine ipso factum est nihil, ita sine ipsa nihil refectum sit. ita Petrus Damian. — P. Damianus.

Propositio III.

Quantà sit excellentia Mariæ.

Cant. 4. — CAnt. 4 *sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Quid sibi vult turris ista? & quid etiam propugnacula ista? Originale Hebræũ sic habet, *sicut turris Dauid collum tuum ad suspendendum ora*. Honorius & Hallanus, & Guillermus, & Rupert. de B. Maria locum hunc interpretantur. Etenim Virgini merè congruunt verba, alta enim erat turris illa Dauidica, sic de stirpe Dauid erat Beata Maria, & adeo alta excellentia eius, vt meritò dixerit Spiritus sanctus ibi, *ad suspendendum ora*, quia in admirationem suæ celsitudinis in stupotem conuertit omnium admirationem. Sic explicat Pagninus dicens, *ad suspendendum ora*, quia ore stupido aspiciebatur ob eximiam ipsius turris & fabricæ pulchritudinem. ita ille. Et quidem eloqui nequeunt ora nostra immensa diuinæ gratiæ miracula, quæ in Deipara tanquam in editissima eminenti turre, & considerata considerantes, bene stupidos reddunt mutos & elingues. *De las cosas de la virgen mas hablamos con los hombros mirandonos y asombrados nos que con la lengua hablandonos.* — Honorius. Hallanus. Guillerm. Rupert.

S.Hier. — S. Hieronym. legit, documenta in turribus, eo quod turris alta uocat transeuntes per viam; quãdo enim ardua & difficilis est via, solet turris altitudine

altitudine ſua, qua eundum ſit indicare. Sic Maria Deipata tum exemplis ſuis, humilitatis nempe, & patientię & fortitudinis, & honeſtatis & obedientiæ, &c. nos docet non ſolum tales virtutes, ſed etiam altitudinem perfectionis; tum etiam, quia orationibus ſuis à Deo nobis impetrat viæ ducatum.

Mariæ interceſſio pro nobis.

1. *Quàm efficaciter intercedat pro nobis.*
2. *Maria defendit, nos ab inſidiis & tentationibus Dæmonis.*

Propositio I.

Quàm efficaciter intercedat pro nobis.

1 MAt. 1. de Virginis partu agẽs Euangeliſta, *peperit* (inquit) *filium ſuum primogenitum*. Cur non *vnigenitum*, ſed *primogenitum* vocat cum verè vnicus eius fuerit, primogenitus autem relationẽ ad alios poſtea natos dicere videatur; non enim dicimus primum niſi quod ſecundum habet? Reſpondet S. Anſelm. ſuper caput. 1. Mat & poſt alias ſolutiones adhibet iſtam. *Primogenitum* vocat reſpectu omnium fidelium iuxta Paulum dicentem de Chriſto, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, & hoc ſecundùm dignitatem. ita ille. Nos igitur Beata Dei Genitrix, tanquam filios ſuos & Chriſti fratres reſpicit, atque adeo tanquam filios amat, quis ergo de patrocinio eius diffidat?

S. Anſel.

Qui nauigant mare & tẽpeſtatibus vexantur, valde optant maris ſtellam præ oculis habere; ea enim duce facilius nauem dirigunt recta via, & ab ſcopulis & aliis maris periculis liberat gubernator nauem, & nauigantes in ea. Etenim vnum ex Beatæ Virginis nominibus, *ſtella maris* eſt, ſic eam appellat & interpellat Eccleſia, *Aue maris ſtella*, ſicut enim gubernator & nauta ductu ſtellæ fixæ facile à naufragiis liberatur, ſic nos in aduerſis fauore & interceſſione Virginis à cunctis periculis ſaluamur. Sic S. Bernard. hom. 2. *ſuper miſſus eſt*, ait: O Quiſquis te intelligis huius ſæculi profluuio magis inter procellas & tẽpeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore ſyderis huius, ſi non vis procellis obrui; ſi inſurgunt venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. ita S. Bernard. vide illum in fine illius ſecundæ homiliæ.

S. Bern.

Gen. 21. Geneſ. 21. Cum Agar ancilla Saræ per deſerta cum filio ſuo pertranſiret, præ ſiti filius eius Iſmael pene defecerat, aperuit Dominus oculos Agar, vt videret fontem quẽdam, quem vitæ poſſumus appellare, quia mater illa filio aquam illam communicauit, qui reuixit, exanimatus enim erat. vbi Procopius in ſenſu ſpirituali ait: Impoſſibile quidem eſt, vt quis cõſpicetur fõtem aquæ vitæ, niſi Deus excuſſa oculorum caligine ipſum nobis videndum proponat. ita Procop. Tranſeamus hic ab ancilla Saræ, ad ancillam illam glorioſiſſimam Dei quæ dixit. *ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Agar enim fontem aquæ viuæ, (materialem tamen) filio manifeſtauit, at hæc diuina Dei ancilla fontem aquæ vitæ filiis ſuis manifeſtat, Chriſtum ſcilicet Dominũ, quem peperit nobis, quique fons eſt indeficiens gratiæ ſalutaris, ex quo vita animæ pendet; & item oſtendit nobis vias vitæ æternæ, ſicut ipſa teſtatur Prouerb. 8. dicens: *Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie & obſeruat ad fores oſtij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Põdera verbum, *hauriet ſalutem à Domino.* Agar quidem hauſit aquam e puteo ad vitam corporalem filij tuendam; at Maria mater Dei & noſtra haurit ſalutem à Domino, qua vitam conſequamur æternam. Sit illa in ſæcula ſæculorum benedicta.

Procop.

Prou. 8.

Ioan. 19. in cruce Dominus pendens dixit matri ſuæ. *Ecce filius tuus.* Cur in filium dedit Dominus Ioannem matri, cui pro magno fuiſſet ſeruum eſſe Matris Dei? S. Laur. Iuſtinian. lib. de triumph. cap. 18. hic diſcipulus Chriſti Ioannes typum gerit Eccleſiæ Chriſti: Hanc (ait Dominus) in perſona diſcipuli tibi relinquo, quæ tuis informationibus erigetur, tua protectione ſolidabitur, & ex præſentia tua deperditas (ſi quæ fuerint) recuperabit vires. Volo igitur vt de cætero in filium habeas, & illum tuis orationibus protegas, & virtutibus auctum ad me perducas; eidemque ego mandabo, vt te tanquam matrem veneretur, & diligat te, & confugiat ad te, vt inter te & Deum faciat mediatricem; te aduocabit in periculis, in dubiis conſulet, & te in neceſſitatibus implorabit, & non minus de te quàm de me captabit fiduciam. ita S. Laurent. Iuſtin. Vbi nota hæc vltima verba, quæ & dignitatem virginis extollunt, & nobis conſolationem ingerunt magnam, vt ſcilicet eam fiduciam de illa concipiamus, quam de Chriſto tanquam de datore, de virgine verò tanquam de efficaciſſima mediatrice, ac matre, ita vt iam ei dicere valeamus: *Monſtra te eſſe matrem; ſumat per te preces qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.*

Io. 19.

S. Laur. Iu.

Geneſ. 3. priùs quàm Dominus ſententiam ferret contra hominem, tulit ſententiam contra ſerpentem dicens: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.* Quænam eſt mulier iſta? S. Bernard. hom. 2. *ſuper miſſus eſt.* Cui, inquit, hæc victoria ſeruata eſt niſi Mariæ? Ipſa procul dubio caput venenatum contriuit. ita ille. Ecce quæ ſit mulier iſta. Prius igitur quàm hominem Deus damnaret, Mariæ patrocinium noſtrum præmiſit, dicens, inimicam ſemper futuram aduerſus hoſtem noſtrum. Magna quidem hinc conſolatio noſtra, ſemper nos perſequitur hoſtis, ſed potentior eſt Maria ad ſuccurrendum nobis, quàm ſit diabolus ad nocendum. Ecce quàm bonum Dominum habemus; ſicut enim antequam homo in peccatum incideret, Chriſti aduentum pro reparatione noſtra præfigurauit in formatione mulieris ex coſta primi Adæ, vnde Paul. ad Epheſ. 5. ait, *ſacramentum hoc magnum eſt*; ſic etiam in ſolatium noſtrum perſignauit Deus protectionem quam in Beata Maria habemus.

Gen. 3.

S. Bernard.

Epheſ. 5.

Adnotauit Theod. Deum à Paulo vocari Deum miſericordiarum, Virginem verò ab Eccleſia matrem miſericordiæ, ſic enim dicimus *Salue Regina mater miſericordiæ (que buenos padres tiene la miſericordia a Dios por Padre y à la madre de Dios por madre, de alto linaje es la miſericordia.*

Theod.

Miſericordiam igitur magnam in nos habet Dei mater. Ita eſt, ſed cum miſericordia ſolùm cordis compaſſionem dicat, ad efficax auxilium noſtrum non ſufficit, niſi potentia ſuccurrendi concurrat ſimul, eſt ne ergo potens ad hoc Beata Maria? Sanct. Bernard. Quia mater miſericordiæ eſt. pro te orabit; quia verò mater Dei & iudicis noſtri eſt, quidquid petierit, impetrabit. ita illa. Ideo ergo ante hominis damnationem inimicitias Virginis cum hoſte noſtro præmiſit Deus, vt potentem Virginis miſericordiam erga nos manifeſtaret; prior enim & potior eſt Mariæ in nos gratia, quàm diaboli perſequutio.

S. Bern.

Vnde Beata Virgo reuelauit Beato Dominico, quod cum eius religioſi dicebant, *Eia ergo Aduocata noſtra*, &c. ipſa coram Christu filio ſuo proſtrata fauorem non ſolùm pro ipſis, ſed etiam pro mundo vniuerſo petebat.

Gen. 1. *In principio creauit*, &c. Geneſ. 1. hæc præpoſitio *in*, in originali Hebræo idem eſt, quod *propter*; vnde transferri ſic poteſt, *propter principium creauit Deus cælum & terram*. Principium autem hoc loco ſignificat Chriſtum Dominum, qui de ſe ipſo dixit: *Ego ſum principium qui & loquor vobis* Ioan. 8. & ita ſentiunt hoc in loco Geneſ. per *principium*, debere intelligi *Chriſtum*, Sanct. Auguſt. hic, & Sanct. Ambroſ. in exam. c. 4. & Rupertus Abbas hic & Iunilius Epiſcopus hic, & Anaſtaſius Sinaita hic & alij. Propter Chriſtum igitur æternus Pater vniuerſa creauit. Diximus ſuprà Deum creaſſe cælum & terram proptar hominem, hîc dicimus propter Chriſtum; nec vlla eſt in dictis contradictio, quia quidem propter homines ſecundariò, propter Chriſtum & eius honorem vniuerſa, hominem quoque ipſum & omnes Angelos fecit. Vide Patrem Franciſcum Suarez id late diſputantem. 3. diſp. 5. ſectione 2. Quapropter Dominus in ſacris litteris *germen* appellatur, verbi gratia, Iſai. cap. 4. & 5. & 60. & Ierem. 23. & Ezech. 34. quaſi dicatur, fructus, quem ex rerum creatione colligit Deus Pater, Filius eius homo factus cenſendus eſt; vnde Rupert. Abbas 13. de Triu. c. 20. Religioſè, inquit, reuerenterque audiendum eſt, quia propter hunc hominem gloria & honore coronatum Deus omnia creauit. ita ille. Et paulo poſt: Rectius dicitur non hominem propter Angelos, ſed propter quendam hominem Angelos quoque factos, & cætera omnia ita ille. Quæ omnia pro myſterio incarnationis & natiuitatis Chriſti deſeruire poſſunt, tunc enim velut totius operationis Deus attigit finem, & meliùs quàm in ſeptimo die quieuit ab omni opere, quod patrauit. Quid igitur ſi in tali die non ſolùm Eccleſia militans, ſed etiam triumphans exultet Eccleſia, & non ſolum homines ſed etiam multitudo cæleſtis exercitus choreas ducant, canrent, & tripudient, & nos non tam quia redempti ſumus, quàm quòd pater ita glorificetur in filio? quare merito Angeli primo loco; *gloria*, inquiunt, *in excelſis Deo*, deinde, *pax hominibus bonæ voluntatis*.

S. Auguſt. S. Ambr.

Suarez.

Rupert.

Sed libet his addere quòd non ſolum à catholicis, verum etiam à magiſtris Hebræorum in honorem Matris Chriſti ſcriptum habemus. Rabi Achados, quod interpreratur *magiſter noſter ſanctus*, in quodam libro qui *reuelator arcanorum* inſcribitur ſic ait; Amore matris Meſſiæ, & ipſius meſſiæ filij eius creauit Deus mundum, oh quod arcanum dictum eſt, Ierem. 33 *niſi pactum meum eſſet diem ac noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem*, ita ille. Quamuis enim vulgata noſtra editio aliis verbis vtatur in illo Ierem. loco n. 20. hic tamen Hebræus doctor in magno habitus pretio apud Hebræos ſic legit locum illum. Vt autem arcanum eius percipiatur, notandum eſt, quod illa dictio *pactum*, in Hebræa lingua *Berith* dicitur, hoc eſt pactum; *Berith* autem conſtat ex litteris, quæ important numerum 612. Hebræi enim litteris pro numeris vtuntur, quo etiam numero 612. conſtāt hæc duo nomina *Ieſu*, *Maria*. Senſus igitur ſecundùm hunc magiſtrum eſt, *niſi propter Ieſum & Mariam mundum ego non creaſſem*.

Rabi Achados.

Item Rabbi Anchelos hunc locum Geneſis verſans, *In principio creauit Deus cælum & terram*, ſic diſſerit: *In principio*, nimirum propter ſapientiam creauit Deus cœlum & terram, hoc eſt amore Virginis matris meſſiæ, quæ eſt mundi ſapientia, creauit Deus mundum, propter illam creatus eſt mundus & propter illam ſuſtentatur. ita ille. Nec mirandum eſt nomine principij hic intelligi ſapientiam; nam S. Auguſt. ſuper hunc locum Geneſis ſic interpretatur, *in principio*, id eſt, *in ſapientia*. Quod autem nomine ſapientiæ intelligi poſſit Maria, ex authoritate cōſtat Eccleſiæ, quæ ea quæ de ſapientia dicuntur in libris Sapientiæ maximè Eccleſiaſtici c. 24 applicat Dei matri. Rectè igitur interpretari poteſt *in principio* ſeu *propter principium*, ſeu *ſapientiam*, quæ mater Dei eſt, Deus omnes creauit creaturas. Igitur ſicut de feſtiuitate incarnationis & natiuitate Chriſti philoſophati proximè ſumus, ita etiam de conceptione Virginis & eius natiuitate in ſuo gradu dicēdum eſt. Et inſuper hinc colligendum eſt; quanto amore Deus Virginem proſequatur, propter quā mundū creauit, & per cōſequens quàtū poſt Chriſtū apud Deum eius valeat deprecatio: facile enim amato concedimus poſtulata, & tanto minus magis, quanto minor maiorve fuerit amor. Cum igitur ſuper omnes creaturas, Deus Virginem amet, quid illi non concedet?

Rabi Anchelos.

S. Aug.

Eccl. 24.

S. Bernard. ſer. 4. in vigilia Natiuit. Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. ita ille.

S. Bern.

Propositio II.

Maria defendit nos ab inſidiis & tentionibus Dæmonis.

GEneſ. 3. ſic Dominus ad ſerpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius*. Locum iſtum ſic exponit Lyra. Aliqui ſancti per mulierem hîc intelligunt B. Virginem Mariam, quæ dæmonibus eſt infeſta, vnde Cant. 3. dicitur de ipſa, *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, ita ille. Quod ſi quæras quomodo B. Maria ita ſit Dæmonibus infeſta, manifeſtum eſſe dicam. Si patrociniū eius erga nos cōſideraueris, infeſtant nos dæmones valdè, quia ſēi et impij hoſtes hi in circuitu noſtro ambulāt quærentes quos deuorent, at B. Maria, quæ auidiùs ſitit ſaluationem noſtram, quàm hi hoſtes damnationem, quæque ad patrocinandum nos, & expugnandum eos potentior ipſis eſt, ſemper eſt in procinctu, & in acie aduerſus eos in adiutoriū noſtrum. Quam quidem in Canticis meritò, vt caſtrorum eſt acies ordinata, terribilem Spiritus S. vocat, quia licet ſola in protectionem noſtram procedat, numquam ordinata & copioſa militū acies, ita debilibus hoſtibus formidabilis eſſe poteſt, ſicut Beata Maria Dæmunibus eſt.

Geneſ. 3.

Lyra.

Cant. 3.

O quan

O quantum inde nobis ſolatium, & maximè his qui ſunt illi ſpeciali deuotione addicti, tanto enim patrimonio muniti, facilè tentationes & dæmonum machinationes ſuperabunt, & ſuperant de facto. Cum igitur te in periculo aliquo videris conſtitutum, inuoca Mariam; nam vel ſola Mariæ nominis appellatione hoſtes hi quantumuis potentes terga vertent, &c.

Mariæ maternitas.

Propositio vnica.

Quàm excellens dignitas ſit matrem Dei eſſe.

S. Bern. SAnct. Bernard. hom. 1. *ſuper miſſus eſt*: ſi attendas cuius mater ſit Maria, quò te ſuper eius mirabili celſitudine tua ducet admiratio: non ne ad hoc videas te nec ſatis poſſe mirari? an nō Deum & Dominū Angelorum Maria ſuum audacter filiū appellat, dicens: *Fili quid feciſti nobis ſic?* Quis hoc audeat Angelorum? ſufficit eis & pro magno habent, quod cum ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt & vocati Angeli, teſtante Dauid, *qui facit*, inquit, *Angelos ſuos ſpiritus*. Maria verò matrem ſe agnoſcens maieſtatem illam cui illi cum reuerentia ſeruiunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium, nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt. ita. S. Bernard.

Ex hac autem dignitate alia & eximia ortum habuit, nempe ſubditum Mariæ fuiſſe filium Dei: quod nos aſſerere non auderemus, niſi apertè hoc Euangeliſta enunciaſſet priùs dicens Luc. 2. *& erat ſubditus illis*, Quis (inquit S. Bernard. ibid) Idem. quibus Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ nec tantùm Mariæ ſed etiam Ioſeph propter Mariam. Elige quod amplius mireris, ſiue filij benigniſſimā dignationē, ſiue matris excellentiſſimam dignitatem; vtrinque ſtupor, vtrinque miraculum, & quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſque exēplo; & quod fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus Virginum ſingulariter canitur, quod *ſequūtur agnum quocumque ierit*: quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præiit? ita S. Benard.

S. Bern. Ex quo documentum humilitatis & obedientiæ noſtræ colligens idem ſanctus, ſubdit: Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare, Deus ſe humiliat & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori? *erat*, inquit, *ſubditus illis*. Si hominis o homo imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum ſequi authorem tuum. ita S. Bern. Miraris humilitatem Chriſti? ego miror ſuperbiam eius, qui videns Dei humilitatem ſuperbus nihilominus eſt.

***

Mariæ ſanctitas.

Propositio vnica.

Quàm eximia ſit ſanctitas Mariæ.

MAt. 1. *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*. Matt. 1. Hanc cauſalē expendamus, *cum eſſet iuſtus*, id eſt, quia erat iuſtus, noluit eam de adulterio accuſare, quamuis eam prægnantem videret, & neſciret, quod ab Spiritu S. concepiſſet: *voluit*, tamen *occultè dimittere illam*, aut cognouit Ioſeph eam immunem ab omni culpa eſſe, & tūc non deberet eam dimittere; aut iudicauit ream, & tunc tanquam vir iuſtus eam traducere debuiſſet; quomodo ergo ex eo quod erat iuſtus noluit traducere vxorem? Nimirū, quia tanta erat ſanctitas Mariæ, vt quamuis neſciret quomodo concepiſſet propter eximiam opinionem ſanctitatis de illa quā habebat, iniquum exiſtimauit eam accuſare, & quia myſterium ibi magnum intereſſe rimatus erat, indignum ſe iudicauit cohabitare in eadem domo cum illa. Conſideratio hæc S. Bernardi eſt S. Bern. hom. 2. *ſuper miſſus eſt*, vbi ait à Patribus anterioribus eam ſe mutuaſſe, dicens: Quare voluit dimittere eam? accipe in hoc non meam ſed Patrum ſententiā; propter hoc Ioſeph voluit dimittere illā, propter quod & Petrus à ſe Dominum repellebat, dicens, *exi à me Domine quia homo peccator ſum*. Propter quod & Cēturio à domo ſua eum prohibebat, cum diceret: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*. Ita & Ioſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, a tali & à tanta non debere ſibi vltra familiare præſtari contubernium, cuius ſupra ſe mirabilem expaueſcebat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præſentiæ certiſſimum geſtātem inſigne, & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem, expauit Centurio præſentiam maieſtatis, exhorruit nimirum & Ioſeph, ſicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, myſterij profunditatem, & ideo voluit occultè dimittere illam. Miraris quod Ioſeph Virginis prægnantis ſe ſe conſortio iudicauit indignum, cum audias & ſanctam Elizabeth eius non poſſe ferre præſentiam, niſi cum tremore quidem & reuerentia? Ait namque, *& vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Ideo igitur Ioſeph occultè voluit dimittere eam. ita S. Bernard.

Luc. 10. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. & mulier quadam Martha nomine excepit eum*, &c. Luc 10. In hac hoſpitalitate Chriſti Domini mentio fit, Marthæ, & ſororis eius Mariæ Magdalenæ. Cur nō etiam Lazari? ſiquidem etiam frater erat vtriuſq; S. Bern. ſer. 26. de aſſumptione Virgin. hanc ob- S. Bern. iectionem mouet & ſoluit dicens: Forte curioſus quiſquam requirat, cur hac Euangelica lectione nulla prorſus Lazari mentio fiat; arbitror quidem, quia virginalem domum intelligi volēs Spiritus S. ſiluit non incongruè pænitentiam, quæ malu vtique comitatur, quæque per Lazarum ſignificatur. Abſit enim, vt proprii quid quam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, vt in ea proinde ſcopa Lazari quæratur. ita S. Bernard. qui in Lazaro mortuo figuram peccatoris præſupponit.

Mariæ humilitas.

Propositio vnica.

Quàm ingens fuerit humilitas Mariæ.

EX multis facilè colligi poteſt, quàm humilis fuerit B. Virgo Maria; & primò ex turbatione illa ſancta, quam paſſa eſt, cũ ab Angelo Gabriele ſalutata fuiſſet. Dixerat Angelus: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; quo audito, *turbata*, inquit, *eſt in ſermone iſto.* Cur turbata ex ſermone, ex quo potius gaudere oportebat? nam ſermo ille panegyricus erat laude plenus. Cur igitur turbatur? Ideo quidem, quia laudatorius ſermo erat; ſolent quidem homines turbari quando vituperantur, quod ſuperbiam ſapit; at nullus ſuperbus ita iniuriis turbatur, ſicut verus humilis turbari ſolet cum laudatur. Cũ igitur B. Virgo ſe laudari nimis ab Angelo videret, humiliter cogitare cœpit qualis eſſet iſta ſalutatio, quaſi dicens. Ego gratia plana? Dominus mecum? Ego inter omnes mulieres benedicta? hinc turbatio: Ait enim Euangeliſta, *turbata eſt in ſermone iſto*; non ait, quia vidi Angelum cuius aſpectus alios turbare ſolet, ſed *in ſermone iſto*, laude referto, propter nimiam ſcilicet humilitatem ſuam.

S. Bern.

Interpretatio hæc S. Bernard eſt hom. 2. *ſuper miſſus eſt*, vbi ait, *turbata eſt*, ſed non perturbata, ſicut Dauid, *turbatus*, inquit, *ſum, ſed non ſum loquutus, cogitaui dies antiquos*, &c. ſic Maria *turbata eſt*, & non loquuta, ſed *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quia humilis erat, & nihil tale penitus à S. Angelo ſperabat, & ideo *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio* ita S. Bernard Ecce adeo humilis erat B. Maria, vt ex ſuis laudibus turbaretur.

Nec minus Mariæ humilitas patet ex illis verbis q̃ illico Angelo reſpõdit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbũ tuum* [*Danle cedula de madre de Dios, y ella da ſe por eſclaua de Dios.*

S. Ambroſ.

Ponderatio eſt S. Ambroſij in hunc locum: Vide, inquit, humilitatem, vide Mariæ deuotionem, ancillam ſe Domini dixit, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt, ſimulque ancillam dicendo nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratiæ vindicauit quæ fecerat quod iuberetur; humilem enim paritura, humilitatem etiam debuit ipſa præferre. ita S. Ambroſ.

Hinc eſt quod ſtatim poſtquam ſic laudata fuit ab Angelo, ſic electa à Deo in matrem, ſic magnificata, & exaltata, illico nihilominus ad viſitandam Elizabeth profecta eſt: quid humilius? etenim ſi in Reginam eligeretur aliqua mulier, quamuis ex parentibus agricolis eſſet, viſitare mulieres alias quamtumuis principes dedignaretur; non ſic Maria, non ſic, ſed tunc exurgens abiit in montana cum feſtinatione ad viſitandam Elizabeth, cui pro magno fuiſſet viſitare Reginam cœlorum matrem Dei. Vnde S. Ambroſ. in hunc locum ait: Diſcite humilitatem virgines, venit propinqua ad proximam, iunior ad ſeniorem, nec ſolum venit ſed etiam prior ſalutauit; venit ſuperior ad inferiorem, Maria ad Elizabeth. ita S. Ambroſ.

Præterea in eo Mariæ humilitas enituit, quod cùm Elizabeth reſalutans Virginem diceret: *benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi vt venias mater Domini mei ad me?* ſtatim ad gratiarum actiones recurrens Maria dixit, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, &c. *rebatio las alabanzas que le deuen en Dios.* Quaſi diceret: Tu me beatam prædicas, fateor me beatam, ſed non ex me vel ex meritis meis talis beatitudo proceſſit, ſed quia Deus reſpicere paruitatẽ ancillæ ſuæ dignatus eſt, & quia fecit mihi magna, qui potens eſt, ideo magnificat anima mea Dominũ, a quo bona cũcta ꝓcedũt. optime hic animus humilis patet

Cõſtat etiam humilitas Mariæ in purificationis ſuę myſterio: Quænã te ô Beatiſſima Virgo neceſſitas ad obſeruandam compulit purificationis legem? lex enim te non ſolùm non includebat, ſed etiam excludebat: nam tu aſtris cœleſtibus purior ſemper extitiſti, & in partu ſicut ante partũ & poſt partum inuiolata permãſiſti. Ad quid igitur purificationis nota? Guarticus Abbas in ſer. Purificationis. Mater præuaricationis peccauit & excuſauit procaciter. Mater ergo redemptoris nõ peccet & ſatisfaciat humiliter. ita ille.

Guarricus Abbas.

Fuit Maria ſecunda Eua, & oppoſita primæ; illa ſuperbiendo trãſgreſſa eſt præceptum quod tenebatur implere, Maria ſe humiliandu obſeruauit legem, ad quam minimè tenebatur; & quidem honori Virginis, maximè derogare videbatur purificatio iſta, & pudori nimio illi erat, ſed vicit talem pudorem humilitas magna Mariæ. Ecce quanta ſit demiſſio eius.

Sed hoc præcipuè magnitudinem humilitatis Beatæ Virginis oſtendit, quod Deus propter eam ſpeciatim illam in matrem elegit, & ex ea carnem aſſumere decreuit. Hoc illa verba ſonant Cant. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Quis nã eſt iſte nardi odor? S. Ber. ſer. 42 in Cant. eſt nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt eſſe naturæ, hi qui herbarum vires curioſius explorarunt, & ideo per hãc videor mihi non incõuenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, ſed quæ ſancti amoris vaporibus flagret. ita ille.

Cant. 1.

S. Bernard.

Quo ſuppoſito de B. Virgine locum exponens idem ſanctus, ibid. ait, ac ſi voce Virginis Mariæ dicat, nullius mihi meriti conſcia ſum ad tantam dignationẽ, niſi quòd reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Namquid eſt aliud, *nardus mea dedit odorem ſuum*, quàm placuit humilitas mea? non ſapientia mea, neque nobilitas mea, pulchritudo mea, ſed humilitas dedit odorem ſuũ, ſolitò enim Deo humilitas placet & è conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit, & ideo cũ eſſet Rex in accubitu, id eſt in excelſo habitaculo ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcendit; accubitus Regis ſinus eſt Patris, quia ſemper in Patre Filius eſt. ita. S. Bern. Quod expreſſius aſſeruit Rupert. qui introducens B. Mariã ait: Dum eſſet Filius in ſinu Patris, nardus humilitatis meæ dedit odorem ſuum, & hoc odore delectatus deſcendit in vterum meum. ita ille. Hinc maximè elicere licet humilitatẽ Virginis, ſiquidem tanta fuit, vt propter eam voluerit in matrẽ Deus illam eligere, & ex illa quantumuis paupercula & fabri ſponſa aſſumere carnem noſtram.

Addam argumentum non leue ad Virginis humilitatem comprobandam. Solet Deus tribulationibus vexare illos, quos magnis afficit beneficiis, ne ſic affecti in ſuperbiam & animi elationem inſurgant. Sicut Architectus cum ædificium altum conſtruit, ne ſua mole magna ruat, columnas, & fulcimenta quædam applicat illi, *ponele eſtribos y apoyos fuertes*, ſic Deus cum ſanctos ſuos donis ſuis cumulat, ne in baratrum ſuperbiæ ruant, laboribus & tribulationibus eos fulcit. Quod etiam in ſanctiſſimo Apoſtolo Paulo factum eſt,

Simile.

1.Cor.12. eſt, qui poſt ſublimes rauelationes ab Angelo Satanæ vexatus grauiter fuit: quam verò ob cauſam, ipſemet nobis apernit dicens. 2. Cor. 12. *ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me colaphizet.* ita ille. Eſt enim periculum ſuperbiæ magnum in donis magnis, etiam ſi Paulus ſit, qui potitur illis.

Hinc magnitudo humilitatis Virginis conſtat, quæ cum ſupra modum diuinis fuerit donata donis, huiuſmodi remedio numquam eguit, vt ſe in officio contineret, ſed ita humilis ſemper fuit, ſicut ante quam mater Dei eligeretur fuerat, imo ampliùs multum. Nam ſicut fructifera arbor, tanto ampliores ramos ad ima flectit, quanto amplioti eſt onerata fructu; ſic per benedictum fructum ventris ſui ad ima & profunda humilitatis Beata Virgo deprimebatur.

Mariæ conceptio.

Propositio vnica.

Mariæ conceptio fuit ſine peccato originali.

PRo hoc ſopponẽdũ eſt quod Deus in principio creationis noſtræ ſimul nobis tribuit naturam humanã & gratiam ſuam; quod ſi peccatum originale non intercesſiſſet, ſimul etiam filij Adæ naturam & gratiam recepiſſent; ſed amiſſa per culpam gratia, natura humana in nos transfunditur ſine gratia, & cum peccato originali. At in conceptione Chriſti accepit filius Dei à matre naturam, omni originali peccato expertẽ, ſimul enim Chriſtus naturam & gratiam habuit, vnde merito canit Eccleſia *Tu quæ genuiſti, natura mirante, tuum ſanctum Genitorem.* [*Concebiſtes ſagrada virgen a vueſtro ſantiſſimo hijo con paſmo de la naturaleza.*] Quia natura non ſic ad reliquos homines venit, oportebat igitur ſecundum exigentiam optimæ correſponſionis, & retributionis, quamuis à ſe & non à matre gratiam habebat, vt virginis filius, qui ante matris conceptionem ſuam præuiderat etiam matri futuræ naturam humanam ab originali culpa liberam, & in gratia conceptam præſtaret, vt eo pacto naturam tribueret tunc matri, quo eam ex matre erat habiturus.

S.Bonau. S. Bonauentura in Pſalt. Virginis Mariæ, qui gratiam Mariæ acquirit, agnoſcitur à ciuibus paradiſi, & qui habuerit characterem eius, annotabitur in libro vitæ. ita ille. Agnoſcitur, inquit, à ciuibus paradiſi, tanquam conciuis, characterem autem vocat deuotionem, quam quis in eam habet. De hoc ergo ait S. Bonauentura, annotabitur in libro vitæ, in quo ſcilicet prædeſtinati ſunt conſcripti. Gaudete igitur Virginis famuli & deuoti, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ. S. Bonau.

Sed inter famulos Virginis hi potius gaudeant, qui conceptionem eius celebrant & venerantur, quia in hoc maximè eſt prædeſtinationis ſignum prout ſcriptum reliquit S. Anſelm. epiſtola ad Epiſcopos Angeliæ. ſi portum, inquit, volumus ſalutis apprehendere, Dei genitricis conceptionem dignis obſequiis & officiis celebremus, vt ab eius filio digna mercede remuneremur. ita ille. eſt igitur magnum noſtræ ſaluationis ſignum huiuſmodi deuotio. S.Anſel.

):(

Labata loci Mor. Tom. I.

Mariæ dolor.

Propositio vnica.

Quantus fuerit dolor Virginis in morte Chriſti Domini.

IOan. 19. *ſtabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius,* &c. non explicuit Euangeliſta quo dolore ibi ſtabat, ſed tamen ſatis ſuperque hoc expreſſit dicens, *ſtabat mater eius.* Pondera non dixiſſe, *ſtabat Maria*, vel *ſtabat Beata Virgo*, ſed ſolùm & abſolutè, *Mater.* Non igitur expreſſit magnitudinem doloris, quia indicibile hoc erat, ſed periphraſi & circumloquio illo ſatis multũ explicauit; nam matres intrinſeco dolore torquentur, quando filios dilectos vidẽt mori, ſicut patet in matre Iſmaelis, quando Gen. 21. ſiti vrgente in ſolitudine filium deficere videbat, tũc enim ait ſcriptura: *Abiecit puerum ſuper vnam arborẽ quæ ibi erat, & abiit, ſeditque è regione procul, quãtum poteſt arcus iacere: dixit enim, non videbo morientem puerum.* Expendẽs hoc S. Chryſoſt. ibidem ait: Rumpebantur quippe eius viſcera, ob immodicam erga puerum affectationem. ita ille. quia vti ait S. Ambr. materna viſcera neſciunt patientiam. ita S. Ambroſ. in Lucam. agens de matre filiorum Zebedæi. Ioan. 19. S.Chryſoſt S Ambroſ.

Id etiam expendit S. Aug. ſer. 8. de ſanctis, agens de matribus quarum filij iuſſu Herodis necabantur, vbi ait: Pugnabat mater & carnifex, ille trahebat, illa tenebat, ad carnificem mater clamabat: Quid ſeparas à me, quem genui ex me? cautè portaui, quem à te video iugulari, vt quid me dimittis inanem? ſi culpa eſt, mea eſt: ſi non eſt crimen, iunge mortem & libera matrem. ita ille. & S. Gregor. Niſſen. orat. de Natiuitate Domini. O dolorem illum intolerabilem cum mater ad ſe filium trahebat, & obiiciebat crucem ſuam acuto gladio, ne miſerum filium carnificis manu necatum propriis oculis intueretur! ita Niſſen. Sic igitur matres dolent ſuper mortem filiorum. Quid igitur dicam de Virginis ſanctiſſimæ dolore, cum filium ſuum dilectiſſimũ in cruce pendentẽ videret, & crudeliſſimos dolores patientem, & ignominioſam mortem ferentem, & ſupra modum iniuſtè? filium, inquam, ſummo amore ſe dilectum? filium, inquã, non Abrahæ & Agaris, ſed Dei filiũ ac ſuum? Non poteſt aliter hoc ſignificari melius quam dicendo: *Stabat mater iuxta crucẽ*, &c. non procul, ſed *iuxta.* Dixerat ei Simeon: *Nam ipſius animam pertranſibit gladius*, non ait *tranſibit*, ſed *pertranſibit*; cum augere volumus vulnus aliquod, dicere ſolemus, penetrauit enſis vſque ad crucem, *paſole la eſpãda haſta la cruz.* Idem modò dicere poſſemus de Virgine: Pertranſiuit animam tuam gladius vſque ad crucem; ſiquidem crux illa gladius tuus fuit, ô Beatiſſima Virgo. S. Auguſt. S.Niſſen.

Hinc eſt, quod Chriſtus Dominus in cruce pẽdens dixit Ioan. 19. *mulier ecce filius tuus*, cur nõ dixit; *mater ecce filius tuus?* nimirum, quia ſi tunc matris appellatione vteretur, cor eius tranſuerberaret, honorabilius quidem eſſet, & maioris dilectionis in virginẽ ſignum fuiſſet dicere *Matrẽ*, ſed teneritudine verbi grauem animæ Virginis dolorẽ excitaret. Cum iamjam Abrahã immolare filiũ vellet, dixit innocẽs filius, *Pater mi vbi eſt victima ſacrificij?* Gen. 22. S. Chryſoſt. hom. 47. in Gen. ſufficiebat, inquit, verbũ illud *Pater mi*, ad lãcinanda viſcera Abrahę. ita S. Chr. & merito, diligebat enim Ioan. 19. S.Chryſoſt

impensè filium suum, & mortem eius præ oculis habebat vicinam. ideo ergo Christus Dominus tempore mortis suæ noluit matrem virginem appellare, ne dolorem grauem augeret in ea.

Mariæ gratia.

1. *Quàm ingens fuerit Mariæ gratia.*
2. *Quot & quanta fuerint gratia Beatæ Mariæ.*

Propositio I.

Quàm ingens fuerit Mariæ gratia.

Tanta quidem gratia Beatæ Mariæ fuit, vt merito dicere valeamus non solùm magnam gratiam possedisse, sed etiam Mariam gratiæ possessionem fuisse. Quod quidem manifestant verba illi Christi, in cruce ad Ioannẽ Euangelistam, *Ecce mater tua.* vbi subdit Euangelium Ioann. 19. *ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* id est inter res suas; seu inter bona sua. Quod sic expendit. S. Ambr. lib. de exhortatione ad virgines: Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & secularia non habebat? quia de mundo non erat bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite, quę à Christo discipuli acceperũt: *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum*, neque enim mater Domini migraret nisi ad spiritum gratiæ. ita Sãct. Ambros. vbi alludere etiam videtur ad nomen Ioannis quod interpretatur *gratiosus*, & etiam *pius & misericors.* Data est igitur Maria & tradita in possessionem gratiæ, vt scilicet nihil aliud faceret, nihil aliud diceret, nihil aliud cogitaret nisi quod secundùm gratiam esset; qui enim ab alio possidetur, nihil aliud pręstat nisi vt possessori placeat. Est etiam tradita à Deo pietati & misericordiæ, vt misericors valde & pia esset in miseros & peccatores, tanquam tota dedita pietati, in se quidem gratia plena, nobis verò verè pia, verè misericors & clemens.

Ioan. 19.

S. Ambr.

Propositio II.

Quot & quanta fuerint gratia Beatæ Mariæ.

Ex eo quod mater Dei est Beata Maria colligi potest, quot quantisque donis sit à Deo condecorata.

Fuit Ioseph dilectissimus Pharaonis, vnde cum primum nouit patrem habere in terram Chanaan dixit ei Genes. 45. vt fie fratres suos, qui tunc aderant, alloqueretur nomine ipsiusmet Regis: *Tollite patrem vestrum, & properate quantocius venientes, ne dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestra erunt.* Vide quantum prosit amor Regis in aliquem sibi familiarem, cum fie in parentes redundet. Gratissimus Pharaoni erat Ioseph, & ideo venire ad se patrem eius præcepit, promittens ipsi non munera vulgaria & parui momenti, sed præstantiora regni sui. Erat quidem Christus Dominus gratissimus Patri suo, notum hoc; sed quid inde? etenim si Rex Pharao ita se magnificum exhibuit, erga patrem Iosephi, quanto magis existimandum est Deum Patrem beneficum magis se exhibuisse, erga Matrem filij sui, quàm barbarus ille Rex erga patentem Iosephi? Quod si ille obtulit Iacobo omnes opes regni sui in gratiam filij, quid non præstitit Deus Virgini in gratiam filij sui & ipsius Virginis?

Gen 45.

Mariæ misericordia.

Propositio vnica.

Quàm ingens fuerit misericordia Mariæ.

Tanta quidem gratia B. Mariæ fuit, vt merito dicere valeamus non solum magnam gratiam possedisse, sed etiam Mariam gratiæ possessionem fuisse. Quod quidẽ manifestant verba illa Christi in cruce ad Ioannem Euãgelistam. *Ecce mater tua.* Vbi subdit Euangelium Ioan. 19. *& ex illa hora accepit illam discipulus in sua*, id est inter res suas seu inter buna sua, quod sic expendit S. Ambr. lib. de exhortatione ad Virgines: Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & sæcularia non habebat? quia de mundo non erat bonus mundi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ à Christo discipuli acceperunt: *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum*, neque enim mater Domini migraret nisi ad spiritum gratiæ. ita S. Ambros. Vbi alludere etiam videtur ad nomẽ Ioannis, quod interpretatur, *gratiosus*, & etiam *pius & misericors.* Data est igitur Maria & tradita in possessionem gratiæ vt scilicet nihil aliud faceret, nihil aliud diceret, nihil aliud cogitaret, nisi quod secundùm gratiam esset; qui enim ab alio possidetur, nihil aliud præstat nisi vt possessori placeat. Est etiã tradita à Deo pietati & misericordiæ, vt misericors valde & pia esset in miseros & peccatores, tanquam tota dedita pietati, in se quidem gratia plena, nobis verò verè pia, vere misericors & clemens.

Io. 19.

S. Ambr.

Io 2. Deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: *Vinum non habent*, numquid rogauit eam aliquis, vt ita apud filium intercederet ne in verecundiam inciderent inuitantes? Minimè quidem, sed sola misericordia permota id præstitit virgo. Ecce ergo quanta sit misericordia eius, vt etiam non à nobis requisita misereatur nostri. Vnde S. Bern. ser. 2. in Dominica 1. post Epiph. si compassa est, inquit, verecundiæ illorum à quibus fuerat inuitata, multo magis compatietur nobis, si piè fuerit inuocata. ita S. Bernard.

Ioan. 2.

S. Bern.

S. Bern.

Quod si illa intercesserit apud filium, quid non obtinebit ab illo? *que negara tal hijo a tal madre? que no alcançara tal madre de tal hijo?* vide in eisdem nuptiis consentaneam consequentiam, *erat*, inquit, *mater Iesu ibi.* Et subdit statim, *vocatus est autem & Iesus*; vocatus autem quamuis ad nuptias affuit Dominus: nimirum, quia aderat ibi mater eius, & vbi mater, facilè adest filius; vt scias decere nobis vocare filium, si nobis non defuerit mater. Sicut enim autoram immediatè sequitur solis aduentus, sic aduentus ad nos Christi erit certus, si nobiscum fuerit mater. Erit autem facile inuocata à nobis, quæ vocata ad nuptias quibus mirum est voluisse interesse, quæ clausuram Virgine tali dignam semper obseruabat, renuere noluit.

Simile.

Deuotio

Deuotio erga B. Mariam.

Propositio vnica.

Quàm nobis proſit deuotio erga B. Mariam.

Prou. 8. PRou. 8. ſic Spiritus ſanctus nomine B. Mariæ Virginis: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quam, inquies, vitam? non quidē hanc, quam cū formicis & beſtiis communē habemus, ſed vitā gratiæ atque gloriæ. Nimirū, quia ab ipſa vita noſtra proceſſit, nēpe Chriſtus Dominus. Pōderat S. Ambr. ſer. 3. de tempore locū illum pſ. 21. (S. Ambr.) *Ego autem ſum vermis, & non homo*, vbi per vermem Chriſtum Dominum interpretatur, & ſubdit: Cur totius creaturæ Dominus vermiculo ſe voluit comparari? Reſpondetque ibidem dicens: Legimus in libris Moyſi, de manna vermiculos procreatos. digna planè & iuſta comparatio; ſiquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus procreatur ex virgine: quid ni Mariam dixerim Manna, cum ſubtilis & ſplendida ſit, & veluti ex cælo veniens, cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere & manducare neglexerit, vitam in ſemetipſo habere non poterit, ſicut ipſe Dominus ait: *Niſi quis manducauerit meā carnem, & biberit meum ſanguinem, non habebit vitā in ſemetipſo*, ita S. Ambroſ. Sicut igitur ex manna vermiculus proceſſit, ſic ex Maria Chriſtus Dominus, ex quo vita noſtra dependet. Quid igitur mirum ſi vitam inuenit, qui inuenit Mariam ex qua vita noſtra ſic emanauit?

S. Bonau. S. Bonauentura in pſalterio Virginis Mariæ, qui gratiam Mariæ acquirit, agnoſcitur à ciuibus paradiſi, & qui habuerit characterem eius, annorabitur in libro vitæ. Ita ille. Agnoſcitur, inquit, à ciuibus paradiſi tanquam conciuis, characterem autem vocat deuotionem, quam quis in eam habet. De hoc ergo ait S. Bonauentura; Annorabitur in libro vitæ, in quo ſcilicet prædeſtinati ſunt conſcripti. Gaudete igitur Virginis famuli & deuoti, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ; ſed inter famulos Virginis hi potius gaudeant qui conceptionem eius celebrant & venerantur, quia in hoc maximè eſt prædeſtinationis (S. Anſel.) ſignum, prout ſcriptum reliquit S. Anſel. epiſtola ad Epiſcopos Angliæ. Si porrum, inquit, volumus ſalutis apprehendere Dei genitricis conceptionem, dignis obſequiis & officiis celebremus, vt ab eius filio digna mercede remunneremur. ita ille. Eſt igitur magnum noſtræ ſaluationis ſignum huiuſmodi deuotio.

***

Manſuetudo.

1. *Quàm grati omnibus ſint manſueti.*
2. *Manſuetudo animos aduerſariorum mitigat.*

Propositio I.

Quam grati omnibus ſint manſueti.

SAnct. Ambroſ. lib. 2. officiorum c. 7. nihil tam vtile quàm diligi, nihil tam inutile quàm nō amari, nam odio haberi exitiale, ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni ſedulitate commendemus exiſtimationem noſtram. ita ille. (S. Ambr.) Quòd ſi medium & modum ad hoc quæras, ſubdit S. Ambroſ. Grata eſt omnibus bonitas, & ea ſi manſuetudine morum, & affabilitate modeſtiæ adiungatur gratia, incredibile eſt quantum procedat ad cumulum dilectionis ita S. Ambroſ.

Priuſquam S. Ambroſ. hoc aſſeruit Spir. S. Eccleſiaſt. 3. *fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris*: Quid eſt *ſuper hominum gloriam diligeris*: Ianſenius ſic exponit: Propter manſuetudinem magis diligeris, quàm ob gloriam aliquam, ſeu ſplendorem & excellentiam humanam: quo ſignificatur manſuetudinem magis conciliare dilectionem aliorum, quàm gloriam, & ſublimem aliquem ſtatum. ita ille. Etenim humanæ excellentiæ conciliare amicitiam ſolent, ſed non ita vt manſuetudo. Alium ſenſum adhibet idem Ianſenius, dicens: Aut ſenſus eſt, præter gloriam quam propter manſuetudinem apud homines obtinebis, etiam obtinebis hoc vt diligaris. ita ille. Vbi duplicem vtilitatem manſuetudinis notat. Prima eſt apud homines gloria, omnes enim manſuetudinem laudant & extollunt, *aquel agrado y a pacibilidad conque trata y recibe y conſuela a todos, lo any engrandez en todos.* Secunda vtilitas, diligi à cunctis, cuius exemplum adnotauit in Moyſe ibidem S. Ambr. dicens. Moyſes ſic ſibi totius populi mentem deuinxerat, vt plus eum pro manſuetudine diligerent quàm pro factis admirarentur. ita ille. Et ſubdit de Dauide, dicens: Dauid fortis in prælio, manſuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus, quàm referre iniurias. Ideo tam charus omnibus fuit, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & ſenex ne prælio intereſſet à ſuis rogaretur, quòd mallent pro ipſo omnes periclitari, quàm illum pro cunctis. Itaque eum parentes filiis, filij parentibus præferebant. ita S. Ambroſ.

(Idem. Eccl. 3. Ianſenius. Idem. S. ambroſ.)

Ruſus, *fili in māſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominū gloriā diligeris*, Textus Græc ſic habet; *& pro homine probato & grato diligeris*, hoc eſt ex manſuetudine tua omnes colligent te hominem eſſe magna præditum virtute, atque ideo omnes diligent te. Sed ſi vulgatam editionem expendamus, ſenſus erit vti ait Ianſenius ibidem, propter manſuetudinem diligeris magis quàm propter ſplendorem magni ſtatus (qui metum potius incutit quàm amorem:) vel eſt ſenſus, præter gloriam, quam propter manſuetudinem conſequeris, etiam hoc obtinebis vt ab omnibus diligaris. ita Ianſenius.

PROPOSITIO II.

Mansuetudo animos aduersariorum mitigat.

RECtè Vrsinus:
Nec ferro aut flammis adamas sed sanguine mollis
Vincitur, vt vincas tu quoque mollis eris.

Meditatio.

1. *Quàm sublimis res sit & quàm vtilis.*
2. *Quàm proprium hominis sit meditari diuina & bona.*
3. *Meditatio fieri debet in loco à tumultu populi segregato.*
4. *Meditatio conducit ad sapientiam Christianam.*
5. *In meditatione exardescit ignis diuini amoris.*
6. *Quàm assidua esse debeat meditatio.*
7. *Meditatio conducit ad superandas tentationes.*
8. *Quod non solùm necessaria sit viris religiosis, sed etiam sæcularibus.*
9. *Meditatio conducit ad leuamen tribulationum & tentationum.*
10. *Meditatio & maximè æternorum ad despicienda temporalia conducit.*
11. *Meditatio quàm vtilis animæ sit.*

PROPOSITIO I.

Quàm sublimis res sit & quàm vtilis meditatio.

Leuit. 1. LEuit. 1. holocaustorum differentiam constituens Deus, aliud pecorum, aliud verò auium designauit. Quid in hac differentia designare voluerit Dominus, explicauit Isichius ibidem dicens: volatilia homines sunt contemplationi vacantes, terrenis omnino se non miscentes negotiis: quod si forte necessitas exegerit, mox reuolaret ad sublimia, & illo euangelico testimonio iuuantur; quod Dominus ait: *Considerate volatilia cæli, quia non seminant neque metunt, & pater vester cælestis pascit illa*; & de eisdem Christus dicebat; *simile est regnum cælorum grano sinapis, quod cum seminatur minus est omnibus oleribus, cum autem creuerit fiet arbor maior ita vt volucres cæli habitent in ramis eius.*. Contemplationi ergo vacat & superiorum considerationi perfectus homo. ita ille.

(Margin: Isichius. — 6 Matth. — num. 26.)

Leuit. 11. Leuit. 11. *omne quod habet pinnulas & squamas comedetis, quidquid autem pinnulas & squamas non habet, eorum quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis execrandumque erit.* Cur ita? sunt ex huiusmodi piscibus qui pinnulas & squamas non habent, nonnulli sapidiores sunt, qualis anguilla & lamprea &c. S. Gregor. 5. Mor. 8. vel 6. Pisces namque qui pinnulas habent, saltus dare super aquas solent: sic electi, qui in imis deseruiunt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant; prauæ autem mentes si temporalium administratio eis præbeatur, semetipsas funditus deserunt, & fugitiua hæc temporalia continuis cogitationum passibus sequuntur. ita S. Greg.

(Margin: S. Gregor.)

S. Greg. In huius rei confirmationem adducit S. Greg. ibidem, quæ de Esau & Iacob refert historia sacra, quorum Esau reproborum vices gerit, Iacob verò electorum. Igitur Genes. 25. vbi dicitur, *factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis*, vel sicut in alia translatione dicitur, *habitabat domi*: Quid enim per venationem Esau nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola describitur, quia amatores huius sæculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt; Iacob vero vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia nimirum omnes qui in exterioribus curis spargi refugiunt, simplices in cogitatione, & in conscientiæ suæ habitatione consistunt; in tabernaculis enim vel in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, & nequaquam exteriùs per desideria dissipare ita S. Greg.

Matth. 13. S. Ambros. Matth. 13. *simile est regnum cælorum grano sinapis.* S. Ambros. serm. 1. & 2. de tempore, asserit per regnum cœlorum hic intelligi fidem christianam seu doctrinam Euangelicam. Cur igitur tam excelsam doctrinam tam paruo seminis grano Dominus comparauit? Respondet S. Ambros. quia doctrina fidei nostræ prima fronte videtur esse parua, atque tenuis, non superbiam præ se ferens, sed sicut granum sinapis si teri cœperit, statim acrimoniam suam exhibet: sic fides Christiana si cœperit teri, statim vigorem suum prodit. ita ille. Teretur autem primo prædicatione dum concionator discutit veritates euangelicas, & inductiuè, quæ in parabolis vel generaliter dicta sunt specialiter expendit & exponit; tunc enim sicut acrimonia sinapis contritæ lachrymas excitat, sic sæpe verbum Dei contritum ad lachrymas corda mouet auditorum.

(Margin: S. Ambr.)

Secundò teritur doctrina euangelica meditatione quieta, & à conturbatione linguarum separata. In hac meditatione exardescet ignis diuinus, in hoc synapis grano latens, vt in his constat qui in lege Domini die ac nocte meditantur; sin minus synapis huius granum integrum manens parum, aut nihil, operatur in nobis, sicut in multis christicolis est videre, qui velut pagani degunt; nimirum, quia nec verbum Dei audiunt, nec meditationi & considerationi rerum spiritualium vacant, in quibus ita est fides Christi sicut gladius in vagina semper inclusus, & sicut granum synapis integrum & nunquam tritum.

Iob 7. Iob 7. *militia est vita hominis super terram.* Non ait, exercitium militiæ, seu bellum, solet aliquando inueniri in vita nostra, sed ipsa, inquit, vita est militia, hoc est per totum perdurat tempus vitæ: qualis autem sit militia ista, alia quam S. Greg. refert, littera manifestat, nempe *tentatio est vita hominis super terram*, & consultò ait, *hominis* indefinite, & non aliquorum hominum, quia nemo inter homines adeo felix est vt à tentationibus dæmonum, mundi & carnis excipiatur. Cum ergo sic militare opus sit, armis ad rebellandum egemus; quibusnam, inquies? Dauid Psal. 90. *scuto*, inquit, *circumdabit te veritas eius.*

(Margin: S. Greg. — Psal. 90.)

eius. Veritas ergo ſcutum eſt qood protegit nos; locus autem in quo veritas reperitur, meditatio eſt: dum enim meditamur res diuinas, veritates quam plurimas percipimus, quàm videlicet breuis ſit vita præſens, quam æterna vita futura, quam peſſimum ſit peccatum, quam horrendum incidere in manus Dei viuentis *&c.* Ecce quomodo veritas ſcutum ſit. Vnde ſubdit Dauid; *Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris*, *&c.* Quaſi dicat: Aliquando dæmon aperto Marte pugnat, manifeſta nempe tentatione, & tunc tentatio eſt quidem ſagitta, ſed in die lucente volans, & facile cognoſci poteſt; aliquando verò ita occolta eſt malitia tentationis, vt potius ratio, quàm tentatio eſſe videatur; in meditatione veritas lucet, qua mediante qui rectè meditatus eſt, eam armatus ſcuto veritatis agnoſcit, ioimicorum tegnas & fallacias, & reiicit eas.

Cant. 8. Vnde ſponſa Dei Cant. 8. ſic ad Chriſtum ſponſum ait, *ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis.* Domum matris meæ locum orationis

Rupert. interpretatur Rupertus ibidem. Crediderim nomine domus Domini templum ſignificari, de quo Chriſtus: *Domus mea domus orationis vocabitur.* In ea oramus & meditamur, & in meditatione docet nos Deus omnem veritatem, & veritas nobis ſcutum eſt aduerſus inſidias & tentationes hoſtium noſtrorum.

Pſal. 1. Quod alia metaphora docuit nos Dauid Pſal. 1. dicens de Viro iuſto, *in lege Domini meditabitur, & erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*; id eſt, ſicut arbor fructifera plantata iuxta aquarum fluenta, inde humorem & ſuccum multum colligit, quo æſtatis tempore multum perfectumque fructum emittit; Sic qui meditando iuxta fluenta bonarum cogitationum verſatur, veritatum ſuccum colligit; poſtea dum neceſſitas v. g. reſiſtendi tentationibus inſtat, fructum veritatis reſiſtendo fortiter profert. Talis ergo & tantus eſt meditationis fructus.

Cant. 5. Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* verba ſunt animæ iuſtæ, ſed quid ſibi vult ſomnus & vigilia iſta? qui fieri poteſt vt cor vigilet illius

S. Gregor. qui dormis? S. Gregor. 5. Mor. 21. ſic reſpondet: per ſomnum hic vitæ quies figuratur, ſicut ſponſæ voce dicitur, *ego dormio*, *& cor meum vigilat*, quia ſancta mens, quo ſe à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ comprimit; eo veriùs interna cognoſcit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto ſe ab exteriori inquietudine occultat. ita S. Gregor. qui exemplum adhibet Patriarchæ Ia-

Gen. 28. cob Geneſ. 28. qui è patria domo exiens & in campo ſolitario dormiens, myſteria magna vidit ſchalæ, nempe à terra in cœlum eleuatæ, & per eam Angelos *deſcendentes & aſcendentes*, *& Deum innixum ſchalæ*, &c. Non in ſtrepitu populi & domus, ſed in ſolitudinis quiete; ſic ſi contemplari myſteria diuina vtiliter cupis, fuge ſtrepitum mundi, *&c.* Hinc Pſal. 4. *vacate & videte quoniã ego ſum Deus.* vacate ſcilicet à curis ſæcularibus, vacate à tumultu mundi, vt ita me & mea conſiderare valeatis. vide quid de Eliphaz amico

S. Greg. Iobi dicat S. Gregor. 5. Mor. 18. & maxime c. 12. vbi ad rem agit de viſione quadam nocturna ipſius Eliphaz.

Idem. S. Gregor. 5. Mor. 26. Deus contemplatoribus ſuis in hac vita nequaquam ſicuti eſt ſe inſinuat, ſed tamen claritatem ſuam ſaltem tenuiter demonſtrat, qood bene ipſa acceptione legis ſignatur, cum dicitur quia Moyſes *aſcendit & Dominus deſcendit in montem*; mons quippe eſt ipſa noſtra contemplatio, ad quam nos aſcendimus, vt ad ea, quæ vltra noſtram infirmitatem ſunt videnda ſubleuemur, ſed in hanc Dominus deſcendit, vt aliquid de ſe noſtris ſenſibus aperiat. ita ille. Vt igitur Deus ad nos deſcendat diuina ſua edocturus, oportet nos per meditationem aſcendere ad eum.

PROPOSITIO II.

Quàm proprium hominis ſit meditari diuina & bona.

INquirit S. Ambroſ. lib. 6. exam. c. penult. cur Deus non fecerit hominem quadrupedem ſicut S. Ambroſ. reliqua terreſtria animalia, ſiquidem & homo animal eſt terreſtre? Et reſpondet: Rectè quidem ſunt duo, & non quatuor, hominis pedes, quia cum quaterni ſint feris & belluis pedes, auibus tantum ſunt bini, & ideo quaſi vnus de volatilibus eſt homo, qui alta viſu petat, & quodam remigio volitet ſublimium cogitationum, & ideo de illo dictum eſt, *renouabitur vt Aquila iuuentus tua* eo quod propior ſit cœleſtibus & ſublimior Aquilis, qui dicere poſſit, *noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* ita S. Ambroſ.

Hinc eſt quod valde alienum ſit ab homine, ſolicitum eſſe erga temporalia bona, cum ad cœleſtia ſit à Domino procreatus, homini in terrena procliui. Recte ait Pſal. 48. *homo cum in honore* Pſal. 48. *eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* In honore creauit Deus hominem, quia ad cœleſtia meditanda & conſequenda eum fecit: ſed ipſe velut quadrupedia ad terrena demiſſus, ſimilis factus eſt illis.

De quibus meritò S. Petrus Chryſol. multum S. Pet. Ch. inuidet ſibi, qui ad cœleſtia vocatus terrena quærit. ita ille. Pondera verba illa, *inuidet ſibi*, quomodo quis ſibi poteſt inuidere? inuidia eſt, cum quis vel lætatur in damnis proximi, vel de bonis eius triſtatur, ſibi optans bonum quod in proximo videt. Cur igitur dixit, *multum inuidet ſibi?* &c. Rectè quidem, quod hac ſimilitudine explicabo: habet Rex in domo ſua aliquem ſibi familiarem, quem plus quàm cæteros amat, & benefacit amplius, inuidentes ei alij curam omnem adhibent, vt eum ab oculis Regis amoueant, atque adeo vt Rex illum ad aliquam promoueat dignitatem extra curiam, vt hoc pacto in obliuionem Regis cadat, & iam non amplius ita gratia apud eum valeat: totum hoc inuidia magna eſt. Sic ergo qui ad cœleſtia bona creatus, ſeipſum ad terrena diuertit & dimittit, ſibimet inuidet. Quid enim aliud curat diabolus inuidia ſua quàm hoc *&c.* Meritò ergo ait S. Chryſol. multum inuidet Idem. ſibi, qui ad cœleſtia vocatus terrena quærit.

PROPOSITIO III.

Meditatio fieri debet in loco à tumultu populi ſegregato.

THren. 3. *bonum eſt viro cum portauerit iugum* Thren. 3. *ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius, & tacebit, & leuabit ſe ſupra ſe*, iugum ſcilicet diuinæ legis. *Sedebit*, id eſt, quietè vacabit meditationibus mundi, ſemotus ab ſtrepitu mundi, & tunc

leuabit

leuabit se supra se, quia cum homo fit supra humana ad diuina consurget factus seipso maior & superior. Vnde S.Gregor. Nazianz. orat.2. solitudo mater est diuinæ alœuationis, Deum ex homine faciens. ita ille. Nimirum, quia qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo, *esto no se alcanza en medio de Babilonia, ni en la zerrageria del mundo.*

S. Greg.

S.Gregor.5. Mor.22. ad contemplanda æterna mens non perducitur nisi ab his, quæ exteriùs implicant, studiosè subtrahatur. Hinc per Prophetam Dominus dicit. *vacate & videte, quoniam ego sum Dominus.* ita ille. *Porque es tan grande la Zerrageria del mundo que no dexa atender à las cosas diuinas.*

S. Greg.

Propositio IV.

Meditatio conduit ad sapientiam Christianam.

Eccles.1.

Ecclesiast. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem*, varias habet locus hic explicationes, inter quas hanc adhiber (sub dubio tamen) S. Hieron. dicens: forte hoc intelligendum hic est, quod sapiens vir doleat tam in abdito quàm in profundo latere sapientiam, nec ita se mentibus prabere vt lumen visui, sed per laborem iugi meditatione & studio peruenire. ita S. Hieron. Etenim in die iudicij non erit Christiano sufficiens excusatio, nesciui, ignoraui, non existimaui me ad hoc illud ve teneri; tenetur enim scire quæ ad saluationem animæ spectant; & quia hæc non ita perua & perspicua sunt, oportet meditatione, oratione, auditione verbi Dei & interrogationibus nosse. Sicut enim qui nesciens viam Romam petit, à scientibus eam percipere debet, alioquin si errauerit sibi imputare debet; sic qui ad æternitatem pergit, viam discat, ne eum se in cœlum pergere censet, se tandem in infernum peruenisse doleat, *que como quien lengua tiene a roma va, asi quien lengua tiene al cielo va.* Si verè illuc peruenire desiderat, maximè cum ex litteris sacris per meditationes & conciones, & sacras lectiones, non solùm quomodo saluemur, sed quomodo perfectè saluemur, discere valeamus. Rectè S.Chrysost. hom.3 in gen. Meritò confertur lectio diuinarum scripturarum thesauro, nam sicut ex illo quisquis, vel paruum fructum capere valet, multas sibi parat diuitias, ita & in scriptura sacra, etiam in breui dictione variam sententiarum vim & indicibiles diuitias inuenire licet. ita ille.

S. Hieron.

Simile.

S.Chrisost

Propositio V.

In meditatione exardescit ignis diuini amoris.

Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo, locum hunc in laudem misericordiæ diuinæ multi sancti expositores exponunt, inter quos S. Hieron. S. August. & Cassiod. & Glossa ordinaria, & Isidorus Pelosiota, quamuis non desint qui de ira Dei & iustitia in peccatores explicent, eo quod hic dicatur, *ascendit fumus in ira eius.* Quod sic explicant S. August. & Glossa, id est *lachryma, deprecatio pœnitentium in ira eius*, cum nempe cognoscunt, quid ira Dei minetur impiis, *ascendit tanquam fumus excitatus à Deo*, qui dicitur ignis. Addit autem, *carbones succensi sunt ab eo*, carbo quidem niger & obscurus est, sed ab igne accensus lucet, & resplendet, & calidus moltum est; sic peccator ante conuersionem niger, & obscurus est; sed itam Dei timens ad Deum conuersus, & charitatis igne accensus lucet, & ardet. Sed vbi sic lucem & ardorem concipit frigidus & obscurus peccator? Respondet S.Isidorus Pelusiota, *carbones succensi sunt ab eo*, hoc est, sancti viri à Deo, quoniam Deus noster ignis consumens est, & idcirco eum Deum contemplantur, carbones accensi non abs te appellantur, quia per coniunctionem cum eo inflammantur. ita ille. Ecce quantumuis quis peccator extiterit, verè ad Deum conuersus & in oratione persistens fit carbo à Deo ignitus.

S.Hier.

S. August. Gloss ord.

S. Isidor.

Propositio VI.

Quàm assidua esse debeat meditatio.

Deut. 16. festum Pentecostes instituit Deus inter tria festa solemnia, quæ populus Israel magna religione obseruabat; quam autem ob causam institutum fuerit hoc festum Pentecostes non constat apertè. Sunt qui dicant institutum fuisse in memoriam legis datæ in monte Syna; fuit enim Dei beneficium tali celebratione Paschali dignum. Sunt autem nonnulli sacri authores, qui dicunt institutum fuisse in gratiarum actionem, pro collectione nouorum fructuum. ita sentit S. Chrysost. hom.4. in acta Apost. cum Ioseph lib. 3. antiq. c. 10. & Philone lib. decalogi ad finem & alij. Quod si quæras cur non fuerit institutum festum in memoriam tam eximij beneficij, quale fuit donatio & institutio legis, dicendum est quia memoria diuinæ legis, non annualis sed quotidiana esse debet iuxta illud psal. primi, *& in lege eius meditabitur die ac nocte*, id est quotidie & non semel, sed assiduè. Vnde post datam legem subiunxit Deus Deut. 6. *erunt verba hæc in corde tuo & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, & scribes ea in limine & ostiis domus tuæ.* Vbi nota verbum illud, *& dormiens*, id est, adeo assidua debet esse, & feruens talis meditatio in vigilia, vt dormiens homo somniet ipsam legem; quod enim vigilantes attentè perpendimus, in somno somniare solemus. Vide quam magnam à nobis & assiduam requirat Deus considerationem suæ legis.

S Chrysost. Iosephus.

Propositio VII.

Meditatio conducit ad superandas tentationes.

Qui altum mare nauigaturi sunt, in tranquillitate potius prius nauem compingunt & muniunt, omnibus requisitis, vt assiduos ventorum & vndarum impetus ferre valeat, *primero brean y calafetean y prebeen la naue de arbol velas, timon y areias para que quando viniera la tormenta resista, de otra manera hara agua, o se renuira à la tormenta y dara al traste, y se ira afondo, y se abogaran* Simile.

abogaran los que van en ella. Etenim omnes nos nauigamus in hoc mundo tanquam in mari magno, in quo vigent assiduæ tempestates tentationum, & laborum quatientes cor nostrum. Oportet igitur illud præmunire, ne pereat; simul enim cum illo homo periret. hoc autem meditatio præstat, veritates enim attentè & profundè præmeditatæ sunt, quæ necessitatis tempore cor nostrum tuentur & defendunt. v. g. vel mortis consideratio, vel breuitatis vitæ, vel æternitatis futuræ, vel gloriæ ponderis, vel inferni tormentorum; sic veritas per meditationem rectè perpensa munier corda nostra, & liberabit nos.

Similiter qui bellum aggressuri sunt, scutum firmum & forte priùs parant, quo possint ictus inimicorum indemnes recipere. Cum igitur militia sit hominis vita aduersus animæ hostes, scutum præparare nos oportet; hoc autem quale sit ostendit Dauid Psal. 90. dicens, *scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.* Ecce veritas est scutum hoc, sed non veritas qualiscumque, non veritas superficialiter cognita, sed magna cordis attentione & meditatione perpensa. Ad hanc igitur necessaria est meditatio nostra. Psal. 90.

PROPOSITIO VIII.

Quod non solùm necessaria sit meditatio viris religiosis, sed etiam sæcularibus.

Habitabat Isaac in terra australi, & egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Quis non miretur hominem non in lege Euangelica, imo nec in lege scripta constitutum, sed in naturali sola & filium magnæ familiæ, sic exisse in agrum non animi gratia, sed ad meditandum sic egredi? in confusionem quidem Christianorum, qui legem perfectissimam profitentes, vix meditationis nomen sciunt, huiusmodi enim negotium religiosorum & monalium esse aiunt; ego autem sæcularis Christianus vxorem duxi, non possum meditationibus diuinis vocare, *&c.* quasi saluationis cura non ad seculares pertineat.

Psal. 76. Rex erat Dauid, & totius regni Israël exactam curam gerens, & tamen Psal. 76. *anticipauerunt*, inquit, *vigilias oculi mei, cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, &c. Et rursus, *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, &c. Denique, *septies in die laudem dixi tibi*, &c. Et tu Christianus cum sis nec totius regni curis grauatus, nec semel in die id præstare vales?

PROPOSITIO IX.

Meditatio conducit ad leuamen tribulationum & tentationum.

Gen. 1. In *Principio creauit Deus cœlum & terram.* Quid sibi vult mirabilis ista connexio cœli & terræ? quid altius cœlo? quid inferius terra? quid nobilius cœlo? quid ignobilius terra? Denique vt maximam quandam differentiam explicemus, distantiam inter cœlum & terram in medium adducimus, *va de uno alo otro loque ay del cielo ala tierra.* Quo loquendi tropo Deus ipse vsus est

Isai. 55. Isai. 55. *sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris.* Cur igitur simul hic

S. Cyrill. scriptura sacra cœlum cum terra copulauit? S. Cyrill. Hierosol. cat. 9. rationem hanc assignat: Secundùm suam magnam benignitatem Deus velut propriæ deitatis cœlum extendit, ne periremus, ita ille. quasi dicat, ideo Deus super nos cœlum extendit, ne malis & aduersitatibus terræ huius pereamus, sed cælestis patriæ consideratione ae spe, sic transeamus per bona temporalia vt non amittamus æterna. Cum igitur, frater, humanis miseriis te senseris constrictum, & afflictum, respice cœlum, & dic, quæ affligunt in terra temporalia mala sunt, quæ verò in cœlis spero, æterna & præclara. Ideo ergo cœlum & terram coniunxit dicens, *in principio creauit Deus cælum & terram.* Hierosol.

PROPOSITIO X.

Meditatio & maximè æternorum ad despicienda temporalia conducit.

Sanct. Gregor. 8. Mor. 8. vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit æternitas vitæ sequentis non attendunt, & ideo cursum, stationem & exilium patriam censent, quia qui maiora nesciunt, iudicare de minimis non possunt: sancti autem viri ad æternitatem cor eleuant, & quam breue sit quod fine clauditur pensant, & sic eis vilescit quod præterit. S. Gregor.

PROPOSITIO XI.

Meditatio quàm vtilis animæ sit.

Videtur quidem nihil agere qui meditationi vacat, sed nil minus; dicebat Scipio Romanus, vti refert S. Ambros. lib. 1. offic. c. 1. numquam minus solus fui quàm cum solus eram, nec magis officiosus quàm cum sic otiosus eram. ita ille Quod quidem melius is dicere valet, qui meditando Deo vacat. S. Ambr.

Minister Ecclesiasticus, *Vide* Sacerdos & Prædicator.

1. *Minister Ecclesiasticus vacare debet saluti animarum.*
2. *Quàm excellens sit ministerium Ecclesiasticum.*
3. *Quanto prosequatur odio ministros Ecclesiæ diabolus.*

PROPOSITIO I.

Minister Ecclesiasticus vacare debet saluti animarum.

Inter omnes tribus Leuitica non ab aliis seorsum tribubus segregata, sed cum cæteris permixta habitabat, non à casu, sed ordinante sic Deo. Cur ita? Lyran. ideo ait, quia Leuitæ tenebant docere populū de his quæ ad cultū Dei pertinebant, facilius autem populum docerēt per omnes trib' dispersi quē in vnā cōgregati. ita ille. Lyra.

Apocal.

Apoc.4. Apocal. 4. vidit Ioannes in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor illa notissima animalia. Quæ quidem visio oppositionem includere & inuoluere videtur, quomodo enim in medio & in circuitu esse poterant? ecce mysterium, quatuor animalia hęc ministros & doctores Ecclesię Christi repræsentabant, qui quidem cum saluti animarum attendere debeant, in circuitu populi & in medio pariter esse debent; in circuitu quidem, vt sicut diabolus circuit terram quærens quem deuoret, sic etiam Dei minister circumeat terram ne quem deuoret hostis, sed saluet Christus; in medio etiam populi adesse debet, sicut in medio corporis cor, quod inde spiritus vitales ad

S. Ambr. omnia membra ministrat. Explicatio hęc S. Ambr. est dicentis. In circuitu sedis quatuor animalia stant, quia Doctores populum sibi commissum, & à visibilibus & ab inuisibilibus hostibus quanta virtute possunt defendunt; in medio sedis etiam consistunt, quia vnumquemque populi vt in virtutibus & in omnibus operibus bonis proficiant admonere non desinunt. ita S. Ambros. ex quo patet ministros Ecclesiasticos Dei similitudinem gerere: sicut enim Deus vel centrum vel sphæra orbis est interius & exterius, & denique vbique vitam & esse rebus omnibus tribuens; sic etiam minister eius esse debet patrocinium & vitam omnibus administrans.

Nu.12.10. Murmurauerant Aaron & Maria soror eius aduersus Moysem; punire volens Dominus culpam hanc, percussit lepra Mariam, non Aaronem; cur non? cum etiam Aaron murmurauerit. si

Theodor. pares in culpa fuerunt, cur non in pœna? Theod. q. 13. in Num. Abul. ibidem q. 64. Oleaster in expositione litterali duplicem rationem reddunt. Prima est, quia Maria maiorem incurrit culpam, quod Abulensis colligit ex modo loquendi scripturæ, quæ ait *loquuta est Maria & Aaron contra Moysem*, vbi prius nominatur soror, tanquam in culpa prior & potior, & ita (inquit Abul.) locutio præcipuè ad Mariam spectat, ad Aaronem verò tanquam ad fauentem. ita ille. Secunda ratio est ad rem, quia Aaron sacerdos erat, atque adeo populo cui assisteret pernecessarius, leprosus autem secundùm diuinam legem

Leuit. 3. Leuit. 3. à consortio erat hominum separandus. Ne igitur populo deesset, à pœna lepræ immunis remansit. Videat Pastor quàm à Deo admonitus sit ouibus suis præsto esse.

Isai.3.7. Isaias c. 3. renuentem recipere principatum, sic loquentem introducit: *non sum medicus, nolite constituere me principem populi*; non ait, non sum diues, non sum sapiens, non sum fortis & potens, sed *non sum medicus*; quid refert esse vel non esse medicum ad principatum obeundum vel non

S.Bern. obeundum? S. Bernard. serm. 25. in cantic. sic expendit: Sciunt boni fidelesque præpositi languentium sibi curam animarum creditam, non pompam, medicos se & non Dominos agnoscentes parant confestim aduersus phrenesim animæ, non vindictam sed medicinam. ita ille. Ecce quid sit superior medicus assistens semper subditis suis.

Ita quidem qui aliis præest, illorum vtilitati vacare debet, vt vel præsens eos manu ducat vel

Gen 32.22 absens pro eis oret & curam gerat Genes. 32. Iacob cum Iordanem transiret ingenti suorum caterua sociatus flumen traiecit, nimirum, quia in transitu periculum suorum imminere videbat, post transitum verò vndarum, solus remansit cum Angelo colluctaturus, & Deum oraturus pro suis, ita locum expendit Cardinal. Caietan. dicens: In Caiet. transitu fluminis quodammodo manu duxit suos & superintendit vt omnia sua transirent; postea verò remansit solus, quia rationabile erat, vt se ac suos Deo commendaret. ita ille. Sic etiam hi quibus aliorum cura demandata est, dum eorum postulat salus, eis adesse debent, & postea sibi Deoque pro se suisque vacare.

Hinc est quod cum suorum salus seu saluatio in periculo versatur vt eos à tali eximat periculo, se in periculum etiam mortis exponere debet superior seu Dei minister. Cuius rei typum in eodem Patriarcha Iacob expressum habemus, cum iuuenis esset, qui vt iram fratris, & periculum mortis euitaret, in aliam regionem fugit; Pater verò familiâs iam effectus cum familia sua Dei nutu in patriam rediens, vbi frater idem, qui minatus ei mortem fuerat, tunc erat, timuit quidem illum, sed non fugit, & vt ait scriptura Gen. 33. Gen.33.3. *ipse progrediens adorauit septies pronus in terram*. Quid hoc? Iuuenis periculum fugiens declinauit, & iam senior cum pugnandi animus deesse so'et, periculo se opponit? ita, quia iuuenis sibi solùm prouidebat, senior verò suis consulebat. Vide ait S. Chrysost. hom. 33. in epistola ad Co- S.Chrisost. rinthios, vt timidus ille charitate suscitante leone quouis animosior euadat; velut propugnaculum enim quoddam seipsum ante cæteros locans paratus erat ferum illum, & minas sicut suspicabatur spirantem, excipere prius, & suo ipsius corpore parare vxoribus salutem, & quem domi timebat intueri primus in acie stat. ita ille. Sic cui aliorum salus incumbit animarum, minus præcauere debet periculum mortis suæ, quàm perditionem animarum suorum.

Idem in sancto Moyse considerandum venit, qui dum priuatam gereret personam Exod. 2. à Exod.2.14 conspectu Pharaonis fugit, mortem timens, sed enim iam princeps populi Israël à Deo constitutus esset, non recusauit Pharaonem adire occasione in maioris periculi, videns, ne populi saluti deesset. Quod ita rectè S. Chrysost. expendit dicens: S.Chrysost. Moyses ille fugitiuus, & vnius viri minas sustinere non valens, melle charitatis semel gustato, nemine cogente, mori pro suis festinabat. ita ille. Sic se pro animabus eorum, se quisque offerre debet Deo vsque ad mortem crucis, sicut Christus Dominus.

Animaduertant hoc qui præsunt in spiritualibus, & videant quàm merito Concilium Tridentinum sess. 6. c. 1. & 2. & sessione 23. decreto Trident. de reformatione c. 1. pastoribus iubeat, suis in Ecclesiis residere, ne propter pastoris absentiam oues detrimentum patiantur.

PROPOSITIO II.

Quàm excellens sit ministerium Ecclesiasticum.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Ioan. 20. Ioa.20.21. magnam præferunt dignitatem ministrorum animarum verba ista, mirum ergo exponenda à nobis sunt. Rupertus sic exponit: quomodo vel ad quid misit Deus Pater Filium suum, nisi vt inter Deum & hominem pacem faceret? Quomodo itidem vel ad quid, suos in vniuersum mundum filios mittit prædicatores, nisi vt mittoeos Deo reconcilient homines? Hoc sciens Apost. ait Corinthiis, *omnia ex Deo qui reconci-* 1 Cor.5.19 *liauit nos sibi & dedit nobis ministerium reconciliationis*.

tionis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramini pro Rupert. Christo, reconciliamini Deo. ita Rupert. idem S.Cyrill. S.Cyrillus; & vt non solùm de concionatoribus sed etiam de confessariis missio hæc intelligeretur, dixit Christus ibidem, *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*; nonne ad confessarios spectat?

Hinc Paulus se suosque Coapostolos, & ministros Christi *coadiutores Dei* vocat, *Dei* ait *sumus adiutores*. Pondera verbum, *adiutores*; audax videtur verbum, nonne multum nobis fuisset dixisse *serui Dei sumus*? vel, *ministri Dei sumus*? Cur *adiutores* vocat? Etenim S. Iob cap. 26. cuidam qui Iob. 26. se Dei adiutorem esse præferebat, *cuius*, inquit, *adiutor es? numquid imbecillis? & sustentas brachium eius, qui non est fortis?* Sic videtur dici posse Apostolo; Cuius dicis vos esse adiutores? Nomquid alicuius hominis imbecillis? Numquid eget adiutoribus omnipotens Deus? sed tamen Spiritus sanctus qui linguam Apostoli regebat, Deus erat qui per os Pauli dixit: *Dei adiutores sumus*. Ita ergo est, nimirum, quia vti ait S. Anselm. quod Deus per spiritum agit intrinsecus, ministri eius, exterius adiuuant ministerio vocis. ita ille. Talis ac tanta est bonitas Dei, talis ac tanta est felicitas ministrorum eius.

S. Dionys. Quod S.Dionys. notis illis verbis ponderauit, omnium diuinorum diuinissimum est Dei cooperatorem esse in reductione animarum ad ipsum, vide quibus verbis auget S. Dionys. ministerium ministrorum Christi, diuinorum diuinissimum ait esse, nec mirum, quia inter omnia opera Dei, opus redemptionis omnium excellentissimum est, & ideo ab eo desumpsit Christus nomen, *vocatum* (inquit) *est nomen eius* IESVS, quod quidem nomē moriens super caput suum collocauit, quasi diceret: Nequaquam pœnitet me, munus saluatoris obiisse, quamuis hic in cruce ob id moriar. Imo titulum Saluatoris, in eadem cruce secum affigi voluit Dominus, vt passionis & mortis suæ causam salutem nostram fuisse omnibus constaret. Matt. 27. Ideo enim ait S. Matth. c. 27. *imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam*, hic est IESVS *Rex Iudæorum*, non dixit, posuerunt titulum solummodo, sed *causam*, cur ita? Euthymius causam, inquit, ob quam esset crucifixus. ita ille. Ideo mori crucifixus voluit, quia saluator erat; & sicut Noë per lignum mondom à morte liberauit æterna, *y esso tan de buena gana, que puso ese tuulo y causa sobre su cabeça*. Hoc igitur fuit opus excellentissimum Dei, & huiusmodi altissimi operis adiutores sunt ministri Ecclesiæ illius.

S.Chrysost. Expendit eloquenter hoc S. Chrysost. hom. 55. ad populum dicens nomine ipsius Dei loquentis; Feci ego cœlum & terram, tibi autem dono vt terram facias cœlum; accendi ego luminaria cœli, accende tu & clariora illis; hominem facere non vales, at iustum & gratum efficere vales; vide quam te diligam, qui maiora tibi S.Chrysost faciendi potestatem tribuo. ita S. Chrysostom. Quod si fuisse Dei adiutorem in creatione mundi aliquem hominem pro magno valde æstimaretur, quanto magis æstimandum est adiutorem Dei in animarum salute esse?

Merces præterea tanti operis quanta erit? Etenim Paulus ibidem priùs quàm diceret, *Dei adiutores sumus*, præmisit, *vnusquisque secundum proprium laborem mercedem accipiet*, & immediate subdit, *Dei enim adiutores sumus*. Vbi S. Thomas exponens locum istum ait: Potest S. Thom. autem labor esse potior tripliciter; primò, secundùm formam charitatis, cui respondet merces essentialis, vnde dicitur Ioann. 14. *qui diligit me diligetur à Patre meo & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: Vnde qui ex Ioan. 14. maiori charitate laborat, licet minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiet. Secundò, ex operis specie, sicut enim in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in opere digniori laborat, sicut architector, quàm artifex manualis, licet minus laboret corporaliter; ita etiam in rebus diuinis, ille qui in opere nobiliori occupatur, maius præmium assequetur, quantum ad aliquam prærogatiuam præmij accidentalis, licet forte minus corporaliter laboret, vnde aureola datur Doctoribus, Virginibus, & Martyribus. Tertiò ex quantitate laboris, vt cum quis longiùs peregrinatur, vel diutius ieiunat. ita S. Thom. Ex his colligi potest, quanta futura sit merces operantium in vinea Christi.

PROPOSITIO III.

Quanto prosequatur odio diabolus ministros Ecclesiæ.

1. REg. 18. *Inuasit spiritus Dei malus Saul, David autem psallebat manu sua, tenebatque Saul lanceam putans quod configere posset Dauid cum pariete & declinauit Dauid, &c.* Cur saul sic 1 Reg. 18. 11. occidere voluit Dauidem tum cum ab eo musicæ beneficio frueretur quo leuiabat quo tormentum eius, pro quo non morte sed mercede Regia dignus erat? Respondet S. Ambros. in octonario 2. psal. 118. Quis Regem Saulem excitauit contra Dauidem, nisi spiritus ille malus, qui se dolebat à Saule excludi, citharæ sono, quo mentem Regis animumque mulcebat? ita S. Ambr. Sic enim dicitur 1. Reg. 16. *quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam & percutiebat manu sua, & recedebat ab eo spiritus malus*. Habemus 1. Reg. 16. 23. abumbratam imaginem modi quo Diabolus se habebat aduersus euangelij ministros; eos enim persequitur, qui animarum curam gerunt & cithara diuini verbi & sani consilij à corde peccatorum eum eiiciunt.

Miraculum.

1. *Miracula Christi optimè confirmant veritatem fidei Christianæ.*
2. *Quàm innumera sint mirabilia Dei.*
3. *In miraculis Christi non solùm facta, sed etiam mysteria attendere debemus.*

PROPOSITIO I.

Miracula Christi optimè confirmant veritatem fidei Christianæ.

INter ea, quæ maximè fidem Christianam confirmant, miracula Christi præcipue numerantur. Ad hoc enim inita illa, quæ Euāgelistæ narrāt, Domin^9 patrauit, v.g. resurrectionē Lazari,

enr quæso per quatuor illos dies illam resurrectionem distulit, cum statim eum post obitum ad
S. Ambr. vitam reuocare posset? prætereà ait S. Ambr. lib. 5. exam. c. 7. iussit Dominus iam lazarum suscitaturus, vt Iudæi lapidem de sepulchro remouerent, & mortuum videntes postea resuscitatum crederent; deinde Lazarum vocauit, & tunc resurrexit, & ligatis manibus & pedibus exiit foras; nonne poterat remouere lapidem, qui potuit mortuum resuscitare, & qui potuit defuncto vitam reddere non poterat nexus soluere vinculorum? & qui vinctis pedibus gressum dedit, non poterat ruptis vinculis incessum reddere? Sed vtique aduertimus quod voluit primum demonstrare mortuum, vt oculis suis crederent, deinde resuscitare, tertiò iubere, vt vincula ipsi soluerent, vt inter ista fides infunderetur infidelibus & per hos gradus credulitas nasceretur. ita S. Ambros. Et verè
Ioa 11.45. vti ait S. Ioan. c. 11. *multi ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.* sic miracula Christi Domini mirè fidei nostræ veritatem confirmant.

Propositio II.

Quàm innumera sint mirabilia Dei.

Iob 5. IOb 5. sic Eliphaz amicus Iob de Deo nostro *qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero.* Miramur omnes eá miraculaliú quod videmus v. g. cæcum videre, surdum audire, mutum loqui, mortuum resurgere, cum non minora quotidie & plura à Deo fieri videamus, ita vt cum Eliphaz dicere valeamus, *qui facit mirabilia abs-*
S. Greg. *que numero* Quem locum sic expendit S. Greg. 6. Mor. 7. Quis, inquit, mirabilia Dei perscrutari sufficiet, quòd cuncta ex nihilo creauerit, quòd ipsa mundi fabrica mira potentia disposita sit, quòd super aëra cœlum suspenditur, & super abyssum terra libratur, quòd hominem fecerit, &c, vt, ita dicam, in breui colligens mundum, sed rationalem & hunc ex anima & carne constituens, inuestigabili dispositione permiscuit spiritum & lutum; sed tamen mirari negligimus, quia ea, quæ incomprehensibilitet mira sunt, humanis oculis vsu viluerunt: vnde fit vt si mortuus homo suscitetur, in admirationem omnes exiliant, & quotidie homo qui non erat nascitur, & nemo miratur, cum proculdubio omnibus constet, quia plus sit creari, quod non erat, quàm reparari quod erat; quia virga Aaron arida floruit, cuncti mirati sunt; quotidie sparsa seminum grana plenitudine spicarum multiplicantur & nemo miratur; aquam simul in vinum commutatam videntes cuncti mirati sunt, quotidie humor terræ in radicem vitis attractus per botrum in vinum vertitur & nemo miratur. Mira igitur sunt omnia, quæ mirari homines negligunt, qui ad considerandum ea vsu torpescunt. ita S.
S. Greg. Gregor.

Et idem 5. ibidem c. 8. quis, inquit, ab vno grano seminis immensam surgere arborem crederet, nisi certum hoc per experimentum teneret? in tanta enim vnius grani paruitate, & pene nulla sui dissimilitudine vbi latet ligni duritia, vbi asperitas corticis, virtus radicis, fructuum sapor, mollities foliorum, & diuersitas colorum &c. ita S. Gregor.

***

Propositio III.

In miraculis Dei non solum facta sed etiam mysteria attendere debemus.

SAnct. August. ser. 44. de verbo Domini, Dominus Iesus Christus ea quæ corporaliter faciebat, spiritualiter intelligi volebat; neque enim miracula operabatur, sed vt illa mira essent videntibus & vere intelligentibus: sicut, qui videt litteras optimè in codice scriptas, & nó nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, & miratur apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, quid indicét apices illi nescit, ex oculis laudator, mente verò non cognitor: alius autem laudat artificem & capit intellectum, ille vtique, qui non solùm videre, quod est omnibus commune potest, sed etiam legere; ita qui viderunt Christi miracula & non intulerunt, quid sibi vellent, mirati sunt, tales nos in schola Christi esse debemus. ita S. Aug. qui hoc confirmat ex miraculo illo Matth. 21. quando ficulneæ maledixit & maledicendo siccauit, cú tamen non esset tempus ficorú, & quidem maledixit, quia ficus non habebat; si non erat tempus ficorum, cur maledixit ficulneam non ferenté fructum in tempore non suo? Ad mysterium igitur hic recurrendum est, quæ culpa arboris (ait ibi S. Aug.) sic infœcundæ, sed tunc homines qui fructum voluntate dare possunt & illorum est culpa sterilitatis, quorum fœcunditas est voluntas. Cur ergo esuriés poma quæsiuit in arbore? significabat se aliud esurire & aliquid aliud quærere. ita ille. S. August. Simile.

Missa.

1. *Quanto decore celebrari debeat Missa.*
2. *Quanta deuotione assistendum sit Missæ.*

Propositio I.

Quanto decore celebrari debeat Missa.

SOlet Deus etiam minimas culpas in cultu diuino non leuibus pœnis punire. Leuit. 10. Nabab & Abiu igne non sancto & prohibito sacrificantes ignis à Deo missus absumpsit. Et 2. paralip. 26. Regem Oziam incensum offerre volentem turpis lepra deturpauit. Item Bethsamitæ de femell s victimas immolantes cum deberent secundùm legem Dei de maribus immolare, interprete Lyrano ad quinquaginta millia perierre. Præterea multi Reges populi Dei eo quod excelsa, id est loca extra Sanctuariú, (in quo tantùm sacrificia fieri debebant secundú ordinationé Dei) & ipsi in illis excelsis sacrificabant grauiter puniti. Præterea obseruandú venit, cur Samuel pœnas non dederit propter scelera filiorú suorum, sicut dedit Heli propter peccata filiorú suorum; respódet Theod. in lib. 1. Reg. q. 15. quia Samuelis filij contra iustitiam peccauerunt, filij verò Heli contra religionem: peccatum autem contra religionem & cultú Dei grauius punitur à Deo. ita ille. Leuit. 10. 2. Paral. 26 Lyran. Theod.

Item expende supplicium Ozæ 2. Reg. 6. quia cú arca Dei super plaustrú duceretur, & calcitrátibus bobus arca ruinā minaretur, Oza arcā tágere & sustinere ausus fuit, & ideo subita morte à Deo occisus est. Cur ita? cú obsequium illud pietatis & religio 2. Reg. 6.

religionis esse videretur, hic multi multa dicunt, videndus est Gaspar Senchez in hunc locum, qui tandem concludit, vel Ozam non fuisse Sacerdotem, neque Leuitam, atque adeo illicitum illi fuisse tangere arcam, vel quia non à Deo inclinata erat arca, vt opus esset illam sustinere, denique irreligiosè tetigit arcam; & ob eam causam à Deo est subito peremptus, quo manifestè constat, quam grauiter Deus puniat peccantes contra virtutem religionis & cultus diuini.

Gaspar Sanchez.

Ex his ergo colligitur quanta cum reuerentia Sacerdotes, in diuinis officiis & Sacramentis & cultu diuino, & maximè in maximo sacrificio missæ, debeant ministrare, ne à Deo grauiter puniatur.

Propositio II.

Quanta deuotione assistendum sit Missæ.

Genes. 22. *Cumque Abraham alligasset filium suum*, &c. Cur alligauit Abraham filium, qué hilariter videbat acceptare mortem? vt testatur S. Zeno. ser. 3. de Abraham, vbi ait: Patris dexteræ feriendus se ipsum gaudens exhibuit. ita ille. qui respódet: Abraham filij sui ligat manus, quas ille vinciendas libenter offert, & pedes constrinxit ne in ipsa morte concitata victima calcitraret. ita S. Zeno. Imo S. Chrysost. in imper. ho. 1. asserit Isaac petiisse à patre vt eum sic ligaret, dicens; *Pater mi liga mihi manus & pedes, ne quando insurgam in pugnationem*, ita ille. Nimirum, quia pater & filius indignum sacrificio iudicabant, quidquid tunc horrore vel dolore mortis faceret indecorè Isaac. Quid igitur dicemus de his qui in Ecclesiæ dum sacrificium Missæ offertur, vel diuina officia celebrantur, verbis vel etiá aliter Deum offendunt?

Gen. 22.

S. Zeno.

Scitum est quod de quodam famulo Alexandri magni refertur, qui cum candelam accensam manu teneret, dum Alexander sacrificium offerebat, & candela deficiente, manus famuli comburetetur, maluisse potius famulum adustionem manus, quam aliquid indecorum facere; & audebit forte Christianus in templo Dei inter diuina officia, aliquod sacrilegium perpetrare?

Miseria vitæ.

Propositio vnica.

Cur Christus à culpis & non à pœnis nos liberauit.

Rom. 5.

AD Rom. 5. *non sicut delictum ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*, & subdit, *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* vbi nota, quod hic Apostolus non asserit quod in plures homines abundauerit gratia Christi, quam peccatum Adæ: nó est positus excessus in pluralitate hominú, quasi Adá multos morte affecerit, Christus verò plures liberauerit; nó hoc intédit Paulus, quáuis Latina versio ita sonet. Græca quidem versio non ait *plures* sed *multos*, hoc est multi per Adam perierę, sed etiam multi per Christum reparati sunt: sed pondus sententiæ Apostoli in ipso effectu consistit, quia maiora bona effecit Christi gratia quàm damna peccatum Adæ. ita exponit Cardinal. Toletus, vnde aptè subdit Paulus, *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

Sed dices: quomodo superabundauit gratia, cum videamus peccatum Adæ attulisse nobis mortem non solùm animæ sed etiam corporis, & innumeras miserias de quibus Iob. 7. *homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis*, &c. quod experientia satis superque constat? Respódet has quas dicimus miserias, altiori cósideratione misericordias possumus appellare, sicut rectè obseruauit Hugo Victor. & explicauit q. 191. dicens, quia talis est spiritus humanus, vt nisi infirmitatibus esset obnoxius, supra modum extolleretur, & ita multa non saluarentur. Ex magna igitur misericordia non aufertur nostra mortalitas, cum cæteris pœnalitatibus in baptismo. ita Hugo. Si ergo experientia constat, etiam post Christi gratiam communicatam in baptismo remanere has miserias humanas, experimento etiam constat, has miserias in magnum cedere commodum nostrum, Inde enim humiliores efficimur quàm fuerunt primi parentes in statu Iustitię originalis, inde tot martyres in Ecclesia Christi, inde patientia Iob, & Tobiæ, & aliorum innumerabilium iustorum, & denique mors certa frenum est aureum animorum nostrorum. Atque adeo dicat meritò Paulus, *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

Iob 7.

Hugo Victor.

Misericordiæ & charitatis opera.

1. *Immisericordem esse reprobationis signum est.*
2. *Quàm prompti ad opera misericordiæ esse debeamus.*
3. *Misericordes esse in proximos signum gratiæ habitualis est.*
4. *In operibus misericordiæ non sunt offerenda peiora sed meliora.*
5. *Opera misericordiæ signum vera charitatis sunt.*

Propositio I.

Immisericordem esse reprobationis signum est.

Math. 21.

MAt. 21. *Reuertēs Christus in ciuitatem esuriit, & videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tātum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea, & videntes discipuli mirati sunt, dicentes:* Quomodo cótinuò aruit? Cur quæso mirati sunt? numquid non quotidie eiusmodi aut maiora miracula à Christo Domino patrata conspexerant? Inde forte magis admiratio orta, quod non esset tunc tempus ficorum, vti S. Marcus Euangelista dicit, *nihil inuenit præter folia, non enim erat tempus ficorum.* Cur eam Dominus maledixit? S. Leo Papa sic tesatur ód. l. 1. 7. de ieiunio. Præter illam Apostolicam sententiam qua homines fructu carentes pietatis vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cauenda est, de suæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus Iesus nihil habentem, quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit; vt intelligeremus, quoniam qui esurientem

S. Leo.

non refouet egenom, illi denegat cibum, qui quod pauperi est datum, sibi dixit impensum, & huiùs maledictionis arbores erunt quibus à iudicante dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & Angelis eius, esuriui enim & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere, &c.* Quæ etiam recoluntur, vt aduertamus non futurum extra misericordiam, qui vel partem horum operum fuerit exequutus. ita ille.

Propositio II.

Quàm prompti ad opera misericordiæ esse debeamus.

Colos. 3. AD Colos. 3. *Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, &c.* Cur non simpliciter dixit, habere misericordiam, sed *induite?* S. Chrysost. hom. 14. in epistolam ad Roman. sic respondet, vt sicut vestis vna nobiscum semper esse solet, ita sit & misericordia. Neque verò simpliciter dixit misericordiam, sed *viscera misericordiæ*, nimirum vt naturalem pietatem imitemur. ita ille. Ecce qualem ac quantam à nobis Deus exigat in proximos misericordiam. S. Chrysost.

Propositio III.

Misericordes esse in proximos, signum gratiæ habitualis est.

1. Ioan. 4. 1. IOan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,* id est in Deo manet, sicut palmes in vite recipiendo vitam à vite, & Deus manet in eo sicut in palmite vitis tribuendo vitam gratiæ. Vnde S. Leo serm. 10. in quadragesima: Discutiant ergo se fidelium mentes & intimos sui cordis affectus examinent, vt si repositum aliquid in sua conscientia ex fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent; & vt magis magisque tanti hospitis fiot capaces, fiant perseuerantes in misericordiæ operibus ampliores. ita S. Leo, hoc est, vt magis, ac magis Deus habitet in eis per gratiam ampliorem scilicet, gratiam à Deo recipiendo, opera misericordiæ multiplicent & amplificent. S. Leo.

Propositio IV.

In operibus misericordiæ non sunt offerenda peiora, sed meliora.

QVid est quòd in Leuitico ex auibus turtures seu filios columbarum sibi offerri voluit Deus? cur filios columbarum dixit, & non absolutè columbas? & cur turtures, & non filios earum? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 2, ad 4. quia in turturibus meliores sunt maiores quàm minores, in columbis autem meliores sunt filij quàm parentes; & ideo, vt ait Rabbi Moyses, mandantur offerri turtures & filij columbarum, quia quod optimum est, Deo tribuendum est. ita S. Thom. Et idem docet ibidem ad 7. quod scilicet hac ratione nolebat Deus offerri sibi animalia debilia, cæca vel clauda. S. Thom. Idem.

Propositio V.

Opera misericordiæ signa vera charitatis sunt.

GEnes. 44. *præcepit Ioseph dispensatori domus suæ dicens: Pone scyphum meum argenteum in ore sacci Iunioris,* id est Benjamin. Cur in tantam animi angustiam redegit Ioseph fratrem suum Benjamin, quem inter omnes fratres maximè diligebat? cum etiam id molestissimum Patri suo agnosceret futurum? Respondet Theod. q. 105. in Genes. Ioseph experiri volens animum fratrum suorum, & liquidò nosse an Benjamin calumniam passum defenderent, ob id in eius saccum seiphum abscondit. At vbi non tantùm patrocinari, sed & pro eo certare illos perspexit, persona eius qui imperaret deposita, fraternum vultum exhibuit, & fratres trepidantes bono esse animo iussit. ita Theodor. Ecce igitur qualiter in necessitatibus aliis subuenire fraternæ dilectionis signum sit. Vnde Apost. Ioannes 1. Ioan. 3. *qui habuerit substantiam huiusmundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? filioli mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Gen. 44. 1. Theod. 1. Io. 3. 17.

Mortificatio, seu, Affectuum moderatio.

1. *Mortificatio passionum via cœli est.*
2. *Quàm meritoria sit mortificatio.*
3. *Immortificatio mentem excæcat.*
4. *Quàm gloriosa res sit mortificatio.*
5. *Immortificatus, seruus suarũ passionũ est.*
6. *Mortificatio ad tolerandos labores valde necessaria est.*
7. *Immortificatus facilè turbatur.*
8. *Passiones moderatæ ad bona multa deseruiunt.*
9. *Mortificatio passionum conducit ad superandas tentationes.*
10. *Mortificatio est prædestinationis signum.*
11. *Passiones à ratione regulandæ sunt, & non è conuerso.*
12. *Immortificatus nulli muneri est aptus.*
13. *Passiones moderandæ sunt ab infantia.*
14. *Quali & quanta cura sint moderandi affectus nostri.*

Propositio I.

Mortificatio passionum via cœli est.

MAtth. 7. agens Christus de salutatione nostra dixit, *Intrate per angustam portam, quoniam lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam & pauci sunt qui inueniunt* Matt. 7.

munt eam. Miratur dictum S Chrysost. hom. 24. in Matth. & ait: At qui postea dicit, *iugum meum suaue est & onus meum leue*, quomodo igitur arctam viam & angustam pronunciat? quanquam si diligenter inspicias, hic quoque illam leuem valde dicit, & facilem, quia via est; nam cuncta prætereunt aspera & prospera vitæ huius: & facilis etiam est ex fine, non enim solum transire labores, sed etiam ad bonum properare finem potest consolationem afferre certantibus. Sunt laboriosa, quæ transeunt; sed quæ permanent, sunt gloriosa. Propter quod Paulus tribulationem nostram vocauit leuem, non vtique ad naturam tribulationum respiciens, sed ad futurorum spē. *Quod enim*, inquit, *momentaneum est & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur sed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.* Quod si Nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates & hyemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, leues & tolerabiles propter spem temporalium esse videntur; multo magis cum cœlum proponatur in præmium, & æterna & ineffabilia bona nihil ex præsentibus aduersitatibus sentietur. ita S. Chrysost. *Arcta* igitur est *via cœli*, quia hæc via est passionum moderatio & mortificatio, & spatiosa via inferni, quia est effrænatio concupiscentiæ, seu sicut ait in imperf.
S.Chrysost. S. Chrysost. hom. 18. via perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem *spatiosa*, quia non est intra regulam veritatis & disciplinæ inclusa, sed per diuersa carnalium voluptatum diffusa, & ambulantes in ea, non quod debent agere agunt, sed quidquid delectauerit hoc sequuntur, & voluntas lex ipsorum est, & non ipsi sub lege sunt sed lex sub illis est: *Via* autem *vitæ* est omnis iustitia. Dicitur autem esse *arcta*, quia intra regulam veritatis & disciplinæ est inclusa, & ambulantes in ea non quod delectat eos, hoc faciunt, sed quod debent; quia lex non est voluntas eorum, nec lex est sub illis, sed ipsi sub lege. ita ille. Multi ergo ambulant per viam mortis æternæ quia per latitudinem voluptatum perguot. Quod expendens
S.August. S. Aug. ser. 55. de tempore, ait: O infelix voluptas, quæ per dulcedinem transitoriam præparat amaritudinem sempiternam; vigiliæ verò, orationes & ieiunia per angustias breues perducunt ad delitias paradisi, quia nō mentitur veritas, quæ dicit, *Arcta est via quæ ducit ad vitā*. ita S. Aug.

Propositio II.

Quàm meritoria sit mortificatio passionum.

INterrogare quis potest, cur consummata per Christum redemptione non est à nobis sublata appetitus nostri deordinatio? siquidem ait Apost. Paulus, *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Abundauit delictum, cùm peccante Adamo ordo passionum nostrarum abolitus fuit; abstulit Christus peccatum quod deordinationis huius causa fuit. Cur igitur ad superabundantiam gratiæ Christi non est pariter ablata deordi-
S. Greg natio ista? Respondet S. Greg. 4. Mor. 21. expli-
Iosue 16. cans locum illum Iosue 16. *habitauit Chananæus in medio Ephraim tributarius.* Quid Chananæus (gentilis videlicet populus) nisi vitium significat? & sæpe magnis virtutibus terram promissionis ingredimur, quia spe intima de æternitate robora-

Labata loci Mor. Tom. I.

mur; sed dum inter acta sublimia vitia quædam parua retinemus, quasi Chananæum viuere in terra nostra concedimus. Qui tamē quasi tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitiū quod subigere nōs possumus, ad vsum nostræ vtilitatis retorquemus; vt eo de semetipso & in summis vilia sentiat quo suis viribus etiā parua, quæ appetit, non expugnat.
Vnde rursum scriptū est: *hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem.* Ad hoc Iudic. 3.
namque minima quædam vitia retinentur, vt sese nostra intentio sollicitā in certamine semper exerceat, & eo de victoria non superbiat, quo viuere in se conspicit hostes, à quibus adhuc vinci formidat ita S. Greg. vbi non de vitiis propriè, sed de S. Gregor.
passionibus ad vitia prouocantibus agere videtur; has enim ad exercitium virtutum & speciatim humilitatis conducere constat.

Propositio III.

Immortificatio mentem excæcat.

PSal. 13. sic Dauid: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Duo sunt hic obseruanda: Primum, dixisse hanc maximam blasphemiam hominem insipientem & stolidum; nisi talis enim quis Psal. 13.
dixisset? Secundum est, dixisse hoc non ore sed in corde suo. Vbi rectè S. Aug. nec ipsi sacrilegi, & detestandi quidam Philosophi, qui de Deo falsa & S.August.
peruersa sentiunt, ausi sunt dicere, *non est Deus*; ideo ergo dixit hic insipiens in corde suo, quia hoc nemo auderet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. ita S. Aug. Ego autē etiam miror, quomodo vel in corde possit quis id cogitare: quis enim videns imaginem aliquam miro compositam artificio, diceret: hæc à nullo est effecta, sed casu sic apparuit? Quis fabricam huius mūdi aduertat, qui non dicat: Admirabilis artifex hic manum adhibuit? Quis hominem ad imaginē Dei attentè considerans, tam in his quæ ad animum, quàm in his quæ ad corpus eius spectant, non agnoscat omnipotentem conditorem? Quis vel in compositione vnius arboris folij non agnoscit sapientiam Creatoris? ita vt nec corde cogitare posset non esse Deum? quomodo ergo, *dixit insipiens in corde suo: Non est Deus?* Causam subdit ibidem Dauid: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis:* in Hebræo sic, *abominabiles facti sunt in affectionibus suis.* vbi S Aug. id est, dum tales insipientes S. Aug.
amant hoc sæculum, non amant Deum, ipsæ affectiones sunt, quæ animam corrumpunt, & sic excæcant, vt possit dicere imprudens in corde suo: Non est Deus. ita S Aug. Ecce ad qualem & quantā cæcitatē animā perducāt affectus immoderati.

Propositio IV.

Quàm gloriosa res sit mortificatio.

ACtor. 5. *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine* Actor. 5.
Iesu contumeliam pati. Ponderat S. Chrysost. locū S.Chrys.
hunc hom. 62. ad populum, dicens; Quomodo gaudere possint, vbi sunt vincula? vbi tormenta? vbi iudicia? & respondet; Imò quomodo licet vbi hæc non sunt? qui enim nullius rei magnæ sibi conscius est, quomodo delectabitur? miles qui mille accepit vulnera in bello, nonne cum magna lætitia reuertetur, habens gloriæ materiam vulnera? & tu si potes erumpe vocem illam Pauli, *Stigmata Iesu porto*, & sic magnus

& illustris fieri poteris. At dices, non est persecutio? igitur sta aduersus gloriam mundi, & si quid alius contrarium dixerit, ne timeas malè propter Christum audire; sta contra superbiæ tyrannidem, sta contra pugnam iræ, & contra concupiscentiæ tormentum; nam hæc stigmata & tormenta sunt. Dic enim mihi, quid est in tormentis grauius, nonne cum anima dolet, & vritur? Nam illic quidem corpus secatur, hîc verò anima. ita S. Chrysost. ideo enim passionum cordis moderatio, mortificatio dicitur, quia quasi mors reputatur. Pugna igitur aduersus passiones, quas si vinceis, magnos hostes superasti, & per consequens magnam es consequutus gloriam. S. Chrisost.

Gen. 17. Genes. 17. Promisit Deus Abrahæ se illi daturum Isaac filium & subdit, *eritque, in nationes, & Reges populorum orientur ex eo.* Vbi glossa interlinearis, *Reges orientur ex eo*, id est, motus suos bene regentes. ita glossa. Et quidem difficilius est appetitus coërcere, & passiones rectè gubernare, quàm populos, quia populos amore vel timore regunt, passiones verò cordis sæpe nec allicit amor bonorum, nec coërcet timor malorum æternorum. Vnde altior & sublimior est passionum moderatio.

Propositio V.

Immortificatus seruus suarum passionum est.

Seneca. Seneca ad Lucill. nemo liber est qui corpori seruit. ita ille. Rectè enim Cicero in paradoxis ille liber est cui alter imperat, cui leges imponit, iubet, & vetat quod placet? qui nihil imperanti negare audet? poscit? dandum est; vocat? veniendum est; eiicit? abeundum est; minatur? extimescendum est? hunc miserum seruum appellandum censeo, etiam si in amplissima familia natus sit. ita ille. Talis igitur est, qui sue paret appetui, qui quidquid vel fæda libido, vel ambitio, vel auaritia, vel cupiditas intemperans dictat, miser exequitur.

Idem. Vnde rectè idem Sen. Epistola 105. Sibi seruire grauissima seruitus est Et alibi: Ego quidem vbicumque sum, meus sum; rebus enim meis non me trado, sed accommodo. ita ille. Quare S. August. quem, inquit, delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium caueat, seruitutis enim huius vinculum, non ferrum sed amor est. ita S. August.

Propositio VI.

Mortificatio ad tolerandos labores valde necessaria est.

Plutarch. IN magno fluctu (inquit Plut.) non sistitur nauis nisi pondus anchoræ retineat alto vado infixæ; sic in magnis rerum procellis summa ratio debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur ita ille. Etenim cum aduersitas altè consurgit, plus timere debemus procellam affectuum interiorum, quàm tribulationum exteriorum. Anchora igitur, quæ animæ nauem contineat, ratio superior est, ad eam recurrat sapiens, & secundùm rectam & prudentem rationem, quid agendum sit attendat, & eam quamuis repugnante passione sequatur, postea enim cessante vêto gaudebit & fructum suæ prudêtiæ percipiet. ita ille. Simile.

Propositio VII.

Immortificatus facilè turbatur.

HOminem vehementer ægrotum (ait Plut) vel Lunæ deliquium, vel ventus asperior, vel maris recessus, aut huiusmodi quæuis rerum commutatio tollit è medio vel grauiter afficit: Sic animos imbecilles & affectibus corruptos, quæuis offensa perturbat, cumque firmus est animo ista non sentiat. ita Plutarch. Plutarch. Simile.

Qui passiones suas mortificare nolunt, similes sunt patrifamilias, qui malè filios aut seruos erudit, & educat; sentit enim eos valde contumaces, inobedientes & sibi valde molestos: sic &c. Simile.

Hinc est, quod quamuis loca vel officia, vel amicitiam, vel alia huiusmodi mutent, numquam pacem cordis inueniunt. Quod sic exponit Plutarch. lib. de tranquillitate animi; Sicut hi qui nauigando nauseæ sunt obnoxij existimantes se melius habituros, si ex acatio in naulum, vel rursum in triremim commigrarint, nihil tamen proficientes, bilem secum, & pessimos humores circumferunt; ita aliud vitæ genus, non eximit animo ea quibus grauatur, & perturbatur. ita Plutarch. grauatur autem & perturbatur passionibus immoderatis, amoris vel odij, timoris vel audaciæ, gaudij vel tristitiæ, vel huiusmodi affectibus alus. Idem. Simile.

Propositio VIII.

Passiones moderatæ ad bona multa deseruiunt.

PLut. multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem in se sunt, sed tamen signa sunt vbertatis, & felicis soli, si quis excolat: sic animi affectus per se, acres & vehementes ingenium arguunt, ad multa bona aptum, si tamen accedat recta institutio. Plut.

Propositio IX.

Mortificatio passionum conducit ad superandas tentationes.

THeodor. q. 33. in Exod. quærit, quibus armis filij Israel pugnauerunt contra Amalechitas & vicerunt eos. Nam eum ex Ægypto exirent, non legimus arma secum detulisse, quibus tantum populum superare valerent. Respondet Theodor. ibid. m: Cum Ægyptij demersi essent in mari rubro, eorum corpora vnà cum armis in littus depulsa sunt, quæ illi spoliantes, & ellicos sump erunt vsus. ita ille. Armis igitur, quæ ab illis inimicis sumpserunt, ad alios inimicos vincendos vsi sunt; sic etiam cum ex carne victa arma desumimus, passiones videlicet, quas nostras facimus, cum eas moderatas habemus, tunc facile reliquos animæ hostes diabolum & mundum superabimus; hi enim a diabolo & mundo vincuntur, qui moderatione affectuum & mortificatione concupiscentiarum carent. Theod. Theod.

Propo

PROPOSITIO X.

Mortificatio signum prædestinatio est.

Gen. 17. Genes. 17. præceptum circumcisionis dedit Deus Hebræis, causam verò assignans ait, *vt sit in signum fœderis inter me & vos.* vbi Lyranus, circumcisio signum fuit Israëlem à Gentibus distinguens. ita ille. Sed à circumcisione corporali ad spiritualem ascendendo, dixerim ego esse quidem signum prædestinatos à reprobis distinguens; est enim circumcisio spiritualis, cordis circumcisio, qua affectus deordinatos circumcidimus & moderamur; reprobi autem effrenatè appetunt corporalia bona, & voluptates sicut equus & mulus, quibus nō est intellectus. Quis non dicat hoc reproborum signum esse? Prædestinati autem sensus & potentias exteriores circumcidentes moderantur passiones vt rationi obediant.

PROPOSITIO XI.

Passiones à ratione regulandæ sunt, & non è conuerso.

Plutarch. Simile. Plutarch. in morali: Calceus ad pedis formam torquendus est, non verò contrà: sic affectus ad rationis formam, non è conuerso. ita ille.

PROPOSITIO XII.

Immortificatus nulli muneri aptus est.

Idem. Simile. Plutarch. in morali. Frustra hauries aquam à turbido fonte; ita non poteris aliis iucundus esse, aut rebus obeundis accommodatus, nisi animum purgaueris ab affectibus malis. ita ille.

PROPOSITIO. XIII.

Passiones ab infantia moderandæ sunt.

Idem. Simile. Plutarch. in morali. Equi iam mansuefacti, etiam si auriga non vtatur habenis; tamen sua pte sponte, rectam pergunt viam; sic affectus à ratione iam pridem domiti & assuefacti nec in somnis, nec in morbis sopita ratione quidquam tentant inordinatè. ita ille. Adde, neque in prosperitate, neque in aduersitate vehementer à ratione animum auertunt.

PROPOSITIO XIV.

Quali ac quanta cura sint moderandi affectus nostri.

S. Ambr. Sanct. Ambros. lib. 1. exam. c. 8. non ab extraneis nobis ipsis maius periculum est, intus est aduersarius, intus author erroris, intus inquam, in nobismetipsis clausus; propositum igitur speculare tuum, habitum mentis tuæ explora, excubias ostende contra metus tui cogitationes, animi cupiditates; tu enim ipse es causa improbitatis tuæ. In nobis ergo est moderari studia, cohibete iracundiam, coercere cupiditates, &c.

Mors.

1. *Mortis memoria ad non peccandum conducit.*
2. *Quàm pium & iustum sit pro defunctis orare.*
3. *Mortis consideratio conducit contra superbiam.*
4. *Mortis consideratio ad ferendos labores virtutis confert.*
5. *Mortem peccatorum solet Deus accelerare.*
6. *Quàm horribilis sit mors malis, & non ita bonis.*
7. *Mors finis est laborum huius vitæ.*
8. *Quàm incerta hora mortis, & quare.*
9. *Vita hæc potius est dicenda mors quàm vita.*
10. *Mors terminus est bene operandi & promerendi.*
11. *Quàm breuis sit vita nostra.*
12. *Quòd non corporis sed animæ timenda sit mors.*
13. *Quòd mors post Christi mortem sit timenda.*

PROPOSITIO I.

Mortis memoria ad non peccandum conducit.

Genes. 3. Deus hominem morte damnauit, & emisit eum ex paradiso dicens, *ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ & viuat in æternum.* Sic Deus itinera vitæ clausit homini & mortis aperuit ianuas, quod quidem non solum præstitit in pœnam peccati, sed etiam in remedium, vt se iam moribundum inruens, rationes suas ita componeret, quasi citò eas Deo redditurus; sicut medicus ex eodem veneno serpentis, quo aliquem infecit, pharmacum, seu antidotum conficit, quo percussum à serpente seu vipera sanet; & sicut, qui arborem comburit, ramis suis iramus peccati mors, ex illo quippe processit; sed mortis memoria Deus peccatū vrit & destruit, qui enim se breui tempore moriturum considerat, & illico post mortem in Dei iudicium rapiendum credit, qui peccare audeat si sapiat? Ideo igitur Deus mortem indixit homini, sicut Theodor. adnotauit, expendens verba illa Genes. 3. *ne forte sumat de ligno vitæ & viuat in æternum.* Non hoc dictum est, quod Deus vitam æternam inuiderit illi, sed vt per mortem impetum peccati detineret, vt cum ait Apost. ad Rom. 6. *qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Itaque mors tam supplicium, quàm medicina fuit. ita ille. Genes. 3. Simile. Theod. Roma.

Iob. 21. sic Sanct. Iob. de viro impio: *Ipse ad sepulchra ducetur & in congerie mortuorum vigilabit.* Author catenæ in Iob. sic interpretatur: Iob.

 Si impio

Si impio annuntietur se mortalem esse, & ad tumulos videndos seu considerandos deducatur, vbi est congeries defunctorum, facile à somno suæ negligentiæ excitabitur, & super negotium saluationis vigilabit. ita ille. pænitentiam scilicet agendo, & à peccatis in futurum cauendo; in congerie enim illa mortuorum videbit, quasi in speculo vitæ huius fabulam & vanitatem, dum scilicet aspexerit hîc cranium regis, ibi diuitis magni, hîc summi Pontificis ossa, ibi sapientium virorum cadauera, quorum non est memoria ac si nati non fuissent, *vera en que para toda la gloria del mundo*; atque ita pro nihilo eam reputabit, & dicet, *stultum prorsus est peritura quærere, & in æternum mansura non curare.*

Rupert. Rupert. lib. 4. in Genes. c. 3. quid futurum erat si viueret homo in æternum, cum certissimè moriturus, & quotidiè moriens corrumpat viam suam? ita ille. Cui consonat quod Dominus dixit Esdræ lib. 4. cap. 8. vbi de reprobis agens ait. Esdræ. 4. c. 8. nu. 57. *Esdra ipsi accipientes libertatem spreuerunt, altissimum & leges eius contempserunt, & vias eius dereliquerunt. & quidem scientes, quod moriuntur.* quasi diceret, quid facerent si non morerentur?

Iob 21. Iob. 21. agens S. Iob. de peccatore obstinato, qui felicitate mundana gaudet sic ait, *quis arguet coram eo viam eius*, id est, audebit verbis arguere & corripere illum? obstante scilicet praua eius consuetudine & delectatione peccatorum? quasi dicat, nemo, nam ægre feret correptionem, & aduersùs increpantem retorquebit iracũdiam suam, sicut fecit Rex Herodes aduersùs Ioannem, & Pharisæi aduersùs Christum. Quodnam ergo remedium adhiberi poterit vt is peccator ad sanam redeat mentem? subdit Iob: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit*, id est, ait Nizetas. Nizetas, hoc illi superest remedium, vt ad sepulchra mortuorum pergat, vt videat cadauera, & sicca & deformia ossa mortuorum, & se similem futurum; quod si nec sic conuertatur, Deo remittenda est conuersio eius. ita ille.

Propositio II.

Quàm pium & iustum sit pro defunctis orare.

Gen. 7. GEnes. 7. Cum iam centum anni transissent, quos Deus mundo ante diluuium ad pœnitendum concesserat, *adhuc*, inquit, *& post dies septem pluam super terram.* Cur non statim? ad quid his septem diebus diluuium differt? Lyranus, Lyra. illi septem dies fuerunt dies luctus Mathusalem, vt dicunt Hebræi, qui tunc mortuus fuerat. Voluit enim Dominus eum honorare propter iustitiam suam, & ideo noluit quod inundaret diluuium, donec transissent dies luctus eius. Dicunt etiam quod propter hanc causam hi septem dies additi fuerunt ad terminum taxatum centum viginti annorum ante diluuium. ita Lyranus.

Propositio III.

Mortis consideratio conducit contra superbiam.

Leuit. 1. LEuit. 1. sic Dominus ad Moysem de holocausto auium agens; *plumas proiciet Sacerdos prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent.* Vnde huiusmodi cura Deo de plumis, quas nos pro nihilo habemus? & cur ad orientalem plagam plus quàm ad septentrionalem, vel occidentalem? vel cur in loco cinerum? quid cineribus immundis cum plumis depictis & pulcherrimis? Isichius in hunc locum: Ad Isichius. orientem plumas proiici iubet, quia inquisitio sublimium rerum videtur esse debere in loco cinerum, propter naturam de qua Abraham dicit, *Ego sum puluis & cinis.* Ergo per locum cinerum inflationem redarguit legislator, vt pote quæ digna cinere sit, quod autem cinere dignum est, deorsum in terra manet, & in cœlum ascendere non potest. ita ille. Plumæ quidem quibus auis ad alta volat, superbiæ symbolum sunt, & aptum; quare merito Deus eas in cineres mitti iubet, vt superbus attendat qualis superborum finis & terminus sit; quid igitur superbit terra & cinis, &c.

Prou. 30. *sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, affer, affer.* Cuiusnam sanguisugæ? & quæ sunt sanguisugæ filiæ illæ? S. Bernard. in declamationibus in id Mat. 19. *ecce nos reliquimus omnia*, propriæ voluntatis duæ sunt insatiabiles filiæ, clamantes, affer, affer; siquidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate aliquando satiatur. ita ille. Quod igitur remedium? medicinæ artis periti cinerem esse aiunt remedium ad sanguisugas euellendas; si enim adhærenti carni sanguisugæ cinerem adhibueris, quantumuis tenaciter adhæreat sanguisuga cedit & cadit; sic duæ spirituales sanguisugæ, vanitas nempe & voluptas, quantumuis cordi corporique adhæreant, si attenta consideratione cineris, & mortis nostræ memoriam applicueris, facilè cedent. Quis enim delitias corporis amet, corporis, inquam, tam citò in puluerem & cinerem conuertendi, & à vermibus ac putredine consumendi? quis honores mundi tanquam vanissimos non spernat, qui festina morte omnino abeunt & recedunt & pereunt? Prou. 30. S. Bern.

S. Epiphan. in Physiol. sic de Pauone. Pauo inter omnes volucres auis est iactabunda, corporis enim forma atque alis pulcher est; cum ambulat se ipsum exultans intuetur, demittit verò caput & in terram oculos conijcit; cum igitur suos conspicit pedes, grauiter voce feratur, scilicet, quod illi cæteris sui corporis partibus non respondeant. ita S. Epiph. In aue ista primum nos docuit Deus, nullam esse in hoc mundo pulchritudinem, & prosperitatem adeo felicem, quæ defectum aliquem comitem non habeat, quo pulcher & fælix humilitatis ansam non habeat; est iste diues, sed non ex nobili gente ortus; ille nobilis est, sed pauper; hic diues & nobilis, sed idiota; ille sapiens, sed infirmæ valetudinis semper, &c. Prouidens hoc facit Deus ne felicitate eleuemur, sed humiles semper omnes simus; & in hoc pauoni similes sumus. S. Epiph. Simile.

Rursus est & alia similitudinis relatio inter pauonem & nos. Pauo enim cum plumas suas pulchras conspicit, gaudet, & veluti arroganter incedit, caudam amplificans, extendens & ostendens sed cum extremas sui corporis partes videt, pedes scilicet turpes & abiectos, caudæ pulchritudinem colligit, quasi confusus & humiliatus; sic cum diues, diuitias suas considerat, & sapiens acumen suum & sapientiam contemplatur, velut pauo in his gloriatur, at cum pedes & extremam vitæ suæ partem animaduertit, facilè plumarum specula trahit & demittit; qui ergo desiderat ex bonis corporis vel animæ non inflari nec po-

rire,

perite,oculos ad pedes vitæ,ad mortem,inquam, conuertat.

PROPOSITIO IV.

Mortis consideratio ad ferendos labores virtutis confert.

Hebr.10. AD Hebræos 10. his qui saluari optabant sic ait: *Non deserentes collectionem nostram,sicut est consuetudinis quibusdum, sed consolantes & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.* S. Gregor. Quem locum sic explicat S. Gregor. 5 Mor.5.vel 4. laborantem consolari est pariter cum eo in labore persistere,quia subleuatio est laboris, visitatio collaborantis:Sicut cum in itinere comes iungitur, via quidem non abstrahitur, sed quidem de societate comitis leuigatur itineris labor. Dum itaque Paulus consolantes se in laboribus quæreret,adiunxit dicens, *tanto magis,quanto videritis appropinquantem diem*; ac si diceret, eo labor crescat, quò præmia laboris appropinquant. ita S. Gregor. Appropinquat autem dies mortis, non solùm senibus, sed & pueris propter temporis breuitatem; *memento* enim,ait Spiritus Sanct. *quia mors non tardat*.Ecce ergo qua ratione Apostolus ad sanctos labores nos vrgeat, quia scilicet appropinquat finis & mors.

PROPOSITIO V.

Mortem peccatorum solet Deus accelerare.

Psal. 54. Bellarm. PSal. 54. *viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Vbi Cardinalis Bellarminus dicit:Illud, *non dimidiabunt dies suos*, non est accipiendum mathematicè & nimis subtiliter, sed est modus loquendi quo vitæ breuitas significatur. ita ille. Quamuis autem de his tantùm peccatoribus,qui iniustè sanguinem proximi fundunt hic loqui videatur,Titelmanus de vniuersis peccatoribus,qui peccatis suis habenas remittunt, etiam locum interpretatur; sanguis enim in sacris litOrigen. teris peccatum significat, vti ait Origen. super. Psal. 18. hom. 3. isti enim non dimidiant sæpe dies, quibus se victuros putant, vel etiam quibus naturaliter victuri erant.

Eccl.7. Vnde Eccl.7. *ne impie agas multùm, & noli esse stultus, ne moriaris in temporè non tuo; etenim nec semel mortaliter peccare audet sapiens*: sed si quia ita peccauerit,ne adiiciat iterum ne peccet mulS. Hieron. Caiet. tum, id est perseueranter,ait S. Hieron. & Caiet. hos enim qui sic peccant, solet Deus è medio citiùs tollere, quàm naturali cursu morerentur. Libet hic apponere, quod hoc in loco Lorinus noster adscribit dicens: Prope infinita sunt huius rei exempla in Saul. Architophel. absalon,clade Sodomitica, diluuio, mari rubro & aliis,& maxiS.Bern. mè accommodatum est quod narrat S. Bernardinus tom. 2. Quadragesimæ serm. 17. in quadam ciuitate Cataloniæ prope Valentiam,vbi Adolescens quidam annorum duo de viginti,parentum non parens monitis, tandem ob latrocinia patibulo suspensus est, & ibi mox populo spectatore barba succreuit, ac sensim cum capillo incanuit, & ipsa facies decrepitum senem exhibuit nonagenarium: Episcopus autem diuino spiritu afflatus docuit tandiu victurum fuisse, si se in paterna obedientia continuisset. ita ille. Moritur ergo peccator in tempore non suo, quia diutius viueret si non ita peccaret.

Hoc autem non solùm diuinæ iustitiæ,verum etiam diuinæ misericordiæ tribuendum est, ne scilicet maius vitæ spatium, maioris pœnæ inferni occasio sit. Voluit olim Deus aquis diluuij perdere peccatores genes. 6. & vt pœnitendi locum Genes.6. haberent, centum & viginti annorum spatium illis assignauit, & tamen de facto centum tantum illis concessit annos. Cur ita, cum dixisset prius *erunt dies illius* (scilicet hominis) *centum & viginti annorum?* Cur igitur viginti abstulit annos? S. Chrysost. hom.25. in Genes.quia vidit Dominus homines quotidie incurabiliter peccare, & non solùm ex longanimitate magna sua nihil proficere sed etiam recrudescere vlcera, propterea [illegible] tempus, ne se maiori pœnæ facerent ob[illegible]. ita S. Chrysost. Ecce quo pacto miseri- S.Chrysost cordiæ diuinæ adscribenda sit acceleratio obitus peccatorum.

PROPOSITIO VI.

Quàm horribilis sit mors malis, & non ita bonis.

APoc. 6. audiuit Ioannes vocem de cœlo di- Apoc. 6. centem sibi, *veni & vide. Et ecce*, inquit, *equus pallidus & qui sedebat super eum, nomen illi, MORS, & infernus sequebatur eum.* Tertul. lib. Tertull. 6 de pudicitia cap. 20. ex originali Græco legit, *equus viridis*; si viridis quomodo pallidus? si pallidus quomodo viridis? etenim vtrumque visum efficere potuit equus ille mortis seu mortiferus, in quo celeritas mortis designatur; *puede hazer dos vissos*; alium scilicet pallidum, qui tristitiam præfefert, alterum verò viridem qui spem designat; malis quidem pallidum & tremorem efficientem, malis enim tremendam se mors ostendit,vel etiam eius memoria. O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis,homini scilicet mundano, secundùm mundum fælici! Iusto verò & humanis rebus non affixo, nequaquam; imò spe iustus futuræ gloriæ gaudet, dicente scriptura Prou. 14 *in* Pro.14 32. *malitia sua expelletur impius, sperat autem iustus in morte sua.* Ecce quid iusto & iniusto eueniat in morte, iniustus violentiam in moriendo patitur, & anima eius non egreditur, sed expellitur, timet enim (dictante conscientia) à temporali morte ad æternam transire, huic pallida est mors, tristis & tetra; at iustus (conscientia fauente) in manus Domini animam commendans spe gaudet,& non timore vexatur.

Vnde Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt* Sap 3. *& non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Agit sapiens hic de morte Iustorum, & ait ipsos mori in manu Dei, *no os pareze que mueren en buenas manos?* hinc sequitur quod subdit, *non tanget eos tormentum mortis.* Quodnam est hoc tormentum mortis? est quidem malæ conscientiæ remorsus, qui valde tunc corda malorum torquet *es vn ay, y vn tormento de toca, que llegày toca al alma, y ay delay que al alma llega.* Iusti autem cum in Dei manu spiritum reddant, non tormentum patiuntur conscientiæ, sed consolationem habent, quantumuis exterius corpus dolorem patiatur, sicut corpus malorum. Vnde rectè subdit, visi sunt oculis insipientium mori,illi autem sunt in pace.

Quod

Quod hac similitudine explicatur; dum tauri agitantur, accedit quidam peritus agitator, qui a tauro inuasus, pallium super oculos & cornua tauri dimittens fugit, & in locum totum se recipit; qui à longè respiciunt, & pallium à tauro discerpi vident, hominem à tauro occidi existimantes, clamant, *faxit tibi Deus*, &c. Sic igitur in morte iusti, inuadit quidem illum mors, sed iustus pallium corporis inter cornua dimittens, in tutum salutis æternæ locum se recipit; qui autem ea tantum respicit, quæ exteriùs apparent, existimat eum torqueri & vexari, sicut reliqui omnes, ille autem est in pace, in qua anima requiescit.

Simile.

Quam plurimos videmus tempore mortis impatienter & grauiter ferre animæ separationem, cuius causam hac similitudine aperiam. Sit qui aduersus inimicum gladium e vagina eximere velit, & non valeat, eo quod dissuetudine euaginandi illum gladium, vaginæ ærugini adhæreat, *por descuydo de requerir la espada se suele tomar de orin y pegarse ala vayna y contera*, & hac de causa cum eum vult tempore necessitatis euaginare non valet. Corpus nostrum vocat Tertul. animæ vaginam, imò & scriptura Sacra Gen. 6. vbi sic Deus: *Non permanebis spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, originale Hebræum sic habet, *euaginabo gladium meum ab homine quia caro est*: hic animæ gladius tempore mortis euaginandus est, coactè & violenter multi fecerunt, quia caro sunt, & carni ac passionibus eius nimis est anima conglutinata ac adhærens. Quid igitur agendum vt patienter & sponte eam Deo tradamus: Opus quidem est passiones & affectus eius moderare, & sæpe eam Deo offerre, & per frequentem mortis considerationem eam non sinere vaginæ corporis nimis affigi; sed quod necessarium futurum est; voluntarium efficere, & diuinæ se hoc pacto voluntati conformare; sedula enim mortis memoria promptiores nos reddit ad tolerantiam mortis, *es como lleuerla tragada*.

Simile. Tertul.

Iob. 7. *militia est vita hominis super terram, & & sicut dies mercenarij dies eius*, Militi ac mercenario hic quilibet homo viuens comparatur. Cur ita? nimirum, quia sicut miles & mercenarius militant, & laborant non propter militiam & laborem, sed propter mercedem militiæ ac laboris: Sic homo iustus militat aduersus hostes animæ, & laborat bene operando; primò quidem propter obsequium Dei; secundò verò, propter mercedem gloriæ cælestis. Sicut ergo miles & mercenarius desiderant finem, ille belli, hic diei, sic iustus finem vitæ huius laboriosæ & periculis plenæ desiderat. Quod si dixeris mercenario, vide quod optando finem, appropinquas amplius morti: respondebit, non attendo an finiatur vita vel non, sed finem laboris & solutionem mercedis; sic iustus vitæ labores ac pericula videns, & & in fine vitæ sperans gloriam tanquam laboris præmium, optat finem vitæ non præcise propter finem vitæ, sed propter præmium, quod ex fine vitæ depēdet. Sic explicat S. Greg. 8. Mor. 3. dicens: Dies suos mercenarius euolui citius exoptat, vt ad laboris sui præmium sine tarditate perueniat. Dies ergo hominis sapiētis rectè mercenario comparantur, quia præsentem vitam viam non patriam, militiam non palmam deputat; & eo longius se abesse à præmio conspicit, quo tardius ad finem venit. ita ille.

Iob. 7. Simile. S. Greg.

Propositio VII.

Mors finis est laborum huius vitæ.

Suetonius.

SVetonius in Nerone refert Imperatorem illum crudelem Neronem, cepisse virum quendam primarium nomine Carnutium, & in carcerem misisse quem mortali odio prosequebatur, & ideo noluit eum festina morte necare, sed diu eum in carcere retinere, vbi squalore, inedia, & tenebricoso loco, & duritia vinculorum & aliis huiusmodi tormentis, longo tempore torqueret. ita cepit; sed paulò post in vinculis vinctus mortuus fuit. Quod cum delatum fuisset ad Neronem, dixit: *Euasit me Carnutius, escapado se ha de mis manos*, quid ais? miseræ mortis illius causa fuisti, & ais, *euasit me*? ita quidem, quia minus illi malum fuit sic illico mori, quàm viuenti diu torqueri. Etenim acerba res mors; sed tot sunt in vita longa miseriæ, tribulationes, persecutiones, infirmitates, labores, tentationes, & lapsus in peccata, vt mori etiā fælicitas possit reputari, & festināter moriēs dicere valeat, euasi man⁹ miseræ vitæ.

Iob. 3.

Iob. 3. S. Iob. vitæ suæ miserias deplorans, se beatiorem dicebat si de vtero ad tumulum delatus fuisset; *nunc*, inquit, *silerem dormiens, & somno meo requiescerem*. Vnde non mirum viros bonos & sapientes, grato animo mortem subire, sicut defessus somnium.

At dices: Cur igitur ferè omnes mori detrectant & repugnant? num quia mortis metus naturalis est? aut quia iudicium subsequens meritò ab omnibus timetur: Etenim alia se offert ratio frequēs, amant plures non solùm vitam, sed ea quæ possident mundi bona, quamuis illa exigui valoris, & maximè æternis comparata; quod sic elucidabo Genes. 45. cum fratres Iosephi viuere parentem eius nunciarent ei, & sermo ad aures Regis Pharaonis peruenisset, qui maximè amabat Iosephum propter maxima beneficia, quæ ab ipso Rex & eius acceperat regnum, monuit ipsum Iosephum vt fratribus nomine ipsius Regis diceret; *Tollite Patrem vestrum & properate quanto citius venientes, ne dimittatis aliquid de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestra erunt.* Mirum quidem hoc, si enim verè promittebat opes Ægypti magnas Patri Ioseph & fratribus eius, cur iubet secum deferre supellectilem omnē, quæ non ita pretio digna cuncta erant, vt pote pastorum? Respondet doctus quidam author, id præcepisse Regem prudenter; nam bona quibus vti solemus, amabilia nobis vsu redduntur, quamuis illa exigui momenti & valoris sint & ne forte eis molestum esset illa relinquere, & ideo venire renuerent, ea secum ferre admonuit. Nunc ad rem, vocat nos Deus in morte ad cœlestes opes, ferre nobiscum bona, quibus in hoc mundo fruimur, non valemus; & cum ea diligamus dicente Philosopho, amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium, ideo mori detrectamus maximè diuites.

Gen. 45. Doctus quidam.

Hinc Ecclesi. 47. *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus & adhuc valenti capere cibum.* Ponderat locum Iansen. dicens; diuitibus amaram dicit non solùm mortem, sed etiam memoriam eius; & exclamando dicit: *O mors quàm amara est memoria tua*, &c. significans eam esse valde amaram, quod

Eccle. 47. Iansen.

quod per eam cogantur, se omni tua fælicitate
priuandos. ita ille. Ecce frequentem timendi mortem causam.

Gen. 3. Genes 3. *Emisit Adam Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram.* Cur Dominus ex paradiso eiecit hominem? peccauit. ita est, sed non satis erat in pænam gratiam & iustitiam originalem ab eo abstulisse, & insuper ad mortem eum damnasse? Cur in aliquod saltem solatium pius Dominus non concessit illi in paradiso remanere? Deus ipse respondet, *ne forte mittat manum suam, & de ligno vitæ comedat, & viuat in æternum*, hoc est per longum tempus. Cur noluit hominem longam ducere vitam? respondet optimè
Rupert. Rupert. Abbas in Genes. c. 29. quid enim esset, si tunc miser effectus Adam viueret in æternum nisi malum ei æternum? quid iam miser factus esset nisi miser æternus? melius quidem homini misero est, esse miserum temporaliter. Felicitatem perdidit diabolus, æternitatem verò non amisit, & sic est eius infælicitas æterna. Parcamus ait Dominus in hoc homini, & quia fælicitatem amisimus, æternitatem quoque præripiamus, ne sit eius infælicitas æterna. In magna ergo ita recordatus est Dominus misericordiæ suæ magnæ, in hoc quod lignum vitæ non concesserit ei. ita Rupert. Merito quidem asseruit S. Iob. *homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Optimè coniunxit breuitatem vitæ cum miseriarum repletione, tanta est miseriarum nostrarum abundantia, vt pius Dominus in hoc ostenderit se pium, vt homo qui iustè patiebatur tot miserias, citò viam finiret, & cum morte à tot miseriis & calamitatibus liberaretur.

Iob 3. Iob. 3. *ibi requieuerunt fessi robore, & quondam vincti pariter sine molestia.* Loquitur in hoc loco S. Iob. de Iustis, qui iam ex hac vita migrarunt; vti
S. Greg. exponit S. Greg. 4. Mor. 4. ad finem. Electi, inquit, molestia vincti sunt, quia in hac vita correptiones suæ pæna deprimuntur, sed cum corruptibili carne exuimur, quasi ab his quibus astringimur, molestiæ vinculis relaxamur, vnde Beatus Paulus æterna desiderans, sed adhuc correptionis suæ sarcinam portans vinctus clamat: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Dissolui autem non quæreret, nisi se vinctum videret. ita S. Gregor. sicut enim cum
Simile. herodius ardeam capit, eam discerpere incipit & sanguinem sugere; quod si venator ex eius vnguibus prędam tollit & ad palum ligat & capitio oculos claudit, videas herodium clamare & caputium excutere, & vincula rostro disrumpere, vt dissolui & esse cum ardea qua ‘ :ii cæperat possit, *asta en alcandara piando el noli, sacudiendo el caperote y picando las piguelas por soltarse, volar a la garza do que auia comenzado a zebarse.* sic Apostolus Paulus postquam essentiam diuinam viderat, ad corporis sensus tanquam ad vincula reuersus, clamabat: *Cupio dissolui & esse cum Christo.*

Hoc quidem iustorum proprium est, quibus
Simile. æterna est gloria promissa; sicut enim si agricolæ cuidam promissum esset à Deo palatium regium & dignitas regia, hac tamen lege, vt priùs eius domuncula villæ suę sponte caderet & dissolueretur, nonne agricola iste desiderio desideraret domunculæ suæ casum & ruinam vt tanto frueretur bono? Sic ergo iusti corporis sui luti habitaculum dissolui optant, vt æternis tabernaculis cœli potiantur; sciunt enim post corporis dissolutionem
2. Cor. 5. ita futurum. Audi Apostolum 2. Cor. 5. *scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam æternam in cœlis, nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est superindui cupientes, si tamen vestiti & non nudi inueniamur.* ita Apost. vbi tria ponderat
S. Ansel. S. Anselm. ponderatione digna. Primum est, verbum illud *habemus*, S. Anselm. non dicitur *habebimus* de futuro, sed *habemus* de præsenti; quia protinus habemus illam domum, ex quo dissoluitur ista, prius enim quàm redemptor noster morte sua humani generis pænam solueret, eos etiam qui cœlestis patriæ viam sectati sunt, post egressum carnis limbi claustra tenuerunt, nunc autem perfecti quique mox in regnum suscipiuntur. ita S. Ansel. Vnde non mirum si Patres antiqui in limbum descendentes mortem formidarent, nobis autem talis formidinis ratio sublata est. Secundò notat S. Anselm. verbum illud, *ædificationem*, dicens, domus cælestis vocatur ædificatio, quia nūc operibus nostris bonis ædificatur, vt in fine parata inueniatur, ita S. Ansel. Vide igitur, & tu quæ opera sint tua, an bona, quibus iam ædificas tibi domum in cœlis, an mala quibus ædifices ruinam ad inferna. Tertiò exponit S. Anselm. in idem verba illa, *Si tamen vestiti*, dicens: Si tamen non inueniamur nudi Christo, sed Christum induti; illis enim solis proderit immortalitas, qui vestiti inuenientur Christo, hoc est indumento iustitiæ circumdati. ita S. Anselm. & hinc oritur frequenter timor & tremor mortis multorum, qui dictante conscientia bonis operibus carent, quibus cœlesti gloria digni reperiantur.

S. Aug. S. August. ser. 41. de verbis Domini: Tota vita ista intelligentibus tribulatio est; sunt enim duo tortores animæ non simul torquentes, sed cruciatus alternantes, quorum nomina sunt timor & dolor; quando tibi bene es, times; quando male es, doles. ita ille. Quomodo verò fælicitas in hoc sæculo poterit inueniri, si cum etiam prosperitas arridet, timore torquemur?

Propositio VIIJ.

Quàm incerta sit hora mortis, & quare.

Luc 12. *EStote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. Cur, quæso, voluit Dominus occultam esse nobis horam mortis nostræ? Etenim multi inopinata morte moriuntur, & absque pænitentia, qui si horam illam sciuissent, sacramentorum susceptione eam præuenirent, merito denique talis est mors timenda. vnde
Beda. sic Deum precatur Ecclesia, *à subitanea & improuisa morte libera nos Domine.* Respondet Beda in hunc locum Lucæ; horam vltimam nostram voluit Dominus idcirco nobis esse occultam; vt semper possit esse suspecta; vt illam dum præui-
Simile. dere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. ita Beda. Quod & Seneca nescio quo ductu asseruit dicēs: Nescis quo loco te mors expectat, tu igitur eam in omni loco expecta. ita ille. Sicut qui inimicū habet volētē illū occidere, vbique sibi cauet, *y anda la barba sobre el hombro mirando a todas partes*, & armatus incedit ne incautus pereat; sic quia inimica mors nos occidere festinat, paratos nos ad illam esse oportet, non vt illam vitemus, statutum enim est semel mori, sed ne nos in peccato mortali rapiat, quo in æternum damnemur.

Matth. 25 Mat. 25. *vigilate quia nescitis diem neque horam.* quid

Quid est quod veritatem istam & credimus,& profitemur,& nihilominus pauci sunt qui sic vigi-
S.Chrisost. lant parati ad mortem? Sanct. Chrysost. hom. 2. in Mat. Imperfectioni fidei hoc tribuit, non quia non credant, sed quia imperfectè credant peccatores. Ait ergo, omnes qui sumus Christiani, scimus quia mundus consummandus est, & quia morituri sumus, & tamen hoc ipsum perfectè non credimus; si enim perfectè crederemus, sic viueremus, quasi post modicum transituri de hoe mundo, & non quasi in æternum mansuri. ita ille. Etenim *fides sine operibus mortua est*, vt ait S. Iacobus. Vnde propter hanc imperfectionem fidei multi ita degunt, tanquam si nunquam essent morituri, ædificant ædes sumptuosas, negotiantur, acquirunt, seruant diuitias, &c. quibus id accidit sicut diuiti illi cui dictum est à Domino: *stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ parasti cuius erunt?*

Actor. 1. Actor. 1. dixit Apostolis Christus, *vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies.*
Theophil. Quærit Theophylact. Cur Dominus nō declarauit quando spiritus superuenturus esset, sed solum dixit, *non post multos hos dies*. Et respondet, idcirco, *nō post multos hos dies* dixit, vt semper vigilantes expectarent. ita ille. Ita in præsenti mortis casu, sumus nos morituri, noluit tamen Deus horam indicare, vt omni hora parati simus. Quod exemplo Patrisfamilias nescientis qua hora fur venturus sit, explicauit.

Propositio IX.

Vita hac potius est dicenda mors quàm vita.

CVm primùm nascitur homo lachrymas fundit, quasi vitæ miserias præ sagiens, & statim lineis obuoluitur pānis, paonis, inquam, ex quibus sudatium mortuorum, seu feralis amictus fit, non quidem sine speciali prouidentia Dei qua innuit nobis vitam hanc nostram mortem potius esse dicendam quàm vitam; & idem esse incipere vi-
Tertul. tam ac incipere mori, & ideo infantem ferali amictu statim obuolui. Considerauit hoc Tertul lib. 4. cōtra Marcionē dicens: Ingreditur infans pānis
Simile. velut sepulturæ inuolucris initiatus. ita ille. vbi notandum est verbum illud, *initiatus*, quo vti solemus cum de his loquimur qui sacris ordinantur, hos initiari dicimus sacris, *ordenarse de epistola, ordenarse de euangelio*. Sic igitur de infante recenter nato loquitur Tertul. initiatur morte *ordenarse de mortal*, vt sicut is qui sacris initiatur vitam initiato in sacris dignam ducat, ita qui in hac vita degit, etiam ab incunabulis se velut mortuum ducat, & tanquam mortalis & velut iam moribundus viuat. *viua como quien esta ya amortajado para ir a la sepultura.*
Gen. 2. Genes. 2. *In quacumque die comederis, morte morieris.* Cum post transgressionem præcepti vixerit Adam mille ferè annis, quomodo verum est
Iob. 7. quod hîc Dominus dixit? ex loco illo Iob. c. 7. *militia est vita hominis super terram*, sensus deduci potest; quia in hoc verè vita nostra similis est militiæ, quia sicut militia mors militantium est, sic etiam vita nostra mors ipsius vitæ est. Sic expo-
S.Greg. Simile. nit S. Gregor. locum dicens, *militia est vita hominis super terram*, quia vnusquisque dum quotidie ad terminum vitæ per augmentum tendit temporum, augendo vitam viuere desinit, sicut itinerantis gressus dum in anteriora proficit, quod restat iter decrescit; sic vita nostra militia est, quæ quo ad augmentum deducitur, eo vt nō sit finitur. ita S. Gregor. 8. Mor. 1. Quod etiam Seneca alia Seneca. similitudine aptè explicauit dicens similem esse vitam nostram horologio arenæ, cuius transitus duratio est merè transire, neque enim dicimus in Simile. vltimo arenæ grano, *nunc transit arena, sed, nunc finiuit suum transitum arena*; nam ab initio cæperat transire sic etiam tempus vitæ nostræ non transit solum cum moritur homo, sed finitur; transit autem dum viuit, atque adeo dum crescit, vita decrescit. Simile etiam adduci potest de candela, Simile. quæ accensa se ipsam viuendo, seu ardendo extinguit. *Militia igitur est vita hominis super terram*, quia vita nostra se ipsam debellat, quia nihil aliud est viuere, quàm à vitæ cursu deficere tanto magis quanto homo amplius viuit, sic enim ad vitæ metam & terminum appropinquat, *la vida mesma se haze mortal guerra.*

Propositio X.

Mors terminus est bene operandi & promerendi.

IOb. 7. sic S. Iob. Deo: *Memento quia ventus est* Iob. 7. *vita mea, nec reuertetur oculus meus vt videat bona, nec aspiciet me visus hominis.* Magni ponderis verba sunt ista, quibus sanctus vir auxilium ad bene operandum in hac vita postulat à Deo, & suæ petitionis rationes aliquas adhibet, quarum prima est, quia *ventus est vita mea*, id est (vt ait S. Gregor.) transeuntem velociter benignus respice, S. Gregor. quia tanto à te videri misericordius debet, quanto ipse à consideratione breuitatis vitæ meæ oculos non auerto. ita ille. Et hæc est prima ratio, ad impetrandum diuinum auxilium à Deo, ac bene operandum, quia exiguum scilicet est tempus, ad bene operandum concessum. Addit autem Iob aliam rationem. *nec reuertetur oculus meus vt videat bona*, id est, *en corrando vna vel el ojo, no se me concedera tiempo para bien obrar ni aun a verde los ojos*, sic explicat S. Gregor. locum hunc dicens; ad videnda bona extincti oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. ita S. Gregor.

Vnde Luc. 16. Sic Diues Epulo ad Abraham: Lucæ 16. *Pater Abraham rogo te vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ita neapud damnatos misericordia talis inuenitur, vt aliquis eorum pro fratribus oret (Cur pro fratribus & non pro se iste orat charitas enim & misericordia incipiunt à se ipso. Respondetur, opus hoc non esse charitatis seu amoris fratrum, sed timoris proprij damni, quod ex consortio fratrum diuiti augeretur; petit autē (quomodocumque, sit) non pro se, quoniam in inferno nulla est redemptio, neque enim post mortem est inuenire locum pœnitentiæ nec meriti. Sic expli-
cat locum hunc S. Gregor. 8. Mor. 8. dicens: Di- S. Greg. ues quem inferni flamma cruciabat, nequaquam sibi sed relictis fratribus prodesse satagebat, quia cognouerat semetipsum operando separare non posse; vt enim reprobi pœnam suam grauius sentiunt, spem veniæ amittunt. ita ille.

Hinc Salomon Eccl. 9. *quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas.* Pondera consilium Spiritus S. & Eccl. 9.

rationem

rationem consilij; consilium est, *quodcumque potest facere manus tua instanter operare. Instanter* ait, non dixit *quotidie*, quia prudens nullum instans absque merito elabi permittere debet. Ratio autem consilij est, quia apud inferos primò non est opus, id est non conceditur nec instans ad operandum; nunc quidem non est instans in quo mereri non possimus, tunc è contra nec instans inueniet homo ad opus meritorium. Secundò, non erit ratio, nunc (vita comite) ratiocinari valet is qui tribulatione aliqua laborat, & media ac remedia discurrendo inuenire, quibus à tribulatione liberetur: sed in sæculo futuro, quantuis ingenio ac sapientia polleat, nullum remedium adinuenire valebit, quo à damnatione liberetur æterna, & meritorium faciat opus. Id igitur est, *nec reuertetur oculus meus vt videat bona*, & rectè in huius confirmationem subdit, *nec aspiciet me visus hominis*, quisnam est
S.Greg. visus hominis iste? S. Gregor. ibidem, visus hominis est misericordia redemptoris, quæ duritiam nostram cum respicit, emollit. ita ille. Quod
Luc. 22. manifestè elucidauit exemplo Luc. 22. vbi ait Euangelista de Petro negante agens, *respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat Iesus, ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè*: quia Dominus respexit, Petrus fleuit; ecce qualis ac quantus sit hominis visus. Ait ergo S. Iob, *nec aspiciet me visus hominis*,
S. Greg. vbi S. Gregor. exutam carne animam visus hominis non respicit, quia post mortem non liberat Christus, quam ante mortem ad veniam gratia non reformat. ita ille.

Eccl. 11. Hinc Ecclef. 11. *Lignum in quocumque loco ceciderit siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi*
S. Greg. *erit*. Quid sibi vult parabola hæc? S. Greg. vbi supra cap. 8. quia cum tempore humani casus, siue sanctus siue malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit in æternum, secum sine vlla permutatione retinebit, vt nec exaltata ad iudicium proruat, nec mersa æternis suppliciis vltra ad remedium ereptionis ascendat. ita S. Gregor. qui ad rem ipsam adducit illud Psal. 117. *quoniam in sæculum misericordia eius*, dicens, quia nimirum, quem modò misericordia non eripit, post præsens sæculum iustitia addicit.
1. Cor. 6. ita ille. Cui consonat illud Apost. 1. Cor. 6. *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Propositio XI.

Quàm breuis sit vita nostra.

Iob. 7. IOb 7. Sic S. Iob: *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* Metaphora hæc texentis, celeritatem temporis vitæ nostræ
S. Greg. optimè expressit, quam sic exponit S. Gregor. 8. Mor. 3. Congrua, inquit, similitudine tempus vitæ nostræ telæ comparatur, quia sicut tela, filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit; eo ad incisionem tendit, quia cum tempora percepta prætereunt, ventura breuiantur; sic vitæ nostræ tempora quo plus sunt præterita, minùs incipiunt esse futura; sed quia vitæ nostræ velocitas telæ comparationem transcendit, rectè dicitur, *dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur*; quia vita præsens moram defectus non habet, sicut tela in qua cum laborantis manus figitur, terminus elongatur, in vita verò ad finem nostri transitus, etiam quiescentes & dormientes peruenimus. ita S. Gregor. qui hanc inde elicit conclusionem: Ideo electi, quia præsentis vitæ momenta decurrere cum festinatione conspiciunt, nequaquam in hoc tantæ mobilitatis itinere cordis intentionem figunt. ita ille

S. Hieron. epistola 3. præmeditari debemus, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus nolimus, longe abesse non potest; nam si nongentos vitæ annos excederemus, vt ante diluuium humanum genus viuebat, & Mathusalem tempora nobis donarentur, nihil tamen esset præterita longitudo, quia esse desiisset; qui enim decem vixit annos, & qui mille, postquam idem finis aduenerit vitæ, & inexcusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fæce proficiscitur: Optima quæque dies miseris mortalibus æui prima fugit. ita S. Hieron. S. Hieron.

S. Augult. serm. 42. à prima infantia vsque ad decrepitam ætatem spatium breue est, quod tandiu vixerat Adam, quid profuisset ei magis si mortuus fuisset hodie? Quid diu est vbi finis est? Et modò cum loquimur, vtique transimus, verba currunt, horæ volant; sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic ista fælicitas nostra. In hoc ergo paruo spatio vitæ bene viuamus, vt illò eamus vnde non transeamus. ita S. August. *es falsa de Iuizio hazer caso de las cosas que asi sepasan y acaban ni quiero bien que no dura; ni temo mal que se acaba.* Vide S. Hier. super c. 40. Isa. in principio. S. August.

Propositio XII.

Quod non corporis, sed animæ mors timenda sit.

LVc. 1. de Christo Domino dicit Zacharias; *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, &c.* Quid est *vmbra mortis?* mors corporalis nominatur, Luc. 1.
vti ait S. Gregor. 4. Mor. 16. dicens: Vmbra mortis mors carnis accipitur; quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo, ita vmbra mortis est, qua caro ab anima separatur. Vnde rectè voce martyrum per prophetam dicitur, *humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis*: quos enim constat non spiritu sed sola carne mori, non vera morte sed sola vmbra mortis se dicunt operiri. ita S. Gregor. Vbi notandum est mortem hanc temporalem, quam adeo formidant homines, vmbram mortis dici; quia sicut vmbra similitudinem præfert corporis opaci, sic mors corporalis vmbra dicitur mortis, id est peccati propter illam similitudinem, quam assignat hic S. Gregor. Vnde qui mortem timent, similes sunt pueris qui vmbras timent, aut nonnullis bestiis, quæ ex visione vmbrarum retrocedunt & a recta via declinant; mors quæ a viris intelligentibus timenda est, peccatum est; hoc enim est vere timendum, est enim animæ mors, mors autem animæ tanto magis timenda est, quanto anima excellentior est corpore, & quanto perniciosior est. S. Greg.

***

PROPOSITIO XIII.

Quòd mors post Christi mortem non sit timenda.

QVid est quod Abraham timore mortis peregrinus dixerit sororem esse vxorem suam? Genes. 20. & hoc non semel, de quo mirantur Doctores sacri? quia sic videbatur exponere vxorem periculo magno, nam propter eximiam eius pulchritudinem, primarij viri, qualis erat Rex Pharao & Abimelech, accipere volebant eam in vxorem. Item Elias timore perterritus fugit à facie Gezabelis, *&c.* S. Chrysostom. hom. 45. in Genes. sic respondet: Ne condemnes iustum ob pusillanimitatem quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quod mortem iustis illis & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, nunc derideant iuuenes & teneræ virgines. ita ille.

Gen. 20.

S. Chrys.

Mulier.

PROPOSITIO VNICA.

Mulieres decet domi se continere.

Gen. 18.

GEnes. 18. recepit hospitio Abraham tres illos peregrinos insignes, quibus præcipuum conuiuium exhibuit; & eum Sara vxor Abrahæ conuiuium illud parasset; ita se domi continuit, vt nec tales ac tantos hospites salutaret. *Cum ergo illi comedissent, dixerunt Abraha: Vbi est Sara vxor tua? Ille* (ait scriptura) *respondit: Ecce in tabernaculo est.* Cur igitur se latebat? respondet Lyranus, quia Sara verecunda erat, & ideo non se exponebat aspectibus hominum. ita ille. Vbi Interlinearis generaliùs loquens ait, *quia non est mulieris in publicum prodire.* ita glossa.

Glos. ord.

Psal. 127.

Vnde Psalm. 127. sic Dauid ad virum Deum timentem: *Sicut vitis abundans in lateribus domus tua.* S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus tua.* Vbi Cardinalis Bellarminus, id est, intus manens vt honesta & curam domus habens, dum vir de his quæ foris sunt cogitat. ita ille. In penetralibus ergo non in fenestris, nec in ianuis domus, nec per viam & plateas & domos alienas, sed *in lateribus domus suæ*, hæc laude digna est. Quod etiam reliquæ mulieres, virgines ac viduæ obseruare debent, & sicut vidua sancta Iudith, publica loca vitare.

S. Hieron.

Vide locum de Iudith & S. Ambr. in id Luc. 1. Abiit Maria in montana cum festinatione.

***

Nobilitas, *Vide* Genus.

Nomen bonum, *Vide* Genus.

Obedientia.

1. *In cunctis rebus etiam difficilibus Deo parere debemus.*
2. *Diligentibus Deum facilis est obedientia.*
3. *Obedientia ad perfectionem valde conducit.*
4. *Obedientiam Deo omnes creaturæ exhibent.*
5. *Obedientia pacem nostram cum Deo conciliat.*
6. *Qualiter obedientia cæca debeat esse.*
7. *Ad obediendum sola superioris insinuatio sufficere debet.*
8. *Ad obediendum perfectè sola voluntas Dei sufficere debet.*
9. *In Dei obedientia saluatio nostra consistit, sicut in inobedientia damnatio.*
10. *Quàm Deo grata sit obedientia nostra, inobedientia verò quàm ingrata.*
11. *Quàm prompta esse debeat obedientia nostra.*
12. *Obedientiam Deo debemus quia Dominus noster est.*
13. *Quàm ingens bonum nostrum sit obedire Deo.*
14. *Idem est obedire Deo & prælato.*
15. *Obediens debet obedire Deo purè, quia iubet Deus.*
16. *Quàm vtile nobis sit obedire. Vide supra proposition. 9.*
17. *Obedientia animi perturbationes sedat, inobedientia contra.*
18. *Ad obediendum in rebus arduis Deus auxilium & vires præstat.*
19. *Religiosus speciatim voluntati suæ vale dicere debet.*
20. *Quàm grauis Dei offensa sit anteponere nostram voluntatem diuinæ.*
21. *Obediendum est sine replica superiori, nisi quando interuenit maior Dei gloria.*
22. *Quàm exactè & perfectè debeamus obedire Deo.*
23. *Quàm grauiter Deus inobedientes puniat.*
24. *Quàm honorifica Deo sit obedientia nostra.*

PROPOSITIO I.

In cunctis rebus, etiam difficilibus, Deo parere debemus.

DIces: Sunt quidem aliquando tot impedimenta, vt vix ea homo valeat superare. Sed facilis est responsio, faciat homo, quod in se est, & ad cuncta sibi præcepta nitatur, & Dominus auxilia præstabit ad difficul- Gen. 7. tates superandas. Genes. 7. Ingrediente Noë in arcam, cum familia sua sicut præceperat ei Deus ait scriptura, *& inclusit eum Dominus de foris.* Cur non clausit Noë, sed Dominus? Respondet Interlin. glossa interlinearis, quod homo facere non poterat; ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit ianuam. ita glossa. oportebat de foris bituminare, id præstare non poterat Noë, præstitit Deus, qui præceperat ei conficere arcam.

Actor. 12. Item actor. 12. existenti in carcere S. Petro catenis duabus vincto, apparuit Angelus qui percusso latere eius dixit, *surge velociter, præcingere, & calcia te caligas tuas.* Dices, quomodo vinctus catenis se induere poterat? sed ideo præmisit scriptura, *ceciderunt catenæ de manibus eius*; quod Petrus per se præstare poterat, fecit sicut præceptum fuit; quod verò non poterat catenas scilicet excutere, hoc à Deo factum est. Deinde Angelus ad Petrum, *sequere*, inquit, *me*. Fecit & hoc Petrus. Venientes autem ad portam ferream quam Petrus aperire nequibat, *vltro*, inquit, *aperta est eis, & exeuntes processerunt, &c.* Ecce quæ præcepta erant Petro, obediens fecit, quod non poterat, præstitit Deus: vt notum nobis esset, Deum impossibilia non præcipere; quod si aliquid impossibile aut valde difficile intercesserit, ad diuinam prouidentiam & bonitatem spectat opem ferre.

Genes. 7. Rursus de Noë Genes. 7. Præcepit Dominus Noë vt in arcam ingrederetur, erat autem arca tota bituminata, solum ostium a parte exteriori non, quia clausus intus Noë, quod à foris erat, bituminare nequibat, sed hoc diuina præstitit prouidentia, dicente scriptura ibidem: *Et inclusit eum Dominus de foris.* vbi Nicolaus de Lyra: Noë quippe intra arcam existens non potuit extra ostium bituminare, & ideo Dominus suppleuit, quod homo non potuit. Vnde & Hebraica littera habet, *& clausit Domi-* Gloss. ord. *nus pro eo.* ita Lyranus. Et glossa interlinearis ibidem ait, quod homo facere non poterat, ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit. ita glossa. Quare cum obedientia aliqua intercesserit vel virtutis opus quod difficultatem præseferat, non ideo animum deponamus, sed diuinum auxilium imploremus; facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam.

Genes. 22. Genes. 22. Sic Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Domine fidelissimi serui tui, imò si sic loqui licet, dilectissimum amici tui animum sic torques? Scis quidem quia diligit filium hunc quasi pupillam oculi sui, & post tot labores & discrimina peregrinationum, post illustrissima trophæa virtutum, iterum ad aciem S. Chrys. & prælium grauius moltò sic reuocas? S. Chrysostom. hom. 47. ideo testatur Abraham, vt scias magnam Patriarchæ obe[...] modo nihil præferendum sit [...] rint Deo. ita ille. Sunt autem [...] in rebus facilibus facile Deo pa[...] bus difficilibus resiliunt & defi[...] dientes sunt secundùm quid non [...] nec obedientes verè, nam verus [...] milis esse debet fideli, fidelis qu[...] credit, & in cunctis quæ ad fide[...] [...]ent adhibet fidem: aliter enim non fidelis sed infidelis esset, si vel in vno solo deficeret articulo fidei. Sic qui in præcepto aliquo diuinæ legis deficit, non obediens sed inobediens est secundum illud Iacob 2. *quicumque totam le-* Iacob 2. 10 *gem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Vbi S. Thom. *in vno*, id est in quolibet præcepto factus est omnium præceptorum reus, quia illa sibi inutilia reddit, vel omnium peccatorum reus, quia pro vno ac si pro omnibus peribit. ita S. Thom. Licet enim S. Thom. qui plura præcepta transgreditur maiori pœna punietur, sed quantum ad hoc quod est præcisè in æternum perire & Dei visione carere pares erunt.

Psalm. 56. & Psalm. 107. *Paratum cor meum* Psal. 56. 8. *Deus, paratum cor meum: cantabo & psalmum* Ps. 107. 1. *dicam.* Cur bis ait se paratum cor habere? solemus nos verba repetere cum agimus cum hominibus, vel vt intelligant, quæ dicimus, vel vt ponderent intellecta; at Dauid cum Deo loquebatur, qui tali repetitione non indigebat. Respondet S. Bernard. serm. 2. in capite ieiunij, S. Bern. *paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum*, id est paratum ad aduersa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad quæcumque præceperis mihi. Vis me pastorem ouium facere? vis me constituere Regem Populorum? *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* ita S. Bernard. vbi nota gradationem illam, cur prius dixit, paratum ad aduersa, & postea ad prospera, & prius ad humilia quàm ad sublimia, cum secundum ordinem gradationis a facilioribus ad difficiliora ascendendum videtur: difficilius autem est obedire in aduersis quàm in prosperis, & in humilibus quàm in sublimibus. Enim verò explicauit sanctus Bernardus in quo puritas obe- S. Bernard. dientiæ consistat, puritas enim obedientiæ in hoc sita est, vt purè propter Dei præceptum & voluntatem fiat, nulla intermixta alia ratione & causa. Vnde sequitur difficilius esse purè parere in prosperis, quàm in aduersis, & in re sublimi, quàm in humili & vili; nam obedire in aduersis, non habet adiunctum periculum obediendi propter aliquid aliud, quàm quia præceptum est; at in prosperis habet periculum obedientiæ in ipsamet prosperitate; facile quippe est obedire in prosperis ob ipsam prosperitatem, & in honorificis propter honorem, & in iucundis ob iucunditatem. Si ergo puritatem ipsam obedientiæ consideremus; rectè gradationis ordinem seruauit S. Bernar. dum non solum ad prospera & aduersa Dauidem paratum exposuit, sed ad purè obediendum Deo in cunctis propter solum Deum imperantem.

Præterea optime hunc Dauidis versum ex- Idem. plicauit idem S. Bernard. serm. 43. ex paruis dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, via regia, fratres, nec ad dexteram declinat nec ad sinistram; inuenite autem est hominē semel paratum, non quidem secundò si dixerit ei Deus,

PROPOSITIO XIII.

Quòd mors post Christi mortem non sit timenda.

QVid est quod Abraham timore mortis peregrinus dixerit sororem esse vxorem suam? Gen.20. Genes. 20. & hoc non semel, de quo mirantur Doctores sacri? quia sic videbatur exponere vxorem periculo magno, nam propter eximiam eius pulchritudinem, primarij viri, qualis erat Rex Pharao & Abimelech, accipere volebant eam in vxorem. Item Elias timore perterritus fugit à facie Getzabelis, *&c.* S. Chrysostom. S.Chrys. hom. 45. in Genes. sic respondet: Ne condemnes iustum ob pusillanimitatem quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, qood mortem iustis illis & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, nunc ridéant iuuenes & teneræ virgines. ita ille.

Mulier.

PROPOSITIO VNICA.

Mulieres decet domi se continere.

Gen.18. GEnes. 18. recepit hospitio Abraham tres illos peregrinos insignes, quibus præcipuum conuiuium exhibuit; & cum Sara vxor Abrahæ conuiuium illud parasset; ita se domi continuit, vt nec tales ac tantos hospites salutaret. *Cum ergo illi comedissent, dixerunt Abrahæ: Vbi est Sara vxor tua? Ille* (ait scriptura) *respondit: Ecce in tabernaculo est.* Cur igitur sic latebat? respondet Lyranus, quia Sara verecunda erat, & ideo non se exponebat aspectibus hominum. ita ille. Vbi Interlinearis generaliùs loquens ait, *quia non est* Glos. ord. *mulieris in publicum prodire.* ita glossa.
Psal.127. Vnde Psalm. 127. sic Dauid ad virum Deum timentem: *Sicut vitis abundans in lateribus do-* S. Hieron. *mus tuæ.* S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus tuæ.* Vbi Cardinalis Bellarminus, id est, intus manens vt honesta & pudica & curam domus habens, dum vir de his quæ foris sunt cogitat. ita ille. In penetralibus ergo non in fenestris, nec in ianuis domus, nec per viam & plateas & domos alienas, sed *in lateribus domus suæ*, hæc laude digna est. Quod etiam reliquæ mulieres, virgines ac viduæ obseruare debent, & sicut vidua sancta Iudith, publica loca vitare.

Vide locum de Iudith & S. Ambr. in id Luc. 1. Abiit Maria in montana cum festinatione.

***

Nobilitas, *Vide* Genus.

Nomen bonum, *Vide* Genus.

Obedientia.

1. *In cunctis rebus etiam difficilibus Deo parere debemus.*
2. *Diligentibus Deum facilis est obedientia.*
3. *Obedientia ad perfectionem valde conducit.*
4. *Obedientiam Deo omnes creaturæ exhibent.*
5. *Obedientia pacem nostram cum Deo conciliat.*
6. *Qualiter obedientia cæca debeat esse.*
7. *Ad obediendum sola superioris insinuatio sufficere debet.*
8. *Ad obediendum perfectè sola voluntas Dei sufficere debet.*
9. *In Dei obedientia salutio nostra consistit, sicut in inobedientia damnatio.*
10. *Quàm Deo grata sit obedientia nostra, inobedientia verò quàm ingrata.*
11. *Quàm prompta esse debeat obedientia nostra.*
12. *Obedientiam Deo debemus quia Dominus noster est.*
13. *Quàm ingens bonum nostrum sit obedire Deo.*
14. *Idem est obedire Deo & prælato.*
15. *Obediens debet obedire Deo purè, quia iubet Deus.*
16. *Quàm vtile nobis sit obedire. Vide supra propositionem. 9.*
17. *Obedientia animi perturbationes sedat, inobedientia contra.*
18. *Ad obediendum in rebus arduis Deus auxilium & vires præstat.*
19. *Religiosus speciatim voluntati suæ vale dicere debet.*
20. *Quàm grauis Dei offensa sit anteponere nostram voluntatem diuinæ.*
21. *Obediendum est sine replica superiori, nisi quando interuenit maior Dei gloria.*
22. *Quàm exactè & perfectè debeamus obedire Deo.*
23. *Quàm grauiter Deus inobedientes puniat.*
24. *Quàm honorifica Deo sit obedientia nostra.*

PROPO

PROPOSITIO I.

In cunctis rebus, etiam difficilibus, Deo parere debemus.

DIces: Sunt quidem aliquando tot impedimenta, vt vix ea homo valeat superare. Sed facilis est responsio, faciat homo, quod in se est, & ad cuncta sibi præcepta nitatur, & Dominus auxilia præstabit ad difficultates superandas. Gen. 7. Genes. 7. Ingrediente Noë in arcam, cum familia sua sicut præceperat ei Deus ait scriptura, *& inclusit eum Dominus de foris.* Cur non clausit Noë, sed Dominus? Respondet Interlin. glossa interlinearis, quod homo facere non poterat; ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit ianuam. ita glossa. oportebat de foris bituminare, id præstare non poterat Noë, præstitit Deus, qui præceperat ei conficere arcam.

Actor. 12. Item actor. 12. existenti in carcere S. Petro catenis duabus vincto, apparuit Angelus qui percusso latere eius dixit, *surge velociter, præcingere, & calcia te caligas tuas.* Dices, quomodo vinctus catenis se induere poterat? sed ideo præmisit scriptura, *ceciderunt catenæ de manibus eius*; quod Petrus per se præstare poterat, fecit sicut præceptum fuit; quod verò non poterat catenas scilicet excutere, hoc à Deo factum est. Deinde Angelus ad Petrum, *sequere*, inquit, *me* Fecit & hoc Petrus. Venientes autem ad portam ferream quam Petrus aperire nequibat, *vltro*, inquit, *aperta est eis, & exeuntes processerunt, &c.* Ecce quæ præcepta erant Petro, obediens fecit, quod non poterat, præstitit Deus; vt notum nobis esset, Deum impossibilia non præcipere; quod si aliquid impossibile aut valde difficile intercesserit, ad diuinam prouidentiam & bonitatem spectat opem ferre.

Genes. 7. Rursus de Noë Genes. 7. Præcepit Dominus Noë vt in arcam ingrederetur, erat autem arca tota bituminata, solum ostium a parte exteriori non, quia clausus intus Noë, quod à foris erat, bituminare nequibat, sed hoc diuina præstitit prouidentia, dicente scriptura ibidem: *Et inclusit eum Dominus de foris.* vbi Nicolaus de Lyra: Noë quippe intra arcam existens non potuit extra ostium bituminare, & ideo Dominus suppleuit, quod homo non potuit. Vnde & Hebraica littera habet, *& clausit Dominus pro eo.* Gloss. ord. ita Lyranus. Et glossa interlinearis ibidem ait, quod homo facere non poterat, ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit. ita glossa. Quare cùm obedientia aliqua intercesserit vel virtutis opus quod difficultatem præseferat, non ideo animum deponamus, sed diuinum auxilium imploremus; facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam.

Genes. 22. Genes. 22. Sic Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Domine fidelissimi serui tui, imò si sic loqui licet, dilectissimum amici tui animum sic torques? Scis quidem quia diligit filium hunc quasi pupillam oculi sui, & post tot labores & discrimina peregrinationum, post illustrissima trophæa virtutum, iterum ad aciem & prælium grauius multò sic reuocas? S. Chrys. S. Chrysostom. hom. 47. ideo testatur Abraham, vt sciias magnam Patriarchæ obec modo nihil præferendum si i rint Deo. ita ille. Sunt autem iu rebus facilibus facile Deo pa bus difficilibus resistunt & defi dientes sunt secundùm quid non nec obedientes verè, nam verus milis esse debet fideli, fidelis qu credit, & in cunctis quæ ad fide ...ent adhibet fidem: aliter enim non fidelis sed infidelis esset, si vel in vno solo deficeret articulo fidei. Sic qui in præcepto aliquo diuinæ legis deficit, non obediens sed inobediens est secundum illud Iacob 2. *quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Iacob 2. 10 Vbi S. Thom. *in vno*, id est in quolibet præcepto factus est omnium præceptorum reus, quia illa sibi inutilia reddit, vel omnium peccatorum reus, quia pro vno ac si pro omnibus peribit. ita S. Thom. Licet enim S. Thom. qui plura præcepta transgreditur maiori pœna punietur, sed quantum ad hoc quod est præcisè in æternum perire & Dei visione carere pares erunt.

Psalm. 56. & Psalm. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam.* Psal. 56. 8. Ps. 107. 1. Cur bis ait se paratum cor habere? solemus nos verba repetere cum agimus cum hominibus, vel vt intelligant, quæ dicimus, vel vt ponderent intellecta; at Dauid cum Deo loquebatur, qui tali repetitione non indigebat. Respondet S. Bernard. serm. 2. in capite ieiunij, S. Bern. *paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum*, id est paratum ad aduersa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad quæcumque præceperis mihi. Vis me pastorem ouium facere? vis me constituere Regem Populorum? *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* ita S. Bernard. vbi nota gradationem illam, cur prius dixit, paratum ad aduersa, & postea ad prospera, & prius ad humilia quàm ad sublimia, cum secundum ordinem gradationis a facilioribus ad difficiliora ascendendum videtur: difficilius autem est obedire in aduersis quàm in prosperis, & in humilibus quàm in sublimibus. Et enim mirè explicauit sanctus Bernardus in quo puritas obedientiæ consistat, S. Bernard. puritas enim obedientiæ in hoc sita est, vt purè propter Dei præceptum & voluntatem fiat, nulla intermixta alia ratione & causa. Vnde sequitur difficilius esse purè parere in prosperis, quàm in aduersis, & in re sublimi, quàm in humili & vili; nam obedire in aduersis, non habet adiunctum periculum obediendi propter aliquid aliud, quàm quia præceptum est; at in prosperis habet periculum obedientia in ipsamet prosperitate; facile quippe est obedire in prosperis ob ipsam prosperitatem, & in honorificis propter honorem, & in iucundis ob iucunditatem. Si ergo puritatem ipsam obedientiæ consideremus; rectè gradationis ordinem seruauit S. Bernar. dum non solum ad prospera & aduersa Dauidem paratum exposuit, sed ad purè obediendum Deo in cunctis propter solum Deum imperantem.

Idem. Præterea optimè hunc Dauidis versum explicauit idem S. Bernard. serm. 4. ex paruis dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* via regia, fratres, nec ad dexteram declinat nec ad sinistram; inuenire autem est hominē semel paratum, non quidem secundò si dixerit ei Deus,

PROPOSITIO XIII.

Quòd mors post Christi mortem non sit timenda.

QVid est quod Abraham timore mortis peregrinus dixerit sororem esse vxorem suam? Gen.20. Genes. 20. & hoc non semel, de quo mirantur Doctores sacri? quia sic videbatur exponere vxorem periculo magno, nam propter eximiam eius pulchritudinem, primarij viri, qualis erat Rex Pharao & Abimelech, accipere volebant eam in vxorem. Item Elias timore perterritus fugit à facie Gezabelis, *&c.* S. Chrysostom. S.Chrys. hom. 45. in Genes. sic respondet: Ne condemnes iustum ob pusillanimitatem quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quod mortem iustis illis & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, nunc derideant iuuenes & teneræ virgines. ita ille.

Mulier.

PROPOSITIO VNICA.

Mulieres decet domi se continere.

Gen.18. GEnes. 18. recepit hospitio Abraham tres illos peregrinos insignes, quibus præcipuum conuiuium exhibuit; & cum Sara vxor Abrahæ conuiuium illud parasset; ita se domi continuit, vt nec tales ac tantos hospites salutaret. *Cum ergo illi comedissent, dixerunt Abrahæ: Vbi est Sara vxor tua? Ille* (ait scriptura) *respondit: Ecce in tabernaculo est.* Cur igitur sic latebat? respondet Lyranus, quia Sara verecunda erat, & ideo non se exponebat aspectibus hominum. ita ille. Vbi Interlinearis generaliùs loquens ait, *quia non est* Glos. ord. *mulieris in publicum prodire.* ita glossa. Psal.127. Vnde Psalm. 127. sic Dauid ad virum Deum timentem: *Sicut vitis abundans in lateribus do-* S. Hieron. *mus tuæ.* S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus tuæ.* Vbi Cardinalis Bellarminus, id est, intus manens vt honesta & pudica & curam domus habens, dum vir de his quæ foris sunt cogitat. ita ille. In penetralibus ergo non in fenestris, nec in ianuis domus, nec per viam & plateas & domos alienas, sed *in lateribus domus suæ*, hæc laude digna est. Quod etiam reliquæ mulieres, virgines ac viduæ obseruare debent, & sicut vidua sancta Iudith, publica loca vitare.
Vide locum de Iudith & S. Ambr. in id Luc. 1. Abiit Maria in montana cum festinatione.

⁂

Nobilitas, *Vide* Genus.

Nomen bonum, *Vide* Genus.

Obedientia.

1. *In cunctis rebus etiam difficilibus Deo parere debemus.*
2. *Diligentibus Deum facilis est obedientia.*
3. *Obedientia ad perfectionem valde conducit.*
4. *Obedientiam Deo omnes creaturæ exhibent.*
5. *Obedientia pacem nostram cum Deo conciliat.*
6. *Qualiter obedientia cæca debeat esse.*
7. *Ad obediendum sola superioris insinuatio sufficere debet.*
8. *Ad obediendum perfectè sola voluntas Dei sufficere debet.*
9. *In Dei obedientia saluatio nostra consistit, sicut in inobedientia damnatio.*
10. *Quàm Deo grata sit obedientia nostra, inobedientia verò quàm ingrata.*
11. *Quàm prompta esse debeat obedientia nostra.*
12. *Obedientiam Deo debemus quia Dominus noster est.*
13. *Quàm ingens bonum nostrum sit obedire Deo.*
14. *Idem est obedire Deo & prælato.*
15. *Obediens debet obedire Deo purè, quia inbet Deus.*
16. *Quàm vtile nobis sit obedire. Vide supra propositión. 9.*
17. *Obedientia animi perturbationes sedat, inobedientia contra.*
18. *Ad obediendum in rebus arduis Deus auxilium & vires præstat.*
19. *Religiosus speciatim voluntati suæ vale dicere debet.*
20. *Quàm grauis Dei offensa sit anteponere nostram voluntatem diuinæ.*
21. *Obediendum est sine replica superiori, nisi quando interuenit maior Dei gloria.*
22. *Quàm exactè & perfectè debeamus obedire Deo.*
23. *Quàm grauiter Deus inobedientes puniat.*
24. *Quàm honorifica Deo sit obedientia nostra.*

PROPO

PROPOSITIO I.

In cunctis rebus, etiam difficilibus, Deo parere debemus.

DIces: Sunt quidem aliquando tot impedimenta, vt vix ea homo valeat superare. Sed facilis est responsio, faciat homo, quod in se est, & ad cuncta sibi præcepta nitatur, & Dominus auxilia præstabit ad difficul-
Gen. 7. tates superandas. Genes. 7. Ingrediente Noë in arcam, cum familia sua sicut præceperat ei Deus ait scriptura, *& inclusit eum Dominus de foris.* Cur non clausit Noë, sed Dominus? Respondet
Interlin. glossa interlinearis, quod homo facere non poterat; ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit ianuam. ita glossa. oportebat de foris bituminare, id præstare non poterat Noë, præstitit Deus, qui præceperat ei conficere arcam.
Actor. 12. Item actor. 12. existenti in carcere S. Petro catenis duabus vincto, apparuit Angelus qui percussu latere eius dixit, *surge velociter, præcingere, & calcia te caligas tuas.* Dices, quomodo vinctus catenis se induere poterat? sed ideo præmisit scriptura, *ceciderunt catenæ de manibus eius*; quod Petrus per se præstare poterat, fecit sicut præceptum fuit; quod verò non poterat catenas scilicet excutere, hoc à Deo factum est. Deinde Angelus ad Petrum, *sequere*, inquit, *me.* Fecit & hoc Petrus. Venientes autem ad portam ferream quam Petrus aperire nequibat, *vltro*, inquit, *aperta est eis, & exeuntes processerunt, &c.* Ecce quæ præcepta erant Petro, obediens fecit, quod non poterat, præstitit Deus: vt notum nobis esset, Deum impossibilia non præcipere; quod si aliquid impossibile aut valde difficile intercesserit, ad diuinam prouidentiam & bonitatem spectat opem ferre.
Genes. 7. Rursus de Noë Genes. 7. Præcepit Dominus Noë vt in arcam ingrederetur, erat autem arca tota bituminata, solum ostium à parte exteriori non, quia clausus intus Noë, quod à foris erat, bituminare nequibat, sed hoc diuina præstitit prouidentia, dicente scriptura ibidem: *Et inclusit eum Dominus de foris.* vbi Nicolaus de Lyra: Noë quippe intra arcam existens non potuit extra ostium bituminare, & ideo Dominus suppleuit, quod homo non potuit. Vnde & Hebraica littera habet, *& clausit Domi-*
Gloss. ord. *nus pro eo.* ita Lyranus. Et glossa interlinearis ibidem ait, quod homo facere non poterat, ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit. ita glossa. Quare cum obedientia aliqua intercesserit vel virtutis opus quod difficultatem præseferat, non ideo animum deponamus, sed diuinum auxilium imploremus; facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam.
Genes. 22. Genes. 22. Sic Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Domine fidelissimi serui tui, imò si sic loqui licet, dilectissimum amici tui animum sic torques? Scis quidem quia diligit filium hunc quasi pupillam oculi sui, & post tot labores & discrimina peregrinationum, post illustrissima trophæa virtutum, iterum ad aciem
S. Chrys. & prælium grauius multò sic reuocas? S. Chrysostom. hom. 47. ideo testatur Abraham, vt scias magnam Patriarchæ obe[illegible] modo nihil præferendum si[illegible] rint Deo. ita ille. Sunt autem in rebus facilibus facile Deo pa[illegible] bus difficilibus resistunt & defi[illegible] dientes sunt secundùm quid non nec obedientes verè, nam verus [illegible] milis esse debet fideli, fidelis qu[illegible] credit, & in cunctis quæ ad fide[illegible] adhibet fidem: aliter enim non fidelis [illegible] fidelis esset, si vel in vno solo deficeret a[illegible] lo fidei. Sic qui in præcepto aliquo diuin[illegible] gis deficit, non obediens sed inobediens [illegible] cundum illud Iacob 2. *quicumque t[illegible] gem seruauerit, offendat autem in vno, [illegible] omnium reus.* Vbi S. Thom. [illegible] quolibet præcepto factus est [illegible] ptorum reus, quia illa sibi inn[illegible] omnium peccatorum reus; quia [illegible] pro omnibus peribit. ita S. Th[illegible] qui plura præcepta transgrediuntur [illegible] na punientur, sed quantum ad [illegible] præcisè in æternum perire & [illegible] pares erunt.

Psalm. 56. & Psalm. 107. *Parat[illegible] Deus, paratum cor meum: cantabo [illegible] dicam.* Cur bis ait se paratum cor h[illegible] lemus nos verba repetere cum agim[illegible] minibus, vel vt intelligant, quæ di[illegible] vt ponderent intellecta; at Dauid cum [illegible] quebatur, qui tali repetitione non [illegible] Respondet S. Bernard. serm. 2. in capite [illegible] *paratum*, inquit, *cor meum Deus, parat[illegible] meum*, id est paratum ad aduersa, parat[illegible] prospera, paratum ad humilia, paratum [illegible] limia, paratum ad quæcumque præcep[illegible] hi. Vis me pastorem ouium facere? vis [illegible] stituere Regem Populorum? *paratum co[illegible] Deus, paratum cor meum.* ita S. Bernard. nota gradationem illam, cur prius dixit pa[illegible] tum ad aduersa, & postea ad prospera, & pr[illegible] ad humilia quàm ad sublimia, cum secu[illegible] ordinem gradationis à facilioribus ad difficili[illegible] ra ascendendum videtur: difficiliùs autem est obedire in aduersis quàm in prosperis, & in humilibus quàm in sublimibus. Enim verò explicauit sanctus Bernardus in quo puritas obe- 58
dientiæ consistat, puritas enim obedientiæ in hoc sita est, vt purè propter Dei præceptum & voluntatem fiat, nulla intermixta alia ratione & causa. Vnde sequitur difficilius esse purè parere in prosperis, quàm in aduersis, & in re sublimi, quàm in humili & vili; nam obedire in aduersis, non habet adiunctum periculum obediendi propter aliquid aliud, quàm quia præceptum est; at in prosperis habet periculum obedientiæ in ipsamet prosperitate; facile quippe est obedire in prosperis ob ipsam prosperitatem, & in honorificis propter honorem, & in iucundis ob iucunditatem. Si ergo puritatem ipsam obedientiæ consideremus; rectè gradationis ordinem seruauit S. Bernardus dum non solum ad prospera & aduersa Dauidem paratum expressit, sed ad purè obediendum Deo in cunctis propter solum Deum imperantem.

Præterea optimè hunc Dauidis versum ex- Idem.
plicauit idem S. Bernard. serm. 45. ex paruis dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, via regia, fratres, nec ad dexteram declinat nec ad sinistram; inuenire autem est hominē semel paratum, non quidem secundò si dixerit ei Deus,

PROPOSITIO XIII.

Quòd mors post Christi mortem non sit timenda.

QVid est quod Abraham timore mortis peregrinus dixerit sororem esse vxorem suam?
Gen.20. Genes. 20. & hoc non semel, de quo mirantur Doctores facti? quia sic videbatur exponere vxorem periculo magno, nam propter eximiam eius pulchritudinem, primarij viri, qualis erat Rex Pharao & Abimelech, accipere volebant eam in vxorem. Item Elias timore perterri-
S.Chrys. tus fugit à facie Iezabelis, &c. S. Chrysostom. hom. 45. in Genes. sic respondet: Ne condemnes iustum ob pusillanimitatem quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quod mortem iustis illis & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, nunc derideant iuuenes & teneræ virgines. ita ille.

Mulier.

PROPOSITIO VNICA.

Mulieres decet domi se continere.

Gen.18. GEnes. 18. recepit hospitio Abraham tres illos peregrinos insignes, quibus præcipuum conuiuium exhibuit; & cum Sara vxor Abrahæ conuiuium illud parasset; ita se domi continuit, vt nec tales ac tantos hospites salutaret. *Cum* ergo illi *comedissent, dixerunt Abraha: Vbi est Sara vxor tua? Ille* (ait scriptura) *respondit: Ecce in tabernaculo est.* Cur igitur sic latebat? respondet Lyranus, quia Sara verecunda erat, & ideo non se exponebat aspectibus hominum. ita ille. Vbi Interlinearis generaliùs loquens ait, *quia non est*
Glos. ord. *mulieris in publicum prodire.* ita glossa.
Psal.127. Vnde Psalm. 127. sic Dauid ad virum Deum timentem: *Sicut vitis abundans in lateribus do-*
S. Hieron. *mus tuæ.* S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus tuæ.* Vbi Cardinalis Bellarminus, id est, intus manens vt honesta & pudica & curam domus habens, dum vir de his quæ foris sunt cogitat. ita ille. In penetralibus ergo non in fenestris, nec in ianuis domus, nec per viam & plateas & domos alienas, sed *in lateribus domus suæ*, hæc laude digna est. Quod etiam reliquæ mulieres, virgines ac viduæ obseruare debent, & sicut vidua sancta Iudith, publica loca vitare.
Vide locum de Iudith & S. Ambr. in id
Luc. 1. Abiit Maria in montana
cum festinatione.

***

Nobilitas, *Vide* Genus.

Nomen bonum, *Vide* Genus.

Obedientia.

1. *In cunctis rebus etiam difficilibus Deo parere debemus.*
2. *Diligentibus Deum facilis est obedientia.*
3. *Obedientia ad perfectionem valde conducit.*
4. *Obedientiam Deo omnes creaturæ exhibent.*
5. *Obedientia pacem nostram cum Deo conciliat.*
6. *Qualiter obedientia cæca debeat esse.*
7. *Ad obediendum sola superioris insinuatio sufficere debet.*
8. *Ad obediendum perfectè sola voluntas Dei sufficere debet.*
9. *In Dei obedientia saluatio nostra consistit, sicut in inobedientia damnatio.*
10. *Quàm Deo grata sit obedientia nostra, inobedientia verò quàm ingrata.*
11. *Quàm prompta esse debeat obedientia nostra.*
12. *Obedientiam Deo debemus quia Dominus noster est.*
13. *Quàm ingens bonum nostrum sit obedire Deo.*
14. *Idem est obedire Deo & prælato.*
15. *Obediens debet obedire Deo purè, quia iubet Deus.*
16. *Quàm vtile nobis sit obedire. Vide supra propositione. 9.*
17. *Obedientia animi perturbationes sedat, inobedientia contra.*
18. *Ad obediendum in rebus arduis Deus auxilium & vires præstat.*
19. *Religiosus speciatim voluntati suæ vale dicere debet.*
20. *Quàm grauis Dei offensa sit anteponere nostram voluntatem diuinæ.*
21. *Obediendum est sine replica superiori, nisi quando interuenit maior Dei gloria.*
22. *Quàm exactè & perfectè debeamus obedire Deo.*
23. *Quàm grauiter Deus inobedientes puniat.*
24. *Quàm honorifica Deo sit obedientia nostra.*

PROPO

Propositio I.

In cunctis rebus, etiam difficilibus, Deo parere debemus.

Dices: Sunt quidem aliquando tot impedimenta, vt vix ea homo valeat superare. Sed facilis est responsio, faciat homo, quod in se est, & ad cuncta sibi præcepta nitatur, & Dominus auxilia præstabit ad difficultates superandas. Gen. 7. Genes. 7. Ingrediente Noë in arcam, cum familia sua sicut præceperat ei Deus ait scriptura, *& inclusit eum Dominus de foris.* Cur non clausit Noë, sed Dominus? Respondet Interlin. glossa interlinearis, quod homo facere non poterat; ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit ianuam. ita glossa. oportebat de foris bituminare, id præstare non poterat Noë, præstitit Deus, qui præceperat ei conficere arcam.

Actor. 12. Item actor. 12. existenti in carcere S. Petro catenis duabus vincto, apparuit Angelus eui percusso latere eius dixit, *surge velociter, præcingere, & calcia te caligas tuas.* Dices, quomodo vinctus catenis se induere poterat? sed ideo præmisit scriptura, *ceciderunt catenæ de manibus eius*; quod Petrus per se præstare poterat, fecit sicut præceptum fuit; quod verò non poterat catenas scilicet excutere, hoc à Deo factum est. Deinde Angelus ad Petrum, *sequere*, inquit, *me*. Fecit & hoc Petrus. Venientes autem ad portam ferream quam Petrus aperire nequibat, *vltro*, inquit, *aperta est eis, & exeuntes processerunt, &c.* Ecce quæ præcepta erant Petro, obediens fecit, quod non poterat, præstitit Deus: vt notum nobis esset, Deum impossibilia non præcipere; quod si aliquid impossibile aut valde difficile intercesserit, ad diuinam prouidentiam & bonitatem spectat opem ferre.

Genes. 7. Rursus de Noë Genes. 7. Præcepit Dominus Noë vt in arcam ingrederetur, erat autem arca tota bituminata, solum ostium a parte exterioti non, quia clausus intus Noë, quod à foris erat, bitominare nequibat, sed hoc diuina præstitit prouidentia, dicente scriptura ibidem: *Et inclusit eum Dominus de foris.* vbi Nicolaus de Lyra: Noë quippe intra arcam existens non potuit extra ostium bituminare, & ideo Dominus suppleuit, quod homo non potuit. Vnde & Hebraica littera habet, *& clausit Dominus pro eo.* Gloss. ord. ita Lyranus. Et glossa interlinearis ibidem ait, quod homo facere non poterat, ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit. ita glossa. Quare cùm obedientia aliqua interferit vel virtutis opus quod difficultatem præseferat, non ideo animum deponamus, sed diuinum auxilium imploremus; facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam.

Genes. 22. Genes. 22. Sic Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Domine fidelissimi serui tui, imò si sic loqui licet, dilectissimum amici tui animum sic torques? Scis quidem quia diligit filium hunc quasi pupillam oculi sui, & post tot labores & discrimina peregrinationum, post illustrissima trophæa virtutum, iterum ad aciem S. Chrys. & prælium grauius multò sic renocas? S. Chrysostom. hom. 47. ideo testatur Abraham, vt scias magnam Patriarchæ obe... modo nihil præferendum ... ... Deo. ita ille. Sunt autem in rebus facilibus facile Deo p... bus difficilibus resistunt & ... dientes sunt secundum quid non ... nec obedientes verè, nam virtus ... milis esse debe: fideli, fidelis ... credit, & in cunctis quæ ad fide... ...unt adhibet fidem: aliter enim non fidelis sed infidelis esset, si vel in vno solo detraheret ... ullo fidei. Sic qui in præcepto aliquo diuinæ legis deficit, non obediens sed inobediens est secundum illud Iacob 2. *quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Iacob 2. 10 Vbi S. Thom. *in vno*, id est in quolibet præcepto factus est omnium præceptorum reus, quia illa sibi inutilia reddit, vel omnium peccatorum reus, quia pro vnò æ... si pro omnibus peribit. ita S. Thom. Licet enim S. Thom. qui plura præcepta transgreditur maiori pœna punietur, sed quantum ad hoc quod est præcisè in æternum perire & Dei visione carere pares erunt.

Psalm. 56. & Psalm. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam.* Psal. 56. 8. Ps. 107. 1. Cur bis ait se paratum cor habere? solemus nos verba repetere cum agimus cum hominibus, vel vt intelligant, quæ dicimus, vel vt ponderent intellecta; at Dauid cum Deo loquebatur, qui tali repetitione non indigebat. Respondet S. Bernard. serm. 2. in capite ieiunij, S. Bern. *paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum*, id est paratum ad aduersa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad quæcumque præceperis mihi. Vis me pastorem ouium facere? vis me constituere Regem Populorum? *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* ita S. Bernard. vbi nota gradationem illam, cur prius dixit, paratum ad aduersa, & postea ad prospera & prius ad humilia quàm ad sublimia, cum secundum ordinem gradationis a facilioribus ad difficiliora ascendendum videtur: difficilius autem est obedire in aduersis quàm in prosperis, & in humilibus quàm in sublimibus. Etenim verè explicauit sanctus Bernardus in quo puritas obedientiæ consistat, puritas enim obedientiæ in hoc sita est, vt purè propter Dei præceptum & voluntatem fiat, nulla intermixta alia ratione & causa. Vnde sequitur difficilius esse S. Bern. purè parere in prosperis, quàm in aduersis, & in re sublimi, quàm in humili & vili; nam obedire in aduersis, non habet adiunctum periculum obediendi propter aliquid aliud, quàm quia præceptum est; at in prosperis habet periculum obedientiæ in ipsa met prosperitate; facile quippe est obedire in prosperis ob ipsam prosperitatem, & in honorificis propter honorem, & in iucundis ob iucunditatem. Si ergo puritatem ipsam obedientiæ consideremus; rectè gradationis ordinem seruauit S. Bernardus non solum ad prospera & aduersa Dauidem paratum exposuit, sed ad purè obediendum Deo in cunctis propter solum Deum imperantem.

Præterea optimè hunc Dauidis versum ex- Idem. plicauit idem S. Bernard. serm. 43. ex paruis dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, vir regia, fratres, nec ad dexteram declinat nec ad sinistram; inuenire autem est hominē semel paratum, non quidem secundò si dixerit ei Deus,

S.Chrisost.

Quid est quod veritatem istam & credimus,& profitemur,& nihilominus pauci sunt qui sic vigilant parati ad mortem? Sanct. Chrysost. hom 2. in Mat. Imperfectioni fidei hoc tribuit, non quia non credant, sed quia imperfectè credant peccatores. Ait ergo, omnes qui sumus Christiani, scimus quia mundus consummandus est, & quia morituri sumus, & tamen hoc ipsum perfectè non credimus; si enim perfectè crederemus, sic viueremus, quasi post modicum transituri de hoc mundo, & non quasi in æternum mansuri. ita ille. Etenim *fides sine operibus mortua est*, vt ait S. Iacobus. Vnde propter hanc imperfectionem fidei multi ita degunt, tanquam si nunquam essent morituri, ædificant ædes sumptuosas, negotiantur, acquirunt, seruant diuitias, &c. quibus id accidit sicut diuiti illi cui dictum est à Domino: *stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ parasti cuius erunt?*

Actor. 1.

Actor. 1. dixit Apostolis Christus, *vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies.*

Theophil.

Quærit Theophylact. Cur Dominus nõ declarauit quando spiritus superuenturus esset, sed solum dixit, *non post multos hos dies.* Et respondet, idcirco, *nõ post multos hos dies* dixit, vt sẽper vigilantes expectarent. ita ille. Ita in præsenti mortis casu, sumus nos morituri, noluit tamen Deus horam indicare, vt omni hora parati simus. Quod exemplo Patrisfamilias nescientis qua hora fur venturus sit, explicauit.

PROPOSITIO IX.

Vita hac potius est dicenda mors quàm vita.

CVm primùm nascitur homo lacbrymas fundit, quasi vitæ miserias præ sagiens, & statim lineis obuoluitur pànis; pannis, inquam, ex quibus sudarium mortuorum, seu feralis amictus fit, non quidem sine speciali prouidentia Dei qua innuit nobis vitam hanc nostram mortem potius esse dicendam quàm vitam; & idem esse incipere vitam ac incipere mori, & ideo infantem ferali amictu statim obuolui.

Tertul.

Considerauit hoc Tertul lib. 4. cõtra Marcionẽ dicens: Ingreditur infans pànis velut sepulturæ inuolucris initiatus. ita ille.

Simile.

vbi notandum est verbum illud, *initiatus*, quo vti solemus cum de his loquimur qui sacris ordinantur, hos initiati dicimus sacris, *ordenarse de epistola, ordenarse de euangelio.* Sic igitur de infante recenter nato loquitur Tertul. initiatur morte *ordenanle de mortal*, vt sicut is qui sacris initiatur vitam initiato in sacris dignam ducat, ita qui in hac vita degit, etiam ab incunabulis se velut mortuum ducat, & tanquam mortalis & velut iam moribundus viuat. *viua come quien esta ya amortajado para ir a la sepultura.*

Gen. 2.

Genes. 2. *In quacumque die comederis, morte morieris.* Cum post transgressionem præcepti vixerit Adam mille ferè annis, quomodo verum est quod hîc Dominus dixit?

Iob. 7.

ex loco illo Iob. c. 7. *militia est vita hominis super terram*, sensus deduci potest; quia in hoc verè vita nostra similis est militiæ, quia sicut militia mors militantium est, sic etiam vita nostra mors ipsius vitæ est.

S.Greg.
Simile.

Sic exponit S. Gregor. locum dicens, *militia est vita hominis super terram*, quia vnusquisque dum quotidie ad terminum vitæ per augmentum tendit temporum, augendo vitam viuere desinit, sicut itinerantis gressus dum in anteriora proficit, quod restat iter decrescit; sic vita nostra militia est, quæ quo ad augmentum deducitur, eo vt nõ sit finitur. ita S. Gregor. 8. Mor. 4.

Seneca.

Quod etiam Seneca alia similitudine aptè explicauit dicens similem esse vitam nostram horologio arenæ, cuius transitus

Simile.

duratio est merè transire, neque enim dicimus in vltimo arenæ grano, *nunc transit arena*, sed, *nunc finiuit suum transitum arena*; nam ab initio cœperat transire: sic etiam tempus vitæ nostræ non trãsit solum cum moritur homo, sed finitur; transit autem dum viuit, atque adeo dum crescit, vita decrescit.

Simile.

Simile etiam adduci potest de candela, quæ accensa se ipsam viuendo, seo ardendo extinguit. *Militia* igitur *est vita hominis super terram*, quia vita nostra se ipsam debellat, quia nihil aliud est viuere, quàm à vitæ cursu deficere tanto magis quanto homo amplius viuit, sic enim ad vitæ metam & terminum appropinquat, *la vida mesma se haze mortal guerra.*

PROPOSITIO X.

Mors terminus est bene operandi & promerendi.

Iob.7.

IOb. 7. sic S. Iob. Deo: *Memento quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus vt videat bona, nec aspiciet me visus hominis.* Magni ponderis verba sunt ista, quibus sanctus vir auxilium ad bene operandum in hac vita postulat à Deo, & suæ petitionis rationes aliquas adhibet, quarum prima est, quia *ventus est vita mea*, id est (vt ait S.

S. Gregor.

Gregor.) transeuntem velociter benignus respice, quia tanto à te videri misericordius debet, quanto ipse à consideratione breuitatis vitæ meæ oculos non auerto. ita ille. Et hæc est prima ratio, ad impetrandum diuinum auxilium à Deo, ac bene operandum, quia exiguum scilicet est tempus, ad bene operandum concessum. Addit autem Iob aliam rationem. *nec reuertetur oculus meus vt videat bona*, id est, *en corrando vna vel el ojo, ne se me concedera tiempo para bien obrar ni aun a verde los ojos*, sic explicat S. Gregor. locum hunc dicens: ad videnda bona extincti oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. ita S. Gregor.

Lucæ 16.

Vnde Luc. 16. Sic Diues Epulo ad Abraham: *Pater Abraham rogo te vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ita ne apud damnatos misericordia talis inuenitur, vt aliquis eorum pro fratribus oret? Cur pro fratribus & non pro se iste orat? charitas enim & misericordia incipiunt à se ipso. Respondetur, opus hoc non esse charitatis seu amoris fratrum, sed timoris proprij damni, quod ex consortio fratrum diuiti augeretur: perit autẽ (quomodocumque, sit) non pro se, quoniam in inferno nulla est redemptio, neque enim post mortem est inuenire locum pœnitentiæ nec meriti.

S. Greg.

Sic explicat locum hunc S Gregor. 8. Mat. 8. dicens: Diues quem inferni flamma cruciabat, nequaquam sibi sed relictis fratribus prodesse satagebat, quia cognouerat semetipsum operando reparare non posse; vt enim reprobi pœnam suam grauius sentiunt, spem veniæ amittunt. ita ille.

Eccl 9.

Hinc Salomon Eccl. 9. *quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas.* Pondera consilium Spiritus S. &

rationem consilij; consilium est, *quodcumque potest facere manus tua instanter operare. Instanter* ait, non dixit *quotidie*, quia prudens nullum instans absque merito elabi permittere debet. Ratio autem consilij est, quia apud inferos primò non est opus, id est non conceditur nec instans ad operandum; nunc quidem non est instans in quo mereri non possimus, tunc è contra nec instans inueniet homo ad opus meritorium. Secundò, non erit ratio, nunc (vita cum ite) ratiocinari valet is qui tribulatione aliqua laborat, & media ac remedia discurrendo inuenire, quibus à tribulatione liberetur: sed in sæculo futuro, quamuis ingenio ac sapientia polleat, nullum remedium adinuenire valebit, quo à damnatione liberetur æterna, & meritorium faciat opus. Id igitur est, *nec reuertetur oculus meus vt videat bona*, & rectè in huius confirmationem subdit, *nec aspiciet me visus hominis*, quisnam est
S.Greg. visus hominis iste? S. Gregor. ibidem, visus hominis est misericordia redemptoris, quæ duritiam nostram cum respicit, emollit. ita ille. Quod
Luc. 22. manifestè elucidauit exemplo Luc. 22. vbi sic Euangelista de Petro negante agens, *respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat Iesus, ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè*: quia Dominus respexit, Petrus fleuit; ecce qualis ac quantus sit hominis visus. Ait ergo S. Iob, *nec aspiciet me visus hominis*,
S. Greg. vbi S. Gregor. exutam carne animam visus hominis non respicit, quia post mortem non liberat Christus, quam ante mortem ad veniam gratia non reformat. ita ille.

Eccl. 11. Hinc Ecclef. 11. *Lignum in quocumque loco ceciderit siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi*
S. Greg. *erit.* Quid sibi vult parabola hæc? S. Greg. vbi supra cap. 8. quia cum tempore humani casus, siue sanctus siue malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit in æternum, secum sine vlla permutatione retinebit, vt nec exaltata ad iudicium proruat, nec mersa æternis suppliciis vltra ad remedium ereptionis ascendat. ita S. Gregor. qui ad rem ipsam adducit illud Psal. 117. *quoniam in sæculum misericordia eius*, dicens, quia nimirum, quem modò misericordia non eripit, post præsens sæculum iustitia addicit.
1. Cor. 6. ita ille. Cui consonat illud Apost. 1. Cor. 6. *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Propositio XI.

Quàm breuis sit vita nostra.

Iob. 7. IOb 7. Sic S. Iob: *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* Metaphora hæc texentis, celeritatem temporis vitæ nostræ
S. Greg. optimè expressit, quam sic exponit S. Gregor. 8. Mor. 3. Congrua, inquit, similitudine tempus vitæ nostræ telæ comparatur, quia sicut tela, filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit; eo ad incisionem tendit, quia cum tempora percepta prætereunt, ventura breuiantur; sic vitæ nostræ tempora quo plus sunt præterita, minùs incipiunt esse futura; sed quia vitæ nostræ velocitas telæ comparationem transcendit, rectè dicitur, *dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur*; quia vita præsens motam defectus non habet, sicut tela in qua cum laborantis manus figitur, terminus elongatur, in vita verò ad finem nostri transitus, etiam quiescentes & dormientes peruenimus. ita S. Gregor. qui hanc inde elicit conclusionem: Ideo electi, quia præsentis vitæ momenta decurrere cum festinatione conspiciunt, nequaquam in hoc tantæ mobilitatis itinere cordis intentionem figunt. ita ille.

S. Hieron. epistola 3. præmeditari debemus, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus nolimus, longe abesse non potest; nam si nongentos vitæ annos excederemus, vt ante diluuium humanum genus viuebat, & Mathusalem tempora nobis donarentur, nihil tamen esset præterita longitudo, quia esse desisset; qui enim decem vixit annos, & qui mille, postquam idem finis aduenerit vitæ, & inexcusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fæce proficiscitur: Optima quæque dies miseris mortalibus æui prima fugit. ita S. Hieron. S. Hieron.

S. August. serm. 42. à prima infantia vsque ad decrepitam ætatem spatium breue est, quod tandiu vixerat Adam, quid profuisset ei magis si mortuus fuisset hodie? Quid diu est vbi finis est? Et modò cum loquimur, vtique transimus, verba currunt, horæ volant; sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic ista fælicitas nostra. In hoc ergo paruo spatio vitæ bene viuamus, vt illò eamus vnde non transeamus. ita S. August. *es falta de Iuizio hazer caso de las cosas que asi se pasan y acaban ni quiero bien que no dura, ni temo mal que se acaba.* Vide S. Hier. super c. 40. Isa. in principio. S. August.

Propositio XII.

Quod non corporis, sed animæ mors timenda sit.

LVc. 1. de Christo Domino dicit Zacharias; *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, &c.* Quid est *vmbra mortis*? mors corporalis nominatur, vt ait S. Gregor. 4. Mor. 16. dicens: Vmbra mortis mors carnis accipitur; quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo, ita vmbra mortis est, qua caro ab anima separatur. Vnde rectè voce martyrum per prophetam dicitur, *humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis*: quos enim constat non spiritu sed sola carne mori, non vera morte sed sola vmbra mortis se dicunt operiri. ita S. Gregor. Vbi notandum est mortem hanc temporalem, quam adeo formidant homines, vmbram mortis dici; quia sicut vmbra similitudinem præfert corporis opaci, sic mors corporalis vmbra dicitur mortis, id est peccati propter illam similitudinem, quam assignat hic S. Gregor. vnde qui mortem timent, similes sunt pueris qui vmbras timent, aut nonnullis bestiis, quæ ex visione vmbrarum retrocedunt & a recta via declinant; mors quæ a viris intelligentibus timenda est, peccatum est; hoc enim est vere timendum, est enim animæ mors, mors autem animæ tanto magis timenda est, quanto anima excellentior est corpore, & quanto perniciosior est. Luc. 1. S.Greg.

***

PROPOSITIO XIII.

Quòd mors post Christi mortem non sit timenda.

Gen. 20. QVid est quod Abraham timore mortis peregrinus dixerit sororem esse vxorem suam? Genes. 20. & hoc non semel, de quo mirantur Doctores sacri? quia sic videbatur exponere vxorem periculo magno, nam propter eximiam eius pulchritudinem, primarij viri, qualis erat Rex Pharao & Abimelech, accipere volebant eam in vxorem. Item Elias timore perterritus fugit à facie Getzabelis, *&c.* S. Chrysostom. hom. 45. in Genes. sic respondet: Ne condemnes iustum ob pusillanimitatem quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quod mortem iustis illis & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, nunc e'rideant iuuenes & teneræ virgines. ita ille.

S. Chrys.

Mulier.

PROPOSITIO VNICA.

Mulieres decet domi se continere.

Gen. 18. GEnes. 18. recepit hospitio Abraham tres illos peregrinos insignes, quibus præcipuum conuiuium exhibuit; & cum Sara vxor Abrahæ conuiuium illud parasset; ita se domi continuit, vt nec tales ac tantos hospites salutaret. *Cum* ergo illi *comedissent, dixerunt Abrahæ: Vbi est Sara vxor tua? Ille* (ait scriptura) *respondit: Ecce in tabernaculo est.* Cur igitur sic latebat? respondet Lyranus, quia Sara verecunda erat, & ideo non se exponebat aspectibus hominum. ita ille. Vbi Interlinearis generaliùs loquens ait, *quia non est*

Glos. ord. *mulieris in publicum prodire.* ita glossa.

Psal. 127. Vnde Psalm. 127. sic Dauid ad virum Deum timentem: *Sicut vitis abundans in lateribus do-*

S. Hieron. *mus tuæ.* S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus tuæ.* Vbi Cardinalis Bellarminus, id est, intus manens vt honesta & pudica & curam domus habens, dum vit de his quæ foris sunt cogitat. ita ille. In penetralibus ergo non in fenestris, nec in ianuis domus, nec per viam & plateas & domos alienas, sed *in lateribus domus suæ*, hæc laode digna est. Quod etiam reliquæ mulieres, virgines ac viduæ obseruare debent, & sicut vidua sancta Iudith, publica loca vitare.

Vide locum de Iudith & S. Ambr. in id Luc. 1. Abiit Maria in montana cum festinatione.

***

Nobilitas, *Vide* Genus.

Nomen bonum, *Vide* Genus.

Obedientia.

1. *In cunctis rebus etiam difficilibus Deo parere debemus.*
2. *Diligentibus Deum facilis est obedientia.*
3. *Obedientia ad perfectionem valde conducit.*
4. *Obedientiam Deo omnes creaturæ exhibent.*
5. *Obedientia pacem nostram cum Deo conciliat.*
6. *Qualiter obedientia cæca debeat esse.*
7. *Ad obediendum sola superioris insinuatio sufficere debet.*
8. *Ad obediendum perfectè sola voluntas Dei sufficere debet.*
9. *In Dei obedientia salutatio nostra consistit, sicut in inobedientia damnatio.*
10. *Quàm Deo grata sit obedientia nostra, inobedientia verò quàm ingrata.*
11. *Quàm prompta esse debeat obedientia nostra.*
12. *Obedientiam Deo debemus quia Dominus noster est.*
13. *Quàm ingens bonum nostrum sit obedire Deo.*
14. *Idem est obedire Deo & prælato.*
15. *Obediens debet obedire Deo purè, quia iubet Deus.*
16. *Quàm vtile nobis sit obedire. Vide supra propositionem. 9.*
17. *Obedientia animi perturbationes sedat, inobedientia contra.*
18. *Ad obediendum in rebus arduis Deus auxilium & vires præstat.*
19. *Religiosus speciatim voluntati suæ vale dicere debet.*
20. *Quàm grauis Dei offensa sit anteponere nostram voluntatem diuinæ.*
21. *Obediendum est sine replica superiori, nisi quando interuenit maior Dei gloria.*
22. *Quàm exactè & perfectè debeamus obedire Deo.*
23. *Quàm grauiter Deus inobedientes puniat.*
24. *Quàm honorifica Deo sit obedientia nostra.*

PROPO

Propositio I.

In cunctis rebus, etiam difficilibus, Deo parere debemus.

DIces: Sunt quidem aliquando tot impedimenta, vt vix ea homo valeat superare. Sed facilis est responsio, faciat homo, quod in se est, & ad cuncta sibi præcepta nitatur, & Dominus auxilia præstabit ad difficultates superandas. Genes. 7. Ingrediente Noë in arcam, cum familia sua sicut præceperat ei Deus ait scriptura, *& inclusit eum Dominus de foris.* Cur non clausit Noë, sed Dominus? Respondet glossa interlinearis, quod homo facere non poterat; ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit ianuam. ita glossa. oportebat de foris bituminare, id præstare non poterat Noë, præstitit Deus, qui præceperat ei conficere arcam.

Gen. 7.

Interlin.

Actor. 12.

Item actor. 12. existenti in carcere S. Petro catenis duabus vincto, apparuit Angelus qui percusso latere eius dixit, *surge velociter, præcingere, & calcia te caligas tuas.* Dices, quomodo vinctus catenis se induere poterat? sed ideo præmisit scriptura, *ceciderunt catenæ de manibus eius*; quod Petrus per se præstare poterat, fecit sicut præceptum fuit; quod verò non poterat catenas scilicet excutere, hoc à Deo factum est. Deinde Angelus ad Petrum, *sequere*, inquit, *me*. Fecit & hoc Petrus. Venientes autem ad portam ferream quam Petrus aperire nequibat, *vltro*, inquit, *aperta est eis, & exeuntes processerunt, &c.* Ecce quæ præcepta erant Petro, obediens fecit, quod non poterat, præstitit Deus: vt notum nobis esset, Deum impossibilia non præcipere; quod si aliquid impossibile aut valde difficile intercesserit, ad diuinam prouidentiam & bonitatem spectat opem ferre.

Genes. 7.

Rursus de Noë Genes. 7. Præcepit Dominus Noë vt in arcam ingrederetur, erat autem arca tota bituminata, solum ostium à parte exteriori non, quia clausus intus Noë, quod à foris erat, bituminare nequibat, sed hoc diuina præstitit prouidentia, dicente scriptura ibidem: *Et inclusit eum Dominus de foris.* vbi Nicolaus de Lyra: Noë quippe intra arcam existens non potuit extra ostium bituminare, & ideo Dominus suppleuit, quod homo non potuit. Vnde & Hebraica littera habet, *& clausit Dominus pro eo.* ita Lyranus. Et glossa interlinearis ibidem ait, quod homo facere non poterat, ne aquæ introirent, Deus exterius bituminauit. ita glossa. Quare cum obedientia aliqua intercesserit vel virtutis opus quod difficultatem præseferat, non ideo animum deponamus, sed diuinum auxilium imploremus; facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam.

Gloss. ord.

Genes. 22.

Genes. 22. Sic Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Domine fidelissimi serui tui, imò si sic loqui licet, dilectissimum amici tui animum sic torques? Scis quidem quia diligit filium hunc quasi pupillam oculi sui, & post tot labores & discrimina peregrinationum, post illustrissima trophæa virtutum, iterum ad aciem & prælium grauius multò sic reuocas? S. Chrysostom, hom. 47. ideo testatur Abraham, vt scias magnam Patriarchæ obedientiam, & quomodo nihil præferendum sit his, quæ placuerint Deo. ita ille. Sunt autem nonnulli, qui in rebus facilibus facile Deo parent, at in rebus difficilibus resistunt & deficiunt; hi obedientes sunt secundùm quid non absolutè; imò nec obedientes verè, nam verus obediens, similis esse debet fideli, fidelis quidem omnia credit, & in cunctis quæ ad fidem pertinent adhibet fidem: aliter enim non fidelis sed infidelis esset, si vel in vno solo deficeret articulo fidei. Sic qui in præcepto aliquo diuinæ legis deficit, non obediens sed inobediens est secundum illud Iacob 2. *quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Vbi S. Thom. *in vno*, id est in quolibet præcepto factus est omnium præceptorum reus, quia illa sibi inutilia reddit, vel omnium peccatorum reus, quia pro vno ac si pro omnibus peribit. ita S. Thom. Licet enim qui plura præcepta transgreditur maiori pœna punietur, sed quantum ad hoc quod est præcisè in æternum perire & Dei visione carere pares erunt.

S. Chrys.

Iacob 2. 10

S. Thom.

Psalm. 56. & Psalm. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam.* Cur bis ait se paratum cor habere? solemus nos verba repetere cum agimus cum hominibus, vel vt intelligant, quæ dicimus, vel vt ponderent intellecta; at Dauid cum Deo loquebatur, qui tali repetitione non indigebat. Respondet S. Bernard. serm. 2. in capite ieiunij, *paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum*, id est paratum ad aduersa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad quæcumque præceperis mihi. Vis me pastorem ouium facere? vis me constituere Regem Populorum? *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* ita S. Bernard. vbi nota gradationem illam, cur prius dixit, paratum ad aduersa, & postea ad prospera, & prius ad humilia quàm ad sublimia, cum secundum ordinem gradationis à facilioribus ad difficiliora ascendendum videtur: difficilius autem est obedire in aduersis quàm in prosperis, & in humilibus quàm in sublimibus. Et enim mirè explicauit sanctus Bernardus in quo puritas obedientiæ consistat, puritas enim obedientiæ in hoc sita est, vt purè propter Dei præceptum & voluntatem fiat, nulla intermixta alia ratione & causa. Vnde sequitur difficilius esse purè parere in prosperis, quàm in aduersis, & in re sublimi, quàm in humili & vili; nam obedire in aduersis, non habet adiunctum periculum obediendi propter aliquid aliud, quàm quia præceptum est; at in prosperis habet periculum obedientia in ipsamet prosperitate; facile quippe est obedire in prosperis ob ipsam prosperitatem, & in honorificis propter honorem, & in iucundis ob iucunditatem. Si ergo puritatem ipsam obedientiæ consideremus; rectè gradationis ordinem seruauit S. Bernar. dum non solum ad prospera & aduersa Dauidem paratum exposuit, sed ad purè obediendum Deo in cunctis propter solum Deum imperantem.

Psal. 56. 8.
Ps. 107. 2.

S. Bern.

S. Bernard.

Præterea optimè hunc Dauidis versum explicauit idem S. Bernard. serm. 4. ex paruis dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* via regia, fratres, nec ad dexteram declinat nec ad sinistram; inuenire autem est hominē semel paratum, non quidem secundò si dixerit ei Deus,

Idem.

eiice ancillam & filium eius, dico autem opera carnis, non cunctatur; si dixerit *immola mihi filium tuum, quem diligis Isaac*, hoc planè iam audire patienter non potest vt scilicet fraternæ vtilitatis aut vnitatis gratia spiritualis videatur sustinere studij detrimenta. Quidni abiiciet facilè seruus Christi quidquid ad corpoream pertinet voluptatem? At verò spirituali iucunditate, æquanimiter defraudari quando cogit obedientia, hoc planè magnum & Deo gratum est holocaustum offerre; memento autem non Isaac in hoc sacrificio, sed arietem contumaciæ iugulari. ita S. Bernard. huius maiorem expositionem vide apud ipsum S. Bernard. in declamationibus iuxta finem, & in festo sancti Martini prope finem.

Gen. 22. Genes. 22. sic Dominus ad Abraham; *Abraham, Abraham*; reduplicatio magnum quid à
S.Chrisost. Domino dicendum præsefert. S. Chrysostom. hom. 47. in genes. quid sibi vult verbi duplicatio? monstrabat ei vocatione ipsa quod magnum aliquid dicturus esset. ita ille. Respondit Abraham, *Adsum*. Dominus, *tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montium, quem monstrauero tibi*. Quam ob causam non simpliciter dixit, *tolle Isaac* & offer in holocaustum, sed *tolle filium & vnigenitum & dilectum non statim occidendum sed post dies tres*, &c. Optime ponderat
Idem. S. Chrysostom. hom. 47. tentationem hanc dicens, per verba ista maius incendium succendit, & fornacem amoris quo Abraham in Isaac affectus erat, violentius excitat: vnumquodque enim verbum per se sufficeret ad sauciandam animam iusti; non enim simpliciter dixit *Isaac*, sed addit *filium tuum* quem præter omnem expectationem habuisti, dilectum & desiderabilem tuum, quem immodicè amas, quem successorem tibi speras, ex quo & semen tuum multiplicandum promisi, & in tantum multiplicandum vt stellarum & multitudini arenæ, quæ est iuxta littus maris adæquetur, & offer eum, *&c.* Admiror ego quomodo Abraham potuerit hæc auribus sustinere. Quid igitur iustus? non turbatus est animo nec mente confusus, & consilio destitutus, & in tam graui præcepto non cogitabat, non ratiocinabatur dicens, cur hoc? qui mihi præter expectationem beneficium exhibuit, num postquam ablatus est filius, & creuit, & in flore ætatis est occidere, & in holocaustum præcepit offerre? & nunc diuersa præcipit. Quomodo ergo implebuntur quæ ab ipso sunt promissa? nihil horum secum cogitauit iustus ille, sed sicut gratus famulus omissa omni ratione humana, vnam tantùm rem curabat, vt imperata opere impleret, & quasi factus à natura humana alienus, & postponendam ducēs diuinis præceptis omnem affectionem, & dilectionem, ad implenda iussa festinauit, & reputans sibi præceptum, rem vxori communicare & detegere non est ausus; & quia sciebat magnitudinem præcepti, nemini prorsus significauit, nec pueris neque ipsi Isaac, sed solus agonem illum secum decertabat, & quasi adamas manebat inuictus, & obtemperabat magno cum desiderio. ita
S.Chrysost. S.Chrysost. qui plura ad rem eloquenter accommodauit. Ecce igitur singulare obedientiæ exemplum. Verus enim obediens, ad omnia quantumuis difficilia præstanda, paratum cor debet habere. Vbi ad cumulum huius obedientiæ insti Abrahæ nota, cur iusserit Dominus ducere puerum in montem illum distantem, ad quem post tres dies peruenit, cur non statim illa nocte executioni mandare iussit? Respondet ibi Origenes, Origen.
vt paterna viscera diutius per totum triduum torquerentur, & obedientiæ meritum augeretur. ita Orig. & vt rectè Lyranus & Abulensis aiunt, vt deliberatè diuinum obsequium egisse videretur, & non temere & inconsultò, & ex aliqua repentina apprehensione. ita ille. Re igitur magis ac magis perpensa, & rei difficultate diutius considerata obedire perfectè decreuit. O vtinam nos qui religionem Christianam profitemur, illum qui in naturæ lege viuebat, imitaremur!

Luc. 22. Sic de Christo Domino orante in Luc. 22.
horto instante eius passione: *factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Mirabilis prorsus talis sudor vnde quæso promanauit? Expendere oportet prius quid significet *Agonia*; dictio Græca est & significat bellum & pugnam interiorem in corde, erat igitur in corde pugna quædam, sed inter quos pugnantes? Colligitur quidem ex circunstantiis præcedentibus; capetat enim Christus pauere & tædere, sed tunc orans dixit: *Pater si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu*. Post hæc iterum orans factus est in agonia & pugna intrinseca cordis. Pugnantes ergo erant timor & obedientia; timor ex illis verbis, *Pater si possibile est transeat à me calix iste*, timebat ergo naturali carnis timore mortem; obedientia verò patet ex illis verbis, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Timor ergo mortis & obedientia Patris, patiendi nempe & moriendi litigabant in corde Christi: Quonam, inquies, modo? Accipe, timor sanguinem venarum deducebat ad cor, sic enim natura habet vt cum quis timore vexatur in corde, sanguinem ducat ad cor, vt faueat illi. Cum enim sit cor præcipua hominis pars, vitæque principium, & timore nimis vexetur, prouidens natura sanguinis auxilio cordi succurrit; at obedientia Patris in corde Christi existens, vehementer ad passionem & mortem crucis Christum Dominum inclinabat & vrgebat. Sic facta est agonia & pugna inter mortis timorem & obedientiam Patris in corde Christi: superans autem obedientia timorem, fauorem illum sanguinis quem timor administrabat, sic à corde reiicit pariter cum timore, vt non solum sanguinem ad venarum locum pristinum reuocaret, verum spiritus vehementia extra venas & vltra corpus, ad terram vsque fortiter excluserit & repulerit tormenta passionis & acerbitatem mortis toto corde amplectēs, & inde Christus factus est in agonia & sudor sanguinis processit vsque ad terram. Cogitauit
S.Laur. Iustinian. hæc S. Laur. Iustinian. lib. de triumphali Christi agone dicens: Qualis conflictus: qualis pugna? quale spectaculum? impellebat spiritus Christi, reclamabat natura passibilis pœnarum immanitate perterrita, in horum medio Christus constitutus tanquam strenuus ac insuperabilis miles, carnis non ferens blanditias spiritu iussa implere curauit, & paternæ se voluntati subdidit, dicens, *non sicut ego volo sed sicut tu*. Tali prolatione verborum talisque mentis assensu tenitentis carnis spiritus palmam obtinuit, huiusque pugnæ celebrato triumpho ab oratione surrexit. ita S. Laur. Vides obedientiæ veræ legitimum exemplum: Sic sic parendum est Deo nullis obstantibus difficultatibus

tatibus vſque ad mortem crucis. Sic Paulus ponderat paruiſſe Chriſtum, dicens, *Chriſtus factus pro nobis obediens*, &c.

Sed quia Paulus dixit *pro nobis*, id eſt amore noſtri, obſerua quòd in dicto agone Chriſti non ſolùm contra timorem pugnabat obedientia, ſed etiam amor Patris & noſtri, atque adeo conceptus iſte poteſt pariter amori accommodari, imo amori potius; in paſſione enim ſua Chriſtus vt idem Apoſtolus ait, commendat charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

Gen. 2. Gen 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem & poſuit eum in paradiſo voluptatis, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex illo, morte morieris.* Cur prohibuit Dominus de arbore illa comedere primos parentes? numquid fructus illius arboris noxius erat, vel fruſtra à Deo creatus erat? S. Auguſt. lib. 8. de gen. ad lit. c. 6. Non erat arbor illa cibo noxia, neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiſo inſtituerat aliquid mali, ſed malum fuiſſe homini tranſgredi præceptum; oportebat autem vt homo ſub Domino Deo poſitus aliunde prohiberetur, vt ei promerendi Dominum ſuum virtus, eſſet obedientia ipſa: non ergo eſſet vnde ſe Dominum habere cogitaret atque ſentiret, niſi aliquid ei iuberetur. Arbor itaque illa non erat mala, ſed appellata eſt ſcientiæ dignoſcendi bonum & malum, quia ſi poſt prohibitionem ex illa ederet homo, per experimentum pœnæ ſciret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum ita S. Aug. Conſtat ergo quàm Deo grata ſit obedientia, quàm ingrata oppoſita inobedientia. Quam verò ingrata & inuiſa ſit inobedientia ex pœna ipſa patet, cum non ſolùm morte corporis, ſed etiam animæ ſint primi parentes puniti, & exilio præciſo paradiſi, & priuatione iuſtitiæ originalis, & magnorum ſpiritus Sancti donorum, & virtutum infuſarum, quæ iuſtitiam originalem comitabantur, & inſuper malorum omnium, quæ non ſolùm ipſi parentes, ſed & nati eius, & nati natorum & qui naſcentur ex ipſis experti ſunt, & experimur, & experientur futuri, & denique ex eo quod illius inobedientiæ radice innumeri filij Adæ damnarentur.

S. Auguſt.

Matt. 6. Caſſian. Matth. 6. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Quid eſt, *ſicut in cœlo & in terra*: Caſſianus in collat. 9. cap. 19. Quid aliud eſt quàm quod ſint homines ſicut Angeli, & ſicut ab illis Dei voluntas adimpletur in cœlo, ita & homines qui in terra ſunt, non ſuam ſed Dei vniuerſam faciant voluntatem. Et quidem hoc grauem continet exaggerationem, ſi rectè modus quo Angeli in cœlis Deo parent perpendatur. Videamus igitur quomodo Angeli cœleſtes diuinam exequantur voluntatem Pſal. 103. ſic Dauid de Deo: *qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.* Quod S. Gregor. hom. 34. in Euangelia ſic expoſuit, id eſt, qui eos quos ſemper habet ſpiritus, etiam cum voluerit Angelos facit. ita ille. Vbi docet nomen Angeli non eſſe nomen perſonæ Angelicæ, ſed officij & miniſterij; nam Angelus idem eſt quod nuntius. Explicans autem Dauid, quomodo miniſterium diuinum præſtent Angeli, ſubdit: *Et miniſtros ſuos ignem vrentem*, hoc eſt ita celeriter & promptè & efficaciter obediunt

S. Greg.

Angeli Deo, vt fulmina quædam vrentia videantur, id eſt illa quæ eis præcipit Deus, ardua & ſublimitatis Angelicæ indigna eſſe videantur. Cuius rei manifeſtum exemplum videmus in Angelo Raphaële, qui, vt ipſemet atteſtatus fuit, vnus eſt ex ſeptem qui ſtant & aſſiſtunt ante Deum eſt, id eſt (vt nonnulli interpretantur). vnus ex ſeptem Seraphinis ſupremis, qui tamen iubente Deo figuram famuli aſſumere non dedignatus eſt, & pauperculo ex captiuo filio Tobiæ ſeruire, & omnia illa munera ſubire, quæ in libro Tobiæ diuina narrat Scriptura; & poſtquam exactiſſimè cuncta perfeciſſet, non celauit eis quibus ſic miniſtrarat, quis eſſet; ego, inquit, *ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem qui aſtamus ante Deum.* Cur ô Raphaël non tacebas nomen tuum in abiectione tanta? ſi honoratum munus exequutus fuiſſes, non mirum ſi nomen tuum explicuiſſes; at poſt famulatum humillimum tacere potius decebat, ſe ſtabilit. Quid enim glorioſius creaturæ, quàm parere ac ſeruire creatori: Ideo igitur ne nos pudere voluit & docuit Chriſtus: *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.*

Ea propter religioſi voto ſe obſtringunt obedientiæ, quo nec difficillimis præceptis reſiſtant. S. Chryſoſtom. in imperfect. hom. 1. agens de immolatione Abrahæ, quando filium ſuum Iſaac immolauit; Cum vellet (inquit) Abraham filium occidere, filius dixit, pater mi, liga mihi manus & pedes, ne quando in impugnationem inſurgam, ita ille. Sic religioſus votum emittens obedientiæ, idem ſentire videtur; ligat enim ſe, ne aliquando præceptis ſui ſuperioris quantumuis arduis contradicat. S. Chryſoſt. Simile.

Gen. 12. Geneſ. 12. ſic Dominus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam mo ſtrauero tibi.* Ad quid quæſo multiplicatio iſta verborum? nonne ſatis erat dicere: *Exi de patria tua?* exiens enim è patria ſua, exibat pariter de cognatione & de Patris domo, S. Ambr. lib. de Abraham cap. 2. ſatis erat dixiſſe *de terra tua*; idem enim erat exire de cognatione & paterna domo, ſed ideo addidit ſinguli, vt eius affectum probaret. ita S. Ambroſ. Quomodo inquies, hic Abrahæ probatur affectus? Ita quidem, affectus enim ſeu amor patriæ & cognatorum Abrahæ hic probabatur; nam obedientia ex vna parte vrgebat, ex alia verò amor patriæ & conſanguineorum; vicit enim amorem illum obedientia, exiit namque cito Abraham relicta patria & patre; & quod non minus expendendum eſt, neſciens quò iret. Vbi Lyran. determinationem terræ Deus illi non reuelauit, vt oſtenderetur obedientia eius exeuntis ad Domini mandatum etiam ad locum indeterminatum, ita ille. *como diciendo vamos a donde Dios manda, ſea à donde quiſiere y por donde quiſiere.* Ponderatio quidem iſta Apoſtoli eſt in epiſtola ad Hebr. cap. 11. Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit neſciens quò iret. Ac ſi diceret, ſi noſſet Abraham ſe in aliquem proximum locum pergere, & in terram delitioſam, non adeo mirum, quod propterea patriam parentesque dimitteret; at ita promptè in locum ignotum properare, hoc mirandum valde. S. Ambr. Hebr. 11.

Propositio II.

Diligentibus Deum facilis est obedientia.

Exod. 32. EXod. 32. post adorationem vituli diait Moyses ad filios Leui. *Hæc dicit Dominus: Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de porta, vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* (Brauo mandato.) Nonne satius Domine fuisset fulmine quodam illos interficere quàm præcipere Leuitis, vt proximos & amicos, & fratres gladiis perimerent? si inimicos occidere iussisset, facilius Leuitis foret, at amicos & fratres; *occidat*, inquit, *fratrem & amicum?* Ita quidem, quia hæc dicit Dominus. Quod & Leuitæ illico executioni mandarunt, *fecerunt*, inquit, *filij Leui iuxta sermonem Moysi, ceciderūtque in die illa, quasi viginti tria millia hominum.* Quanta strages! quomodo non renuerunt tantum suorum effundere sanguinem? S. Ambrosius epistola 56. ea est enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus, nesciunt enim suis parcere qui nihil suum norunt, quoniam sanctis omnia Deus est. ita ille. id est, quia sancti Deum super omnia diligunt, ideo ad nutum illi parent quamuis in fratres sic sæuire videantur, non enim est ista sæuitia, sed obedientia ea Dei amore orta.

S. Ambr.

Propositio III.

Obedientia ad perfectionem valde conducit.

Heb. 13. 17 AD Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis; ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes.* Hinc colligitur magno gaudio esse prælatis obedientia subditorum. Sed cur ita? numquid ea de causa quod videant, sibi subditos subdi & parere, id enim in honorem & authoritatem cedit prælatorum? at hoc vanitatem redoleret eorum, qui suam gloriam quærunt. Quæ igitur est huius gaudij causa? Quia vident subditos per obedientiam proficere, est enim eximius ea obedientia profectus. S. Augustini est expositio ista, serm. 16. de verbis Matth. vbi ait: Quando laborat cum gaudio operarius in agro? quando attendit arborem, & fructum videt, quando attendit segetem, & ex fructu areæ prospicit vbertatem, & quod non sine fructu laborauit, non sine causa dorsum curuauit, non sine causa manus attriuit, non sine causa frigus & æstum tolerauit. Hoc igitur est quod ait Apostolus, *vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, non enim expedit vobis.* Numquid dixit, non expedit illis? non, sed *non expedit vobis.* Nam præpositi, etiam quando contristantur de malis vestris expedit illis; ipsa enim tristitia prodest illis. Ideo dixit *non expedit vobis.* ita S. August. Cum igitur gaudium prælati sit profectus subditi, & gaudeant cum videant subditos obedientes, ideo quidem est, quia lucrum magnum reputant & profectum obedientiam istam.

***

Propositio IV.

Obedientiam Deo omnes creaturæ exhibent.

GEnes. 8. agens de aquis, quæ super terræ faciem manserant post diluuium, *euersæ* (inquit scriptura) *sunt aquæ de terra euntes & redeuntes, &c.* Vbi Nicolaus de Lyra: Sicut enim post Domini præceptum egressæ fuerant de Oceano super terram, ita de terra regressæ sunt illuc. ita ille. Sic quidem omnia creata præter hominem seruiunt & obediunt Deo in orbe. Genes. 8. Lyra.

Propositio V.

Obedientia pacem nostram cum Deo conciliat.

QVid desiderabile magis quàm cum Deo pacem habere? vide quàm perniciosum sit cum Deo bellum gerere & inimicum illum habere. *Es Dios muy bueno para amigo y muy malo para enemigo, porque el es el que tiene de mando y el palo la cuesta y las piedras*; ipse enim est, qui nos omnino beatos in cœlo vel omnino miseros in inferno efficere potest. Si Regis appetunt omnes gratiam & beneuolentiam, quia multa eis beneficia præstare valet; quis non Dei gratiam & beneuolentiam vehementer exoptet, qui non solum beneficia corporalia sicut Reges, sed etiam æterna tamquam Deus præstare potest? Vnde Apost. ad hoc nos inuitat bonum, dicens ad Rom. 5. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.* At inquies, quomodo pacem hanc consequemur? S. Leo locum istum explicans serm. 6. in natali Domini ait. Pacem habere cum Deo, quid est nisi velle quod iubet, & quod prohibet nolle? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & similes expetunt voluntates, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ displicent Deo, & his appetit delectari, quibus illum nouit offendi? ita S. Leo.

Propositio VI.

Qualiter obedientia cæca esse debeat.

MAtth. 2. sic de Magis: *Intrantes domum inuenerunt Puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Expendens S. Bern. adorationem hanc, ait serm. 1. S. Epiphan. Quid facitis ô Magi? quid facitis, lactentem puerum adoratis, in tugurio vili? in vilibus pannis? ergo ne Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes eius, & vos eum quæritis in stabulo, quid facitis? quod & aurum offertis? ergo Rex est ipse? & vbi aula Regia? vbi thronus? vbi curiæ regalis frequentia? numquid aula est stabulum? thronus præsepium? curiæ frequentia Maria & Ioseph? Quomodo insipientes facti sunt viri sapientes, vt adorent paruulum despicabilem tam sua ætate, quam paupertate suorum? Etenim insipientes facti sunt vt fierent sapientes, & prædocuit eos spiritus, quos postea prædicauit Apostolus, *qui vult sapiens esse, stultus fiat vt sapiens sit.* Nonne timendum erat, fratres, ne scandalizarentur viri isti, & Matt. 2. S. Bern.

isti, & illusos se crederent cum tanta indigna viderent ? à regia ciuitate vbi Regem quærendum cõiectabant, ad Bethlehem vllam paruulam diriguntur, ingrediuntur stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum, non illis fordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, sed procedunt, venerantur vt Regem, adorant vt Deum. ita Sãct. Bernard. Sed nunc quærenda restat causa tantæ subiectionis, & cur inde nullum scandalum subierint, sed tanquam Regem & Deum adorauerint eum, qui nullatenus Deus, nec Rex esse videbatur. Sanct. Bernard. ibidem hanc rationem reddit, quia is qui illos adduxit, ipse & instruxit; & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. ita S. Bernard. Addere libet causam ad rem nostram, voluntatem illam explicuit illis Deus, tam per stellæ apparitionem, quàm per internam inspirationem, vt scilicet nouum in Iudæa natum Regem, & Christum natum quærerent & adorarent, parent Reges, & ita parent & obediunt Deo sic monenti, vt omnibus obstaculis oculos claudentes, humili obedientia adorarent eum, qui naturali lumine minimè adorandus videretur. tanta est vis veræ & legitimæ obedientiæ. Sic igitur obediri Deus gaudet.

Propositio VII.

Ad obediendum sola superioris insinuatio sufficere debet.

IAcob in Ægypto moribundus præcepit filiis suis dicens, *sepelite me cum fratribus meis in terra Chanaam*, Genes. 49. Præcepit, inquit, soli Iosepho, non præcepit, sed rogauit dicens, *si inueni gratiam in conspectu tuo, facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed condes me in sepulchro maiorum meorum.* Genes. 47. nimirum, quia tunc Ioseph princeps Ægypti erat, & in potestate constitutus, & ideo ei sic pater noluit imperare. Sed quid Iosephus ad Patris preces respõdet? *ego*, inquit, *faciam quod iussisti*. Quod iussisti, inquit, non, *quod rogasti*, quia vt Abulensis ibi obseruauit, precibus parentis assensit, non vt precibus, sed vt mandatis. ita ille. Vbi notandum est cæteros fratres parenti præcipienti nihil respondisse, nec promisisse se illi pariturus vt patet Gen. 39. n. 30. Iosephum verò maximè, quia apud ingenuos subditos plus efficiunt blãdæ preces, quàm seueræ leges vt sapiens quidam dixit.

Gen. 49.

Gen. 47.

Abulensis

Propositio VIII.

Ad obedientiam perfectè sola voluntas Dei sufficere debet.

GEnes. 2. sic Dominus ad Adam: *De omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientia boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* S. August. ser. 34. de verb. secundum Luc. Quid est arbor illa? si bona est, quare non tango? si mala est quid facit in paradiso? Prorsus ideo est in paradiso quia bona est, sed nolo eam tangas; quare eam non tango? quia obedientem te volo & non contradicentem. Bona est arbor, sed nolo eam tangas. Quare? quia ego Dominus sum & tu seruus. Quid autem tibi expedit nisi esse sub Domino? quomodo autem eris sub Domino nisi fueris sub præcepto? Debuit ergo aliquid iubere, vt sentires esse sub Domino, non propter illius arboris malitiam sed propter obedientiam tuam. Non potuit autem Deus demonstrare quantum bonum sit obedientia, nisi cum prohibuisset ab ea re quæ non erat mala, in qua obedientia tenet palmam, & sola obedientia inuenit pænam. ita S. August. Sed dices, res leuis esse videbatur edere vel non edere ex ille arbore; nemini quippe inde præiudicium imminebat. Cur igitur tam graui pæna primos parentes & vniuersum genus humanum ex Adam ortum puniuit, priuatione scilicet iustitiæ originalis, gratiæ, & donorum supernaturalium, vita corporis & animæ, paradiso voluptatis, & denique tot tantoque malorum cumulo sicut nos etiam post Christi aduentum experimur? Res, inquis, leuis illa videtur, at inde colliges quàm graue malum inobedientia sit, cum ibi nullum aliud malum interfuerit, nisi inobedientia; non, inquam, homicidium, vel periurium, vel aliquod sacrilegium, sed sola mera inobedientia per esum vnius prohibiti pomi, vt pateat nobis manifestè quanti Deus obedientiam faciat, & quam illi inobedientia sit inuisa.

Genes. 2.

S. Aug.

Sic Dauid de viro iusto Psal. 1. *In lege Domini voluntas eius*, &c. non ait *& in voluntate sua lex Domini*, sed è conuerso, *in lege Domini voluntas eius*. Sunt enim nonnulli, qui habent legem Domini in sua voluntate, illi nempe, qui quando volunt faciunt quod lex iubet, & quando volunt faciunt contra legem, prout commodum vel incommodum se illis offert. At vir iustus & constans non sic, sed voluntatem suam tradit legi. ita vt nihil aliud velit quàm quod præcipit lex. Verus itaque obediens in præceptis attendere non debet, quid sibi conueniat, sed quid Deus præcipiat & ei obediat, quia ita iubet fieri; in hoc enim obedientia Dei amori assimilatur; quia sicut verus amator amat, vt amet, nihil aliud sibi vtile intendens; sic verus obediens obediat, non vt ex obedientia emolumentum corporale acquirat. Psal. 1.

Vnde S. Chrysost. hom. 10. in 11. ad Cor. 8. de obedientia Abrahæ in oblatione filij agens: Abraham, inquit, filium in montem adduxit, vt interimeret nullius lucri spe, sed eam maximè arbitratus mercedem, quod Domino obsequeretur, ita ille. O ternum fidelissimum, qui non quærebat quæ sua erant, sed quæ Dei, hic voluntatem in lege habebat, & non legem in voluntate sua. S. Chrys.

Similiter Dauid Psal. 118. *à Iudiciis tuis non declinaui*, quare? *quia tu*, inquit, *legem posuisti mihi*; non ait, vt non puniar, vel vt mercedem accipiam, sed vt tibi obediam. Psal. 118.

Et quod magis expẽdendum est in Psal. 56. sic Dauid: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Cur non semel sed bis repetit eadem verba, cum semel vt videtur sufficiebat? etenim quæ præcipi solent, sunt in duplici differentia: quædam enim facilia sunt, quædam verò difficilia. Vt igitur se Dauid ad vtrumque paratum cor habere Deo dicat, bis paratum se cor habere fatetur. Sic locum hunc expendit Sanct. Bernard. ser. 2. de ieiunio quadrag. dicens: *Paratum* inquit Dauid, *cor meum Deus, paratum cor meum*, paratum ad aduersa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad vniuersa quæcumque præceperis mihi, vis me pastorem ouium facere? vis me constituere Regem populorum? paratum cor meum Deus, paratum Psal. 56.

S. Bernard.

cor meum. ita Sanct. Bernard. Sed obiiciet aliquis, non recte seruasse S. Bernard. regulas artis benedicēdi, in simili enim gradatione ab eo quod minus, ad id quod maius ascendendum est. Vnde potius dicere debuisset, paratum cor meum ad prospera, paratum etiam ad aduersa, paratum ad sublimia & paratum ad humilia, vis me pastorem, &c. Sed tamen sapienter & eloquenter sanctus procedit, quia magis relucet vera & essentialis obedientia in prosperis, quàm in aduersis, & in sublimibus quàm in humilibus rebus, supposita natura obedientiæ legitimæ, quæ non respicit commoda vel incommoda, sed solùm obedire propter obedire. Et quidem hæc puritas magis constat in aduersis quàm in prosperis; qui enim in aduersis obedit, non habet occasionem aliquam obediendi nisi quia præcipitur; qui in prosperis obedit, occasionem habet obediendi ob prospera ipsa, & sic de reliquis: quare ordine congruo processit sanctus. & rectè sic Dauid ostendit, se voluntatem habere in lege Dei, & non è conuerso.

Math. 4. Math. 4. tentauit non semel nec bis tantum diabolus Christum, semper tamen se patri obedientē ostendit, dū obiectis diabolo diuinis præceptis tentationes abiecit: dicenti enim, *dic vt lapides*, &c. obiecit Christus scripturæ testimonium

Deut. 6. Deut. 6. *non in solo pane viuit homo*, &c. quid dicat? siquidem Deus dicit, *non in solo pane viuit homo*, nolo solo tuo remedio vti, & clariùs in secunda & tertia tentatione. Præceptis diuinis reiecit tentationes, quasi dicens, quia Deus opposita iubet, nolo consiliis tuis adhærere, hoc autem præstitit Christus, vt formalem rationem obediēdi Deo nobis manifestaret & commendaret, vt scilicet ideo pareamus ei, quia ita ipse præcepit. ita expendit locum hunc S. Paschas Abbas dicens,

S. Paschas Abbas. Contra sagittas aduersarij clypeum præceptorum Christus opponit, quatenus discant sequaces quid & ipsi in suis tentationibus agere debeant; nam si præceptum Domini lucidum contra tentationum nebulas adhibeatur; restat continuò vt omnis tenebrarum caligo velut fumus dispergatur. ita ille. Sic & Dauid Psal. 118. *à iudiciis tuis non declinaui quia tu legem posuisti mihi*: non ait quia nolo damnari, vel quia volo saluari, &c. sed, quia tu præcepisti.

Propositio IX.

In Dei obedientia saluatio nostra consistit, sicut in inobedientia damnatio.

Exod. 14. EXod. 14. exhibuit Dominus Populo Israël columnam quandam in ducem itineris ad terram promissionis, quam lucidam, simul & ardentem esse affirmat Clemens Alexand. oratione

Clemens Alexand. ad Græcos, hoc, inquit, simul est gratiæ, & timoris indicium: si obedieris, lux est; si non obedieris, ignis. ita ille. Erat nobis illa symbolum legis Dei. Sicut enim nubis illa viam illis ostendebat ad terram promissionis, sic etiam & lex nobis viam manifestat ad gloriam, cuius ducatum si obediendo sequimur salui erimus; sin minus, væ nobis, &c.

Propositio X.

Quàm Deo grata sit obedientia nostra, inobedientia verò quàm ingrata.

EXod. 4. pergenti Moysi in Ægyptum ad liberandum populum Dei a tyrannide Pharaonis, apparuit ei Angelus Dei qui euaginato ense Moysem occidere minabitur. Cur ita, cum Moyses Dei mandatum exequi præparabat? Theodor. duas adhibet rationes q. 14. in Exod. dicens: Vxor Moysi arbitrabatur ob id factum esse, quia filiorum alter non erat circumcisus, secundùm legem Hebræor. vnde protinus eum circumcidit. ita ille. hæc prima ratio reddi potest, quo nobis notum sit, quàm meritò dixerit Dauid Psal. 118. *tu mandasti mandata tua custodiri nimis, vtinam dirigantur viæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Si enim dilectum Moysem sic Deus occidere volebat propter legalis cuiusdam præcepti transgressionem, quid non timere debet, qui non parua nec leuia contra naturalia, seu euangelica Dei præcepta delicta committit? Exod. 4. Theod. Psal. 118.

Secundam autem rationem Theod. subdit, dicens: veruntamen aliud aliquid molichatur Angelus, dum gladium euaginatum ostentabat. Moyses (alioquin magnus) metuebat Pharaonem quod sæpius manifestauit, modò dicens, *quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem Regem?* modò dicens, *præpara tibi alium idoneum quem mittas*, & rursum, *exilis vocis & tardæ linguæ sum ego.* Minabatur ergo illi pœnas Angelus, metum metu repellens, maiori videlicet minorem, ac si per hunc ensem nudatum dixisset: Si Pharaonem timuisti, me multo magis timeas, qui inuisibili modo possum te vulnerare. ita Theod. Dicam igitur & ego: Si amissionem timoris times, cur non magis ô superbe amissionē æternæ gloriæ times? si paupertatem temporalem times, ô auare, cur non magis æternam? si pœnas corporis times, cur non magis, o sensualis, tartareas ignis sempiterni? Theod.

Ezech. 18. *anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris*, &c. vnum tamen ab hac regula generali excipere videtur Deus, quando scilicet quis contra expressam Dei obedientiam peccat, quod ita probat doctissimus Episcopus Hildebertus epist. 74. nulla virtus est, quæ contempta, districtius à Domino puniatur quàm obedientia; non enim vsque ad innocentes pertingit reliquorum pœna delictorum, vt Ezech. 18. dicitur, *anima quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Inobedientia verò plerunque reis innoxios miscuit, factique sunt in pœna similes, dissimiles in culpa. ita ille. Quod exemplis scripturæ sic ille confirmat. Præceperat lex vt à viginti annis & supra numerarentur, qui poterant ad bella procedere vel aliquo fungi ministerio; quia verò Dauid infra viginti annos, & supra generaliter iussit omnes numerari, indignatus est Dominus, & Missa in populum triduana pestilentia, septuaginta milia virorum Angelo percutiente ceciderunt, & Achan filium Carmi de anathemate Hierico præsumpsisse sacra tradit historia, & inde factum legitur, vt Israël coram filiis vrbis hoc gladio caderet, vt excessum personalem ruina populi sequeretur. Denique protoplasti culpam totus vsque hodie luit mundus, & vnius inobedientia proscripsit vniuersus. Ezech. 18. Hildebet.

ita

Psal. 80. Caiet. ita. Hildebertus. E conuerso autem maximum sibi Deus obedienti beneficium ostendit Psal. 80. *Israel si audieris me*, &c. & subdit: *Aperi os tuum & implebo illud.* Pondera, audienti ie Deus ait, *aperi os*, &c. vbi Caiet. Benignissimus Deus non dat præceptum sine præmio, *aperi os*, ait, *& implebo illud*, id est, pete quidquid vis, & implebo illud donans totum plene. ita Caiet.

Theod. Exod. 19. sic Dominus ad Moysem: *offeres totum arietem incensum super altare.* Oblatio est Domino odor soauissimus victimæ Domini. Vnde quæso hîc suauissimus odor? numquid ex carne combusta? imò inde gratus nidor. Theodor. q. 62. in Exod. ab humanis quæ diuina sunt docet; nam cum plerumque bonis odoribus delectamur, sacrificium secundùm legem factum appellauit odorem suauitatis, alioquin grauis odor ossium combustorum. Quid enim peius olet quam illa? ita ille.

Interlinearis. Præceperat Deus Abrahæ perdifficile filij sacrificium, & subdit sacer textus. *Abiit Abraham ad locum quem præceperat ei Deus, die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul.* Cur quæso, non domi sed procul, non statim, sed post tres dies distulit Dominus sacrificium hoc? Glossa interlinearis, vt significaret Christum Dominum, qui tertio à proditione sua die fuit in crucem actus. ita Glossa. Sed ad rem sic Origenes, vt paterna viscera per totum triduum diutius torquerentur & obedientiæ meritum augeretur. ita ille.

Propositio XI.

Quàm prompta debeat esse obedientia nostra.

Psal. 102. PSal. 102. *Omnes Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Inuersus videtur ordo istorum verborum, priùs enim videbatur dicendum, *ad audiendam vocem Dei*, quàm *ad faciendum verbum illius.* Respondet Doctor quidam: Angeli prius dicuntur verbum facere Dei, quàm audire vocem eius, ac si priùs imperata exequi, quàm imperata percipere videantur. ita ille.

Marc. 10. Marc. 10. sic Christus ad discipulos suos: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur*, &c. hæc dicens pergebat Dominus Hierosolymam, & vt ait ibidem Marcus, *præcedebat illos Iesus, & stupebant Apostoli; & sequentes timebant.* Ponderat Glossa interlinearis verbum illud *præcedebat*, dicens: Præcedebat ad mortem imperterritus. ita Glossa. & Theophylact ostendebat se non refugere mortem. ita Theoph. nimirum, quia præceptum moriendi habebat à Patre. S. Paul. ad Philip. 2. *factus est obediens vsque ad mortem*, & Philip. 2. Ioan. 14. Ioan. 14. sic ipse Dominus ad discipulos pergens ad mortem: *vt cognoscat mundus quia sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, surgite eamus hinc*, Mat. 26. ad mortem videlicet; & eadem ratione Mat. 26. *Cum iam ad passionem appropinquaret voluit in domo Simonis leprosi recipi.* Cur ita? Glossa interli. mundum redempturus moratur in domo obedientiæ. ita Glossa. *Simon* quippe idem est quod *obediens.* Ecce igitur cur ad mortem pergens præcedebat omnes discipulos suos libenti animo, & non tardo, & timido vadens; quia nempe obedientia Patris vrgebat eum sic properare, quamuis ad grauissimos cruciatus, quamuis ad mortem crucis, vt doceat nos obedire ad mortem crucis vsque, & nullis impedimentis quantumuis grauibus debere impediri.

Mat. 4. Mat. 4. *ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Obserua quemadmodum non responderint, nunc paratus est iam retis iactus in capturam, propter quod venimus, quo peracto libenter veniemus ad te, absit; sed continuò relicto iactu & reti paruerunt, opere cœpto relicto. Paschasius. Quod ita obseruans S. Paschasius ait, quod illi relictis retibus continuò secuti sunt Christum, perfectam eorum intimat obedientiam, quatenus per hoc distant viri Christi imitatores sua quælibet imperfecta relinquere, & vicino obedientiæ pede vocem iubentis sequi, & sectari eum qui ait, *non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me patris*, ita ille.

Iob. 38. S. Greg. Iob. cap. 38. *numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus?* S. Greg. 3. c. Mor. 4. Per fulgura ministros verbi sui intelligit: hi ergo (ait Dominus) non quasi tonitrua sed quasi fulgura, id est quasi fulmina (vt constat ex originali hebræo) ad Dei iussa exequenda pergunt, quia sicut fulmen prius peruenit ad nos, quã tonitruum audiamus, licet simul fragor tonitrui & descensio fulminis sit, fulmen enim velocissimè descendit, sic veri Dei serui, in ictu oculi Deo parent. Deinde illud maximè amplificat citissimam eorum obedientiam, non cum iussa audiunt dicunt, *adsumus* seu *parebimus* vt iussisti, sed dicto citiùs ad executionem procedunt qua perfecta redeunt, & tunc dicunt, *Adsumus*, ad efficiendum iterum quæcumque præceperis nobis. Septuaginta loco huius verbi *adsumus*, legunt *quid est?* Nicetas. hoc est vti exponit Nicetas, quid est quod nos adhuc efficere vis? quasi dicant, fecimus quod iussisti, & iterum parati sumus ad parendum tibi; tuum erit mittere nos, nostrum verò ire ac redire, atque iterum redire & ire. Ecce veræ obedientiæ promptitudo.

Gen. 17. Genes. 17. iussit Deus Abrahæ circumcidere gentem suam, & subdit scriptura; *Circumcidit carnem præputij eorum statim in ipso die sicut præceperat ei Deus.* Etenim non iusserat ei Deus vt ipso statim die eos circumcideret, sed hoc tantùm dixit, *circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Cur igitur rem dolore plenam non leniè sed ita celeriter exequutus est? Respondet Glossa interlinearis, quia obedientia complenda est sine mora. ita Glossa. interlinearis.

Gen. 22. Idipsum fecit Abraham. Genes. 22. in obediẽtia offerendi filium: *Tentauit*: ait scriptura, *Deus Abraham, dicens: Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis*, &c. hîc non præcepit Abrahæ, vt illico iret, & tamen Abraham de nocte consurgens (erat enim nox quando ei Dominus hoc præcepit vti ait Lyran) abiit in locum designatum; etenim in rebus arduis & difficilibus moras prætendere solemus, *en cosas deficiles de executar solemos emperezar.* At Abrahám ipsam & nocte, in qua præceptum accepit, surrexit & abiit; cur non vel diem expectanis? Lyra. Nicolaus de Lyra: Hic, ait, ostenditur obedientia Abrahæ, quia præceptum fuit sibi factum de nocte, & non expectauit ortum solis ad exequendum mandatum quod erat difficile valde. Et notandum quod ipse surgens strauit asinum ad ligna portanda ad sacrificium necessaria, & non expectauit

expectauit quod seruus suus surgeret ad hoc faciendum ex desiderio feruenti, quod habebat, ad faciendum Dei mandatum. ita ille.

PROPOSITIO XII.

Obedientiam Deo debemus, quia Dominus noster est.

Gen. 2. GEnes. 2. imposuit Dominus primo parenti hoc præceptum: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas*, &c. Interrogauit postea Euam diabolus c. 3. *Cur præcepit hoc vobis Dominus?* quasi diceret, quæ vtilitas interest in obseruatione præcepti huius? vel quæ necessitas? vel quod emolumentum Domino? quodve inconueniens ex tali esu? Legitimum quidem responsum erat: *Præcepit Dominus*, quia Dominus noster est, sit pro ratione voluntas, nostrum autem est illi parere hac peremptoria ratione, *quia Dominus est qui præcepit*. Quod si diuini consilij aliquam desi-
S. Chrysost. deras rationem, accipe hanc S. Chrysost. hom. 16. in Genes. Misericors, inquit, Deus per mandatum illud se hominis Dominum esse declarauit, ita ille.
Simile. Sicut qui alicui domum suam tribuit censui perpetuo subiectam, census autem sit exiguus v. g. drachmæ vnius; cur, inquies, exiguus? quia vt dici solet, *no por el huebo sino por el fuero*, vt nempe se dominum illius domus esse constet; sic Deus noster vniuersum paradisum homini concessit, in censum autem perpetuum iunxit, *ne comedas ex tali arbore*; cur non præceptum maioris momenti imposuit? quia *no lo hizo por el huebo sino por el fuero*, quia intendebat se hominis Dominum declarare, & ad hoc id sufficiebat. hoc asserit Sanct. Chrysost.

Idem. Sed tamen pondera verbum eiusdem S. Chrysost. *misericors Deus*, &c. Cum hoc præceptum non videatur impositum à Deo tanquam misericorde, sed quasi à Domino, cur misericors hic ait, quænam misericordia ex tali mandato? sed tamen rectè sanctus. Nam eo ipso quod Deus sit Dominus noster, sequitur benefactorem eximium nostrum esse, & erga nos miseros misericordem futurum; non Dominus ille est sicut homines domini sunt seruorum suorum; nos enim ob nostram vtilitatem & indigentiam quærimus seruos, Deus autem vt beneficiat & misereatur eis.
Psal. 110. ideo Dauid Psal. 110. eum sic appellat, *misericors & miserator Dominus*, non ait, misericors & miserator Deus, sed *Dominus*, quia eo ipso quod Dominus sit, cum sit Deus, dominatio eius non in aliquod Dei commodum, sed in nostrum cedit. Hinc magnam confidentiam impetrandi in omnibus orationibus nostris concipere debemus, qua illum deprecamur, quia non solùm *Sadai*, seu *sibi sufficiens*, & in quantum omnipotens & pius nobis fauet, sed in quantum Dominus noster est. Rectè igitur ait S. Chrysost. misericors Deus per
S. Chrysost. mandatum se hominis Dominum declarauit, & nobis id inde promittere valemus, quod sibi Dauid, dicens, Psal. 22. *Dominus regit me, nihil mihi deerit*. &c.

S. Aug. Sanct. August. lib. 8. de Genes. ad litteram expendit nunquam Deum in operibus sex dierum vocari Dominum, nisi postquam hominem creauit. Cur non semper, cum omnium creaturarum Dominus sit? *In principio*, inquit scriptura, *creauit Deus cœlum & terram*. Cur non ait, *Dominus Deus*, sed tantùm *Deus*: & eodem modo in creatione aliarum rerum vsque ad hominis creationem? Sanct. August. sic respondet: Non quod aliarum creaturarum Dominus non esset, sed ad hominem admonendum, quantum ei expediat habere sibi Dominum Deum, hoc est sub eius dominatione viuere obedienter, potiùs quàm licentiosè abuti propria potestate. Deus enim nostra seruitute non indiget, nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cum per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruiret, meritoque in Psalmo, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; nos verò dominatione eius indigemus, vt operetur in nobis & custodiat nos, & ideo verus & solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram vtilitatem, salutemque seruimus. ita S. August.

PROPOSITIO XIII.

Quàm ingens bonum nostrum sit obedire Deo.

GEnes. 2. *produxit Dominus* in paradiso *lignum scientiæ boni & mali*; numquid in ligno illo **Gen. 2.**
aliqua inerat scientifica virtus? Respondet Hugo Victorinus super hunc locum: Lignum il- **Hugo Victor.**
lud dictum est *lignum scientiæ boni & mali*, non propter naturam suam, sed vt notum per ipsum esset, vtrù homo bonus an malus esset, hoc est obediens vel inobediens. ita ille. Vnde constat quanta sit excellentia obedientiæ, vt esse hominem bonum vel malum, non ex diuitiarum copia, non ex generis claritate, non ex litterarum sapientia non ex regia dignitate, imo non ex virtutum moralium scientia & exercitio sine obedientia, sed ex obedientia Deo & voluntati eius exhibita bonus ore pleno dicatur, ex inobedientia verò malus.

Sed ad rem, aliam nō inferiorē causam addit idē **Idem.**
Hugo dicens: Vel ideo dictum est, *lignum scientiæ boni & mali*, quia per obedientiam non vescendi ex illo habiturus esset homo bona ad quæ transiret; per inobedientiam verò mala, quæ erat ei Dominus comminatus: sicut experimento homo ipse cognouit. ita ille. Dum enim obediens fuit eximiis bonis status innocentiæ potitus fuit; sed inobediens factus mortem corporis & animæ offendit, & bona gratiæ originalis amisit, & multa mala incurrit, qualia & nos propterea experimur. Etenim non propter hoc arbor illa mala fuit, quin potius adeò bona nobis erat, vt si cum ligno vitæ pretioso conferatur, excellioris pretij fuisse constet, quia per fructum vitæ à morte liberaretur homo, sed ex ligno scientiæ propter obedientiam non vescendi ex illo præmium eximium gratiæ & gloriæ consequeretur. Vide quantus sit obedientiæ valor.

Rursus Genes. 2. sic Dominus ad Adam: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*. Cur tale imposuit Dominus præceptum Adæ? quid inquam referebat edere vel non edere de fructu ar-
boris illius? Respondet Hugo Victor. ibidem, **Hug. vict.**
præceptum hoc datum est homini vt per meritum obedientiæ gloriosius bonū obtineret, ita ille. Et certè occasiones offert nobis Deus meritorum; & quia in actibus obedientiæ magnum vidit meritum contingere, ob id præceptū imposuit vt quia sæpe visurus erat lignum illud si obediens perseuerasset, sæpe eius occasione obedientiæ merita multiplicaret, & ex eo quanti meriti sit obedientia constaret.

Hinc

Hinc etiam constat ratio, cur præceptum illud posuerit Deus vbi sola & pura obedientia locum haberet? si enim aliquid præcepisset, in cuius obseruatione locum haberet emolumentum aliquod vt si præciperet comedere ex arbore vitæ, non ita pura esset forte obedientia, nempe illud præstare solummodo propter Dei præceptum; moueretur enim forte homo ratione vtilitatis suæ, conseruationis nempe vitæ. ita Hugo. vbi sanct. dicens: (Idem.) Non præcepit comedere de ligno, sed non comedere, vt obedientia purior esset; causaretur enim diabolus dicens, non tam propter præceptum hominem vesci de arbore illa quàm pro vtilitate sua. ita ille.

PROPOSITIO XIV.

Idem est obedire Deo & prælato.

Exod. 14. EXod. 14. *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël*, &c. Quid est quod aliquando eundem Angelum Deum vocat? si enim Angelus erat, cur eum Deum appellat? respondet Hugo de S. Victore; (Hugo. victor.) Aliquando quidem Domino, aliquando verò Angelo tribuitur factum, quia re vera Angelus ille minister Dei erat, & in ipso & per ipsum operans. sic ille. Sic ergo cum superior vices Dei teneat, & verus minister eius sit, quod ipse subditis iubet, à Deo iussum esse censendum est, & ad Dei prouidentiam pertinet intellectum, & voluntatem, & linguam superioris gubernare; intellectum quidem vt sciat, voluntatem vt velit, linguam vt proferat & iubeat ea quæ magis subditis expediant; quod si aliquando superiorem errare contigerit, inferior ei parendo non errabit, dummodo peccatum non sit quod præcipit homo.

Luc. 10. Luc. 10. *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*, hîc audire idem est, quod obedire, vbi Glossa ordinaria, (Glos. ordinaria.) quia in discipulo Christus auditur. ita Glossa.

Exod. 7. Exod 7. *hæc dicit Dominus: In hoc scies, quod sim Dominus, ecce percutiam virga quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem*. Hæc verba dixit Moyses Pharaoni ex præcepto Domini. Cur ergo dixit, *virga quæ in manu mea est*, cum potius in manu Moysis esset? Respondet Caiet. (Caiet.) manum Moysis appellat Dominus manum propriam, quia eum constituerat Deum Pharaonis. ita Caiet. Sic igitur qui superiori paret, Deo paret; quia sicut Moyses locum Dei tenet & vices eius gerit.

S. Hieron. S. Hieron. epistola 4. ad Rusticum Monachum: Præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem. ita ille. Etenim timor per se & amor per se plurimum ad obediendum conducũt; quanto igitur ampliùs vterque simul? Addit autem ibidem Sanct. Chrysost. (S. Chrys.) Credas tibi salutare, quidquid præceperit ille, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire & iussa implere; dicente Moyse: (Simile.) *Audi Israel & tace*. ita ille.

Sicut in corpore humano visus non debet audire sed videre, nec aures videre sed audire, &c. ita in corpore religionis superioris est videre, subditi verò audire;

):(

PROPOSITIO XV.

Obediens debet obedire Deo purè, quia iubet Deus.

PSal. 118. *à iudiciis tuis non declinaui, quia legem posuisti mihi*, hoc est, obediui præceptis tuis nõ propter timorem pœnæ inobedientiæ, nec propter premium obedientiæ, sed quia sic tu Domine iubes, sic & nos præpositis nostris obedire debemus, nõ vt eis placeamus, vel ne illis displiceamus vel propter commodum nostrum, vel propter respectum aliquem humanum, sed propter Deum præcipientem per superiorem. vnde S. Chrysost. hom. 2. in Mat. hoc inquit considera vt non propter hominem obedias Deo, sed potius hominibus propter Deum, alioquin etiam si virtutem sequi videaris, similis eris non sequenti, & Deum ad iracundiam concitanti. ita S. Chrysost. Psal. 118. S. Chrys.

Debet igitur verus obediens sicut fidelis equus, qui regenti paret, ad vtramque manum ad dextram & ad sinistram, & in circulo pergens, & currere & sistere: sic verus obediens ad omnia indifferenter debet esse paratus obedire superiori & obedire propter obedire. Simile.

PROPOSITIO XVI.

Quàm vtile nobis sit obedire.

PSal. 1. de viro iusto sic Dauid: *In lege Domini voluntas eius (tene entregada su voluntad a lo que Dios ordena y manda.)* Hæc periphrasis vere obedientis est, & subdit: *omnia quæcumque faciet prosperabuntur*, quasi dicat, *qui obediens est*, nullam aduersitatem pertimescat, obedienti enim nihil aduersum cõtingere potest, is enim diligit Deum; ait enim Dominus, *qui diligit me, sermonem meum seruabit: diligentibus autem Deum omnia cooperantur in bonum*. vti Apostolus ait. & Rom. 8. Igitur obedienti omnia cooperantur in bonum, quare meritò ait Dauid, *omnia quæcumque faciet prosperabuntur*. Explicatio hæc est S. Basilij in scholiis super psalmum primum dicentis: *omnia* (inquit) *quæ faciet prosperabuntur*, sciens nihil cum contrarium legi Dei acturum, qui voluntatem suam illi accommodat. ita S. Basil. vel ita, obedienti Deus ita fauet vt omnia quæ fecerit prosperentur, quod in idem ferè recidit. Psal. 1. Rom. 8. S. Basil.

Ad Rom. 1. sic Paulus Romanis, *testis mihi est Deus quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obseruans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam veniendi ad vos in voluntate Dei, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*. Vbi primum obserua quanti momenti sit verbi Dei prædicatio, vt assiduis orationibus id à Deo postulauerit Paulus pro Romanis. Sed ad rem obserua illa verba, *prosperum iter habeam in voluntate Dei*, quasi prosperitatem itineris nullam expectaret, nisi voluntas Dei interuenires. Obseruatio hæc S. Anselmi est ibidem dicentis, *in voluntate Dei* dixit, quia tunc esset vtilis aduentus eius, *& prosperum iter*, inquit, quasi dicat, quoniam aliter prosperum iter non habebo nisi voluntas Dei illuc direxerit me. ita ille. Et meritò, quomodo enim prosperè fieri valent illa, quæ sine voluntate Dei fiunt, imò quæ contra Dei fiunt voluntatem? Cum igitur peccatũ Rom. 1. S. Ansel.

contra

contra Dei voluntatem fiat, qui peccando aliquod bonum quærit, non prosperitatem sed aduersitatem inueniet. Etenim ite Paulum ad prædicandum euangelium Romanis, opus sanctum & optimum erat ex se, at voluntate Dei non intercedente, nec visse, nec prosperum fore eredebat, & tu contra Dei voluntatem expresse faciens prosperum tibi promittere audes euentum?

At dices, sæpe contigit peccatorem peccando ad finem peruenire & prosperitatem consequi quam quærebat. Cui primum dico, quamlibet prosperitatem mundi optabilem non esse homini Christiano, si contra voluntatem Dei fuerit, est enim fideli omnibus prosperitatibus voluntas Dei anteponenda, & ideo Paulus prosperitatem itineris sui cum Dei voluntate coniunxit, quia prosperitatem nisi cum Dei voluntate coniunctā nolebat, ita explicat etiam S. Ansel. locum dicens, *prosperum iter* (inquit Paulus) *habeam in voluntate Dei*, quia non semper prosperitas itineris in Dei voluntate perficitur, sicut eorum, qui prosperis successibus ad malum currunt. ita ille. Sed denique dicendum est, quod prosperitas eorum, qui contra Dei voluntatem faciendo illam acquirunt, non est dicenda prosperitas sed aduersitas & miseria magna, cum ipsa peccati fuerit causa & damnationis æternæ: quomodo autem cum peccato & damnatione tali fælicitas & prosperitas potest conuenire? — Idem.

Propositio XVII.

Obedientia animi perturbationes sedat, inobedientia è contra.

Psal. 1. — PSal. 1. de viro iusto, *in lege Domini voluntas eius*; & subdit, *erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*; id est qui obediens mandatis Dei est, firmiter eius voluntati adhærens erit, constans aduersus ventorum occurrentium impetum, variarum nempe cogitationum & casuum, qui assiduè occurrunt. Et subdit; *Non sic impy non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ*. Vide qualiter vētus hoc illuc; trahit puluerē, aērē omnem pulueribus turbans, *la poluareda que leuata el viento donde ay poluo*. Sicut igitur euenit inobedienti qui suam non Dei voluntatem quærit, hic variis imaginationibus, desideriis, & affectibus quatitur, iam amat, iam amata odio habet; iam hoc, iam oppositum optat; iam illi displicet quod paulo ante placebat, iam gaudet, iam subitò contristatur, *no ay Camaleon qui mas colores mude ni, Proteo que mas figuras tome*. Cur ita? quia non Dei sed suam desiderat facere voluntatem: voluntas autem humana variam & instabilem esse in hac vita quis non experitur? *poluaredas leuanta enel alma la propria voluntad, que turban y ciegan acada paso al entendimiento*, &c. explicatio est S. Basilij in scholiis super Psal. primum, vbi ait, *non sic impy non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ*, quia contrariis spiritibus iactati, pulueris instar sunt, qui hac illac ventorum vi circumfertur. ita ille. *el Iusto y obediente, que se ajusta y afferra de la voluntad de Dios y echa razes en ella, esta como vna peña de marmol firme y constante en executar lo que ella quiere.* — S. Basil.

Propositio XVIII.

Ad obediendum in rebus arduis Deus auxilium & vires præstat.

AD diuinam prouidentiam pertinet vires nobis præstare ad parendum præceptis suis; non enim Deus similis est Tyranois, quibus adhæret sedes iniquitatis, qui cum præcepta dura imponant, nullum auxilium ad ea præstanda præbent. Imperat quidem Deus, sed simul auxilia sufficientia ad executionem communicat; ideo, inquit, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Iugum vocat legem suam, vti ait S. Ambros. de obitu Valentini, & S. Hilar. super Mat. canone 11. iugum autem non ab vno tantum bone ducitur sed duobus, quorum maior maius defert onus. Sic iugum legis diuinæ non solùm obediens, sed etiam simul cum eo Deus ducit, qui ita gratia sua onus alleuiat, vt facilè obediēs illud portare queat. Vnde merito addit, *& onus meum leue*. Onus est lex Dei, non negamus, sed gratia Dei leue; quare cum Paulo dicere valet obediens, *omnia possum in eo qui me confortat*. — S. Ambr. S. Hilarij.

Mat. 8. Scriba quidam accessit ad Christum dicens: *Magister sequar te quocumque ieris*. Cui Dominus, *vulpes foueas habent & volucres cæli nidos filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Sic eum à se reiicit. Cur ita? non ne Christus Dominus sequentes se quærebat: & dicebat, *siquis vult venire post me*, &c. hic post Christū ire volebat, cur ergo eum non admittit? Sanct. Petrus Chrysol. ser. 19. accepit à Christo dignum pro tanta præsumptione responsum. ita ille. Ergo quia præsumptione & superbia accessit, reiectus est: & subdit ad rem nostram S. Chrysol. Omnia posse quis promittat? dixisset cautius, *sequar te quocumque ieris*. ita ille. At dices, non ne etiam præsumptionem & temeritatem sapit etiam hoc? minimè, sed obedientiam; obediens autem absque temeritate dicere potest, quodcumque iusseris faciam; quia cum Deus sit qui iubeat, promittere sibi potest obediens, se omnia præstiturum, quia Deus non iubet & deserit, sed vires magnas præbet ad ea implenda quæ iubet. — Matth. 8. — S. Petrus Chrysol.

Mat. 19. sic Petrus ad Christum, *ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te*. Hoc de se & & reliquis Apostolis dixit, qui iam religiosam vitam in domo Christi profitebantur. Pondera igitur verbum illud, *omnia*; non enim ait, reliquimus tetia, naues, domos, & reliqua temporalia, sed *omnia*; quid est, *omnia*? S. Paschasius Abbas super caput. 4. Mat. ille rectè reliquit omnia, qui nec se sibi reseruat, sed & se ipsum pro Christi amore superimpendit. ita ille. Ille autem se sibi reseruat, qui voluntatem non renunciat in manibus Christi, vt faciat Christus in ipso & de ipso quidquid placuerit ei; sicut homo seruus alterius hominis est, quando omnino facit voluntatem Domini sui. Hic iam non sui s est, sed Domini. Sic qui pronus voluntatem Dei exequitur & non propriam, hic Dei verus seruus est, & verè reliquit omnia pro Christo; sicu homo opem fert seruo suo obedienti sibi, sic & Deus, &c. — Mat. 19. — Paschas. Abbas.

Propo

PROPOSITIO XIX.

Religiosus speciatim voluntati suæ vale dicere debet.

NOn quidem obstat voluntariè se religiosum obedientiam promisisse, nam Deo promissa
Exod. 21. ad perfectam obligant executionem, Exod. 21. iussit Dominus perforari subula autem illius serui, qui liberè se Domini sui seruituti subdit,
Theodor. & hoc fieri ad ostium domus; cur ita? Theodor. q. 45. sic respondet, signum illud auditus organo appositum, indicat seruum obedientiam omnem præstare debere; quod autem applicabatur ad ostium, significat nec foras egredi licere illi in iussu Domini. ita Theodor. Ecce quomodo non obstante libera sui traditione, seruus iste tenebatur, perforatam, apertam & non clausam habere aurem ad Domini sui iussa, sicut Ananias Actorum 5. liberè obtulit Deo pretium agri & tamen mortis pœna luit transgressionem.

PROPOSITIO XX.

Quàm grauis Dei offensa sit anteponere nostram voluntatem diuinæ.

S. Anscl. SAnct. Anselm. lib. de similitudinibus, c. 8. solus Deus quidquid vult, velle debet propria voluntate, ita vt aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, à Deo quasi propriam coronam aufert, quia sicut regem aliquem inhonoraret, qui propriam coronam ab eo auferret, sic homo inhonorat Deum, qui aufert ab eo propriæ voluntatis priuilegium habendo quod ille solus habere debet. ita S. Anselm.

PROPOSITIO XXI.

Obediendum est Deo sine replica, nisi quando interuenit maior Dei gloria.

Gen. 22. GEnes. 22. Præcepit Deus Abrahæ sacrificare filium suum dilectissimum Isaac, & ipse non cunctatus est, in ipsa executione mandati, sed eadem nocte qua præceptum audiuit, surrexit, *de nocte*, inquit, *consurgens*, &c. Dices, cur non in-
S. Chrisost. dicauit vxori S. Chrysost. ibidem, attende, inquit, pium & prudentem animum, quia sciebat magnitudinem præcepti, nemini prorsus significauit, sed solus secum agonem illum decertabat. ita ille. Etenim si mater id resciuisset, forte illusionem illam esse inclamaret, & impedire conaretur. Hoc & alia impedimenta vt tolleret vir sanctus tacet & Deo paret. Dicat verus obediens nullis obstaculis, viam aperite obedientiæ, *&c.* Sicut enim in his quæ tibi grata sunt, impedimenta vincere conatis; sic etiam in bis quæ Deo grata sunt, perge patere per media impedimenta obstacula rumpens.

***

PROPOSITIO XXII.

Quam exactè & perfectè debeamus obedire Deo.

MAtth. 6. docuit nos Christus Dominus orationem Dominicam & inter alias petitiones, adhibuit hanc; *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, hoc est, pareamus nos Deo in terra, sicut Angeli parent in cœlo. Vide igitur nunc quo pacto Angeli obediant Deo, vt quantam à nobis Deus exigat obedientiam, videamus. Dauid Psal. 103. sic de obedientia Angelorum cum Deo loquens, *qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*, hoc est, tu Domine maiestate, imperio, potentia tua infinita facis vt spiritus illi super iusint Angeli, id est nuntij tui, quia vt ibi obseruat Cassiod. *Angelus* Græce idem est, quod *nuntius* latinè, & huiusmodi ministros facis ignem vrentem, quonam pacto? Lyranus: Angeli autem ideo dicuntur ignis vrens, quia efficaces sunt ad executionem diuinæ voluntatis. ita ille. Quæ autem pernicitas & efficacia maior quàm ignis? Tales igitur sunt Angeli in obsequiis & obedientiis diuinis, velocissimi, & efficacissimi, & tales nos esse vult Dominus, ideo ait, *fiat voluntas tua sicut in cælo, &c.* Matt. 6. Psal. 103. Cassiod.

Exemplum autem huius obedientiæ promptissimæ Angelorum habemus in Raphaele comitante Tobiam; nota est historia, & merito expendenda, & ponderanda iuxta omnes circunstantias suas, vt confundamur videntes, quam tepidè & oscitanter Deo paremus, qui ad obediendum Deo sicut Angeli ei obediunt monemur à Deo ipso.

PROPOSITIO XXIII.

Quàm grauiter Deus inobedientes puniat.

EXod. 19. *totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat, in maius & prolixius tendebatur*, ita ibi. Cum Dominus ad dandam legem descenderet, cur terroribus his legem dedit? Theodor. q. 36. in Exodum, vt per hæc omnia cor eorū lapideum emolliret & illum timerent, ne suppliciis afficerentur. ita ille. Cum igitur legislatorem se illis ostendit, terrores tantos exhibuit, vt eum tanquam legislatorem pauerent, & legem eius transgredi non auderent, qui terribilis est, *&c.* Exod. 19. Theod.

PROPOSITIO XXIV.

Quàm honorifica Deo sit obedientia nostra.

GEnes. 2. Sic Dominus ad Adam: *De omni ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis morte morieris.* Cur, inquies, hoc præcepit Dominus Adæ? etenim secundùm se cibo illo vesci malum nō erat, & liberaliorē Deus se homini exhibuisset, si eius de illo comedere concessisset. Cur igitur id præcepit? S. Chrys. ho. 14. in Gen. Hoc, inquit, faciebat Deus, Genes. 2.

Y quasi

quaſi Dominus aliquis liberalis, domum magnam alicui concedens, & vt dominium ſibi ſaluum maneat, patuam tamen pecuniam dandam ab illo præſcribat; ſic ſanè miſericors noſter Dominus, conceſſo omnium quæ in paradiſo ſunt fructu, ab vno tantùm ligno abſtinere iuſſit, vt ſciret, quòd ſit ſub Domino cui debeat obedire. ita S. Chryſoſt. quod Dominium diuinum in nos habere confiteamur; quod ſi Deo in honorem cedit, nobis maximi meriti eſt.

Obſtinatio, *Vide* Cæcitas mentis.

Propositio vnica.

Quàm difficilis curationis ſit obſtinatio.

Gen. 4. Geneſ. 4. cum Cain inuidia ftatris commotus, aduerſus eum malum inciperet machinari, ad eum benignè Deus venit & dixit: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris, recipies*, &c. Quid benignius? quid ſuauius? quid efficacius ad eius animum ſedandum? ſed quid tunc poſtea? *Dixit Cain ad Abel. Egrediamur foras*, &c. *Et illico occidit eum.* Ita ne ſermo ille diuinus profuit qui ad Dæmonis conuerſionem, ſi capax ille fuiſſet ſufficiebat? S. Chryſoſt. hom. 19. in Geneſ. ſic reſpondet, quia incurabilia vulnera auſteris medicamentis non cedunt, ita anima ſemel captiua, ſi ſe peccato cuipiam obnoxiam fecerit, quæ ibi vtilia ſunt conſiderare non vult; etiam ſi quis innumera illius auribus inculcet; nihil proficit, & hoc in Cain factum eſt. ita ille. Et quidem ſermo Dei non ſolum non profuit, verùm peior eo audito factus eſt Cain, vti adnotauit S. Ambroſ. lib. de Cain c. 9. dicens: Admonitus Cain vt quieſceret, auget inſolentiam, acerbat flagitium. ita ille. Ecce naturam animi obſtinati.

S. Chryſ.

S. Ambr.

S. Athan. S. Athan. in lib. quæſtionum q. 77. quætit cur Chriſtus Dominus magna voce clamauerit in cruce? & reſpondet, vt ſuam potentiam declararet, & Iudæos deterreret, & ad ſuam adduceret fidem; hæc enim vox Chriſti petras diſcidit, velum templi ſcidit, terram commouit, & apertis mortuorum ſepulchris mortuos excitauit, & nec ſic quidem intellexerunt inſenſati Iudæi. ita S. Athan. Ecce quàm durum ſit cor hominis obſtinati, vnica vox Domini inſenſibilia ſic mutauit, & corda illorum non ſunt immutata, quia duriora lapidibus, & ſurdiora quàm terra & mors.

Occaſio, *Vide* Scandalum.

1. *Quàm ſit vitanda occaſio peccandi.*
2. *Quod multùm vitanda ſit occaſio peccandi ſed maximè luxuria.*
3. *Qui perfectam pœnitentiam & vitam ſanctam agere vult, occaſiones peccatorum vitet.*
4. *Occaſiones ad bene agendum quærunt pauci, ſed ad malè agendum multi.*
5. *Quot & quantæ occaſiones peccandi ſint in mundo.*

Propositio I.

Quàm ſit vitanda occaſio peccandi.

Geneſ. 31. *Rachel furata eſt idola Patris ſui.* Cur ita? Theodor. q. 89. in Gen. Quidam, inquit, dixerunt ſurripuiſſe idola propter animi ſtudium quo adhuc amplectebatur illa. Ego tamen contrarium cenſeo, ſed quod illa abſtulerit, quia volebat patrem liberare ab impio Idolorum cultu, pietatem enim eius in Deum verum ſatis docet Scriptura diuina in Geneſ. c. 30. ita Theod. ex hoc colligimus quantum interſit, peccatorum occaſiones a nobis & ab aliis amouere, vt à peccatis ipſis liberemur. Gen. 31. Theod.

Secundò hinc conſtat, cur Deus ſæpe ab his quos diligit, temporalia bona tollat; quia ſcilicet vidit eos bona iſta pro idolis habere, ſuperbus honorem, auarus diuitias, ſenſualis delitias vel ſalutem. Vt igitur huius ſpiritualis Idololatriæ occaſiones auferat, à nobis bona huiuſmodi, vel negat vel aufert.

Ioſue 6. prohibuit Deus ſeuerè filiis Iſraël ne de ciuitate Ierieho expugnata quidquam ſibi aſſumerent. Ioſue ad præcepti huius obſeruantiam eos exhortans, dixit, *vos autem cauete ne de his quæ præcepta ſunt, quidquam contingatis*; ſi Deus non dixit niſi *non accipiatis*, cur Ioſue dixit, *ne contingatis*? Reſpondit hic doctus quidam, voluit Ioſue vt ad tangendam prædam vnuſquiſque timidus eſſet, ne ex tactu fieret ad rapiendum temerarius. ita ille. Ioſue 6.

Cur Moyſes in ſuo exameto, quidquid à Deo conditum erat explicauit, de Angelis verò nullam expreſſam mentionem fecit? nonne omnium creaturarum præſtantiſſimi Angeli erant? Cur igitur præſtantiora ſilentio præſtrinxit? nimirum vt occaſionem Idololatriæ tolleret à filiis Iſraël. Reſponſio hæc Theodoreti eſt q. 2. in Geneſ. vbi ait: Qui lege regebantur, ſolidæ & conſtantis fidei nihil habebant; mox enim poſt plurima & ineffabilia miracula, imagini vituli Deum deſignauerunt. Quod ſi tam facilè ſibi Deos finxerunt, & iumentorum ſimulachris ſacrificare volebant, quid non perpetraturi fuiſſent inuiſibilis naturæ notitiam aſſequuti? ita ille. Et idem ait S. Chryſoſt. hom. 2 in Gen. Cum igitur procliues nimirùm homines ſint in peccata, ab occaſionibus peccatorum eos amouere debemus, & ipſi debent cauere ſibi. Theod.

Sic Deus ad populum: *quo mihi multitudo victimarum veſtrarum?* Dicit Dominus, *plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Quid hoc? nonne Deus ipſe inſtituerat huiuſmodi ſacrificia? quomodo igitur ſic modò ſe abhorrere demonſtrat? Theod. q. 1. in Leuit. Quia (inquit) populus, qui longa per tempora vitam tranſegerat, dæmonibus ſacrificare didicerat, permiſit Deus ſacrificia ſibi offerri, vt populum ab illo crimine vendicaret. ita Theodor. quaſi Deus potius ferre vellet illum modum nauſeæ, ne populus Idem.

occaſio

occaſionem ſumeret idololatrandi. Sic Deus à nobis occaſiones peccatorum tollere curat.

Deut.34. *Mortuus eſt Moyſes & non cognouit homo ſepulchrum eius.* Etenim apud nos ſanctorum virorum ſepulchra, in magno prætio habentur; non enim ſolum viuentes illi, ſed etiam mortui benefici nobis ſunt. Vnde Eccleſia de ſanctis confeſſoribus canit: *Ad ſacrum cuius tumulum frequenter, Membra languentum modo ſanitati quolibet morbo fuerint grauata reſtituuntur.* Et inſuper Moyſes dignus erat honore & veneratione ſui ſepulchri. Cur igitur ſic eum occultari voluit Deus? S. Aug. S. Auguſt. lib. 2. de mirabilibus c.36. ſic reſpondet: Occultauit Deus ſepulchrum Moyſi, ne populus Iſraël ſi cognouiſſet, vbi eſſet ſepultus Moyſes, eum adoraſſet; vnde & virgam in qua ſigna fecerat, vt plurimi cenſent, ne adoraretur, ſecum abſtulerat, quoniam & ſerpentem quem fecerant filij Iſraël, poſtea adorabant. ita S.Auguſt.

Num. 19. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit*, cur immundum, ſi nullam intus continet immonditiam? S. Thom. S. Thom. 12. quæſt.102. art. 2. ad 4. Huius immunditiæ cauſa eſt, quia in talia vaſa de facili poterat aliquid immundum cadere, vnde poterant immundari. ita S. Thom. Igitur apud Deum non ſolum reputatur immundum, quod actu immundum eſt, ſed quod eſt in proximo periculo immunditiæ. Ille igitur qui proximè periculo peccandi mortaliter ſe exponit, mortaliter peccat. Vnde Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Peribit, inquit, in ipſomet periculo, etiamſi in peccatum, ad quod periculum imminet, non cadat, quia tali periculo ſic ſe exponit.

1.Tim.4. 1. ad Timoth. 4. Attende tibi, celebris illa ſententia fuit apud Græciæ ſapientes, *noſce te ipſum*, hoc eſt attende te hominem eſſe, & non Angelum, ne in ſuperbiam erigaris, & item te hominem eſſe, & non brutum vt non vilis efficiaris; noſce ideo teipſum. Sententiam hanc magni faciebant ſapientes gentiles; atque ideo litteris aureis in introitu templi Appollinis ſui eam exararunt, aureis inquam litteris tanquam auream, & in templo Dei ſui, veluti è cœlo à Deo miſſam. Sed tamen excellentior eſt hæc Pauli ſententia, *Attende tibi*; quid enim prodeſſet cognitio ſui, ſi non attenderet homo ſibi? fateor illam primam ſententiam fundamentum eſſe huius ſecundæ, ſed non ita neceſſariam; ſi enim quis abſque ſui cognitione poſſet attendere ſibi, prima ſententia non eſſet ita neceſſaria, hæc verò ſine illa ſufficeret ad ſalutem animæ.

Sed dices, quonam modo quis ſibi attendet? S Zeno. S. Zeno epiſcop. Veronenſis in tom. 3. bibliothecæ Patrum reſpondet, Attende tibi, hoc eſt peruigiles gere animæ oculos ad cuſtodiam animæ tuæ, vt ſicut Damula laqueos fugias. ita ille. Damula ſylueſtris caprea eſt, quæ perſpicacem viſum habet, & à longè laqueos & retia venatorum videt, & cauet ſtatim: ſic igitur, ait Zeno, tibi attendere debes, circumſpice laqueos, quibus refertus eſt mundus, imo & ipſos quos hoſtes intra te ipſum conſtituunt in corde, ideo quippe ſancta illa animalia quæ Apoſtol. Ioann. in c. 4. Apocalyp. vidit, plena erant oculis ante & retro, & in circuitu & intus, ad quid intus niſi ad vitandos laqueos cordis?

Gen. 3. Geneſ. 3. interrogauit ſerpens Euam; *Cur præcepit Deus vobis vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui Eua: de fructu ligni quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud:* Sunt qui dicant addidiſſe mulierem illa duo verba, *ne tangeremus*; quia ſuprà ſolum eſum prohibuiſſe Deum legimus. Sunt & alij qui dicant Deum etiam tangere lignum prohibuiſſe: Euam enim ante peccatum non eſt credendum in ſtatu iuſtitiæ originalis ita facile mentitam fuiſſe; quod ſi ita eſt, cur tangere lignum vetuit Deus, cum id neque ad abſtinentiam, neque ad religionem, nec ad virtutem aliquam pertinere videatur? quia quidem tangere poma illa, diſpoſitio quædam eſſet ad eſum prohibitum, nam tangendo & videndo cominus pomum, facilius homo ad edendum prouocaretur; diſpoſitiones autem, & occaſiones ad peccandum vitandæ ſunt valde. Hac igitur ratione aiunt nonnulli prohibitum fuiſſe à Deo tactum ligni vetiti, vt magis elongaretur a guſtu, vti refert ibi Lyranus. Lyra.

S.Auguſt. S. Auguſt. nullum peccatum fecit aliquis homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo. ita ille. Vnde cum Apoſtoli audirent Dominum dicentem: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*, timuerunt omnes & dicebant contriſtati valde, *numquid ego ſum Domine?* etenim numquam illis ſimile quid in mentem venerat, ſolus enim Iudas id machinabatur. Quare ergo ſic contriſtati ſunt, ſic timebant? nimirum, quia ſe homines eſſe ſciebant, quamuis Apoſtoli eſſent, & ſicut alium ſic ſe in tale flagitium cadere poſſe cognoſcebant, merito igitur quilibet homo quantumuis religioſus, quantumuis miraculorum patrator, cauere debet pericula, & occaſiones peccatorum, quanto magis hi qui ſe debiles & inconſtantes experti ſunt?

Seneca. Seneca lib 1. de benefi. c. 1. Adeo aduerſus experimenta pertinaces ſumus, vt bella victi, & naufragi maria repetamus. ita ille. Quod ſi hoc in periculis corporalibus ſtultum eſt, quanto magis in ſpiritualibus animæ?

S Leo. S Leo Papa ſerm. 5. de Quadrag. plena ſunt omnia periculis, plena ſunt laqueis, incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ ſunt obloquentium linguæ, nec ſemper veracia ſunt ora laudantium; inde ſæuit odium, hinc decipit officium mendax, vt facilius ſit vitare diſcordem, quàm declinare fallacem. ita S. Leo. Vnde infert dicens: Nemo ita à puluere terrenæ conuerſationis alienus eſt, vt non ſemper egeat expoliri. ita ille. Etenim quantumuis quis ſe curat in mundo ſeruare, & puluerem euitare ita poteſt vt ſcopis mundatoriis non ſæpe indigeat, ſic nec à culpis venialibus vt non ſæpe etiam egeat mundari.

PROPOSITIO II.

Quod maximè vitanda ſit omnis occaſio peccandi, ſed maximè luxuriæ.

Gen. 39. GEneſ. 39. Ioſeph ab hera ſollicitatus pallium, in manibus illius dimiſit, & fugit. Cur ita? cum vir eſſet fortior illa, & facile poſſet è manibus eius pallium extrahere? S.Ambr. S. Ambr. de vita Ioſeph: Contagium iudicauit ſi diutius moraretur ne per manus adulteræ libidinis incendia tranſirent. ita ille. Sancte quidem hic

fecit Ioſeph, & ideo meritò in caſtitatia exemplat proponit nobis eum ſcriptura ſacra: ſed tamen quàm longè abſunt qui per medios luxuriæ ignes incautè ſeipſos proiiciunt?

S. Bern. Hinc pallium in ſymbolum caſtitatis venit ſecundùm S. Bern. & in Heliæ pallio quod intendimus probat; Helias enim pallium Heliſæo reliquit, non prius tamen quàm iam in curru à Deo miſſo ad ſupera rapeteretur. Vnde S. Bernard. de obitu Malachiæ, depoſuit Helias pallium ſuum, non eſt quod tangi, ne dum teneri ab adultera vereatur. ita ille.

Propositio III.

Qui perfectam pœnitentiam & vitam agere vult, occaſiones peccatorum vitet.

Matt. 3. MAtth. 3. *venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudæa, pœnitentiam agite, &c.* Cur in deſerto pœnitentiam prædicauit, & non magis in ciuitate vbi peccatores verſabantur? S. Anſel. in hunc locum. In deſerto prædicat, vt per locum oſtendat, quò debeant fugere peccatores pœnitentiam agentes; quicunque enim voluerit agere pœnitentiam, vel loco, vel mente ad deſertum transeat, poteſt enim ſæculi poſtponere tumultum. ita S. Anſelm. nimirum, quia peccatot qui recenter pœnituit, cum peccatis fuerit aſſuetus, facilè ad peccata relabitur, niſi occaſiones peceandi fugiat; ſicut candela recenter extincta facile reaccenditur ſi alteri accenſæ appropinquet; ſi ergo in deſertum non abſceſſerit, in ipſa ciuitate tumultum, & occaſiones deuitet, ſicut fecit ſancta mulier Iudith c. 8.

Matt. 2. Matth. 2. Admoniti per Angelum Magi *ne redirent Hieroſolymam, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Numquid non poterat Deus liberare ſeruos ſuos Magos de poteſtate Herodis, quamuis per eandem viam reuerterentur? poterat quidem tanquam Chriſtus, ſed myſticè voluit nos docere, qualiter recedens per pœnitentiam ab Herode infernali, debeat occaſiones, & vias illas effugere, per quas venerat ad illum. ita

S. Chryſ. S. Chryſoſtom. in imperfect. hom. 2. dicens: Qui enim à diabolo venit ad Deum, numquam debet per viam illam ambulare, per quam ad diabolum venit. Veniſti per viam fornicationis? ambula de cætero per viam caſtitatis. Veniſti per viam auaritiæ? ambula de cætero per viam eleemoſynarum. Si autem per eandem redieris viam, iterum per regnum Herodis vadis, & eris proditor Chriſti. ita ille.

Propositio IV.

Occaſiones ad bene agendum quærunt pauci, multi verò ad malè agendum.

HAnc inter alias humanam miſeriam reperies, quod diligentiores ſint mali ad quærendam opportunitatem malè agendi quàm boni bene agendi. Inuidia motus Cain fratrem ad deambulandum in agro inuitauit occaſiones quærens eum occidendi, vt ſcilicet nemo eum ab occiſione impediret, nemo incuſaret, nemo ſciret.

Sic etiam vendens Chriſtum Dominum Iudas, ſtatim opportunitatem quærebat, quomodo eum traderet inimicis. Vti S. Luc. ait, non enim expectauit opportunitatem, ſed quæſiuit, *Quærebant* (inquit S. Euangeliſta) *Principes Sacerdotum & ſcribæ quomodo Ieſum interficerent.* & de Iuda ſubdit, *quærebat opportunitatem, quomodo eum traderet ſine turbis;* quia ſcilicet turbæ eum amote proſequebantur & tuebantur. Luc. 22. & 6.

Sic etiam Iob ait cap. 24. *manè primo conſurgit homicida, interficit egenum & pauperem, per noctem verò erit quaſi fur. Oculus adulteri obſeruat caliginem dicens, non me videbit oculus & operiet vultum: perfodit in tenebris domos.* Ecce quo pacto homicida, latro & adulter, etiam inter veſpertiliones & horridas noctis tenebras opportunitates & occaſiones ad ſua peccata quærant, non ſic quærentes Dei obſequia facile reperies. Iob 24. 14.

Propositio V.

Quot & quanta occaſiones peccandi ſint in mundo.

IOann. 17. aſcenſurus ad Patrem Chriſtus Dominus, ſic Patrem pro diſcipulis orauit. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi,* &c. Et ſubdit; *non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos a malo.* Quid ſibi vult interpoſitio illa verborum, *non rogo vt tollas eos de mundo?* intendebat præſeruationem illorum à malo, id eſt à peccatis (hoc enim eſt, quod in ſacris litteris malum dicitur abſolute.) Vnde igitur conſequens illud, *non rogo vt tollas eos de mundo:* numquid ſeruare à malo connexionem aliquam habebat, cum hoc quod eſt tollere de mundo? Ita quidem, tot enim ac tanta ſunt pericula peccatorum in mundo, vt petere liberationem à malo, tollere de mundo exigere videri nobis poſſet. Ideo quaſi exponens ſeipſum, noſtri gratia dicit, non ex eo quòd peto eos à peccatis ſeruari, peto eram à mundo tolli; quamuis medium aptum ad talem ſeruationem eſſe videatur: Sed vt exiſtentes eos in mundo (ita enim expedit animarum ſaluti) ſerues eos. Ioan 17.

Operarius.

Propositio vnica.

Contra eos qui defraudant operarios.

INter furta connumeratur defraudatio mercedis operariorum & famulorum. Sciant igitur, qui tales ſunt, quod ab eis Dominus non ſolum in iudicio, verum etiam in hac vita ſatisfactionem extrahet, vti adnotauit Theodor. quæſt. 23. in exod. expendens cauſam cur Deus præcepit Hebræis, vt peterent ab Ægyptiis aurea vaſa & argentea, & veſtes, & eos ſpoliarent? Ait ergo Theodor. Per multum laborem ſuſtinuit in Ægypto populus Iſraeliticus in conficiendis lateribus, & conſtruendis parietibus, & ciuitatibus; quamobrem voluit Dominus Deus illi laborum mercedem rependere, & deinde iſta præcepit, & ne quis putet iniquum eſſe ab Ægytiis mercedem repoſcere, cùm Pharao populum Theod.

Iſraeli

Israëliticum affligeret, sciat Ægyptios quoque eius iniquitatis fuisse socios, Regis nequitiam secutos. ita ille.

Opera.

1. *Quàm naturale sit homini bene operari.*
2. *Quàm meritoria sint opera bona.*
3. *Quàm Deo grata & nobis vtilia sint opera bona, & è conuerso mala.*
4. *Ad Dei glorificationem conducunt.*
5. *Quàm necessaria ad salutem animæ sint opera bona.*
6. *Bonitas operum ex circunstantiis pendet.*
7. *A bonis operibus numquam cessare debemus.*
8. *Ad bene operandum Deus auxiliatur nobis.*
9. *Bona opera ad spem gloriæ conducunt.*
10. *Quàm per se expetenda sint opera bona.*
11. *Opera bona signa sunt hominis existentis in gratia.*
12. *Opera bona ad conseruandam gratiam conducunt.*
13. *Quàm grata sint operanti bona, ipsa opera bona, & etiam aliis.*
14. *Quod Deus remunerator bonorum operum sit etiam in hac vita.*
15. *A bonis operibus non debemus cessare licet difficilia sint.*
16. *Bona opera sunt verè bona nostra, & non bona mundi.*
17. *Ante mortem & non postea prosunt nobis opera bona.*
18. *Anima quæ à bonis operibus vacat, multa opera mala profert.*
19. *Opera bona ex fide christiana promanare solent.*
20. *Vita an sit breuis vel longa, ex operibus eliciendum est.*
21. *Contra eos qui oleum & operam perdunt in operibus animæ inutilibus.*
22. *Contra eos qui quæ bona desiderant præstare, nunquam ad effectum perducunt.*

Propositio I.

Quàm naturale sit homini bene operari.

Gen. 2. GEnes. 2. *Benedixit Dominus diei septimo, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret.* Quid est *vt faceret*? Originale Hebræum sic habet, *quod creauit Deus ad faciendum.* Ad quid, inquies, faciendum? glossa cuiusdam doctoris sic respondet, nempe cuncta Deus creauit non vt essent otiosa, sed potius vt operationes deinceps exercerent. ita ille. Præstat hoc omnis creatura in terra, & in cœlo, & in elementis; omnia iuxta naturam suam operantur, numquid solus homo excluditur? opus autē hominis proprium, est opus bonum, & nullo modo malum; opus autem bonum hominis, est opus secundùm rationem, quia rationale animal est homo: quare qui malè operatur, non vt homo operatur, sed vt monstrum quoddam.

Genes. 1. sic Dominus Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quid sibi vult hæc Dei imago & similitudo? quis Deo similis esse potest? S. Athan. lib. quæstionum q. 88. est homo ad imaginem Dei factus, quia sicut Deus est in mundo Rex & Imperator, & in omnia potestatem exercens; sic homo Princeps & Rex constitutus est in omnes res terrestres, quia libera sua voluntate facit quod vult sicut ipse Deus, & hoc est quod dicit ad imaginem suam. Ad similitudinem verò, quia sicut Deus bonus est, & beneficus, misericors, iustus, longanimis, mansuetus, & qui nos amat & condolet, pacificus, & placidus; sic talem vult hominem esse, vt omnibus virtutibus exornatus sit, & Deum in his imitetur, quantum fuerit virium humanarum in omni opere bono. ita ille. Gen. 1. 26. S. Athan.

Propositio II.

Quàm meritoria sint opera bona.

MAtth. 2. Duobus discipulis petentibus primas sedes, sic Christus Dominus respondit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quid est, *non est meum dare*? numquid rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo? etenim vnum cum Patre Christum Deum esse fideliter confitemur, quomodo ergo ait, *non est meum*? Aduerte, quia non dixit *non est meum* absolutè, sed addidit *vobis*; bene autem erat eius dare his quibus paratum est à Patre, & à seipso, & ab Spiritu sancto. At dices quinam sunt hi felicissimi quibus talis sessio parata est? Respondet S. Chrysost. hom 66. in Matth. illos esse, qui suis bonis operibus illa promeruerint. Verba S. Chrys. hæc sunt: Quibus autem præparatum hoc est: illis videlicet, qui fulgentissimis operibus euasuri sunt. ita ille. Quod à simili sic probat. Fingamus ad editorem muneris atque certaminis quò multi & præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate coniunctos accessisse, qui amicitia Principis freti postulare audeant, vt victores ipsi præconio declarati coronentur, quibus ille respondeat, non est meum id dare vobis, sed quibus labore & sudore præparatum est. Numquid illum quasi non potentem id facere condemnabimus? nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur. Sicut igitur Princeps ille, non quia non potest, sed quia non vult certaminis leges transgredi & iustitiæ ordinem conturbare, sic vtique fecisse Christum affirmamus. Ita enim discipulos compellebat in Dei gratia primum, deinde in laboribus propriis omnem salutem, & gloriæ spem reponere; ideo ait, *sed quibus paratum est.* Nam si alij præstantiores videbuntur, si excellentiora opera quàm vos facturi sunt, quomodò illis expulsis eorum locum occupabitis: an quia discipuli mei estis? ita S. Chrysost. ecce, non quia quis discipulus Christi, vel Apostolus, vel consanguineus sit, altiorem locum in cœlis obtinebit, sed qui operibus bonis illum promeruerit. Matt. 2. S Chrysost S. Chrisost

Et ideo Apostol. 2. ad Tim. 4. gloriam vocat 2. Tim. 4

coronam iustitiæ pro bonis operibus tribuendam: *Bonum*, inquit, *certamen certàui, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitia?* &c. Quid est *corona iustitiæ?* S. Ansel. S.Anselm. ibidem, id est, quam iustè merui, quam non dabit, inquit, sed *reddet mihi, quia iustus iudex est, reddens vnicuique secundũ opera sua.* ita S. Ansel.

Prou. 30. Prou. 30. *Stellio manibus nititur & moratur in ædibus Regis.* Stellio est reptile quoddam exiguum, quod nos hispanè vocamus *Salamanquesa*, de quo hic Salomon ait, quia manibus innitens ad alta regalis palatij soler peruenire. Quid S.Greg. sibi vult ascensio ista stellionis? S. Gregor. 6. Mor. 5. Plerumque aues quas ad volatom subleuat penna in vepribus resident, & stellio qui ad volarum penoas non habet, innirens manibus Regis ædificium tenet, quia oimirum ingeniosus quisque dum oegligentia torpet, in prauis actionibus remanet, & vir simplex, quem ingenij penna non adiuuat ad obtinenda æterni Regni mænia virtus operationis leuat. ita S. Gregor vbi nota quod stellio reptile venenosum est, quu significatur, quod sæpe homo peccator, qui verè venenosus est, per pœnitentiam manibus, hoc est bonis operibus insistens, rales pœnitentiæ fructus facit, vt ad altiotum meritorum culmina perueoiat, quàm qui nou ita peccauit, adeo pœnitentiæ opera Deo placent.

Gen. 14. Genes. 14. Pugnauit Abraham in fauorem cuiusdam Regis aduersus quatoor Reges eios inimicos, de quibus victoriam reportauit, qui in remunerationem boni operis, dixit Abrahæ: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Noluit autem Abraham aliquid ab eo recipere, ad quem tonc Deus; *Ego ero merces tua magna nimis.* Quæ verba sic ponderat & explicat ibi glossa ordinaria dicens: *noluisti mercedem accipere pro laboribus quos sustinuisti, tantis periculis te obijciendo, sed contempsisti Regem & munera eius, ego tibi mercedem dabo non sicut eam quam accepturus eras, sed amplius multo, ego ero merces tua magna nimis.* ita glossa.

Hinc constat, quàm stulti sint hi, qui opera sua faciunt vt videantur ab hominibos, qui ob illam vanam gloriam, non solùm amittunt præmia magni Dei nostri, sed insuper ab eo supplicium merentur.

Iob. 7. Iob 7. *militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenary dies eius.* Laboribus referta est vita militis, & mercenarij, sed quanto labor est maior, tanto præmium est copiosius; sic vita iu- S. Gregor. storum eo ampliorem remunerationem gloriæ habet, quo fuerit ipsa laboriosior. S. Gregor. 8. Mor. 3. mercenarius sollicitè conspicit, ne vnquam dies vacous labatur ab opere & expectatus finis temporis, ne inanis à remunetatione veoiat, io laboris namque studio conspicit, quid percepturos sit tempore remunerationis; nam cum crescit, fiducia proficit præmij; cum verò tepuerit opus, à remuneratione lacessit. Sic electus quisque vitam suam, quasi mercenarij dies pensans, tanto fidentius spe tendit ad præmium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum. Ideo aduersis gaudet, passione reficitur, mœrore refouetur, quia subsequentis vitæ præmiis, tanto se remunerari largiùs conspicit, quanto pro amore illius qootidianis mortibus verius impendit. ita S. Gregor. qui accommodatis exemplis rem amplificans ait. Hinc est, quod ciues supernæ patriæ conditori suo psalmistæ vocibus dicunt, *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Hinc Paulus ait, *quotidie morior propter gloriam vestram fratres.* Hinc iterum dicit, *ob quam causam id patior, sed non confundor, scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex.* Sancti ergo quot labores exhibent, vt remunerationis pignora intra spei cubiculom clausa teneant? ita S. Greg. S. Gregor.

Propositio III.

Quàm Deo grata & nobis vtilia sint opera bona, & è conuerso mala.

PSal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitia, & sperate in Domino.* Psal. 4. Quid est *sacrificare sacrificium iustitia?* Numquid ad sacrificiorum cultum nos admonet Dauid? Etenim sacrificium iustitiæ idem S.Basil. nobis est, quod iustè operari; qoæ S. Basilij interpretatio est in scholiis super hunc locum dicentis: Non sunt oues seu vituli immolandi, sed quæ iusta sunt, facienda sunt; non enim satis est à malis tantùm abstinere, sed oportet etiam bonorum operum adesse operationem. ita ille. Quia hæc oportet facere & illa non omittere. Sunt enim nonnulli, qui se iam sanctos esse arbitrantur, si à peccatis mortalibus abstioeant, & ad merita bonorum operum non attendunt, cum vel vnius solùm operis boni meritum, taoti momenti & valoris sit, vt totius mundi huius opes, & regna illi non valeant comparari. Ideo bonorum operum executionem, sacrificium hic Psaltes appellauit. Sicut enim olim gratissima Deo sacrificia erant, vt constat ex sacrificio Abelis, Noë, & Abraham, & aliorum Patrum: sic gratissima & meritoria gloriæ, & gratiæ sont opera nostra; & inde meritò subdit, *& sperate in Domino*, non enim ex passione Christi præcisè & solùm sperare debemus, sicut hæretici multi aiunt; sed oportet nos simul cooperari, & tunc meritò ex bonorum operum merito sperare debèmus.

Gen.27. sic Isaac ad Esau filium suum, *sume arma tua, pharetrã, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam & benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Gen. 27. Cur Isaac benedictionem illam vltimam vitæ (qoæ tempore illo inter Patriarchas magni momenti erat) non Iacob, sed Esau tribuere destinauit, cum merito vitæ ac morum dignior esset Iacob? numquid eo quòd Esau prior natus erat? Theodot. q. 77. Theod. in Genes. Sic respondet; Auxit amoris occasionem, quod Esau Patri officiosus esset, venatio enim illius in cibum illi erat, obsequium aotem valet etiam crudelissimos quosque mitigare, maximè verò patrem, patrem inqoam humanissimum, reperimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remunerasse eo quod obsequium illi præstitissent. ita ille. Hinc igitur constat, quàm potentia sint opera nostra booa ad alliciendam nobis diuinam voluntatem, vt largam nobis benedictionem imperriri dignetur; sunt enim obsequia pergrata, & ipse Pater noster benignissimus est, quod quidem in obsequiis Beatæ Mariæ Magdalenæ satis constat Luc. 7. &c.

Propo

Propositio IV.

Ad Dei glorificationem conducunt opera bona.

S. Nisen.

MAt. 6. *sanctificetur nomen tuum*, S. Gregor. Nissen. orat. 3. in orationem Dominicam, si nomen Dei semper sanctum est, & ad sanctificationis adiectionem nihil amplius opus habet, quippe qui perfectus est, quid sibi vult hæc petitio, *sanctificetur nomen tuum*? Respondet idem sanctus, quia caput omnium honorum est, si per meam vitam nomen Dei glorificetur; poterit autem ex contrario nobis fieri planior intellectus, væ, inquit Isaias, *propter quos nomen meum male audit inter gentes*, infideles enim fidelium vitam inspiciunt & obseruant. Cum igitur vita fidelium nomini repugnat, statim in promptu infidelium sermo est, non in voluntatem eorum sed in mysterium quasi talia facere docent, criminationem vertent; non enim illum vel illum qui Christianus est, vel conuiciatorem, vel fraudatorem, vel raptorem, vel alij obnoxium vitio futurum fuisse, nisi peccare licitum eis esset. Præterea graues minas talibus scriptura intentat dum dicit, *væ illis per quos nomen meum male audit inter gentes*, propter hoc ait Christus vt precemur, *sanctificetur nomen tuum*, vt scilicet videant homines opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. ita S. Gregor. Nissen. qui exponens verba huius petitionis ait, *sanctificetur nomen tuum*, id est, O Domine auxilij tui præsidio fiam inculpatus, & irreprehensibilis, loquens id quod verum, faciens id quod iustum est, hoc precatur qui dicit, *sanctificetur nomen tuum*. ita ille.

Dices, Infidelis, etiam si videat nos fideliter degentes, nō glorificabit Deum nostrum sed suum; respondet idem sanct. Quis adeo ferus & rationis expers est, qui si inter fideles videat vitam puram ab omnibus peccatis vacuam, temperantia claram, fortem & firmam aduersus passionum impetus, corporis voluptatibus nullo modo mollem & effæminatam, temporalibus facultatibus moderatè vtentem, summo pede terram tangentem, & quæ vnas diuitias virtutis opes existimet, quis igitur si talem videat, nomen, quod à tali vita inuocetur, non glorificet? ita ille.

Quod ad nostram gloriam opera nostra bona conducunt, res magni momenti est; maioris autem, quod in maiorem Dei gloriam cedant. Ita

Math. 6. igitur res se habet vt ex illis verbis Matth. 6. *sanctificetur nomen tuum*, constat; quid enim aliud est, *sanctificetur nomen tuum*, nisi, sanctos nos fac Domine, operibus nostris sanctis glorificetur nomen tuum, ex eo videlicet quòd talia & tam sancta sint opera credentium in te? ita explicat Cas-

Cassian. sian. in collat. 9. cap. 4. dicens, *sanctificetur nomen tuum*, id est tales nos facito pater, vt in nostra conuersatione speciali sanctus appareas; quod tunc efficaciter impletur in nobis, quando vident homines opera nostra bona, & glorificant patrem nostrum, qui in cœlis est. ita ille.

Propositio V.

Quàm necessaria ad salutem animæ sint opera bona.

PSal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Prius beatos dicit qui immaculati ambulant in via Domini, quàm qui scrutantur scripturas eius, cum priora videantur ea quæ ad intellectum pertinent, quàm ea quæ ad voluntatem; nihil enim volitum quin præcognitum vti Philosoph. ait. Non igitur ordine recto hic procedere videtur propheta. imò (ait S. Ambros. ser. 1. in hunc Psal.) Quàm pulcher ordo? quàm plenus doctrinæ & gratiæ? non priùs qui scrutantur testimonia eius, sed priùs beati immaculati in via; priùs enim vita quàm doctrina quærenda est, vita enim bona etiam sine doctrina habet gratiam, doctrina verò sine vita integritatem non habet. Priùs igitur corrigendi sunt mores. ita S. Ambros. etenim scire oportet priùs quid opereris, sed non scrutari scienda, hoc est non priùs curandum est profunda sacræ Scripturæ scire ad sobrietatem operandam, & illico aratro manum imponere, postea sanctitas vitæ ad abundantem sapientiam conducet, quia in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Denique Dauid primum locum sanctæ vitæ & operationi tribuit, secundum sapientiæ; quia sapientia sine virtute non sufficit ad salutem, sanctitas verò sine illa intellectuali sapientia sufficiens est.

Ps. 118. — Aristotel. — S. Ambros.

Bonum quidem est desiderare iustificationes Dei in omni tempore, sed desideria bona sine operibus bonis, velut flores sunt sine fructu: malumus autem fructum sine floribus, quàm flores sine fructu, quia flores desideriorum sine fructu bonorum operum non sufficiunt ad salutem animæ, opera verò sine desideriis præcedentibus; quod Christus Dominus Matth. 8. significauit, cum sanare voluit à febribus illis, quas socrus Simonis patiebatur, priùs enim quam illi restitueret sanitatem, *tenuit manum eius*, vti ait Euangelista. Quid sibi vult ceremonia ista? numquid sine tactu manus non poterat illam sanare? potuit quidem, sed propter mysterium id fecit, febris enim illa, vti ait S. Ambros. vitia nostra designant, sicut sanitas illa corporalis, animæ salutem, manus autem in sacris litteris opera nostra sunt, vt asserunt S. Hil. in Psal. 118. Sanct. Hieron. in Mat. c. 8. S. Ambros. 3. de Virgin. S. August. in Psal. 119. & alij, manus enim ad operandum datæ sunt nobis. Prius igitur quàm Christus à febribus sanaret socrum Simonis, manum eius tenuit, vt innueret nobis ex sanctitate operum nostrorū sanitatem animæ dependere. Sic locum hunc explicuit S. Petrus Chrysol ser. 18. dicens: Tenuit manum eius, & erecta est quæ iacebat, & ministrat Christo, dum bonis operibus sanctificat manus suas modò, quas antea malis operibus polluebat. ita ille.

Simile. — Matt. 8. — S. Ambr. — S. Hil. — S. Hieron. — S. Ambros. — S. Petrus Chrysol.

Vellent nonnulli (vti ex moribus eorum constat) cælestem consequi gloriam sicco pede, & absque labore vllo, Deus autem mercedem laborantium cœlum esse voluit, sicut in parabola vineæ ostendit, in qua denarij mercedem solis operatis tribui iussit.

Iosue. 6.

Iosue 6. Prohibuit Dominus Israëlitis quidquam sibi sumere ex Iericho, *sit*, inquit, *ciuitas hac anathema, & omnia que in ea sunt Domino.* Cur bona illius ciuitatis non concessit Deus populo suo, videns illum indigere bonis huiusmodi? Respondet Caietanus, quia solus Deus vrbem expugnauit, nihil laborantibus filiis Israël; quibus enim pugnæ labor non contigit, prædæ emolumentum non reseruauit, & dedicauit bona eius. Sic igitur de bonis cœli philosophandum est, regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti, non desides rapiunt illud.

Caiet.

Gen. 2.

Genes. 2. *formauit Deus hominem de limo terræ.* & infra, *tulit Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur & custodiret illum.* Agricolam illum Deus esse voluit, sicuti adnotauit S. Chrysol. dicens, *vt operaretur*, non ad victum comparandum, sed ad honestum exercitium, ita vt nec fatigaretur, nec otio langueret. ita ille. Deus igitur hominem de terra formauit, & terram colere voluit; cur non ex materia cœli vel ex aliquo alio terræ superiori elemento hominem formauit? siquidem homo inter omnia visibilia potior & sublimior est. Et? cur illi agricolæ officium iniunxit, cum tale officium dignitate hominis adeo inferius sit etenim de terra hominem formauit vt notum nobis esset, quomodo fructus ab eo nobis reddendi essent sicut à terra, terra enim ligone & aratro culta, & comminuta fructum edit; sic etiam vt homo bonorum morum, & virtutum fructum ferat, oportet & ligone & aratro mortificationis, & pænitentiæ, & bonorum operum exercitatione colatur, teratur, & conteratur; alioquin sicut terra inculta tribolos & spinas & herbas malas profert, sic homo nisi agriculturæ subdatur, pessimas vitiorum herbas dabit; sensus enim & cogitatio humani cordis ab adolescentia sua prona sunt in malum, vti Deus ipse dixit Genes. 8.

S.P. Chry.

Hinc est quod Deus cum videt nos ab huiusmodi agriculturæ munere vacare, laboribus & aduersitatibus nos afficere solet, vt sic vexati & attriti fructus vtiles proferamus, ideoque Christus dixit: *Pater meus agricola est*; quid est agricola, nisi terræ cultor? & quid homo nisi terra? cuius autem terræ nisi huius, maximè Deus cultor est? Te igitur ipsum cole, si vis à tribulationibus liberari.

2. Timot. 2.

Secund. ad Timot. 2. *recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Cur non ad omnes homines in vniuersum, sermonem Apostolus dirigit? siquidè ad omnes pertinet ab iniquitate recedere legis naturalis ratione, & imperio. Cur igitur ad eos tantùm loquitur hic Apostolus, qui nomen inuocant Domini? nimirum quia hi qui nomen inuocant Domini, Christiani sunt, & plures Christianorum ita se Christianos esse gloriantur, ac si ad saluationem nulla re alia opus esset, in peccatis degentes. Ideo ait Apost. *recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Expositio est S. August. ser. 15. de Euangel. secundùm Matth. dicentis: quia ab iniquitate homo non recedit, non pertinet ad regnum Christi etiam nominans nomen Christi. Nemo igitur de vocabulo Catholici blandiatur, si vult nomē Domini sibi prodesse, sed ab iniquitate recedat. ita S. August.

S. Aug.

In Ecclesia Christi ædificium sibi vnusquisque ædificat, cuius culmen pertingat ad cœlum: huius autem ædificij spiritualis fides est fundamentum, super hoc fundamentum opera bona ædificantur, quibus cœlum attingamus. Quod hac similitudine solet exponi: Ciuitas Veneriana super aquam est fundata, cum igitur ciuis aliquis domum ædificare decernit, ciuitas ipsa fundamenta iacit infra ipsam aquam, quousque fundamentum super aquas emineat, inde superædificat reliqua ciuis ipse. Sic Ecclesia Christi in aqua baptismi iacit fundamentum fidei nostræ, in baptismo enim fidem accipimus simul cum spe, & charitate, & gratia Christi; vnde nos cum primum ad vsum rationis peruenimus, superædificamus opera bona, quibus cœlestem gloriam assequamur; non glorietur Christianus, quod fidei Christianæ professor sit, fides enim sine operibus non sufficit adultis ad salutem æternam. Simile.

Propositio VI.

Bonitas operum ex circumstantiis pendet.

MAt 6. *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* mira quidem sententia, scire enim vel nescire ad nostram pertinet manum; quod si dixeris metaphoricā locutionem esse, qui fieri potest vt sinistra manus ignoret quod dextra operatur, cum adeò sociatæ sint manus? S. Petrus Chrysol. ser. 9. sicut sunt nobis in dextera parte virtutes, ita nobis pars vitiorum est in sinistra; quoties ergo nobis cum bonitate causa est, nesciat hoc sinistra. ita ille. Sonat in malā partem (etiam in sacris litteris) nomē sinistræ, in bonā verò dexteræ nomen; merito ergo per dexteram virtutem, per sinistram vitium S. Chrysol. intellexit. Est autem periculum magnum communicationis inter vtramque manum; sicut enim facilè inter se conueniunt manus sinistra, & dextera, ita etiam facilè operibus virtutis vitia miscentur, & difficile videtur ita pura esse opera bona, vt nulla mala circunstantia maculentur, vel finis, vel loci, vel tēporis, vel modi, vel personæ, &c. Hinc admonitio illa Dei Deuteron. 16. *iustè quod iustum est persequeris.* Non enim sufficit bona operari, sed bene illa conuenit efficere, quia bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu. Nota sunt in scriptura exempla, maximè cum de hypocritis mentio fit, vnde merito concludit S. Petrus Chrysol. vbi supra dicens: fratres in hoc sæculo fugiamus, quæ à sinistris sunt, in futuro à dextris astare desideramus, & audire, *venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* ita ille.

Mat 6. S. Petrus Chrysol. Deut. 16. S. Petrus Chrysol.

Propositio VI.

A bonis operibus numquam cessare debemus.

CAnt. 2. num. 15. sic Deus animæ iustæ; *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Cur animam sanctam horto clauso comparauit? Rupert. Abbas: Hortus vocatur eo quod in horto semper aliquid oriatur. ita ille. Sensus igitur est, volo vt iustus sit velut hortus, semper bona opera producens; & conclusus, id est vt vigilanter custodiat, quod operando lucratur. Cui consonat illud Genes. 2. *posuit Deus hominem in paradiso voluptatis vt operaretur & custodiret illum.*

Cant. 2. Rupert. Simile.

Propositio VIII.

Ad bene operandum Deus auxiliatur nobis.

Gen. 8. GEnes. 8. post dilunium cum adhuc essent aquæ terram inundantes, *adduxit Deus* (ait scriptura) *spiritum super terram & imminuta sunt aquæ*, &c. quisnam est spiritus iste, quo imminutæ sic sunt aquæ? Alcuinus super Psal. 1. de illo spiritu intelligi potest, de quo dictum est, *spiritus Domini ferebatur super aquas* (Genes. 1.) tunc ferebatur vt congregatis in vnum locum appareret terra, nunc adducitur vt ablatis aquis faciem reuelaret terræ. ita ille. Spiritus autem ille, qui super aquas ferebatur, Spiritus S. erat vt sacri doctores exponunt. Vtrobique igitur Spiritus S. aquas à superficie terræ diuertit, nimirum impedimento enim terræ erant ne fructus suos producere posset. Ecce quid in nobis (qui terra sumus) Spiritus S. efficiat, impedimenta tollit à nobis, quæ fructum bonorum operum impediunt. Quare licet opera bona difficultatem præseferant (virtus enim in difficili consistit, Deus tamen (quæ bonitas eius est) impedimenta cuncta amouet à nobis. Ne igitur huiusmodi timeas impedimenta, ne propterea à virtutum actibus cesses. Deus enim adiutor noster est, & audi Paulum, *omnia possum in eo qui me confortat.*

(Margin: Alcuinus.)

Propositio IX.

Bona opera ad spem gloriæ conducunt.

Gen. 14. GEnes. 14. vicerat Abraham cum vernaculis suis hostes quosdam, & liberauit ab eis innocentem Loib, & statim c. 16 *factus est sermo Domini ad Abraham dicens; Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Expendit locum hunc Glossa ordinaria & ait; Triumphata multitudine vitiorum, confortatur spes cuiusque fidelis à Domino ne titubet, sed mercedem expectet. Ita Glossa Etenim bonorum operum exercitium, & maximè tentationum victoria, valde spem salutationis confirmat & confortat. vide optimè S. August. ser. 217. in ea verba Prou. vltimo, *mulierem fortem*, &c. *digiti eius apprehenderunt fusum*, &c.

(Margin: S. August.)

Propositio X.

Quàm per se expetenda sint opera bona.

Genes. 2. GEnes. 2. *requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, & benedixit Dominus diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauit ab omni opere suo*, &c. Quam ob causam sic Deus benedixit diei septimo, in quo ab operibus creationis cessauit, & non benedixit aliis sex diebus in quibus fuerat operatus? numquid propter opera illa minus fuerunt digni benedictione dies illi sex? Sanct. Chrysost. hom. 10. in Genes. sic respondet: vt habeat dies ille septimus prærogatiuam aliquam, & ne videatur minus aliquid habere, eo quòd in eo nihil factum sit, benedictione illum dignatus est. Quid igitur, non erant cæteri dies benedicti? etiam profectò, sed sufficiebat illis, pro omni benedictione quod in singulis illis creaturæ productæ fuerunt, & ideo de illis non dixit, *& benedixit.* ita S. Chrysost. Ecce quàm excelsa secundùm se sint opera bona in Dei gloriam facta, vt pro benedictis haberi debeant dies illi in quibus factæ fuerunt creaturæ, operante Deo.

(Margin: S. Chrys.)

Propositio XI.

Opera bona signa sunt hominis existentis in gratia.

1. IOan. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis Pater vt filij Dei nominemur & simus.* Tanta quidem res est Dei filium sic esse, vt Apostolus Ioannes indicibilem & inexplicabilem his verbis esse ostendat, nec enim hic explicat quanta sit, sed videndam & considerandam eam nobis remisit, dicens, *videte*, &c. Vnde Sanct. Leo ser. 6. de Natiuitate Domini, Magnum quidem est dilectissimi & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem; si enim ad humanam pertinet laudem, vt parentum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est ex Deo natos in authoris sui imaginem refulgere? ita S. Leo. Dices, in quo igitur quis hoc ostendet? Sanct. Leo ibidem sic ait: Non est animus filiorum Dei ea placere quæ displicent Deo, & his delectari, quibus nouit illum offēdi, genus electū, & regium regenerationis suæ respondeat dignitati, diligat quod diligit Pater; & in nullo ab authore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus, *filios genui & exaltaui, & ipsi spreuerunt me*; ostendant in se quod dicit Dominus, *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* ita S. Leo. vbi nota, tunc nos Deum tanquam Patrem glorificare, cum lucida, & Deo digna opera exhibemus; non enim ait vt glorificent Deum vestrum, sed *Patrem vestrum.*

(Margin: 1. Ioan. 3. — S. Leo.)

S. Leo Papa ser. 16. Epiph. cor hominis de operum ostenditur qualitate, & formas mentium species detegit actionum, ita. S. Leo & ideo Christus Dominus, *opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Ioan to.

(Margin: S. Leo. S. Eph.)

Propositio XII.

Opera bona ad conseruandam gratiam conducunt.

1. COr. 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Sint qui gratiam Dei acquirant, hi tamen operibus bonis eam cōseruare & augere debent, aliàs enim moraliter loquēdo amittent illā, ad eum modū, quo ignis extingui solet, nisi ligna ei applicentur. ideo ait Apost. *gratia Dei sum id quod sum*, &c. vbi Theod. lect. 1. quia homo sine gratia nihil est, sicut ait idem Apost. 1. Cor. 13. *si linguis hominum loquar*, &c. *& gratia eius in me vacua non fuit*, id est non fuit otiosa, quia ea vsus sum ad ea ad quæ data est mihi. ita Theodot.

(Margin: 1 Cor. 15. — Simile. — S. Theod. — 1. Cor. 13.)

Mat.

Mat.25.26 Matth.25. Seruus ille desidiosus, qui vnum talentum accipiens eo noluit negotiari, non solum non acquisiuit noua talenta, verum acceptum amisit sibi. Vnde Prou 28. qui sectatur otium replebitur egestate, quod non solum de temporalibus, sed etiam de spiritualibus diuitiis verum est. Pro.28.19.

Ps. 104 4. Hinc Psal. 104. *Quærite faciem eius semper.* Cur *semper?* si semel quæsitus Deus inuenitur, S. Aug. 15. de trinit. cap. 2. si quæsitus inueniri potest, cur dictum est *quærite faciem eius semper?* an & inuentus quærendus est? quæritur inueniendus & inuenitur quærendus; tam magnum & incomprehensibile bonum est, quod & quæritur, vt inueniatur dulciùs, & inuenitur vt quæratur auidiùs: ita S. August. & idem docet S Bernard. ser. 84. in cantic. vbi ait: Existimo quia nec quando inuentus fuerit cessabitur à quærendo, nec excludit desiderium sanctum fœlix inuentio, sed extendit, ita S. Bernard. S. Bern.

Propositio XIII.

Quàm grata fiunt operanti bona, ipsa opera bona, & etiam aliis.

Iob. 29. IOb 29 sic S. Iob secum agebat inter eximios labores suos, *cor viduæ consolatus sum, oculus fui cæco & pes claudo pater eram pauperum, ostium meum patuit viatori, foris non mansit peregrinus,* &c. Ita ne sanctissimum virum decet propria laus? laus (inquiunt) in ore proprio vilescit, exigitur sic laudes suas profert Iobus? nimirum velut naturali modo se virtutes animi produnt; comedisti bellaria odoris suauissimi & saporis dulcissimi? *vna alcorza, ó gragea regalada,* statim ab stomacho ad os ascendit ructus quidam suauis, qui & tibi ructanti iucundus & circunstantibus gratus fit. Sic de bonis operibus philosophandum est, sunt enim velut animæ bellaria saporis, & odoris suauissimi, & quasi per ructum ad os ex corde procedunt, *como por respiracion del coraçon suben à la lengua las loas de las buenas obras son alcorzas que confortan al alma.* Iacebat in sterquilinio S. Iob omni humano fauore destitutus, egens consolatore, sed non erat; accurrunt opera bona eius Iobi animum confortantia, & ita *cor,* inquit, *viduæ consolatus sum;* sicut è conuerso qui cepas & allia vel huiusmodi alia comedit; ingratum sibi & aliis ructum & respirationem eructat; sic qui mala opera perpetrauit, quid ab eius ore nisi fætor prodire potest sibi permolestus & aliis scandalosus? Simile.

Psal. 118. Psal. 118. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitiis.* Cum obseruatio mandatorum Dei ardua & difficilis sit, est enim lex Dei carni & sanguini satis opposita, quomodo Dauid in testimoniis Dei seu mandatis (quod idem est) ait se delectatum fuisse? Respondet S. Ambros. ibidem: Alij in auro & argento, alij in vestibus, alij in possessionibus, vinetis, oleis, segetibus, in diuersis denique singuli delectationes habent, sed vir spiritualis in via testimoniorum cœlestium delectatur, tanquam omne possidens patrimonium, & in omnibus diues, Sic delectabatur Dauid in omni actu operum bonorum, ita S. Ambros. Ecce huius rei ratio, quia spiritualis erat, animalis enim homo in rebus corporalibus delectatur & non in spiritualibus; spiritualis verò in spiritualibus operibus gaudet, & quamuis in actualibus obseruantiis & operibus bonis, nonnulla difficultas intercedat, postea verò & maximè tempore mortis, ex eo maximè afficitur gaudio, quod multa patrauerit opera bona: sicut è conuerso peccator & animalis homo, licet in operibus malis actualiter fuerit delectatus, postea & potissimùm in morte, ex operibus prauis, & delectationibus transactis dolet, contristatur, & anxiatur. S. Ambros.

Propositio XIV.

Quod Deus remunerator bonorum operum sit etiam in hac vita.

EXod. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Nonne obstetrices istæ infideles erant? cur igitur his qui Idola colebant, in mercedem operis non meritorij domos ædificauit Dominus? id est, vti exponit Hugo Victorinus, abundantiam illis tribuit bonorum mundi; nimirum, quia Deus in tantum operum bonorum remunerator est, vt non solum iustorum opera remuneret in sæculo alio, verùm etiam in isto retribuat peccatoribus imò & infidelibus pro operibus moraliter bonis. Exod. 1. Hug. vict.

Est & alius notabilior locus apud Ezech c. 29. pugnauerat Rex Babylonis aduersus Tyrios, & licet non sine magno labore vicit eos, & Tyrum ciuitatem opulentissimam euertit, erat autem ciuitas illa valde inuisa Deo, atque ideo grata fuit Deo eius euersio, & gratus labor ipsius Nabuchodonosor in eius euersione. Hoc supposito vocauit Deus Ezechielem & dixit: *Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius. Propterea, ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti,* &c. Et subdit, *dedi ei terram Ægypti pro eo quod laborauerunt mihi.* Ponderat locum S. Hieron. dicens: Ex hoc intelligimus etiam ethnicos si quid boni fecerint nolle absque mercede iudicio Dei præteriri; sed numquid Nabuchodonosor sciebat, se obsequiū præstare Deo Tyrum subuertendo? quod verius est, solùm materialiter in hoc Deo seruiuit, nesciens se Deo in hoc seruire; quod si Deo ita materialia placent obsequia, quanto magis, quæ propter eum fiunt opera bona maximè iustorum? Ezech. 29. S. Hieron.

Propositio XV.

A bonis operibus non cessare debemus licet difficilia sint.

AD Galatas 6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus.* Metaphora vtitur hic Apostolus ex agricultura desumpta. Videmus agricolas assiduè & perseueranter, terræ assistere & instare culturæ nimium, & imbrium, ac totius hyemis ac æstatis iniurias & inclementias æquanimiter tolerantes vsque ad messem, & hoc modo fructibus optatis potiuntur. Sic igitur ait Apostolus Paulus, *bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus.* Pondera verbum *non deficiamus:* sunt enim qui feruore quodam moti virtutis aggrediuntur viam, tempore verò tentationis recedunt: agricolæ Dei sumus, æternos & eximios fructus speramus, non igitur deficiamus. Si enim agricolæ vsque ad algores & sudores & vltimam Gal. 6.

vltimamde fatigationem laborantes non deficiunt, propter exiguos & breui duraturos tempore fructus, quid nos facere oportet propter æternum gloriæ pondus? Non igitur deficiamus
P. Leo. & ita tempore suo metemus. Rectè S. Leo Papa locum hunc exponens ser. 5. de collectis ait: Vita præsens tempus sationis, messis verò quando vnusquisque seminum fructus secundùm sationis suæ percipiet quantitatem. ita ille.

Hac eadem metaphora vsus Apostolus Iacobus
Iacob. 5. in cap. 5. clarius ait: *Patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terra, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit.* ita ille. Aduentus autem Domini est non solùm dies vltimi iudicij, sed vniuscuiusque mortis.

Vellent quidem homines meritis cælestibus
S. August. abundare, sed sine labore; ad hoc S. August. ser. 8. secundùm Matth. Quare via peruenire delicatus ad eam rem, ad quam non perducit nisi labor? ad argentum tuum quod quandoque amissurus es, non peruenisti sine labore & ad vitam æternam sine labore vis peruenire? si hoc tibi charum est, ad quod post omnes labores sic peruenisti, vt aliquando amissurus sis, quanto magis perpetua illa desiderare debes? ita ille.

PROPOSITIO XVI.

Bona opera sunt verè bona nostra, & non bona mundi.

Psal. 1. PSal. 1. *nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Quid per iter & viam hîc Pro-
Bellarm. pheta intellexit? Cardinalis Bellarminus. Sic interpretatur: Iter in hoc loco non accipitur pro via materiali in qua ambulatur, sed pro ipsa ambulatione: per ambulationem autem intelligitur cursus vitæ huius, studia, labores, contentiones, quæ omnia impiis nihil proderunt. ita ille. In morte igitur omnia opera impiorum pereunt, studia, opes, honores, palatia somptuosa, supellectilia, prouentus, maioratus, dignitates & tituli honorifici, & denique omnia quæ assiduo labore & industria operati & consequuti sunt, & ea simul cum vita derelinquent & perdent; non sic iusti non sic, sed omnia bona sua secum ferent, non bona quidem materialia mundi, quæ pro nihilo in cœlis habentur: sed omnia spiritualia & opera bona, quæ in gloriam & beatitudinem æternam commutabuntur, & labores & studia illorum non peribunt, sicut peccatorum; sed in perpetuas æternitates manebunt & permanebunt. Vnde Apoc. 14. audi-
Apoc. 14. uit Apostolus Ioannes de cœlo dicentem sibi, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos,* mortuos in Domino vocat eos qui moriuntur in Dei gratia. Quonam verò pacto sequuntur opera illos? ex originali Græco colligi potest, quod sic habet, *opera enim illorum famulantur illis.* Sequuntur iustos post mortem opera sua, quasi famuli; famuli autem sequuntur dominum suum propter duo; primum, vt illum ab inimicis tueantur; secundum, vt comitatu suo honorificent herum. Rectè igitur opera, inquit, famulantur illis: primò, quia in iudicio Dei vbi dæmones (qui potentes inimici nostri sunt) iustos acriter accusant, opera sola sunt, quæ illos fortissimè defendunt & patrocinantur, eleemosynæ, ieiunia, orationes, sacramentorum frequentia, & opera virtutum. Secundò famulantur, eos honorando, Christus enim coram vniuerso mundo, pro bonis operibus eos glorificabit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quia esuriui & dedistis mihi manducare,* &c. Ecce non eos laudat, quia sapienter, aut quia Reges fuerunt, sed quia opera bona fecerunt. Sic igitur opera virtutis virtute præditis famulantur.

S. August. ser. 3 a. de verbis Domini secundùm S. August.
Lucam: Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus, nam hic vnusquisque in domo etiam sua hospes est: nam si non est hospes non inde transeat; quod si transiturus est, hospes, est dimittet domum suam filiis suis, hospes hospitibus; cessit tibi locum pater tuus, cessurus es tu locum filiis tuis; quod si omnes transimus, aliquid quod transire à nobis non possit operemur, vt cum transierimus & illò venerimus, vnde non transeamus, opera nostra bona permanentia inueniamus ibi, &c. ita S. Augustinus.

PROPOSITIO XVII.

Ante mortem & non postea prosunt nobis opera bona.

Iob. 7.
IOb. 7. sic S. Iob Deo: *Memento quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus vt videat bona, nec aspiciet me visus hominis.* Magni ponderis sunt verba ista, quibus sanctus vir auxilium ad bene operandum in hac vita postulat à Deo, & suæ petitionis rationes aliquas adhibet, quarum prima est, *quia ventus est vita mea,* id est (ait S. S. Greg.
Gregor.) transeuntem velociter benignus respice, quia tanto à te videri misericordiùs debeo, quanto ipse à consideratione breuitatis vitæ meæ oculos non auerto. ita ille. Et hæc est prima ratio ad impetrandum diuinum auxilium à Deo ad bene operandum, quia exiguum scilicet est tempus ad bene operandum concessum. Addit autem Iob aliam rationem, *nec reuertetur oculus meus vt videat bona,* id est, *en cerrando vna vez el ojo no se me concedera tiempo porabien obrar ni aun a ver de los ojos,* sic explicat S. Gregor. locum hunc dicens; ad videnda bona extinctis oculus non redit, quia ad exibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. ita S. Greg.

Vnde S. Luc. 16. sic diues epulo ad Abraham; Luc. 19.
Pater Abraham rogo te vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorũ. Ita ne apud damnatos misericordia talis inuenitur, vt aliquis eorum pro fratribus oret? cur iste pro fratribus & non pro se orat? charitas enim & misericordia incipiunt à se ipso: Respóderur, opus hoc non esse charitatis, seu amoris fratrum, sed timoris proprij damni, quod ex consortio fratrum diuiti augeretur; petit autem (quómodocumque sit) non pro se quia sciebat quod in inferno nulla est redemptio; neque enim post mortem est inuenire locum pœnitentiæ, nec meriti. Sic expli-
cat locum hunc S. Gregor. Mat. 8. dicens: Diues S. Gregor.
quem inferni flamma cruciabat, nequaquam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, quia cognouerat semetipsum operando reparare non posse: vt enim reprobi pœnam suam grauius sentiant, de spe veniam amittant. ita ille.

Hinc

Eccle. 9. Hinc Salomon Ecclef.9. *quodcamque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, aec ſcientia, nec ſapientia erunt apad inferos,qaò tu properas.* Pondera cõſilium Spiritus S.& rationem conſilij.conſilium eſt, *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare. Inſtanter* ait,nõ dixit,quotidie,quia prudens nullum inſtans abſque merito elabi permittere debet. Ratio autem conſilij eſt, quia apud inferos, primò *non eſt opus*, id eſt, non conceditur nec inſtans ad operandum,nunc quidem non eſt inſtans,in quo mereri non poſſimus, tunc è contra. nec inſtans inueniet homo ad opus meritorium. Secundò *non erit ratio*, nunc vita comite ratiocinari valet is qui tribulatione aliqua laborat, & media ac remedia diſcurrendo inuenire, quibus à tribulatione liberetur: ſed in ſæculo futuro, quamuis quis ingenio ac ſapientia polleat, nullum adinuenire remedium valebit, quo à damnatione liberetur æterna, & meritorium faciat opus. Id igitur eſt, *nec reuertetur oculus meus vt videat bona* Et rectè in huius rei confirmationem ſubdit, *nec aſpiciet me viſus hominis*: quiſnam eſt viſus hominis iſte? S. Greg. S. Gregor. ibidem: viſus hominis eſt miſericordia redemptoris, quæ duritiam noſtram cum reſpicit emollit. ita ille. Quod manifeſto elucidauit exemplo Luc.22. vbi ait Euangeliſta de Petro negante agens, *reſpexit Dominus Petrum & recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat Ieſus, ter me negabis.& egreſſus foras fleuit amarè.* Quia Dominus reſpexit, Petrus fleuit. Ecce qualis ac quantus ſit hominis viſus. Ait ergo S.Iob, *nec aſpiciet me viſus hominis.* vbi S. Gregor. exutam carne animam viſus hominis non aſpicit, quia poſt mortem non liberat Chriſtus, quam ante mortem ad veniam gratia non reformat. ita ille.

Eccl.11. Hinc Ecclef.11. *Lignum in quocumque loco ceciderit ſiue Ad auſtrum, ſiue ad Aquilonem,ibi erit.* S. Greg. Quid ſibi vult parabola hæc? Sanct. Gregor. vbi ſupra cap.8.quia cum tempore humani caſus,ſiue ſanctus ſiue malignus ſpiritus egredientem animam clauſtra carnis acceperit in æternum, ſecum ſine vlla permutatione retinebit,vt nec exaltata ad iudicium proruat,nec merſa æternis ſupplicijs vltra ad remedium ereptionis aſcendat. ita Sanct. Gregor. qui ad rem ipſam adducit illud Pſal. 107. Pſal. 107. *quoniam in ſæculum miſericordia eius*, dicens; quia nimirum quē modò miſericordia non eripit, poſt præſens ſeculum iuſtitia addicit.ita ille. cui conſonat illud Apoſtoli. 2.Cor. 6. 2.Cor. 6. *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

PROPOSITIO XVIII.

Anima quæ à bonis operibus vacat, multa mala profert.

SIcut agricultura ſegetem optimam profert; Simile. quod ſi terra non colitur, nec ſemen recipit bonum, ſpinas ac tribulos germinat: ſic hominis cor ſi ſpirituali afficitur cultura,& bonorum operum ſemen recipit, fructum bonum refert, & ſimul ab inutilibus & nociuis herbis malorũ operum liberatur. Comparatio eſt Sancti Leonis S. Leo. Papæ ſerm. 3. de ieiunio: In dominico (inquit) agro cuius operarij ſumus, oportet nos prudenter atque vigilanter ſpiritualem exercere culturam,vt de ſanctorum operum fruge lætemur, quæ ſi pigro otio & inerti deſidia negligantur; terra noſtra nihil generoſi germinis pariet, & ſpinis ac tribulis ſubdita, non producet quæ condenda ſunt horreis, ſed quæ vrenda ſunt flammis. ille.

PROPOSITIO XIX.

Opera bona ex fide Chriſtiana promanare ſolent.

SAnct. Chryſoſt. hom. 18 In Geneſ. etiam ſi S.Chryſ. recta ſciamus dogmata fidei,vitam autem rectam negligamus, nihil proderit nobis. Quid enim vtile erit arbori quæ in ſummum ſe extendit & foliis frondet, ſi careat fructu? ſic & Chri- Simile. ſtiano nihil proderunt recta dogmata, ſi vitam ſuam non inſtituat rectè, & ideo Chriſtus ait. *Beatus qui fecerit & docuerit*: multo enim certior doctrina operum quàm ſermonum, nam qui talis eſt, etiam ſilens docere poteſt, & qui vident & audiunt, incitantur, vt glorificent Deum. ita Sanct. Chryſoſt. qui verò filium habet & bonis operibus caret, culpabilior eſt, & maiori ſupplicio dignus.Vnde 2. Pet.2. *melius erat eis non agnoſcere veritatem quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod traditum eſt illis, ſancto mandato.*

S.Ambr. Sanct. Ambroſ.2. off. 2. grauius eſt ſcire quid facias, nec feciſſe quod faciendum cognoueris.ita ille. grauius ſcilicet malum.

PROPOSITIO XX.

Vita an ſit breuis vel longa ex operibus eliciendam eſt.

SEneca de breuitate vitæ, cap. 1. Sicut opes Seneca amplæ vbi ad malum dominum peruenerint, momento diſſipantur,at quamuis modicæ fuerint, ſi bono poſſeſſori contingunt, vſu creſcunt: Sic vita noſtra bene diſponenti multum patet. ita ille. Diſponitur autem bene ætas & vita, ſi bonis operibus eam accõmodamus licet breuis illa ſit. cõſummatus enim in breui homo bonis operibus vacans impleuit tempura multa; qui autem vitioſe vitam conſumit, quamuis mille vixerit annos, inter non viuentes reputandus eſt, imo nec inter illos, quia licet fuerit, quaſi non fuerit id quod fuit in caput recidet ſuum; melius enim erat ei ſi natus non fuiſſet.

PROPOSITIO XXI.

Contra eos qui oleum & operam perdunt in operibus animæ inutilibus.

DIligentes agricolæ priùs quàm agro ſemina ſua credant, quibuſdam poculis & ſignis ex- Simile. plorant, & deprehendunt an inutiliter vel ferè inutiliter in ea ſeminent, ne ſemen & operam perdant: ſic quidem nos facere oportet ne in actionibus noſtris & oleum & operam amittamus. Expendamus prius quam ex bonis huius mundi vtilitatem capiamus, ne illa ſollicitè quærentes tandem amittamus æterna & temporalia ſimul; facilè autem inuenies, ſi attendas quàm parui momenti ſint bona tranſitoria.

Propositio XXII.

Contra eos qui quæ bona desiderant præstare, numquam ad effectum perducunt.

Simile. Apes quidem floribus delectantur, eos amant, quærunt & colligunt, sed non in eis intentio & opus earum sistit & consistit, sed ex floribus fauos & dulcissima conficiunt mella; sic & nos flores bonorum desideriorum amare debemus, sed tamen non sistere in eis, sed vlterius ad opera quæ ex bonis desideriis promanant procedere.

Oratio.

1. *Quàm efficax sit oratio ad impetrandum à Deo.*
2. *Vt à Deo exaudiatur oratio, à deuotione & affectu cordis procedat.*
3. *Quàm grata sit Deo oratio nostra.*
4. *Tempus aptum ad orandum est tempus matutinum.*
5. *Sæpe Deus præuenit orationes nostras.*
6. *Quàm accepta sit Deo oratio iustorum.*
7. *In oratione nostra collocauit Deus remedium omnium necessitatum & tentationum nostrarum.*
8. *Quàm libenter Deus exaudiat qui in tribulatione orant.*
9. *Deus omnium exauditor est, licet qui petit sit homo despectus.*
10. *Quare Deus aliquando non exaudiat.*
11. *In oratione præcipuè sunt postulanda bona spiritualia.*
12. *Quàm potens apud Deum sit oratio pænitentis.*
13. *Quàm connaturalis sit homini oratio & meditatio.*
14. *Ad obtinendum in oratione quàm prosit eleemosyna.*
15. *Oratio debet esse perseuerans.* Vide *infra propositionem* 18.
16. *Quàm honorificum nobis sit orare, & oratione consequi postulatum.*
17. *Quàm confidenter possimus orare.*
18. *Oratio debet esse assidua,* Vide *supra propositionem* 15.
19. *Peccatum magnum impedimentum est ad impetrandum.*

Propositio I.

Quàm efficax sit oratio ad impetrandum à Deo.

Exod. 32. Propter vituli adorationem Populus Israël supplicio magno dignus erat, sed tamen sic Deus noster tunc temporis Moysi loquutus est: *cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Perit hic Deus à Moyse ne petat indulgentiã Dei in populum idololatrantem, quia deprecatio iusti apud Deum valde potens est. In ea etiam causa in qua exaudiri neque Moyses dignus erat, sic interpretatur locum istum S. Greg. 9. Mor. 11. & 12. vbi ait: *Dimitte me*, ait Dominus Moysi, quasi dicat: pensa, quãtum apud me valeas & cognosce, quia obtinere poteris, quidquid pro populo tu oraueris. ita ille. Ego autem ad orationis efficaciam ostendendam hoc addam; In tantum apud Deum præualet oratio nostra, vt non solùm cum adest cum fit sed etiam quando non est & antequam fiat, eo solum quia Deus præuidet futuram, vim efficacem habeat, quod hîc videre licet; nihil petebat Moyses, sed quia Deus petiturum sciebat, præmonet dicens, *dimitte me*, quasi adhuc futura oratio iam Deum detineret, ac ligaret. O inæstimabilis orationis vis, laus, & commendatio! — S. Greg

Matt. 20. Sic Christus ad Ioannem & Iacobum primas sedes postulantes: *Non est meum dare vobis*, scilicet secundum quod homo præcisè. Bene. Sed sic respondẽs fidei deitatis suæ derogasse videtur, posset enim quis illi dicere, si non est hoc tuum, ergo tu non es Deus, Dei enim est huiusmodi sedes dare? Respondet S. Ambr. lib. de fide ad Gratianum c. 3. non metuis ne quid iuri proprio derogaret, qui nõ rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, quia noluis his quos diligebat videri, quod peterent denegasse sanctus & bonus Dominus. ita S. Ambr. Ecce quàm pronus sit ad exaudiẽdos suos Deus, quam præter eius desiderium, & ingenium denegare suis postulata. — Matth. 20. — S. Ambros.

Exod. 25. iussit Dominus Moysi collocare in tabernaculo suo in parte australi (quæ pars dextera mundi est) candelabrum, quod quidem sicuti obseruauit Iosephus lib. 2. antiq. c. 7. & 10. habebat septem calamos luminosos: mysterium quorũ aperuit nobis S. Thom. 1. 2. q. 101. art. 4. ad 6. dicens: septem calamos habebat candelabrum ad significandum septem planetas, quibus totus mundus illuminatur; & ideo ponebatur in parte Australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus. ita S. Thom. Cur autem hoc symbolũ septem planetarum poneretur in tabernaculo, timãdum nobis est; etenim septem planetæ, septem stellæ seu septẽ cœli luminaria sunt, quæ mundum hunc inferiorem gubernant; influunt enim in hæc inferiora influxus eis necessarios. tabernaculum autẽ illud locus orationis erat. Ecce igitur mysterij significatio; qui optimos cœli influxus quærit, ad orationẽ recurrat, in loco enim orationis inueniet eos, in manu dextera quippe Domini stantis inter septẽ candelabra, vidit Apostolus Ioannes septẽ stellas, qui planetarũ numerus est. Ab eo igitur cœlestes influxus, media oratione obtinere debemus. fœlicem hominem stellam habere dicere solemus, *fulano es hombre de estrella*, si vis à dextera & felici Domini manu stellam habere, vade ad tabernaculum Domini, ad locum orationis, ora & felicitatem optatam inuenies. — Exod. 25. — Ioseph. — S. Thom.

Matt. 7. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Miratur S. Aug. ser. 29. de verbis Domini secũdùm Lucam dicens: Audiuimus Dominum eundem hortatorem vt petamus & datorem cum petimus. ita ille. Quis vnquã vidit aliquem sic alios hortantem, vt ab eo petant, quod voluerint? auertentes faciem & molestè ferentes huiusmodi petitiones plures experimur, at prouocantes vt petant nequaquã; Christus autem Dominus noster nõ semel, neq; bis, sed ter dicentẽ & prouocantem nos ad petendum videmus. Tanta est bonitas eius, charitas eius, liberalitas eius. — Matt. 7.

Hinc optimam consequentiam deducit S. Aug. ibidem dicens: Dominus noster Iesus Christus — S. August.

non vtique nos tantùm hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet; erubescat ergo humana pigritia, plus vult ille nobis dare, quam nos accipere; plus vult ille misereri quam nos à miseria liberari. ita ille. petit à nobis vt Christus petamus; ergo nos illi concedimus quod petit, quando petimus aliquid ab eo; manifestum autem est quod omnes gaudent eum postulata consequuntur; gaudebit igitur Christus cum ab eo aliquid petierimus; cum ipse petat à nobis vt petamus.

Nota etiam locum Luc. 11. vbi sic Christus; *quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit, ouum numquid porriget illi scorpionem? si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonū petentibus se?*

Etenim cum beatius sit magis dare quàm accipere, absque vlla exaggerationis nota dicere valemus, Deum velle libentius dare nobis quàm nos accipere, atque adeo orationes nostras illum facilè audire, & exaudire, imò creasse nos pluribus rebus indigentes vt in nobis misericordiam suam & liberalitatem exerceret, sicut Alcuinus. asseruit Alcuinus consulium fuisse cœlo in creatione terræ, vt scilicet haberet cœlum elementum, cui virtutum suarum impressiones communicaret, *&c.*

Adeo promptus est Deus ad benefaciendum nobis, vt sæpe non requisitus à nobis desiderata Matt. 8. concedat, Matth. 8. *Cum venisset Christus trans fretum, in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam,* &c. Censes ne casu venisse Christum in terram illam, & sanasse energumenos illos? absit, non S.P. Chry. casu, sed diuino consilio factum est. Audi S. Petrum Chrysol. serm. 16. Christus, inquit, quòd transfretat maria, quòd circuit loca, non est vt videret loca, sed vt homines, qui variis casibus perierant inueniret, qui loca fecerat, quid noui inueniret in locis? aut illi quid aberat qui vbique erat, vbique videbat vt Deus, & miseros videbat, quibus ibat diuina remedia largiturus, ibat ad eorum curam quibus humana defecerat cura? & ideo venit in illam terram Gerasenorum vt afflictis miseris subueniret. ita ille. Ecce quomodo non quia rogatus, sed quia pius & misericors ad liberandos illos à dæmonibus vexatos in illam terram venit; quod si non exoratus sic miseris fauet, quid rogatus non præstabit?

Idem de cæco à natiuitate dicendum est Ioan. 19. Ioann. 19. & de resurrectione filij viduæ ciuitatis Naim.

Hinc est quod desideria nostra ita diuinam liberalitatem inclinent, vt præueniant petitiones ea nobis concedendo quæ solummodo desideramus. Psal. 9. Psal. 9 *desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Bellarm. Locum hunc sic expendit noster Cardinalis Bellarminus: Quod futurum est tamquam præteritum propter certitudinem ponit, nec dicit orationem sed desiderium, vt ostendat celerem exauditionem, quasi dicat; Deus qui corda scrutatur, non expectauit orationem, sed desiderium ipsū, quod orationem præcedere solet, exaudiet. Idem autem est desiderium & præparatio cordis, desiderium enim est præparatio ad orandum. ita ille. Vbi nota, quod licet de pauperum desiderio specialiter intelligatur, generaliter tamen eadem ratio est de cunctis qui piè & iustè aliquid desiderant, quia sæpe non expectat Deus petitionem, sed desideriis occurrit.

Adeo potens est oratio nostra ad impetrandum à Deo bona quæ postulamus, vt sæpe sententiam ab eo latam in oppositum reuocet, quod in Rege Ezechia constat Isai. 38. iam enim Isaias denuntiauerat ei mortem proximā, dicens, *hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ quia morieris tu, & non viues.* Isai. 38. Vbi nō semel, sed bis mortem futuram ex ægritudine qua laborabat annuntiauit: ipse tamen animū nō deiecit, sed spe magna in Deum, orauit Dominum flens & dicens: *obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate,* &c. nec mora, sed illico sic Dominus ad Isaiam, *dic Ezechiæ audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te & ciuitatem tuam, & protegam eam.* vide quanta sit vis orationis. Vnde merito S. Chrysost. hom. 58. in Matth. S.Chrys. nihil, inquit, est homine bene orante potentius. ita ille. Nimirum quia omnipotentis Dei decreta sic flectit. & ob id Seraphinus Firmius c. 2. orationem vocat omnipotentem, *la omnipotente, la toda poderosa.* Seraph. fir.

Num. 16. iratus Dominus aduersus populum Nu. 16. 44. suum propter duritiam cordis eorū, igne de cœlo misso, cœpit populi multitudinem inflammare & deuastare. Accurrit Aaron sacerdos, & stans inter mortuos & viuos (mortui autē iam erant plusquā quatuordecim millia hominū) orat Deum, & cessauit quassatio. Quod sic expēdit Salomon sap. 18. properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans restitit iræ & finem imposuit necessitati. Sensus communis huius loci est, cum Deus iratus in populum Israël plus quam quatuordecim millia hominum igne intermisset, *&c.* vt suprà.

Adeo quidem impetratoria est oratio, vt non solùm eam exaudire dicatur Deus, sed etiam veluti obedire. quod Saluianus obseruauit lib. Saluian. 2. de prouidentia prope initium, explicans verba illa Psal. 33. *oculi Domini super iustos & aures* Psal. 33. *eius in preces eorum.* Vide, inquit, qua benignitate agere cum suis Deum dicat scriptura; in hoc siquidem quod ait, *oculi Domini super iustos*, affectus aspicientis ostenditur; in hoc autem quod aures in precibus paratas exaudientis semper largitas demonstratur; quamuis per hoc quod dicit diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non tantum audientia, sed etiam quasi obedientia designatur. ita ille. Et quidem absolutè magis vtitur scriptura nomine obedientiæ in huiusmodi casu Iosue 10. quando in feruore Iosue 10. 16. belli contra Chananæos, orauit ad Dominum vt Solem & Lunam, detineret, quod fecit Dominus & tamen exauditionem illam vocat Scriptura Dei obedientiam, dicens, *obediente Domino voci hominis*, & tamen fuit tantum orationis exauditio; vti patet Eccles. 46. vbi de Iosoe dicente, *Sol contra Gabaon ne mouearis*, &c. Ait scriptura, *inuocauit altissimum & audiuit illum magnus & sanctus Deus*: & in eodem capite & loco Iosue 10. dicitur, locutus est Iosoe Domino, *&c.* Ita quidem supremo in immensum Imperatori, quis poterat imperare? nihilominus tamen exauditionem illam Dei vocat scriptura obedientiam, quia adeo celeriter & libenter Deus suos exaudit seruos, vt non solùm exaudire, sed etiam obedire quodammodo videatur.

Et hoc

Et hoc præsertim si animaduertis obedientem perfectu non expectare mandatũ, sed cum primũ senserit superioris nnium; aduerrit significari, ita exequitur ac si præciperetur sibi; sic inquit S.Bern. (S Bern.) ser. 9. in cantic. arbitror quòd Deus interdum nec verba expectat, sed solis cogitationibus aduocetur, ita ille. In cuius confirmationem adducit illud Isaiæ 65, *antequam clament ego exaudiam, adhuc loquentibus illis dicam ecce adsum.* Et illud ps. (Psal n. 17. Prou. 10. 14.) 9. *desiderium pauperũ exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua* Cui consonat illud Prou. 10. desiderium suum iustis dabitur. vnde merito hoc attendens exclamat S. Greg. Naz. oratione 40. in sanctum baptisma dicens: O mirã (Nazianz.) beneficentiæ celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! hoc bonũ solo voluntatis pretio emẽdum tibi proponitur, appetitionem enim ipsam Deus ingentis pretij loco habet. sitit sitire, bibere cupientibus potum præbet, & cum ab eo beneficiũ petitur beneficio id ducit, prompta & munifica est Dei natura, iucundius dat quàm alij accipiunt. ita Nazianzenus.

Gen. 3. imposuit Dominus primo parenti hoc præceptum, *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas,* &c. Interrogauit postea Euam diabolus v. 3. *Cur præcepit hoc vobis Dominus?* quasi diceret, quæ vtilitas interest in obseruatione præcepti huius, vel quæ necessitas? quodnam emolumentum Domino? quodve inconueniens ex tali esu? legitimũ quidem responsum erat: Præcepit hoc Dominus, quia Dominus noster est, sit pro ratione voluntas; nostrum autem est illi parere hac peremptoria ratione, quia Dominus est qui præcepit; quod si diuini consilij aliquam desideras rationem, accipe (S.Chrysost.) hanc S Chrysost. hom. 16. in Genes. Misericors, inquit, Deus per mandatum illud se hominis Dominum esse declarauit. ita ille Sicut qui alicui domum suam tribuit cẽsui perpetuo subiectam, census autem sit exiguus, v.g. drachmæ vnius, cur inquies, tam exiguus, quia vt dici solet *no por el huebo sino por el fuero*, vt nempe se dominum illius domus esse constet; sic Deus nollec vniuersum paradisum concessit, in censum autem perpetuum iniunxit, ex tali arbore ne comedas; cur non præceptum maioris momenti imposuit? quia intendebat se hominis Dominum declarare, & ad hoc id sufficiebat. Hoc asserit S.Chrysost.

(Idem.) Sed tamen pondera verbum illud eiusdem S. Chrysost. &c cum hoc præceptum non videatur impositum à Deo tãquam à misericorde, sed quasi à Domino, cur *misericors* hic ait? quænã enim misericordia ex tali mãdato? Sed tamen rectè sãctus, nã eo ipso, quòd Deus sit Dominus noster, sequitur benefactorem eximium nostrum esse, & erga nos miseros misericordem futurum; nõ enim Dominus ille est, sicut homines domini sunt seruorum suorum; nos enim ob nostram indigentiam & vtilitatem quærimus seruos, Deus autem vt benefaciat & misereatur eis. Ideo Dauid Ps. 110. cũ sic appellat, *misericors & miserator noster*, nõ Deus, sed Dominus; quia eo ipso quod Dominus sit, cũ sit Deus, dominatio eius nõ in aliquod Dei commodum, sed in nostrum cedit. Hinc magnam confidentiam impetrandi in orationibus nostris concipere debemus, quia illum deprecamur, qui non solum in quantum omnipotens & pius nobis fauet, sed in quantum Dominus noster est. Rectè (S.Chrys.) igitur ait S.Chrysost. misericors Deus per mandatum se hominis Dominum declarauit, & nobis id inde promittere valemus, quod sibi Dauid dicẽs, Ps. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.*

Multa quidem sunt, quæ cum Deum oramus spem obtinendi postulata nobis ingerunt, v.g. quia bonus ille sit, quia misericors, quia pius, quia clemens, quia in charitate infinitus, nimirum cum ipse ipsa charitas sit, *Deus charitas est*: ait S Ioan. Apost. magnificus etiam & liberalissimus est; omnia hæc Dei attributa spem nobis consequendi à Deo postulata ingerunt; sed quod magis hanc spem in nobis auget, est, quod Domini Dei attributa impetrationem promittunt.

(Ioan. 20.) Ioan. 20. Cum primum à mortuis resurrexit Christus dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum*; postea verò ascensurus in cœlum dixit eis, *Sedete in ciuitate & induimini virtute ex alto:* & iterum Actor 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu non post multos hos dies.* Quid hoc? Si iam Spiritum sanctum dederat eis, ad quid iterum promittit Spiritum sanctum? Huius responsio pendet ex quadam expositione Theophylacti in hunc vltimum locum (Theoph.) Actor. 1. vbi ait: dictio *baptizari* id est imbui, tingi, & perfundi, abundantiam, & diuitias communicationis & participationis Spiritus sancti significat; significatur ergo, quod si etiam dictum erat Apostolis, cum à mortuis Christus resurrexerat, *accipite Spiritum sanctum*, etiam illos Spiritum sanctum accepisse; sed ibi *accepisse* tantum dictum est, hic verò *baptizabimini, seu perfundemini*, vt diuitias muneris significaret, quod dedit illis postquam ad Patrem ascendit. ita ille.

Sed dices cur prima vice baptismum illud & abundantiam Spiritus sancti non exhibuit, sed expectauit vsque ad Pentecostem? Ratio in promptu est, quia abundantiam illam voluit Christus Apostolos obtinere, orationibus, suspiriis, desideriis accensis, & lachrymis deuotis, sicut vere orantibus illis simul Spiritus sanctus super illos descendit. quò nos Christus moneret huiusmodi dona magna & precipua diuini Spiritus orationibus & affectibus sanctis acquirenda esse a nobis, sicut famuli Regis licet communia dona facilè à Rege obtineant; magna verò & specialia, specialibus obsequiis acquirunt, &c.

(Sueton.) Suetonius in vita Titi Vespasiani, admonitus Vespasian ab amicis, quòd nimia prætereà... daret: Non oportet, respondit, quemquam à Cæsaris colloquio discedere tristem. ita ille. Quanto igitur minus à colloquio Dei omnipotentis, cui propriũ est misereri & parcere, & bona sua communicare, cum eius communicatio sit, velut communicatio solis, qui quantumuis lumen suum communicet, nihil amittit, & in huius comparatione, omnes Reges & Imperatores ita sunt quasi non (Simile.) sint.

Vnde Dauid Ps. 5. *quoniã ad te orabo Domine, &* (Psal 5. 3.) *mane exaudies orationem meã.* nota causalẽ *quoniã*: id est ea ratione confido te exauditurũ orationem meã quia orabo: nõ ait, quia tu bonus & misericors es, hoc cum planum est, & radix primæ exauditionis, sed quia cum ita bonus & pius sis vt sufficiat à te aliquid nos postulare, vt certam inde exauditionem nobis promittere valeamus, ita vt non nobis opus absolutè sit orationi nostræ ... iũgere deprecatores vel lachrymas multas, & eo quod apud Deum plurimum valeat iusti deprecatio, vel etiam peccatoris volentis conuerti; non decet enim à Cæsarea illa & diuina maiestate recedere tristem & vacuum deprecatorem.

(S Aug.) Mat. 7. *petite & accipietis*, S. August. ser 5. de verbis Domini secundum Mat. in hæc verba, qui hortatus vt petas, negabit quod petis? ita ille

PROPOSITIO II.

Vt à Deo exaudiatur oratio, à deuotione & affectu cordis procedat.

Psal. 3. PSal. 3. *voce mea ad Dominum clamaui & exaudiuit me.* Numquid Dauid vociferabatur clamoribus ad Deû vt exaudiri posset? hoc enim fieri solet eum ad sursum, vel ad longè separatum & distantem loqui solemus, Deus autem nec absens nec surdus est, quomodo ergo clamabat? affectu quidem & desiderio magno. Sic interpretatur locû

S. Basil. hunc S. Basil. in scholiis huius Psal. dicens: Vocem & clamorem hîc non debemus de vociferatione, sed de animæ desiderio intelligere; nã & sic Moysi taccnti dixit Deus, *quid clamas ad me?* silentium illius clamorem nominans, propter sedulam mentis ipsius precationem. ita ille.

Exod. 14. Exod. 14. quid est quod in silentio orans Moyses audiuit à Domino, *quid clamas ad me?* taces ipse,

S. Bern. & *clamas ad me?*, ait Dominus. respondet S. Bern. ser. 16 in Psal. 90. *qui habitat.* in Dei auribus desiderium vehemens clamor magnus est; & hine est quod Moyses fotis tacens intus auditur, dicente Domino, *quid clamas ad me?* ita S. Bernard.

Mat. 6. sic Dominus ad discipulos suos: *Sic vos orabitis: Pater noster qui es in cælis*, cur ait *in cælis*,

Idem. cû Deus sit vbiq; ? S. Bern. ser. 16. super Ps. 90 exponens verba illa, *clamabit ad me, & ego exaudiam eum*, vt clamãdû sibi nouerit homo inter primordia suæ orationis, ipsum, quem oraturus est Patrẽ in cœlis esse admonetur, eo quod impetu quodam spiritus illuc sibi iaculandam esse meminerit orationem, spiritus est enim Deus & in spiritu eum necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desi-

Simile. derat peruenire; emissa autem oratio quando penetrabit nubes, quando audietur in cœlo? ita ille. habuit se igitur Christus in hoc ad modum hominis, qui à loquente cum ipso distat, qui vt audiat oportet exaltare vocem illum qui aliquid petit ab eo. vt hac periphrasi vocẽ orantis seu affectû vehementem & valdè deuotum doceat esse debere.

PROPOSITIO III.

Quàm grata sit Deo oratio nostra.

A Deo quidem grata Deo oratio nostra est, vt propterea in tribulationes & miserias nos incidere permittat, vt afflictione constricti ad exigendum à Deo fauorẽ & misericordiã conuer-

Theod. tamur. Quærit Theodor. q. 15. in Genes. cur Deus bestias, feras & reptilia venenata produxerit: si enim animalia nostri causa creauit, cur quæ nociua sic sunt pariter produxit; Respond. Theod. ibi cum Deus animaduertisset nos ad ignauiam procliues, bestias condidit & reptilia veluti lora quædam & terriculamẽta, vt per ea nos terrens trahetet ad se, ac eius auxilium imploraremus. ita ille. vbi nota

Simile. similitudinem quam tangit de loris, & terriculamentis; alludit quidẽ ad pueros, parens siquidem cum pueros ad se trahere vult, lora & terriculamenta fingit eminus, vt territus puer ad parentis auxilium recurrat; sic nimirum Deus eum nos à se alienos videt, vt ad se nos alliciat, labores, & tribulationes immittit, vel permittit. Vide quam sit amãs huiusmodi ad eû recurs⁹, & orationis nostræ.

Luc. 2. postquã beatissima virgo Maria ab Angelo audiuit se in Dei matrem electam esse dixit: *fiat mihi secũdum verbum tuum.* Quæ verba, (vti expli-

S. Bern. cat S. Bern. ho. 4 *super missus est*) orantis sunt, quasi diceret, peto à Domino & humiliter ab eo deprecor, vt fiat in me quod tu mihi dixisti. At, inquies, iam Deus per Angelum ei pollicitus erat, se ex ea carnem assumpturum, & iam eam dixit in Dei matrẽ electam esse. Quid igitur opus erat id postulare? aptius quidem videbatur gratias tunc agere, quàm petere iam concessum. Respondet S. Bern. ibid. vult à se requiri Deus etiam quod pollicetur, & ideo forte multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur. ita S. Bernard.

Psal. 2 ita Deus Pater Christo filio suo: *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatẽ tuam.* Quæ verba

Bellarm. sic explicat Cardin. Bellarminus; Iure potes fili mi à me petere imperium in omnes gentes tanquam hereditatem tuam, & possessionem debitam tibi, ita ille. Si ergo hæreditas iã Christi erat, quid opus erat eam à Patre postulare? nimirum, quia oratio adeo illi grata est, vt etiam filius possessionem sibi debitam, postulatione & oratione exoretur à Patre.

Isaiæ 56. & Mat. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Cur non potius domus adorationis quàm orationis? licet oratio actus sit religionis sicut adoratio, altior enim videtur actus adorationis quàm orationis, oratio enim commodum exauditionis includit, adoratio verò purius Deum respicere videtur; cur ergo non potius domus adorationis vocatur, cum templum ad adorandum in eo Deum sit quoque institutum? Isaiæ. 56. Mat. 21.

Ratio in promptu est, quia adoratio in hoc consistit vt nos Deum veneremur, & Deus recipiat à nobis huiusmodi reuerentiam, & in hoc cõsistit, & sistit; oratio verò licet à nobis sit, nõ in nobis sistit, nec solum consistit in hoc quod Deus recipiat cultum orationis nostræ: sed vlterius pergit vt scilicet Deus misereatur nostri, & postulata donet, beatius est dare quã accipere. In adoratione ergo recipit Deus, in oratione verò donat, & misetetur, & exercet suã diuinã misericordiam, *tiene Dios libradas sus grandes y muchas misericordias en nostra oracion, y en ella exercita el attributo infinito y proprissimo de su misericordia.* Deus cui proprium est misereri semper & parcere, & eum ad hoc ordinctur oratio & non ita adoratio, non mirum si domum suam non adorationis, sed orationis voluerit appellari.

In huius confirmationem valde notandi sunt duo loci diuinæ scripturæ. Primus est Exod. 32. Exod. 32. vbi populus Israël vitulũ aureum in Deum suum erexit, & adorauit, & ob eam causam Deus sic ad Moysem: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos* Cui Moyses: *Quiescat Domine ira tua & esto placabilis super nequitia populi tui.* Quid igitur ad hanc orationem Deus? *Placatus* (inquit textus sacer) *est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Ecce hic orationem & adorationem quasi contendentes inter se, adoratio enim exigebat iustitiam, quia aduersus eam adorauetant vitulum; oratio verò postulabat misericordiam, & Deus in fauorem misericordiæ protulit sententiam, quia sic proprium illi est misereri semper & parcere.

Sed nunc secundum scripturæ locum obserua 3. Reg. 17. vbi Elias cœlum clausit ne plueret 3. Reg. 17. super terram per annos tres & menses sex

Deo

Deoilli hoc concedente, quia orauit sic fieri, vt ait S.Iacob c.5. *oratione orauit vt non plueret*, &c. Ad quem Dominus post tempus illud (misertus super miseriam populi sui) dixit 3. Reg. 18 *vade, & ostende te Acab, vt dem pluuiam super faciem terræ.* Aduerte, quæso, in vtroque loco videmus hominem à Deo petiuisse, & Deum ab homine; in primo enim Moyses petiuit à Deo & obtinuit, Deus verò petiuit à Moyse & non obtinuit; in secundo casu Deus petiuit ab Elia & factum est quod petiuit, & quod Elias petierat à Deo cessauit. Cur ita? quia in primo casu Moyses petiit à Deo misericordiam, Deus verò iustitiæ executionem non impediri à Moyse petebat; dicens. *Dimitte me vt irascatur furor meus*, ideoque factum est quod Moyses petebat à Deo, & non quod Deus à Moyse; in secundo verò casu Elias iustitiam à Deo petiit, & ideo cessauit eius voluntas, & Deus misericordiæ executionem petebat ab Elia dicens, *vade, ostende te Acab vt dem pluuiam*, &c. Et ita factum est. Pondera igitur quantus sit Deus, ad orationes nostras exaudiendas vt misereatur, vt cum ipse petit ab homine iustitiam, si homo petit misericordiam, præfert petitionem hominis petitioni suæ, non verò cum homo petit ab eo iustitiam, & Deus ab homine misericordiam, quamuis prima fronte semper Dei petitio maximè ab homine præferenda esse videretur. Ideo ergo Deus domum suam domum orationis plusquàm adorationis esse voluit.

Propositio IV.

Tempus aptum ad orandum est tempus matutinum.

Gen. 4.4. R*Espexit Dominus ad Abel & munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Cur ita? nonne Cain ex fructibus terræ obtulit munera Deo sicut Abel ex ouibus suis? S. Chrysostom. hom. 18. in Genes. respexit, inquit, Dominus ad Abel & ad munera eius, quia pretiosa erant; tum ob mentem eius qui obtulerat, tum quod primogenita erant ex optimis optima, *eran las primicias y lo mejor del ganado*; non sic Cain, & ideo non sic respexit & approbauit munera eius. Primitiæ diei, & pars potior eius est principium ipsius diei, hoc Deo dicare debemus orando & meditando, hoc enim gratissimum est, &c. Ad idem spectat quod asserit S. Ambros. in Psal. 35. quia Abel statim, Cain autem non nisi post multos dies obtulit sacrificium, ita ille. Primordia igitur nostra amat Deus, primordia igitur illi offeramus diei.

S.Chrys.

S. Ambr.

Propositio V.

Sæpe Deus preuenit orationes nostras.

Psal. 56.3. P*Sal. 56. clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi*; ad Deum qui in altissimo sedet throno: quod si ab eo quæras qua fiducia ad eum clamans speras te ab eo misericordiam consequuturum; respondet, clamo enim ad eum qui benefecit mihi, etiam cum eum non inuocarem. vbi S.Hieron. sic locum expendit. Nata est experimento fiducia, *Deus*, inquit, *qui benefecit mihi*, clamantem me non exaudiet? ita S. Hieron. quis nostrum à Dei misericordia non sæpe præuentus est? quod si præuenit Deus peccatorem misericordia sua, hoc est cum nihil à Deo postulat, quomodo non exaudiet humiliter à Deo misericordiam petentem?

Propositio VI.

Quàm accepta sit Deo oratio iustorum.

SAnct. Chrysost. tom. 1. ser. de Helia ad finem, clauis cœli erat sermo Heliæ, iubet enim & clauditur cœlum, orat postmodum & aperitur. ita ille. Sed cur ita? numquid ideo solùm vt meritum Heliæ inde constaret? subdit S. Chrysost. vt inde iustum monstraret non solum posse quod vult in terris, sed etiam in cœlestibus posse imperare quod petit. ita S. Chrysost. S.Chrys.

S. Chrys.

Luc. 18. posuit Dominus parabolam de homine, qui habebat ficulneam infructuosam in vinea sua, & dixit colono: *succide illam, vt quid etiam terram occupat?* pro qua intercessit colonus dicens, *dimitte illam & hoc anno*, &c. Quid hæc ficulnea figurat? quisnam est colonus iste? S. Aug. serm. 31. de verbis Domini, per ficulneam infructuosam hominem in peccato mortali existentem intelligit; & meritò, quamuis enim tradiderit corpus ita vt ardeat, & omnia bona sua pauperibus dederit, si tamen in mortali extiterit, vti ait Apost. 1. ad Cor. 13. nihil illi ad meritum gloriæ prodest. De colono autem sic ibi S. August. colonus qui intercedit, est omnis sanctus, qui in Ecclesia orat dicens, parce Domine infructuosis, parce Domine peccatoribus: ita S. August. & hinc constat, quàm vtiles iusti peccatoribus fiot, & quomodo ab eis petere debeant peccatores, vt pro eis orent, nam vti ait S. Iacob, multum valet oratio Iusti assidua. S.August.

Gen. 19. Genes. 19 volens Deus destruere regionem Sodomorum & nihilominus liberare iustum Lot, dixit ei, *in monte saluum te fac.* Cui Lot *est ciuitas hic iuxta* (scilicet Segor) *ad quam possum fugere & saluabor in ea*; & Dominus ad eum, *ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua loqutus es, festina & saluare ibi.* vbi Abulensis: Si non rogasset Lot pro ciuitate Segor, Deus eam subuertisset, sed ciuitatem illam, quam euersurus erat, non destruendam disposuit, Lot enim pro ea rogaturum præsciuerat. ita ille. Vide quantum apud Deum oratio valeat iusti, vniuersis pessimis illis qui in ciuitate illa degebant, pepercit propter vnicam & simplicem iusti orationem. Abulensis.

Propositio VII.

In oratione nostra collocauit Dominus remedium omnium necessitatum & tentationum nostrarum.

CVr quæso Deus cum magnificentissimus sit, orationes nostras expectat, cum præuenire eas possit? S.Chrysost. hom. 23. in Matt. sic respondet; vt assiduitate poscendi ei familiares reddamur. ita ille. Nimirum, ait enim ipse, *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, (*y sabe que nos otros somos tan esquiuos y desamorados que sino es compelidos con necessidades apenas acudimos à conuersar con su majestad.*) S.Chrysost

Psal. 17. *Qui docet manus ad prælium* &c. Quonam pacto? S.Basil. dum enim illas ad precandū in-

S. Basil. tentationibus exeodo, inimicos vinco. ita S. Basil. sic igitur in omnibus necessitatibus in oratione Deus remedia collocauit maximè verò in tentationibus, ille rectè pugnabit & fœliciter vincet, qui ad eum confugit.

Iob 7. *Militia est vita hominis super terram*, vel sicut ex originali Hebræo alij legunt, *tentatio est vita hominis super terram*. Ponderans verba S. Bern. hæc S. Bernard. serm. 5. super Psal. 90. *qui habitat*, &c. Ait: si tot tentationibus plena est vita nostra, vt non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari, pervigili circunspectione opus est & oratione, na inducamur in eam, vnde & illud est in oratione Dominica, *& ne nos inducas in tentationem*. ita S. Bernard.

Et eaptopter Christus Dominus tempore passionis suæ Marci. 14. sic ad Apostolos: *vigilate & orate ne intretis in tentationem*. Et conuersus ad Petrum Luc. 22. *ecce*, inquit, *Satanas expetiuit vos*, [*os harestado y desafiado delante de Dios*,] Et subdit: *ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quasi dicat, remedium ad tentationes superandas oratio est.

Oranti autem auxilium & gratiam ad vincendum promisit Deus, adimplebit igitur quod promisit. Audi Dauidem Psal. 9. *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis*, &c. Quodnam est scutum hoc, quod Deus promittit sperantibus in eum? Hugo. Cardin. Hugo Cardin. scutum ait esse patientiæ, glossa verò misericordiæ. S. Bern. serm. 5. in Psal. *qui habitat*, gratiæ & auxilij Dei quo protegit nos in tentationibus nostris; veritas autem sumitur hîc secundum Cassiodorum pro Christo qui de se dixit, *Ego sum veritas*. Hugo Cardinal & S. Bern. S. Bern. vbi suprà pro ipsa Dei veritate quæ nec decipi, nec decipere potest in hoc quod affirmat Deus & promittit. Hoc igitur scuto gratiæ & protectionis suæ defendit nos verè Deus in tentatione, vt ait S. Hieron. S. Hieron. eodem loco, dicens: Circundat nos Deus scuto suæ protectionis, ne ardentibus sagittis diaboli percutiamur. ita S. Hier. Superest videre, cur protectio hæc diuina scuto S. Bernard. comparetur. S. Bernard. vbi suprà sic respondet; non incongruè scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, vt caput humerosque custodiat, in inferiori verò parte strictiùs vt minus oneret, maximè quod graciliores sint tibiæ, nec tam facilè vulnerentur, sed nec adeo periculosum sit in illis Simile. partibus vulnerari. Sic omnino sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est carnem, magnam (vt ita dixerim) strictitatem atque penuriam rerum temporalium donat, quia non vult nos earum multitudine prægrauari, sed vt *victum & vestitum habentes*, sicut ait Apost. *his contenti sumus*; in superioribus verò ampliorem gratitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis: sic enim habes, *primum quærite regnum Dei & iustitiam eius & omnia adiicientur vobis*, de victu vtique dixit & vestitu, vnde dixerat sollicitos esse nos debere, ita S. Bernard. Constat igitur quàm necessaria sit oratio ad tentationes assiduas superandas. Sicut enim qui sine scuto certat, valde expositus est vulneribus temporalibus: sic etiam in militia spirituali exposita est anima vulneribus spiritualibus sine auxilio Dei, quod quidem indubitanter oratione consequemur.

Matth. 4. *Vidit Deus duos fratres Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius*, &c. *Et vocauit eos*; cur hos potius quam alios è populo illo vocauit Dominus? omissis aliis rationibus, quandam mysticam ex nominibus eorum assignat S. Paschas. in hunc locum dicens: Iacobus *supplantator* interpretatur, Ioannes verò *Dei gratia*, S. Paschas. in Latina lingua ex Græco sonat, quia nimirum quilibet supplantator positus in agone vitiorum, non nisi per gratiam valet quasi ex acie fraterna subuertere hostem, & vitia cum eorum authore nequeunt absque Dei gratia superari. ita ille. Hinc constat necessitas orationis, ad quam spectat gratiam Dei impetrare. Si enim luctari cum vitiis & concupiscentiis, & dæmonibus debemus, & vires nobis non suppetunt sine Dei gratia, oportet nos instáter orare ne in tentationẽ incidamus.

Matth. 14. iussu Christi Domini ambulauit Petrus Apost. super aquas maris, *videns verò ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac*. Cur quæso cœpit mergi, cum iam à Domino ambulandi super fluctus maris potestatem à Domino accepisset? S. August. serm. 14. de ver. Matth. non ambularet Petrus super mare nisi crederet, sed nec S. August. mergeretur nisi dubitaret, clamauit ad Christum; ita si nos aliquis tentationis ventus conatur subuertere, clamemus ad Christum, eriget ille manum, & eruet de profundo. ita S. Aug.

S. Bernard. hom. 4. *super missus est*, vult à se requiri Deus etiam quod pollicetur. ita ille. S. Bern. At dices, si pollicitus est, infallibiliter donabit; ad quid igitur oratio? ad hoc quidem vt ita ei placeamus, amat enim nostras orationes.

Propositio VIII.

Quàm libenter Deus exaudiat eos qui in tribulatione orant.

ECcles. 38. *Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum & curabit te*. Eccl. 38. Quem locum aliqui de infirmitate corporali, alij de spirituali interpretantur; de vtraque verò intelligi potest, & etiam de quauis aduersitate, in qua homines languido esse animo solent.

Vnde Dauid Psal. 101. *respexit* (Deus nempe) Psal. 101. *in orationem humilium, & non spreuit preces eorum*. Genebr. in hoc loco cum aliis linguæ Hebrææ peritis, ait posse pro *humilium*, *cicadæ* conuerti, vt dicat, respexit Deus in orationem cicadæ. Simile. Sed explicandum restat quomodo Deus in orationem cicadæ respiciat; enim cum cicada tunc præcipuè cantum edit cum media æstate ardente sole torretur, quo videtur velut afflicta æstu gemere. Vnde Virgil. lib. 3. Georg. ait de cicada, Virgil. *& cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ*. Tunc igitur Deus audit orationem cicadæ cum audit eum, qui æstu tribulationis vexatur; is ergo qui tribulatur, magna spe ad Deum confugiat, quia Deus qui misericordiæ infinitæ est & simul omnipotens, libenter audit & exaudit in tribulatione constitutos. *In tribulatione*, ait Dauid *dilatasti mihi*. Quid est, *dilatasti mihi*? S. Aug. id est ab angustiis tristitiæ in latitudinẽ gaudiorũ deduxisti me.

Marci 14. Sic Christus in horto ad Patrem: Mar. 14. 35. *Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu*. Cur Christus Dominus sic orabat sciens voluntatem Patris esse, quod calicem illum epotaret? Etenim ita orabat, non quia ignorabat voluntatem patris, nec quod futurum esset, sed vt nos in tribulatione positos doceret duo; primũ vt remedium tribulationũ sub conditione postulemus, quia

quia nescimos an magis expediat nobis tribulari an tribulatione carera; secundum est, vt in tali oratione Deum appellemus Patrem, imò bis Patrem, *Abba Pater*, ait Christus Dominus. *Abba* autem idem est quod *Pater* apud Syros. Cur, inquis, magis Patrem quàm Dominum vel Deum? quia nomen patris potens est valde ad commulcendum & commouendum ad pietatam viscers Dei.

Cum jamjam Abraham in holocaustum filium Isaac vellet offerre, sic Isaac. Genes. 22. *Pater mi, vbi est victima sacrificij?* Ponderat verba ista Sanct. Chrysost. hom. 47. in Genes. sufficiabat hoc verbum *Pater* ad lancinanda viscera Abrahæ. Considera obsecro hic quomodo probatur iustus, quomodo tulit auribus, quomodo respondere potuit filio, quo modo non est mente confusus. ita Sanct. Chrysost. id est, *en tal occasion llamarle padre fue bastanta; no solo para enteme zerle el coraz on sino para resgalle las entranas paternales de dolor*, adeo potens est nomen Patris à filio prolatum in tempore tribulationis. S. Chrys.

Hine est quod filius ille prodigus, quamtumuis prodigus & ex auditione indignus, sub nomine Patris spem veniæ tantorum peccatorum collocauit & obtinuit. Audi S. Chrysol. serm. 2. de duobus filij: vrgentur Patris viscera iterum filium genitura per viam. ita ille. Sic igitur si vis pietatis Dei viscera permulcere & remedium efficax tuis aduersitatibus adhibere, voca & dic, *Abba Pater miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam*; etenim impossibile videtur quin pietas illa immensa ad exaudiendum non flectatur. Ideo ergo in oratione dominica à nomine Patris incboauit; sciebat enim efficaciam nominis huius ad impetrandum, & denique ea propter in cruce orans pro inimicis dixit: *pater ignosce illis.* Videbat grauitatem peccati crucifigentium se, & ideo vsus est nomine Patris, vt nos in rebus arduis orare disceremus. S. Petrus Chrysol.

Propositio IX.

Deus omnium exauditor est, licet qui petit sit homo despectus.

Psal. 101. PSal. 101. Dauid sic de Deo, *respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum*: vbi nomine *humilium* non intelligit eos qui humilitatis virtute præditi sunt, sed eos qui in mundo abiecti & despecti habentur, quales sunt serui emptitij, & captiui pauperes, & alij huiusmodi, quod in originali Hebræo constat, in quo sic habetur, *eorum qui sunt sicut myrica*; ita legunt Paginus, Vatablus & Genebrardus. Mytica autem herba est, quæ in multis desertis oritur & symbolum est ad id qood humile & abiectum & nollius pretij est; notandusque vt notat noster Zerda super Virgil. Egloga. 4. versus ille. *Non omnes arbusta iuuant humilesque myricæ*. Ait ergo Dauid, respexit Deus orationem eorum, qui sunt inter homines despecti, & quasi pro nihilo habiti. Dixerat paulò ante, *timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam*, qua maiestate sic magnificata poterant pauperes & contempti existimare nullum sibi aditum superesse ad deprecandum Deum, nec sibi licere talem ac tantam maiestatem etiam à Regibus extimescendam conuenire, & ne tam immensæ clementiæ, pietati, & bonitati Dei notam imponeret, rectè Genebrar. subdit; *respexit in orationem humilium*, quasi dicat; Reges gentium dominantur earum & pauperibus & abiectis ad eos accessus non patet; sed non sic Deus noster non sic, sed omnium exauditor est, quia omnium creator est, &c. quod non exiguæ consolationis exiguis & pauperibus est.

Propositio X.

Quare Deus aliquando non exaudiat.

MAt. 8. *ecce leprosus veniens adorabat Iesum dicens: Domine si vis potes me mundare.* Cur non absolutè postulauit sanitatem, dicens, Domine scio posse te mandare me, & ideo peto vt à lepra liberes me, sed sub conditione dixit, *si vis*, &c. S. Chrysost. hom. 21. operis imperfecti, non de volontate Christi dubitauit, sed de iudicio voluntatis; Christus enim cum sit bonus, nociua nō vult præstare, etiam si rogetur: neque enim omnibus expedit integritas corporalis. Quia ergo nesciebat an expediret ei curatio illa, dixit: *si vis potes*. ita S. Chrysost. Math. 8. S Chrys.

Psal. 9. *factus est Deus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Aduersa multa patiebatur Dauid, sciens autem Deum piè inuocatum fauere tribulatis, ad eum accurrebat, non tamen semper statim exaudiebatur; fatetur tamen se tandem exauditum fuisse. Sed quare non statim huic tacitæ objectioni respondet, *adiutor est in opportunitatibus?* quid est *in opportunitatibus?* Sanct. Basil in scholiis, hoc est in tempora tempestiuo adiuuat; opportunitatem duplicem dicit, quod & adiuuet & in tempore. ita ille. Quare si inuocatus à te moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Sicut non tardat medicus dare aquam ægroto sitienti & postulanti eam cum expectat febris declinationem, quia antea non erat tempus opportunum, sic Deus, &c. Vnde merito addit ibi Dauid, *& sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Quodnam est hoc *nomen* propter quod sperare in Deo debeamus? iam supra proximè dixerat, *adiutor in opportunitatibus*, qui talem esse Dominum nouerunt, quomodo non cum spe magna exauditionis deprecabuntur? sic S. Basil. 61. qui nouerunt, inquit, subsidium & auxilium tuum Domine, satis validam habent anchoram, spem scilicet in te fundatam. ita S. Basil. Denique ait, *non est oblitus clamorem pauperum*, vbi S. Basil. significat pauperes clamasse assiduè & non esse factos mox in initio voti compotes. ita ille. non tamen ideo esse oblitum Deum, sed congruum expectare tempus auxilij. S.Basil.

Luc. 6. sic Christus Dominus ad quendam, *sequere me.* ille autem dixit, *Domine permitte mihi primùm ire sepelire patrem meum; dixitque illi Iesus, sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuntia verbum Dei.* Cur Dominus piam hanc sepeliendi Patrem deprecationem non exaudiuit? S. Aug. serm. de verbis Domini secundum Mat. circa principium, piè quidem vocatus ille excusauit, & ideo dignior cuius excusatione moueretur, vocatio firmaretur. ita Sanct. Aug. Etenim si pia non fuisset excusatio, iratus Dominus illi forte postulatū concessisset, sed quia pia erat, piè negauit Dominus, quod nō ita pie annuisset priuādo illū maiori bono Euangelici muneris. Luc 6. S.August.

Cant. 5. Cant. 5. sic sponsa Christi, *quæsiui & non inueni illum, vocaui & non respondit mihi.* Quid est quod Dominus hortatur nos quærere & postulare, dicens Mat. 7. *petite & accipietis, quærite & inuenietis*; & tamen à sua anima quæsitus & requisitus recessit, ita vt per vicos & plateas non sine magno

S. Gregor. dispendio quæsierit illum? Respondet S. Gregor. 5. Mor. 3. Absondit se sponsus cum quæritur vt non inuentus ardentiùs quæratur. ita ille. quod ex eadem sponsa Christi facilè constat, quæ c. 3. Cantic. amiserat sponsum & quæsitum inuenit, & tunc dixit, *inueni quem diligit anima mea, tenui nec dimittam*; quasi dicat *afse que no se me vaya otra vez*: Ecce ex amissione illa sponsi, quam ingens affectus quærendi & retinendi Christum excitatus fuit in pectore sponsæ.

Propositio XI.

In oratione præcipuè sunt postulanda bona spiritualia.

AVarum genus humanum temporalia potiùs quàm spiritualia bona desiderat, quærit & postular à Deo; venit ad nos filius Dei & mundua eum non recepit sed abiecit, *nolumus*, dicebant, *hunc regnare super nos.* Cur ita? nonne videris miracula quæ operatur, sapientiam quam docet, æterna bona quæ promittit, quique peccata dimittit? Respondet S. Chrysost. hom. 2. in acta

S. Petrus Chrysol. Apostol. *Messiam quærebant qui eos ditaret, non qui animas saluare posset.* ita ille. *Quærite primùm regnum Dei*, aiebat Christus, illi verò non primùm regnum Dei, sed opes terræ volebant. Eadem ergo ratione mundi & sæculi huius filij in oratione maiori feruore terrena postulant, quàm æterna.

Propositio XII.

Quàm potens apud Deum sit oratio pœnitentis.

S.Ambrof. SAnct. Ambr. lib. 6. examerou inquirit, cur Deus genua facilè flexibilia dedit homini, & non adeo inflexibilia qualia Camelus habet? & respondet, fecit Deus hominem flexibilem genu quo Domini mitigaret offensam, & ita eius mulceretur & gratia prouocaretur. ita ille. Etenim tanta est diuina clementia, vt quamuis quis peccator sit, si humiliatis genibus & flexis in terra veniam petat, habitum illum humilem attendens facilè postulatam concedat veniam, vti patet in

Luc. 18. parabola Pharisæi & Publicani Luc. 18. vbi Publicanus non audens oculos in cœlum leuare, humiliter veniam peccatorum postulans veniam impetrauit; imò pessimus Rex Israël Acab, qui aliquando supplicia Dei timens humiliatus demisso capite cœpit agere aliqualem pœnitentiam & tunc Dominus sic ad Eliam, *nonne vidisti humiliatum Acab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Item & Magdalena stans retro secus pedes Domini, & vt ex factis eius colligitur, genuflexa, nam Christus accumbebat & illa pedes eius lachrymis rigans, capillis suis tergebat, &c. efficaciter remissionem peccatorum etiam impetrauit. Ecce quam apud Deum valeat humilis pœnitentia.

S. Ambr. Ideo igitur ait Sanct. Ambrof. ideo flexibilia dedisse Dominum genua nobis.

Gen. 21. Genes. 21. eiecit Abraham è domo sua Ismaëlem cum matre sua Agar, & cum per quandam solitudinem transirent deficiente aqua defecerunt vires Ismaël, de quo scriptura subdit, *Exaudiuit autem Deus vocem pueri*, &c. Innuit scriptura orasse pro se Dominum & Dominum exaudisse, ac illi aquam exhibuisse. Ponderat Lyranus ibi exauditionem istam, qua indignus videbatur Ismaël, ob illa peccata propter quæ è domo Abrahæ erat eiectus, & ait: Ismaël iam erat viginti annorum, & ideo videns se in periculo mortis de malis suis præteritis doluit, & Dominum rogauit pro vita sua, & exauditus fuit. ita ille. Vide quàm prosit orationi pœnitentia. Nota quantum conducat peccatori tribulatio. Ismaël inter delitias paternas peccauerat, positus autem in tribulatione prædicta pœnitentiam egit, & sic exauditus à Deo mortem euasit. Idem de bono latrone.

Propositio XIII.

Quàm connaturalis sit homini oratio & meditatio.

INquirit S. Ambrof. lib. 6. exam. c. penultimo, cur Deus non fecerit hominem quadrupedem, sicut reliqua terrestria animalia; siquidem & homo animal est terrestre. Et respondet, recti quidem sunt duo & non quatuor hominis pedes, quia cum quaterni sint feris & belluis pedes, auibus tantùm bini; & ideo quasi vnus de volatilibus est homo, qui alta visu petat & quodam remigio volitet sublimium cogitationum, & ideo de illo dictum est, *renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*, eo quod propior sit cælestibus & sublimior Aquilis, qui dicere possit, *nostra conuersatio in cælis est.* ita S. Ambrof. S. Ambrof.

Hinc est quod valde alienum sit ab homine sollicitum esse erga temporalia bona, cum ad cœlestia sit à Domino procreatus. Homini in terra proelini, rectè ait Psal. 48. *homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* In honore creauit Deus hominem, quia ad cœlestia meditanda & consequenda eum fecit, sed ipse velut quadrupedia ad terrena demissus, similis factus est illis; quibus merito S. Petrus Chrysol. *multum inuidet sibi qui ad cœlestia vocatus terrena quærit.* ita ille Pondera verba illa, *inuidet sibi*; quomodo quis sibi potest inuidere? inuidia est cum quis vel lætatur in damnis proximi, vel de bonis eius tristatur, sibi optans bonum quod in proximo videt; cur igitur dixit, *multum inuidet sibi*, &c. rectè quidem, quod similitudine explicabo; habet Rex in domo sua aliquem sibi valde familiarem, quem plusquam cæteros amat & benefacit, amplius inuidentes ei alij, omnem curam adhibent, vt eum ab oculis Regis amoueant, atque adeo vt Rex illum ad aliquam promoueat dignitatem extra curiam, vt hoc pacto in obliuionem Regis cadat, & non amplius ita gratia apud eum valeat, totum hoc inuidia magna est; sic ergo qui ad cœlestia bona creatus, se ipsum ad terrena diuertit, & dimittit, sibimet inuidet: quid enim aliud curat diabolus inuidia sua quàm hoc, &c. Meritò ergo ait S. Chrysol. *multum inuidet sibi, qui ad cœlestia vocatus terrena quærit.* S. Petrus Chrysol. Simile.

Propo

PROPOSITIO XIV.

Ad obtinendum in oratione quàm prosit eleemosyna.

EXod. 23. & 34. sic Dominus ad populum Israël: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, hoc est, cum veneris in templum meum, ad orandum non venias sine aliquo dono seu oblatione: quis non miretur audiens Deum ab hominibus postulantem dona? cum sit ipse à quo bona cuncta procedunt,& extra se nullius egens? Cur igitur id poscit? S. Chrysost. hom.1. in 2. Epist.ad Timor. Iudæis hoc dicebatur, quanto magis nobis? ideirco pauperes ante fores templi stant vt nemo vacuus ingrediatur, vt misericordia comite, innocat securus; intras vt misericordiam consequaris. prior ipse miserere,qui enim prius accipit, amplius debet; nam cum incipimus nos dare,secundus amplius facit; fac debitorem Deum,& ita demum ab eo exige; fænetare primò, & tunc repete, vt cum vsura recipias; vult sane ita Deus, nec fænus soluere tenuit; extende manus tuas non solùm in cœlum, sed etiam ad pauperum manos, & ita cœli cardinem attigisti; nam qui illic sedet, eleemosynam accipit. Dic quæso si Rex purpuratus accedens ad te aliquid peteret, nonne promptè & alacrius omnia dares? ita S. Chrysost.

S. Chrys.

Item in imperfecto ho.5. idem sanctus,vacuus, inquit, intrat ante Deum, qui veniens ad orationem nullam elemosynam facit; non solùm autem in veteri testamento, sed etiam in nouo præcipitur, vt per singulas septimanas vnusquisque Christianus aliquid in gazophilacium mittat ad orationem venturus, sicut ait Apostolus, *vnusquisque vestrum apud se ponat, reponens quod ei bene placuerit,vt non cum venero tunc collectæ fiant.* Item dicit Salomon: *Ante orationem prepara animam tuam*; ille præparat animam suam ante orationem qui faciens eleemosynam ad orationem pergit sicut enim oleum accendit lucernam,ita & bona opera excitant fidem cordis, & tribuunt confidentiam animæ apud Deum orandi. Eleemosyna ergo præparatio est orationis. ita ille.

Simile.

8. Reg 6. *fecit* Salomon *in ingressu oraculi ostiola de lignis oliuarum*; etenim templum illud Salomonis adeo diues & pretiosum erat, vt nihil esset in eo quod non auro tegeretur, & maxime illa aurea erant, quæ in illo oraculo seu sancta sanctorum continebantur. Cur ergo ostia tabernaculi ex lignis oliuarum erāt?nimirum,quia olea in Sacra S. misericordiæ symbolum est, vti ait S. Basil. ser. de abdicatione rerum. & Tertul. lib. de baptismo. S.Ambros. in cap. 3. Locæ & alij. In introitu ergo oraculi vbi ad orandum erat locus destinatos, portæ ex olea erant, quia qui desiderat à Deo exaudiri in oratione, debet per ianuam misericordiæ introire; beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

S. Basil. Tertull.

Eadem ratione voluit Deus ante templum Xenodochium esse, vbi pauperes & infirmi iacebant, vt constat ex c. 5. Ioannis, vt ingredientes domum orationis priùs misericordiam pauperibus exhiberent.

***

PROPOSITIO XV.

Oratio debet esse perseuerans.

PErseuerantia orationis ad impetrandum quàm potens sit,explicauit Christus Dominus primo in parabola amici; qui ab amico media nocte tres panes postolabat, quos ille denegabat, quia intempestiuè petebat; sed denique surrexit & dedit, quia perseueranter & importunè petebat; quod si amicitiæ debitum hoc tibi esse videatur. audi & aliam ab eodem Christo parabolam de iudice iniquo, qui nec Deum timebat, nec hominem verebatur, quique viduam interpellantem ac dicentem, *vindica me*,nolebat audire: sed tandem fecit tædio quod nolebat beneficio, tantum ad impetrandum perseuerantia valet. Ex quo S.Aug. ser. 5. de verbis Domini secundum Mat. sic concludit: Quanto igitur magis dabit Deus bonus, qui vt petamus nos hortatur, & cui displicet vt non petamus? ita ille. S. August.

Sed dices, cur tardat Deus & non statim concedit, qui adeo procliuis ad dandum est, cum verum illud sit, *bis dat qui cito dat*? respondet S. August. ibidem: Cum aliquando Deus tardius dat, commendat dona, non negat; diu enim desiderata dulciùs obtinentur, cito autem data vilescunt; petendo & quærendo crescis vt capiat,pete igitur, quære, insta, seruat tibi Deus quod non vult citò dare, vt & tu discas magna magne desiderate,& ideo oportet semper orare & non deficere. ita ille. *loque sercibe a de seo estimasciennas y agradeze semas*; vt patet in communibus beneficiis, solis, aëris, aquæ, & terræ, quæ quia passim à Deo nobis exhibentur, tanquam debita existimamus, & propter ea gratias non exhibemus, quia sponte nobis obueniunt. Idem.

PROPOSITIO XVI.

Quàm honorificum nobis sit, orare & oratione consequi postulatum.

LVc.1. sic Beata Maria ad Angelum Gabrielem: *fiat mihi secundùm verbum tuum.* S. Bernard. hom. 4. *super missus est*; nihil obstat intelligi *fiat* esse verbum orantis. ita S. Bernard. At dices, si iam ei pollicitus erat Deus se in matrem assumpturum, ad quid oratio hæc deseruiebat? respondet S.Bern.vult à se requiri Deus citra quod pollicetur. ita ille. Sed quæramus vlterius, si promissio Dei infallibilis prorsus est, superflua videtur oratio. Audiamus Sancti responsum. Iden forte multa quæ Deus dare disposuit prius pollicetur vt ex promissione deuotio excitetur; & sic quod gratis daturus erat, deuota promereatur oratio; & ita pius dominus qui vult omnes homines saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis, & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit ne tribuat gratis. ita S. Bernard. In hoc igitur maximè diuina bonitas relucet, quod cum gratis dare ad eius liberalitatem & magnificentiam pertineat, velit aliquale meritum nostra ex parte interuenire, vt non solùm datum eius suæ liberalitati tribuatur,sed etiam cooperationi nostræ,quod etiam in sacrificio Abrahami volentis immolare filium suum adnotauit S. Chrysost. volens enim Deus promittere Christum nasciturum ex semine eius, prius S. Bern. S. Chrys.

priùs ab eo petis filij oblationem; quod enim exequi efficaciter vellet Abraham, dixit illi Deus, *quia fecisti hanc rem, &c. in semine tuo benedicentur omnes gentes*, quasi ex obsequio illo penderet Christi aduentus. Vide S. Chrysost. in explicatione illius loci Genes. 22.

Propositio XVII.

Quàm confidenter possimus orare.

Psal. 97. PSal. 97. agens Dauid de salute mundi à Domino, *Cantate*, inquit, *Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Pondera verbum illud, *saluauit sibi*, etenim saluauit nobis, nos enim ab eo saluati sumus; ipse verò *sibi* quomodo? ipse saluator noster est, nos verò ab eo saluati, cur igitur salutem nostram suam dicit? S. Basil. ibidem: Immensæ benignitatis vsus, mortalium vita in suum dicit emolumentum esse. ita S. Basil. hinc colligit quanta cum fiducia ad bona à Deo petenda accedere possis; siquidem bonum tuum suum reputat Deus, & quasi negare sibi & negare tibi, idem existimet bonus Deus. S. Basil.

Propositio XVIII.

Oratio debet esse assidua.

S. Chrys. SAnct. Chrysost. hom. 4. in Genes. sicut corpus quotidie eget alimento corporeo, ne in egritudinem incidens nihil facere possit; sic & anima opus habet spirituali cibo & optima dieta, vt in bonam consuetudinem perueniens, resistere possit insidiis maligni hostis, & vt inuicta sit. ita ille. Cibus autem assiduus ad vires animæ tuendas oratio maximè est, qua & opem à Deo obtinemus, & consideratione Dei & rerum creatarum voluntatem nostram ad Dei obsequium inclinamus. Similiter de audiendo verbo Dei & de lectione spirituali dicendum est.

Propositio XIX.

Peccatum magnum impedimentum est ad impetrandum.

S. Greg. SAnct. Gregor. 5. Mor. 29. optimus Deus sæpe eius precem in perturbatione deserit, qui præcepta illius in tranquillitate contemnit. ita ille. Et confirmat sententiam hanc ex illo Prouerb. 28. qui autem suam auertit ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Pondera verbum, *execrabilis*: significat enim rem abominabilem.

* *
*

Otiositas & acedia.

Propositio vnica.

Otium vitiorum est origo.

Gen. 2. GEnes. 2. *tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur; & custodiret illum.* Cum diuina prouidentia absque hominis sudore in statu innocentiæ satis superque illi necessaria ad vitam & ad delitias suppeditaret; ideo enim paradisus ille voluptatis dicebatur, cur illi iniunxit hanc operationem? & cum nihil tunc esset quod paradiso nocuisset, quid sibi vult talis paradisi custodia? scio Sanct. August. lib. de Genes. ad litteram, hanc operationem & custodiam ad Deum ipsum referre, vt scilicet Deus operaretur in homine, munera sua illi exhibendo & custodiret illum à morte, & à pœnis & miseriis quibus nunc abundat. Et idem dicunt Sanct. Isidor. & Sanct. Thom. Sed plures alij de labore & custodia actiua ipsius hominis interpretantur locum; ideo placet quod Lypomanus ibi ait; scilicet, *posuit Dominus Deus hominem in paradiso vt operaretur*, ne sua negligentia amitteret, quod ex gratia tanta susceperat, nec aliquid amitteret vnde expelli mereretur. ita ille. nimirum, quia otiositas mater vitiorum est, & lancea quædam tentationibus pa[illegible]s hostium. Si enim vel in illo ingressu in paradisum modum hostis adinuenit, quo eum ita deturbaret, quid si otio vacaret semper? Si ergo nec in paradiso, & in iustitia originali constitutus homo otiosus securus fuisset; quid in natura lapsa, & in hoc misero mundo peccatorum occasionibus referto de homine otio vacante dicemus? S. Aug. S. Thom. Lypoman.

Genes. 2. *requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, & benedixit diei septimo & sanctificauit illum. quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit vt faceret.* Cur magis diei septimo, quàm aliis præcedentibus benedixit? numquid reliqui dies incapaces benedictionis erant? quia, inquit, die septimo requieuit, num etiam impedimentum erat benedictioni, & sanctificationi? nihil minus, quare dicendum est non benedixisse Deum diebus creationis, quia ipsamet creatio & operatio Dei vicem benedictionis & sanctificationis habebat; diem autem septimum, quia velut otij dies erat, voluit benedicere & sanctificare Deus, vt innueret diem otij nobis periculis esse plenum, atque adeo speciali Dei benedictione & sanctificatione egere, exeogitauit rationem hanc subtiliter Theod. q. 21. in Genes. dicens: Vnusquisque dierum reliquorum peculiarem quandam creationem sortitus est. Cum igitur ad diem septimum Deus creaturam omnem consummasset, diei septimo in creationis locum largitus est benedictionem suam, ne solus dies ille præ cæteris honore careret. ita S. Theodoret. potuit ne grauiori argumento labor aduersus otium nobis commendari? Theod.

Sicut agricultura segetem optimam profert, quod si terra non colitur nec semen recipit bonum, spinas ac tribulos germinat; sic hominis cor, si spirituali efficitur cultura, & bonorum operum semen recipit, fructum bonum refert, & simul ab inutilibus & nociuis herbis malorum operum Simile.

S. Leo. operum liberatur. Comparatio est S. Leonis Papæ ser. 2. de ieiunio. In dominico (inquit) agro cuius operarij sumus, oportet nos prudenter atque vigilanter spiritualem exercere culturam, vt de sanctorum operum fruge lætemur, quæ si pigro otio & inerti desidia negligantur, terra nostra nihil generosi germinis pariet, & spinis ac tribulis subdita, non producet quæ condenda sint horreis, sed quæ vrenda sint flammis. ita ille.

Parentes.

1. *Parentes tenentur bonum exemplum filiis dare.*
2. *Quàm stulti sint parentes, qui cum damno animarum suarum thesaurizant filiis suis.*

Propositio I.

Parentes tenentur bonum exemplum filiis dare.

Gen. 2. GEnes. 2. *posuit Dominus Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* Numquid culturæ labore egebat paradisus ille, vt necessaria ad victum homini præberet? Equidem hoc pacto non voluptatis sed laboris esset homini paradisus. Philo Heb. Philo. S.Ambr. relatus à Sanct. Ambros. lib. de paradiso sic respondet: Quamuis paradisus operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex posteritati futurus erat, ideo etiam in paradiso speciem laboris suscepit. ita Philo Quid ad hoc respondere possunt nunc qui in exilio collocati otio vacant, vbi otium omnium vitiorum parens est? non dubium, quin huius damni aliorum capita sint, qui cum pane & sale non egeant, laborare refugiunt.

Propositio II.

Quàm stulti sint parentes, qui cum damno animarum suarum thesaurizant filiis suis.

Tertul. GRauis quidem est sententia illa Tertul. c. 5. nemo nascitur aliis moriturus sibi. ita ille. Si de rebus spiritualibus agimus, equidē homo licet moriturus sibi soli, nascitur quoq; proximis; si verò de tēporalibus, nemo quidē aliis viuere debet, ita vt totam vel magnam vitæ suæ partem aliis seruiat. Sicut enim alij non moriuntur pro illo, sic nec ipse aliorū cōmodis viuere debet, nisi secundū quod charitas exigit. Vnde parentes filiorū vtilitati ita prospicere debent, vt rationis & charitatis regulas non excedant: Charitas autem incipit à se ipso, quia non filiis sed ipse est moriturus sibi. Memini me legisse parentem quendam vsuris vacasse, vt filio diuitias pararet; infirmatus ad mortem Deo inspirante cæpit in erroris sui cognitionem venire, & pænitens restituere cæpit iniqua lucra; obstupuit filius, & quid pater (inquit) numquid me pauperem relinquere vis? Cui pater, oro fili, vt ardentem prunam super manus tuæ nudam palmam vnius horæ spatio feras. Cui filius, & quomodo id ergo ferre valeam? si tu ergo fili, ait pater, vna hora carbonem ignitum super manum ferre non potes pro me, cur vis vt ego pro te æternis ignibus, in inferno crucier? Est ne efficax ratio hæc? ita, quia nemo alij vaietur moriturus sibi.

Etenim optimus modus acquirendi patrimonia filiis, non nimia solicitudo parentum est, sed ipsorum parentum virtus Eo enim pacto Dei prouidentia non solùm parentibus, sed etiam eorum causa filiis fauet. Quod in S. Patriarcha Abrahamo constat, ad quem sic Dominus Genes. 21. *in Isaac vocabitur tibi semen, sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* ita ibi. filius ancillæ erat Ismaël, qui vitiis deditus fuisse dicitur, qui & ferus homo euasit, &c. & tamen quia filius erat sancti Abraham, se eius benefactorem Deus promisit; sic Deus bonorum filiis prospicit & fauet. Genes 21.

Etenim insita est ferè cunctis Parentibus cupiditas pro filiis ditandis, ita vt ad patrimonia eorum congerenda & amplificanda vitæ, insudent tota. Quam miseram solicitudinem sic deplorat & carpit Hidelbert. Episc. epistola 61. dicens: Hildebes. O insani parentes, qui filiis officiosi officiunt sibi, afficiuntur inedia, torpent algoribus, & quod heres scortator aut gulosus dilapidet, spontaneo cruciatu acquirunt. ita ille. Consonat Saluian. ad Eccles. Cathol. Quasi quidem quicumque patres sunt, nisi diuites sint, patres esse non possint, & amare filios suos sine opum multiplicatione non valeant: & quidem inter improbos quæstus improbi educantur heredes; vnde parentum talis pietas grauis est filiis, qui perniciosas capiunt hereditates. ita Saluianus.

Patientia.

1. *Quàm laude digna sit hominis patientia.*
2. *Patientia ex mortificatione passionum, & impatientia ex immortificatione promanat.*
3. *Patientia in aduersis signum est diuinæ assistentiæ.*
4. *Qualiter in aduersis patientiam habere debeamus.*
5. *Patientia signum est amoris in Deum.*
6. *Patiens Dominus sibi fit, impatiens verò seruus.*
7. *Quod ille est verè sapiens, qui est patiens.*

Propositio I.

Quàm laude digna sit hominis patientia.

SVnt qui aliqua graui tribulatione seu tentatione oppressi dicāt se sustinere illam non posse, eo quod supra vires humanas sit, homo (ait quis) sum, & ferre iam nequeo. Obuiasse huic obiectioni videtur Chrys. S. in cap. 1. Iob. vbi grauissimas sancti Iob aduersitates annumerans (notissimæ illæ sunt) præmittit dicens: *vir erat in terra Hus nomine Iob*, &c. in originali Græco non *vir* sed *homo* dicitur; homo.

homo erat, & ita legunt Septuaginta,& doctores Græci,vbi Origen.& alij nomine hominis significari existimát imbecillitaté,quę in Iob grauissimè vlcerato & malis immanissimis affecto, admirandum spectaculum dederit patientiæ Deo & Angelis & hominibus, hoste tartareo mirabiliter superato. Quod eleganter obseruauit S. Chrysost. in catena lib. Iob dicens: Communem hominis naturam scriptura indicauit, ne quis certamina ac patientiæ spectata incredibili magnitudine, peregrina quadam & non humana eum natura prædirum arbitraretur. ita Sanct. Chrysost. sed non dissonat vulgata lectio vocans eum virum; sed consonat valde, *vir* inquit, *erat*, id est quamuis Iob homo esset, & per consequens imbecillis naturæ, nihilominus virilem animum inter molestimas molestias & ærumnas seruauit, & tentationibus peregrinis viriliter restitit, & tandem hostem superauit: nimirum, quia conditor noster qui optimè nouit pusillitaté naturæ nostræ, numquam patitur nos tentari supra vires nostras, vti Apost. ait, gratia enim sufficienti ad superandum semper nos armat, nostrum autem est nolle cedere tentationi, sed cum Iobo dicere, *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Quomodo autem se hominem virum exhibuerit, explicauit optimè Suidas, dicens, Iob verè magnus ille, & generosus veritatis pugil aduersarium omnibus progressibus prostrauit, eum vibicibus & plagis ad ossa ipsa penetrantibus, permansit inuictus. ita ille. quia quidem vir erat.

S. Chrys.

Propositio II.

Patientia ex mortificatione passionum, & impatientia ex immortificatione promanat.

Luc. 21. LVc. 21. *in patientia vestra possidebitis animas vestras*. Quonam pacto patiens animam suam speciatim dicitur possidere? quis non animam suam possidet? S. Gregor. 5. Mor. 14. quid est animam possidere, nisi perfectè motibus animi dominari? qui ergo patientiam tenet, animam suam possidet; quia inde contra aduersa omnia efficitur fortis. Vnde sibi se ipsum vincẽdo dominatur; & quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter erexit. ita Sanct. Gregor. Et merito dicitur patiens animum suum possidere; quia qui impatiens est, ab iracundia possidetur cor & animus eius, & non à se ipso; & ideo Christus Dominus; *qui facit peccatum, seruus est peccati*: sicut enim seruorum est non suam sed Domini facere voluntatem; sic viri immortificati & peccantis est facere, quod indomitus affectus in quo peccatum versatur iubet. *Vide* infra proposit. 6.

S. Gregor.

Propositio III.

Patientia in aduersis signum est diuinæ assistentiæ.

PSal. 90. sic Dominus clamantem ad eum; *clamabit*, inquit, *ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione*. Quærit super hunc locum S. Bernard. ser. 16. in Psal. 90. Vnde sciemus, quod Deus nobiscum sit in tribulatione? Respondet idem sanct. ex eo vtique quod nos in ipsa tribulatione sumus. Quis enim sustineret? quis subsisteret? quis persisteret in tribulatione sine Deo? vnde quidam, *si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es*, ita Sanct. Bernard. qui ser. sequenti exemplum ponit trium puerorum.

S. Bern.

Hinc Psal. 61. *subiecta esto Deo anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*. vbi S. August. quis tanta toleraret? numquid homo? & si homo, numquid à seipso? non sic ego extollar vt cadam, sed Deo subiicietur anima mea quoniam ab ipso patientia mea. ita S. Augustinus.

S. August.

Propositio IV.

Qualiter in aduersis patientiam habere debeamus.

IOb. 1. cum acerbam filiorum suorum necem Sanct. Iob. audiret *scidit vestimenta sua & tonso capite corruens in terram adorauit & dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Quis non censeret impatienter filiorum mortem tulisse, videns eum scindere vestimenta sua & condere caput? hæ enim magnam animi ægritudinem præseferre videntur. Sed ne hoc quis censere posset, subdit textus sacer, *adorans Deum dixit, Dominus dedit*, &c. non enim erat Stoicorum vnus, vt in tam ingenti calamitate & filiorum morte audita, insensibilis remaneret; doluit, sed ita vt Deum protinus adoraret & benediceret, cuius prouidentia huiusmodi tribulationes succedunt. Tu igitur, cum te videris in tribulationem incidere, imitare S. Iob qui in lege naturæ consistens, & in tribulatione tãta ita filiorũ amissionem doluit, vt simul propterea Deum adorauerit & benedixerit. Amisisti dilectum filium & heredem domus tuæ? sic dole, vt adores propterea Dominũ & benedicas nomini eius, dicens, *sit nomen Domini benedictum*, &c. Obseruatio S. Gregor. est 2. Mor. 16. S. Iob, inquit, nec tanquam non dolorem sentiens flagella spreuit, nec vltra modum flagella sentiens contra iudicium flagellantis insaniuit. ita Sanct. Gregor.

Iob 1.

S. Greg.

Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ; vti ait Dauid Psal. 1. Etenim puluis ob leuitatem suam, facile cedit vẽtorum vi, & rapitur ab eo; sic vir impatiens à quauis aura leui tribulationis rapitur & dissipatur; vir autem constans & patiens erit tanquam lignum, &c. lignum plantatum secus decursus aquarum, magnas & profundas radices mittens, fixum ventis & tempestatibus resistit.

Item Psal. 139. agens de peccatoribus sic Dauid: *cadent super eos carbones, in ignẽ deiicies eos, in miseriis non subsistent*. Quod sic explicat S. Gregor. 2. Mor. 16. in miseriis quidem subsisterent, si inter aduersa tolerarent, sed postquam mente inter flagella corruunt quasi inter illatas miserias, subsistendi constantiam perdunt. ita Sanct. Gregor.

S. Greg.

Propositio V.

Patientia signum est amoris in Deum.

IOan. 21. interrogauit Petrum Dominus: *Petre amas me?* ad quem Petrus, *Domine si tu scis quia amo te*; ter ita Dominus interrogauit & ter Petrus ita respondit; & tunc adiecit Dominus: *Amen amen*

amen dico tibi, cum esses iuuior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autē senueris, extendes manus tuas; & alius te cinget & ducet quò tu non vis; & subdit Ioannes: *Hoc autem dicebat significans, qua morte esset clarificaturus Deum.* Quid est qood post examinatum amorem in Christum Petri mortem crucis crudelem anuntiat ei: hæccine est amoris in Deū merces? Eusebius Emissenus ait, sic Dominū voluisse explicare verum dixisse Petrū quasi diceret. Ita est qood amas me sicut manifestabitur, cū constanti animo pro amore meo, vitā cum morte commutabis; verba Eusebij hæc sunt. Merito postquam ter Petrus se Dominū amare respōdit, mortem suam ei Dominus nuntiauit, in qua quantū eum diligeret demonstrauit. ita ille. Sed magis ad rem. S. Fulgentius lib. 9. ad Trasimundum Regem c. 24. cum illi tertiò interroganti trinū amoris sui testimonium dedisset, statim Dominus Petro ponendi pro se animam largitus est facultatē, dicens: *Cum senueris extēdes manus tuas*, & alius te cinget & ducet quò tu non vis. Ita S. Fulgent. Reges terræ militibus suis in præmiū victoriæ diuitias & honores cōferre solent, Deus autē cruces & labores, quibus coronas & gloriam æternam consequantur, *el rey tras la dala encomienda.*

Emissen.

S. Fulgent.

Simile.

Genes. 44. Iussit Ioseph in sacco Benjamin secretò mitti calicē. Cur ita? In saccis aliorum fratrū solum triticum, in saccum Benjamin verò calicē, nimirum, quia calicem tribulationis & crucis dilectis suis maximè propinat Deus, Benjamin autem, dilectior erat Iosepho quàm cęteri fratres. Sic S. Ambros. lib. de Ioseph c. 11. triticum multis datur, sciphus verò vni, qui prophetico & sacerdotali donatur munere. non enim omnes, sed propheta dicit (ps. 115.) *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo* ita ille Vnde Christus Iacobo & Ioanni dilectis dixit, calicem meum bibetis.

S. Ambr.

PROPOSITIO VI.

Patiens Dominus sibi sit, impatiens verò seruus. Vide supra *prop.* 2.

LVc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quid est animam suam possidere: omnes quidem videmur animas nostras possidere; quis enim animam meam possidet nisi ego? Etenim possessio hæc ad differentiam ponitur seruitutis, qui enim alterius seruus est, ab eo possidetur. Ille igitur possidet animam suam, & seipsum, qui non sibi seruus sed dominus est, seipsum habēs in potestate sua. Explicatio est S. Greg. 5. Mor. 13. dicentis: Qui patientiam tenet, animam possidet, quia ibi contra aduersa omnia fortis efficitur, vnde sibi seipsum vincendo dominatur. ita ille. Impatiens enim non est dominus sui, sed seruus iræ suæ; non enim facit, quod ratio propria dictat, sed quod ira iubet.

S. Greg.

PROPOSITIO VII.

Quòd ille est verè sapiens qui est patiens.

DVo, inquit Nazianz. oratione 18. nequeunt superari, Deus nempe & animus sapientis; qui quidem in vinculis liber est & in tribulationibus superior illis. Quod S. Hier. epistola 103. c. 1. in Platone obseruauit dicens: Plato dum litteras, quasi toto orbe fugientes persequitur, captus à Piratis & Tyrāno venundatus, etiam crudelissimo Tyrāno paruit, captiuus licet seruus & vinctus, quia sapiens maior emente se fuit. ita S. Hier.

Nazianz.

S. Hieron.

Et Seneca epistola 35. sic de Socrate narrat, nō hilariorem quisquam, neque tristiorē vidit: æqualis fuit in tāta inæqualitate fortunæ. Ita ille nimirum, quia inter sapientes facilè princeps fuit; *què ni en muerte le vieron trocar el color, ni en la prosperidad mas alegre que quando sin ella.* Quod si infideles humana sapientia prædiri, sic fortes & constantes in tribulationibus extiterunt. quid sapientes Christianos nō patienter saltē sustinere decet?

Seneca.

Paupertas.

1. *Paupertatem voluntariam quàm diligat Deus.*
2. *Quàm diues sit qui propter Deum diuitias contemnit.* Vide *propos.* 5.
3. *Quanti valoris sit paupertas spiritus.*
4. *Paupertas spiritus pignus est gloriæ.*
5. *Paupertas voluntaria diuitem hominem facit.* Vide *propos.* 2.
6. *Quàm gloriosa sit paupertas voluntaria.*
7. *Quod natura paucis sit contenta.*
8. *Quod nulla sit in voluntaria paupertate miseria.*

PROPOSITIO I.

Paupertatem voluntariam quàm diligat Deus.

LVc. 2. Sic Angelus ad Pastores: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positū in præsepio.* Tria hîc admiratione digna notanda sunt. Primū Christum, non sericis sed vilibus pannis fuisse indutū; secundum, reclinatum non in cunabilis ex ebore antiquo, sed in præsepio pauperi nimis; tertium, non diuitibus, sed pauperibus pastoribus nunciatā ab Angelis fuisse Domini natiuitatem. Cur ita? S. Bern. ser. 4. natalis Christi, hæc omnia simul expendens, ait: Cur pastoribus ouiū magis apparuere Angeli, quàm Regibus terræ? quàm Sacerdotibus templi? Cur & ipse Saluator, cuius est aurum pariter & argentū, tantam in suo corpore dedicat paupertatē, aut certè cur paupertas ipsa tam solicitè enarratur ab Angelis neque enim sine certa ratione mysterij pānis obuoluitur Saluator & ponitur in præsepio. Exemplū dedit nobis vt & nos eadē faciamus, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit autē cum & membra sequātur caput, vt & corpus psallat & dicat, concidisti caput meū & circumdedisti me lętitia. ita S. Bern. Vbi nota similitudinē armorum militiæ, nunc militamus aduersus mundū, & ad carnis delitias optimum armorum genus est paupertas & pœnitentia, his vicerunt sancti, & his vicit Christus; his nos vincemus.

S. Bern.

Psal. 10. *Oculi eius in pauperem respiciunt*, &c. Vbi S. Chrysost. Theod. & Eusebius legunt, *oculi eius in totum orbem respiciunt.* Quo pacto hæ duæ conuersiones sibi cohærent? quid pauperibus cum mundo vniuerso, cum in mundo pauperes pro nihilo habeantur? Etenim in oculis mundanorum pauperes nihili fiunt, in oculis autem Domini adeo multum pauperes sunt, vt pro mundo vniuerso ab eo reputentur.

S. Chrys. Theod.

PROPOSITIO II.

Quàm diues sit qui propter Deum diuitias contemnit.

S. Ambrof. Pſal. 118. 55

SAnct. Ambroſ. ponderans verba illa Dauidis Pſal. 118. *portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam* (in originali Græco dicitur *portio mea Domine tu es.*) Ait ergo S. Ambr. quã tutus eſt qui dicere poſſit Deo, portio mea tu es, qui nihil habeat commune cum ſæculo, nihil huius mundi vendicet ſibi! ita ille. Qui igitur verè diues eſſe deſiderat, diuitias mundi calcet & contemnat; quid inde? quid erit portio eius Dominus Deus; poterit ne altior poſſeſſio bonorum eſſe? quid non habet qui habentem omnia habet? Deum autem babet, qui iuſtus eſt & gratiam eius habet.

Num. 18. 20. Pſ. 118. 17

Pro eximio quidem beneficio ordinauit olim Leuitas & Sacerdotes nullas terrenas poſſeſſiones poſſidere iuxta illud Dei Num. 18. ad Aaronem, *ego pars & hereditas tua in medio filiorum Iſrael*, Vbi S. Ambr. in eundem Pſal. 118. negatur his terrena diuiſio, vt ipſi dum ſæcularem ſibi non vendicant, portionem fiant poſſeſſio cœleſtis; fiunt quidem hoc modo poſſeſſio Dei, & Deus poſſeſſio eorum; quid igitur deſiderare ſupereſt illis, quorum Deus poſſeſſio eſt, qui replet in bonis deſideria poſſidentium eum? Vide Ambroſ. ibidem.

Actor. 3. petebat pauper quidam claudus eleemoſynam à S. Petro, ad quem ſic Petrus, *argentum & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, id tibi do, In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Expendit & exponit hæc verba S. Ambroſ. ibidem, quaſi diceret (inquit) S. Petrus: Portio mea Chriſtus eſt, in portione mea diues ſum, in portione mea potens ſum, quomodo poterat Petrus portionis ſuæ damna ſentire, qui naturæ damna

S. Ambroſ.

reparabat? ita ille. Vnde concludens S. Ambroſ. & agens de iuſto viro qui per gratiam poſſidet Deum, ait; Portio tua non aridit are ſiceatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempeſtate quaſſatur; ea eſt portio quam terrenæ poſſeſſiones æquare non poſſunt. ita ille. Habeat, igitur Alexander magnus in ditione ſua mundum vniuerſum; ſi tu Deum babeas, non habebis cur inuideas Alexandro.

PROPOSITIO III.

Quanti valoris ſit paupertas ſpiritus.

QVantus ſit theſaurus paupertatis, Chriſti paupertas maxima maxime oſtendit; cur enim adeo pauper eſſe voluit, vt viuens non haberet vbi caput ſuum reclinaret, nec moriens lectum vbi mortuus iaceret, nec poſt mortem ſepulchrum

S. Bern.

vbi ſepeliretur? S. Bern. ſerm. 1. in vigilia natiuitatis ponderans locũ in quo naſci voluit Dominus, ait: Erat fortè qui ei ſublimia quærenda arbitraretur eſſe palatia, vbi eum gloria Rex gloriæ ſuſci-

Prou. 3.

peretur; ſed non propter hoc à Regalibus ſedibus venit, vbi in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria, & in dextera longitumitas vitæ, horum omnium in cœlis affluentia æterna ſuppetebat, ſed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat & ſuperabundabat ſpecies iſta, & neſciebat homo pretium eius. Hanc igitur filius Dei concupiſcens deſcendit vt eam eligeret ſibi, & nobis ſua æſtimatione faceret pretioſam. ita S. Bernard.

Equidem ſatis ex hac Chriſti electione conſtat quantus ſit theſaurus paupertatis, præterea ex magno diuitiarum periculo dicente Chriſto Domino Luc. 6. *væ vobis diuitibus, quia habetis hic conſolationem veſtram.* Væ iſtud æternam minatur damnationem vti ait S. Hier. quod clarius explicauit idem Dominus Matt. 19. *Amen dico vobis quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum; & iterum dico vobis. facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, qu àm diuitem in intrare regnum cœlorum* Marcus c. 10. referens hoc Chriſti dictum aſſerit, circumſpiciens Ieſus ait diſcipulis ſuis, quam difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt? Vbi hanc circumſpectionem nota, erat enim velut oculis beneuolentiam audientium captare, & item aduerte cum affectu exclamationis dixiſſe Dominum quàm difficile, &c. Vnde non mirum, quod valde tunc diſcipuli mirarentur, ſicut ibidem Marcus ait: *Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis eius.* Intelligant hoc euangelium, qui auide diuites fieri conantur.

S. Hieron. Matt. 19. 23

Marc. 10. 23.

Hinc eſt quòd multi ad religionis ſtatum confugiunt, in quo votum paupertatis emittunt, timentes & fugientes diuitias quaſi à colubri facie; audiunt enim Chriſtum dicentem, *beati pauperes, & væ vobis diuitibus*, &c. Et denique ait S. Hier. epiſtola 12. ad Heliodor affatim diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt. ita ille.

Idem.

Humilitas & paupertas ſpiritus, ſeu diuitiarum contemptus non ſolum ſunt pretioſæ virtutes ex intrinſeca ſua natura, ſed quia rariſſimæ in orbe ſint; nam vti ait S. Hier. lib. de quæſtionibus Hebraicis in 1. lib. Reg. exponens id 1. Reg. 3. *ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis.* Pretioſus, inquit, dicitur, quia pertarus erat; omne enim, quod rarum eſt, pretioſum eſt. ita ille.

Idem. 1. Reg. 3. 1.

PROPOSITIO IV.

Paupertas ſpiritus pignus eſt gloriæ.

Matt. 5. 3. Paſch. Ab.

MAtth. 5. *Beati pauperes ſpiritu.* Ponderans locum hunc S. Paſchaſius Abbas ſuper. cap. Matt. 5. ait. Noua quidē res, nihil enim contrariũ magis, quàm paupertas & regnũ cœlorũ; paupertas enim mater miſeriarũ eſt & preſſura calamitatis. Reſpondet idem ſanctus: ſecundùm ſæculum viuentibus hoc nihil aliud eſt, quàm quoddam pœnale præſentis vitæ exitiũ & miſeriarũ ærũna; ſed iuxta vitam illã, in qua fide, ſpe & charitate viuitur, beatam vitam pauperes ſpiritu viuere dicũtur; poteſt enim eſſe non beatus ſpe, cui præmia cœleſtia promittuntur? non igitur neceſſitas paupertatis facit aliquem beatum eſſe, ſed deuotio paupertatis. Hos itaque pauperes, iure ſignificat Chriſtus eſſe beatos, qui contemptis rebus mundi huic ſæculo moriuntur vt Deo viuant. ita ille. Etenim ſicut per quæ quis peccat, per hæc & punitur à Deo; ſic per quæ quis Deo ſeruit, remuneratur à Deo. Cum igitur pauper ſpiritu contemnens mundi bona propter Deum, in tali renunciatione bonorum placeat Deo, merito ſpem babet quod in bonis diuinis & cœleſtibus remunerationem accipiet à Deo, ſpes autem tali fundamento innitens, veluti regni cœlorum inchoata quædam poſſeſſio eſt. Vnde S. Ambroſ. in c. 6. Lucæ *beati*, inquit, *pauperes ſpiritu*, quia qui contempſerit ſæcularia, merebitur ſempiterna. ita ille.

S. Ambroſ.

PROPO

Propositio V.

Paupertas voluntaria diuitem hominem facit.

DVobus modis, docet Seneca, potest homo ditescere aut multas diuitias accumulans, aut paucis contentus;& hic vltimus optimus est: primù,quia facilis, non enim quæſrẽs defatigatur & perturbatur:secundò,quia cõtentus manet paucis,quod non assequitur is, qui congerit multa; crescit enim amor numi quantum ipsa pecunia crescit. Vnde Apost. 1.ad Cor.8.scribens Corinthiis charitatẽ in pauperes Macedonum, cũ pauperes ipsi Macedones essent ait; *Altissima paupertas eorum, abundauit in diuitias simplicitatis.* Quæ verba sic explicat S. Anselm. altissima,id est nobilissima paupertas & præconiis extollenda, abundauit in diuitias,quia maior facta est dum tenderet diuitias dare. Diuitias dico simplicitatis, quia simplici intentione ex eo quod habebant erogauerunt,non vt hominibus placerent,sed soli Deo.
S. Ansel. ita S. Anselm. vbi nota encomium non paupertatis corporalis, nam hæc præcisè sumpta laudes non meretur, sed paupertatis spiritualis, quæ in contemptu diuitiarum propter Deum consistit; hanc vocat Apost. altissimam & nobilissimam, cuius nobilitas ex eo crescit & fit maior,quod ad largiendum pauperibus ex his paucis,quæ pauper habet extendatur,& dignam præconiis eam dicit Anselm. & merito. vnde & Christus Dominus munus duorum minutorum viduæ laudauit, non quia multum dedit, sed quia cum paupercula esset,quod habuit,libenter tribuit,quæ ideo se pauperem spiritu ostendit & paupertate sua contentam;hanc altissimam vocat Apostolus,& abundantes diuitias, forte quia ille verè diues est qui paucis est contentus.

Hinc est quod Christus Domin. Matt. 5. de pauperibus spiritu dixit *Beati pauperes spiritu,quoniã ipsorum est regnum cælorum*; quid est quod in aliis beatitudinibus de futuro loquitur dicens. *Beati misericordes quoniã ipsi misericordiam consequentur. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati pacifici,quoniam ipsi filij vocabuntur*,&c. De pauperibus spiritu,id est de contemptoribus diuitiarũ propter Deu ait,*quoniam ipsorum est*, &c. loquens de præsenti. recte doctus quidam respõdit,quia propter animi tranquillitatem ita diues est,vt aliquid iã in terra de cœlesti beatitudine possidere videatur. Beati enim in cœlo non quærunt sæculi bona, sed cælestibus potiuntur, & his quæ ibi habent, contenti sunt; quæ beatitudo quædam est & cœlestis gloriæ quædam participatio.

Diogen. Cynic. Vidit aliquando Diogenes Cynicus forum quoddam multis & pretiosis rebus refertum;videns exclamauit & dixit:O quantis non indigeo! hoc diuites, qui gloriam mundi quærunt,dicere minimè valent, egent multis famulis, equitibus, supellectili ampla,amicis pluribus, & cura maxima diuitiarum,quibus non indigent pauperes diuitiarum contemptores;quare hi diuites,illi pauperes sunt; ille enim pauperior est, qui pluribus reb' eget, & acrioribus curis torquetur;*aurea rũpunt tecta quietem*,ait tragicus Seneca.Non solum enim magnis curis, sed etiam timoribus vexatur diues,ne scilicet ad miseriam, fortuna aliquando descendat, ne census illi pereat, ne latro bona diripiat,ne fiscus succedat, &c. *Cantabit* autem *vacuus, coram latrone viator* ait Iuuenal. sat. 10. &
Iuuenal.

S.Gregor.8.Mor.15. quid,inquit, quietius, quàm nihil sæculi huius appetere? ita ille.

Seneca epistola 108. Desunt inopiæ multa,auaritiæ omnia. in nullum auarus bonus est,in se pessimus. ita ille. E contra contemptus diuitiarum diuitem reddit,vt ibidem Seneca:is minimo eget mortalis qui minimum cupit. Quod vult habet qui velle quod satis est potest. ita ille. Et rursus ibidem: In animo diuitiæ sunt non in patrimonio, & ille locuples qui paupertati suæ se aptat, hic paruo se diuitem facit.ita ille. Seneca.

Propositio VI.

Quàm gloriosa sit paupertas voluntaria.

SAnct. Ambros. lib 2. de officiis c. 14. quid præcelsius viro illo qui auro moueri nescit? contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates;quod qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur. Quis est,inquit,& laudabimus eum?fecit enim mirabilia in vita sua; quomodo enim non admirandus qui diuitias spreuit,quas plerique saluti propriæ prætulerunt? ita ille. S. Ambros.

Propositio VII.

Quòd natura paucis sit contenta.

SEneca Epistolarum lib. 2. epistola 16. ex Epicuro ait:Si ad naturam viuas, numquam eris pauper;si ad opinionem,numquam eris diues;exiguum enim natura desiderat, opinio immensum. ita ille. Vbi per opinionem intelligit falsam quãdam apprehensionem & existimationem,qua opinatur & iudicat quis magnũ esse diuitiarũ bonũ. Seneca.

Propositio VIII.

Quòd nulla sit in voluntaria paupertate miseria

SEneca ad Albinam lib. 9. in paupertate nihil mali esse intelligat,quisquis nondum peruenit ad insaniam auaritiæ aut voluptatis. ita ille. Adde autem vanitati. ita quidem; qui enim vna corporis voluptate metitur vitam,nihil vnquam aggredietur nisi voluptatum calculis subductis, totus enim corpori suo hæret. Seneca.

Item Seneca ibidem,corporis naturalia desideria exigua sunt; frigus enim sub more vult & alimentis famem & sitim extinguere; quidquid vltra concupiscitur, vitiis laboratur & fastidienti gulæ; qui superfluas despicit, quid illi paupertas nocet? furor & vltimus error est cum exiguum capias cupere multum. Idem.

Peccatum.

1. *Quanto odio Deus peccatum prosequatur.*
2. *Peccatum conscientiam torquet.*
3. *Peccator correctionem & verbum Dei fugit.*
4. *peccatorem Deus etiam in hac vita punit.*
5. *Peccatum mentem excæcat.*

6. *Quàm dignus dedecore sit peccator.*
7. *Sæpe Deus propter peccata deserit peccatorem, & quomodo.*
8. *Peccator seruus diaboli.*
9. *Peccator sæpe priuat se pia Dei prouidentia quam habet erga iustos.*
10. *Quàm graue malum sit peccatum.*
11. *Deus punit peccatores in eo in quo peccant.*
12. *Punitio peccatoris misericordia Dei est.*
13. *Contra eos qui peccata sua tribuunt fato, seu stellis.*
14. *Cur peccatores peccatis non satientur.*
15. *Solum peccatum malum nostrum est.*
16. *Propter peccatores pati solet communitas.*
17. *Peccatum ipsum vindictam à Deo petit.*
18. *Quàm grauia supplicia patientur post mortem peccatores.*
19. *In iudicio peccata erunt testes contra peccatores.*
20. *Agentes & consentientes pari pœna puniuntur.*
21. *Qui in vno peccat, factus est omnium reus.*
22. *Propter peccata parentum punit Deus eorum filios, & quomodo.*
23. *Consilia & media quæ sumit homo ad peccandum, conuertit Deus contra ipsos peccantes.*
24. *Peccatum ex animi & cordis debilitate prouenit.*
25. *Deus videt omnia peccata quantumuis occulta.*
26. *Peccatum ex cæcitate mentis procedit.*
27. *Peccatum destruit merita.*
28. *Peccatum ex malitia quàm graue sit.*
29. *Propter peccata permittit Deus nos ab hostibus debellari ac vinci.*
30. *Peccatum mors animæ est.*
31. *In peccato quantus labor & quàm infructuosus sit.*
32. *Peccator nullam requiem habet in rebus mundi.*
33. *Quàm contra dignitatem Christianam sit peccatum mortale.*
34. *Quæ cum peccato fiunt, prosperum euentum habere non possunt.*
35. *Deum & creaturas sibi aduersas reddit peccator.*
36. *Dolere debemus propter proximorum peccata.*
37. *Deus peccatores punire solet morte anticipata.*
38. *Cognitio peccati ad feruentem pœnitentiam conducit.*
39. *Peccatum inconstantem hominem reddit.*
40. *Quàm grauiora sint peccata Christianorum, quàm infidelium cæteris paribus.*
41. *Peccator mortuus, deformis, & abominabilis est ac infelix.*
42. *Quàm ingratus sit Deo.*
43. *Quàm stultum sit peccare ob spem veniæ, vel ob propositum pœnitendi.*
44. *Quàm prouocet Deū ad irā peccata iterata.*
45. *Peccatum impedit cognitionem Dei.*
46. *Grauitas peccati constat ex passione Christi.*

Propositio I.

Quanto odio Deus peccatum prosequatur.

Matth. 21. Maledixit Christus Dominus ficulneæ fructu carenti dicens: *numquā ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea*; cur ita Domine ficulneam maledicis? quid in te peccauit? *quia nihil*, inquit, *inuenit in ea nisi folia, non enim erat tempus ficorum*. Cur ergo maledixit ei? Isidorus Pelusiota, à maioribus, inquit, nostris traditum est, arborem transgressionis Adæ ficum fuisse, ex cuius etiā foliis texerit se. Illi ergo Christus maledixit, ne amplius ex se fructum peccati proferret. ita ille. At inquies, neque in paradiso peccauit ficulnea, fructū prohibitum proferens; neque modo fructum prohibitum producit. Cur ergo Isidorus fructū peccati tribuit illi? fructū peccati vocat, quia fructus ille ad peccatum hominem prouocauit; *vidit*, inquit, *mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius & comedit*. Ecce veluti scandalo fuit homini fructus ille, & quamuis adeo remotè, vt ostenderet Christus Dominus, quemadmodum peccatum abhorreat, ficulneam tic remotè & inculpabiliter, & largo valde modo ad peccatum passiuè concurrentem maledixit, siccauit & peremit. Quonam igitur pacto in peccantem hominem inuehetur, & in eum qui actiuè scandalum proximo præbet. Mat. 21. 19 Mar. 11. 13 Isid Pelus.

Genes. 3. *cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*, &c. Cur in illa aura pomeridiana Deus ad iudicandos primos parentes properauit? nimirum, quia tunc peccauerant illi; vbi glossa ordinaria, horā transgressionis attendens, vnde hora nona Christus spiritum emisit Matth. 27. qui hora sexta fuit crucifixus, vt eadem hora restitueretur homo, qua de paradiso est eiectus. ita glossa. Cuius occasione aduerte, in tantum Deum peccatum odio habere, vt cum morte sua, illud tollere, abolere, & perdere vellet, non solum sanguine & morte sua peccatum ipsum è medio tollere decreuit, verum etiā omnes circumstantias eius, & omnia quæ ad ipsū pertinebant, vt vehemens odium erga illud manifestaret. Sicut Dux vel Rex, qui ob crimen læsæ maiestatis ciuitatem aliquam destruere decernit, non solum ciues perimere, verùm etiam domos euertere, & messes succendere, & arbores præscindere, & viros graues occidere, & cuncta deuastare iubet in odium ac detestationem criminis commissi; sicut præcepit Dominus Sauli, cum ad bellandos Amalechitas misit, dicens 1. Reg. 15. *vade & percute Amalec & demolire cuncta eius*. Cur Domine cuncta, oues scilicet & vineas & campos eius, hæc enim quid mali fecerunt in te? *quia recensui*, inquit, *quæcumque fecit Amalec, Israeli*, &c. Sic igitur vt Dominus ostendat detestationem, qua peccatum detestatur, non solùm contra illud, sed contra omnes circumstantias peccati inuehi voluit.; mori quidem voluit in detestationem peccati, & insuper quia peccatum in paradisi horto commissum fuit, in horto etiam passionem suam inchoauit; & quia inter horam sextam & nonam peccauit homo, inter horam sextam & nonam in cruce peccatum Gen. 3. Glossa. Simile.

exstinxit

extinxit moriens; & quia in arbore scelus commissum fuit, in arbore crucis peccatum deleuit, & quia in mense Martio & die Veneris Adam peccauit, in Mense Martio, & die Veneris ipse passus fuit. Omnia igitur tela passionis suæ in ea, quæ ad peccatum spectabant direxit, vt acrem etiam & acerrimam eius in peccatum iram sic nobis propalaret. O quam detestabile malum est peccatum! ô vtinam vel hinc odium & detestationem magnam in peccatum conciperemus!

Procop. Addam quod in huius veritatis confirmationem pulchrè addit Procopius in cap. 3. Genes. Christus amaram passionem passus est illis ipsis horis quibus Adam edit, ab hora scilicet sexta vsque ad nonam; tunc ad illum venit Dominus dicens: Te nunc maiora affectasti, ego vt tibi consulam minora assumo; æqualis Deo esse appetiuisti, ego Deus homini æqualis fio; cupisti fieri Deus, ego propter te homo fieri volo; mea voluisti rapere non valens, ego tua volens accipio. ita ille. Sic igitur ars deluditur arte, sic Deus nobis manifestum esse voluit ingens in peccatum odium.

Hanc Dei in peccantes indignationem expendens Dauid & mitigare contendens, sic Deum affatus est; *Vsquequo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis furor tuus?* vbi iram huiusmodi zelum & ignem, seu zelum ignitum vocat, est autem zelus iste vehemens quædam excandescentia, ob violatum amorem, qualis esse solet mariti erga vxorem adulteram & adulterum, imò & longè maior, ideo ignem eam vocat Dauid & etiam ipse Deus Ezech. 36. & 38.
Ezech. 36. Ezech. 38. 19. *In igne zeli mei loquutus sum*, quid autem igne vehementius & acerbius? Qualis autem in Deo
Deut. 32. 22. sit talis zelus expressit Deus ipse Deut. 32. *ignis*, ait, *succensus est in furore meo & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Quid est, *vsque ad inferni nouissima?*
Iansen. Iansenius, id est, ardebit ignis iste non solum in superficie terræ, sed etiam vsque ad extrema inferni. Ita ille. *es vn fuego esta indignacion de Dios contra los que pecan, que llega à lo mas hondo y profundo de las penas del infierno.* Etenim quæuis inferni pœna grauissima est, quicumque ignis illius pars intolerabilis est, sed illa quæ in profundo est incomparabilis, & indicibilis est, ad hanc peruenit indignatio quam Deus habet erga peccantes, hoc est tam indicibilis cruciatus, nulla est alia ratio quàm peccatum. O peccatum! ô ignis gehennæ æternus! ô mortalium peccantium diabolica inconsideratio & insensibilitas! Vbi iudicium? vbi sensus? vbi discursus? vbi fides? imò vbi amor sui, in eo qui sic Deum irritate contra se, & sibi sic nocere audet?

Oseæ. 14. 1. *Pereat Samaria* (ait Oseas) *quoniam ad iracundiam concitauit Deum suum.* Iustè sic excandescit propheta contra peccatores, vel eo solùm quod Dei infinitam maiestatem offendere ausus est, & tam pium & bonum Dominum & benefactorem nostrum sic irritare voluerit, & ad amaritudinem prouocare, & quia insuper sic gratis se in horrendam damnationem deturbat.

Est quidem misericors & clemens Dominus, sed *ab ira tua*, canit Ecclesia, *libera nos Domine*; sicut enim misericordia eius infinita est, sic & iustitia, sic & ira eius. Audi quid pius & clemens
Ezec. 5. 13. iste Dominus prouocatus dicat Ezech cap. 5. *Aduersus peccatores complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor, & scient quia ego Dominus loquutus sum in Zelo meo,* [*yo dize Dios yo tengo de satisfaçer enteramente, a la iusta indignacion que tengo contra los peccadores, y hare que mi zelo abrasado des fogue y descanse en la vengança que tomarè dellos, y entonzes veran qual es el zelo de mis amenazas.*] Pondera verbum *consolabor*, quasi dicat, *no no me arrepentire aeternalmente de sus penas ni me compadezero dellos.*

Dices, quomodo igitur sæpe Deus florere sinit in mundo peccatores, cum talis ac tantus sit peccatorum punitor? Respondeat ipse Deut. 32.
Deut. 32. 35. *Mea*, inquit, *est vltio, & ego retribuam in tempore*, videlicet opportuno sapientissimè præfixo ab
Gloss. alto diuinæ sapientiæ consilio vti ait glossa quæ-
Eccl. 5. 4. dam. Nam sicut Ecclesi. inquit cap. 5. *altissimus est patiens redditor.* Ne igitur, ô peccator diuina patientia abutaris, vtere potius eius clementia qua te expectat, & vocat ad pœnitentiam. Licet sit patiens redditor, est tamen redditor, & talis, vti ait Dauid Psal. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum*; repetitio ista magnitudinem
Psal. 93. 1. quandam importat, sicut Psal. 54. *viri sanguinum*, id est maximè sanguinarij: sic *Deus vltionum*, id est maximus vltor aduersùs eos qui abutuntur patientia eius. Rectè Valerius Max. in princi-
Valerius. pio lib. 1. lento gradu ad vindictam procedit diuina iustitia, sed tarditatem supplicii grauitate compensat. ita ille.

Num. 1. *Indignatio eius effusa est vt ignis, & petra dissolutæ sunt ab eo.* Originale Hebræum sic habet, *& silices dissolutæ sunt ab eo.* Diuinam indignationem ignem vocat, silices dissoluentem, vt magnitudinem eius & periculum damnumque nostrum aliquo modo significet. Quod si talis est, vt silices in cinerem conuertat, quid de nobis dicendum est, qui caro tenuis & delicata sumus? Et ita hæc vehemens in peccantes, sæpe in sacra scriptura nobis denunciata est.
Ierem. 4. 4. Ierem. 4. *ne fortè*, inquit, *egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.* Vbi locum supra dictum nota Naum 1. sic vertisse Symmacum & Theodotionem, *indignatio eius stillabit vt ignis.* Stillatio autem temperare videtur vim indignationis diuinæ, quod cum stillatur, paulatim cadit. Sed tamen in litteris diuinis cum de ira Dei sermo est, non minuit magnitudinem diuinæ indignationis, sed magnitudinem periculi nostri exponit, vt constat ex il-
2. Par. 34. 21. & 25. lo 2. Paralip. 34. *Magnus furor Domini stillauit super nos*, & infrà, *stillauit furor meus super locum istum & non extinguetur.* Perpende quomodo furor Dei stillatus magnus & inextinguibilis nihilominus dicatur. Quod si stillatio iræ Dei talis est, quid erit effusio illa ignis æterni in inferno?
S. Greg. Ponderatio est S. Greg. 21. Mor. 16. quomodo toleranda est pœna quæ reprobat, si ferri non potest ira quæ purgat? ita ille. quem etiam vide 15.
Iob 26. 14. Mor. 21. ponderantem verba illa Iob 26. *cum vix paruam stillam*, &c. Meritò igitur exclamat Isaias
Isaias 23. 14. 23 *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* quasi dicat, si scintillam ignis huius domus nostræ ferre non possumus, cum ignis hic quasi pictus sit, comparatus igni inferni, qui que solum tangit corpus & non animam, quis poterit sustinere ignem illum, qui corpus penetrat & animam, & durat in sempiternum? Væ nobis!

Psal. 77. Sic de peccatoribus populi Israël, *quoties exacerbauerunt eum in deserto.* Pondera verbum *exacerbauerunt*. *Es vn amar r*

a Dios quanto es de nostra parte, est quasi fel acerbissimum & amarum valde illi præbere potandum, ita vt dicere valeat, quod in cruce, *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*, sic inquit Dauid, *exacerbauerunt eum in deserto*. Quo igitur supplicio dignus erit, vel potius non erit homuncio qui Dominum & Deum suum sic exarcebat?

Obserua verbũ illud dicti Psal. 77. *exacerbauerũt*, in originali esse *crucifixerunt*; adeo enim grauis est offensa peccati in Deum, vt peccare hominem esse reputet Spiritus S. crucifigere Deum. Si horretes igitur inueniri inter eos, qui Dominum nostrum crucifixerunt, horre peccare, & cum te diabolus ad peccatum prouocat dic: Ita ne Dominum Deum meum crucifigam? millies moriar, quàm vt talefacinus committam.

Iudic. 16. Iudicum 16. postquam Samson damna plurima Philisthæis intulisset, tandem duas illas templi eorum concutiens & euertens columnas, quam plurimos Philisthæos qui aderant ibi festa celebrantes interfecit, & se ipsum pariter cum illis. Quæro nunc in quo amplius odium erga Philisthæos demonstrauit? Manifestum quidem est in eo, quod se cum illis necauit, vt perderet eos. Sic Deus noster per supplicia magna & plurima, quæ intulit peccatoribus, quanto peccata odio prosequatur ostendit; sed amplius multo cum in cruce se tradidit morti, vt secum peccata destrueret. Hinc igitur potissimum inferre nos debemus, quanto ôdio sint peccata nostra ipsi Deo.

Cum autem videamus quanti steterint peccata nostra Deo, ideo maximè nos aduersus peccatum odium concipere debemus 1. Reg. 15. cum captiuam duxissent Philisthæi arcam Dei in templum Dagon, & propterea Deus noster Dagonem, & Philisthæos deuastaret, dixerunt illi, *non maneat apud nos arca Dei Israel, quoniam dura est; manus eius super nos & super Dagon Deum nostrum*. Vtinam & nos tota cordis veritate diceremus: Non maneant apud nos peccata quoniam dura sunt contra nos, quia nos ad æterna supplicia deducere conantur, & maximè, quoniam durissima fuerunt contra Dominum Iesum Christum. Qui hoc intelligit, & nihilhominus peccat, quomodo dicere poterit se Christum Dominum amare?

Propositio II.

Peccatum conscientiam torquet.

GEnes. 3. de primis parentibus dicitur: *Consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata*. Cur, inquies, ex foliis ficulneæ, quæ asperitatem & pruritum molestum secum ferũt, numquid in paradiso non erant vites & platani, ex quibus suauioribus foliis indui possent? S. Hypolitus Hypolitus Martyr. Martyr sic respondet: Folia fici signa peccatorum fuerunt. Nam sicut huius arboris folia si corpus tetigerint pruritum gignunt, ita pruritum (in conscientia, videlicet) excitat transgressionis iudicium. ita ille. non enim Deus vniuersam peccati pœnam in futurum sæculum remittit, sed in isto peccatorem punit conscientiam torquens, vt patet in Cain & Iuda proditore; & hoc iudicium transgressionis vocat S. Hypolitus, quia transgressio diuini præcepti huiusmodi tortione digna est, quamuis & diuinæ misericordiæ effectum dicere valemus; est enim veluti admonitio quædam assidua, qua Deus optimus peccatorem ad pœnitentiam inducit.

Genes. 4 sic Cain post peccatum suum. *omnis qui inuenerit me, occidet me.* Vbi Procop. miror quẽ timuerit Cain, cum nemo præter ipsum & parentes eius in orbe degerent, sed tamen miserum eius animum futura cogitatio deterrebat. ita ille. Ita quidem, quia propter malam conscientiam, vti explicat S. Hieron epistola ad Damasum, fugit S. Hieron. impius nemine persequente.

Genes. 42. cum fratres Ioseph in Ægypto in Gen. 42. graui essent anxietate constituti, dicebat ad cæteros vnus, *merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*, &c. Vbi Theodor. inde constare potest, iudicium conscientiæ esse ineuitabile, Theod. refricat enim memoriam sceleris ante viginti duos annos commissi.

2. Reg. 15. fugiente Dauide de Hierusalem à 2. Reg. 15. facie Absalonis. adduxerunt sacerdotes ad eum arcam Domini, in protectorem eius. Ad quos sic Dauid: *Reportate arcam Dei in vrbem, si inueni gratiam in oculis Domini, reducet me*. Cur quæso noluit secum habere arcam sanctam? Respondet Idem. Theodor. ibidem, quasi diceret Dauid; sanctam Dei legem conculcaui, nolo accusatorem meum deferre mecum. ita ille. In arca enim erat lex Dei, quam transgressus fuerat Dauid, adulterio & homicidio, & confusione torquebatur coram illa. Quam quidem confusionem patitur peccator acerbè à sua propria conscientia, maximè cum eius non fecerit pœnitentiam. Vnde Christus Dominus ad quosdam peccatores Ioan. 5. *Et qui ac-* Ioan 5. *cusat vos Moyses*, erat Moyses qui Dei legem eis promulgauit: accusabat igitur eos Moyses, quia lex ab eo exhibita eos accusabat, &c.

Genes. 4 sic Dominus ad Cain, post eius fratricidium: *Si male egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit*. Quid sibi vult *in foribus adesse peccatum?* Rupert in Genes. lib. 4. c. 13. vt quocumq; Rupert. te verteris quidquid agere volueris, tecum sit peccatum vitæ comes in via. ita ille. Sicut qui dolore capitis vel cordis, vel alterius corporis partis Simile. laborat, quocumque se vertat & conuertat, dolore illo torquetur; sic qui peccator est, si non cauterizatam conscientiam habet, remorsu cõsciẽtiæ & dolore vexatur, *trahe el miserable pecador consigo vn infierno portatil*.

Psal. 41. *ad me ipsum anima mea turbata est.* Psal. 41. Quonam pacto ad se ipsum hominis anima turbari potest? ad se ipsum, id est cõtra se ipsum. Sẽsus ergo est, contra me ipsum anima mea turbata est, quomodo turbata cõtra se ipsũ? S. Aug 13. de ci- S. August. uitate Dei c. 21. se quippe amans donatur sibi, vt inde timoribus & mæroribus completus dicat (si tamen mala sua sentit) *ad me ipsum anima mea turbata est.* ita S. August. loquitur ergo hîc Dauid de pœna, qua animam afficit peccatum, & quam secum affert amor sui se ipsum nimium amans. Homo peccata committit, & dum sibi placere censet, timores conscientiæ sibi parit. Vnde Eliphaz amicus Iob c. 15. *sonitus terroris* Iob. 15. *semper in auribus impij, & cum pax fuerit, ille semper insidias suspicatur*. Quæ maior esse potest animæ turbatio, & dolor quàm semper timere, & mala sibi suspicari, & cum pax sit terrores sibi ipsi fingere peccatorem; & merito quidẽ, nam vt ibid. ait quidam sapiens interpres, quia securus esse non potest, qui tam graues inimicitias gerit. Vnde Sap. 26. cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.

Psal. 50. sic Dauid de peccato suo cum Deo agens,

agens, *peccatum meum contra me est semper*; non ait, *aliquando*, aut, *sæpe*, sed *semper*, tanquam assiduus, & perpetuus, & acerrimus inimicus; inimiens homo non ita semper inimicum vexat, quia sæpe à persecutione cessat; vel quia illum de aliis rebus agere oportet, vel quia conscientia dictante inimicum animum deponit, vel quia timet ne incidat in foueam, quam inimico parat, *Iuzga que le conviene, y le es mas varato dar punto a la persequcion.* Sed tamen inimica conscientia, velut spina cordi affixa numquam torquere cessat, *peccatum meum contra me est semper.* Sic locum hunc interpretatur Cassiodor. dicens: Peccatum, quo contra te superbè egi, contra me est semper, & ideo contra me, quia contra animam meam, quæ me vbique & semper accusat. Ita ille.

S. Chrys. S. Chrysost. hom. 20. in Genes. neque enim somnus peccatori suauis est, sed terrore & formidine plenus. Ita ille, *que aun durmiendo remuerde la consciencia.*

S. Isidor. S. Isidor. lib. 1. de summo bono c. 26. diuisio & pugna vt sit in animo hominis, pœna peccati est, vt qui noluit cum Deo esse vnitus, esset in semetipso diuisus; & qui imperante Domino noluit esse subiectus, sibi ipsi rebellis, & contrarius sit. Ita ille.

Daniel. 5. Rex Balthasar cum primùm digitos illos in pariete scribentes vidit, magno tremore pauere cœpit. Cur ita? quia Rex potentissimus erat, & magna virorum fortium stipatus caterua, & nesciens quid illa scriptura significaret, imò nec Regem manus illa respiciebat, sed contra candelabrum conuersa erat, non respiciebat contra Regem, sed peccata Regis contra Deum erant semper, inde timor, inde tremor.

Genes. 42. cum fratres Ioseph se oppressos ab ipso Ioseph dissimulante viderent, dixit Ruben primogenitus inter eos: *meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum videntes angustias animæ illius*, &c. Etenim iam plures intercesserant anni, & nihilominus ad peccatum diu commissum, tanquam ad causam sui peccati recurrunt.

S. Chrys. S. Chrysost. hom. in Genes. hom. 17. hanc habebant accusatricem conscientiam fratres Ioseph tot transactis annis, cum emerent frumenta in Ægypto. Hæc culpa illos sine accusatore accusabat. Ita ille.

Quid est quòd manna Exod. 16. in vermes conuertebatur his qui illud colligebant in diem crastinum contra Domini præceptum? Etenim hoc nequaquam ex natura seu qualitate ipsius mannæ procedebat; siquidem in diem sequentem festi non conuertebatur in vermes. Respondet S. Ambros. serm. 5. Manna illis contra diuinum præceptum tractantibus vermes effecti sunt, id est, contumaciæ iudices & vltores. ita S. Ambros. Etenim manna reseruatum in diem Sabbati non producebat

S. Ambr. vermes, quia Deus facultatem dederat præcolligendi sic illud. Scatebat autem vermibus cum contra Dei præceptum reseruabatur. Ita quidem est & nunc pecunia malè parta vel honor ambitiosè comparatus, Eucharistia indebitè sumpta in vermem vertitur conscientiæ mordentem animam peccatoris, *taladra o varre na el corazon lo que so ad ad quiere o haze contra la voluntad de Dios.*

PROPOSITIO III.

Peccator correctionem & verbum Dei fugit.

GEnes. 3. *Cum audiuissent* (Adam scilicet & Eua) *vocem Domini Dei, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini.* Cur ita? cum potius ad eum confugere, quàm ab eo fugere debuisset? Nimirum, quia paulo ante transgressi fuerant præceptum Dei. Sic glossa ordinaria in hunc locum, *abscondit se qui auersus à præcepto Creatoris qui voluntate arbitrij sui & erroris sui viuit*, ita glosa. *Huye de Dios el que quiere viuir a su aluedrio, y sin orden alguna.* Oraculum Christi habemus in huius confirmationem Ioann. cap. 3. dicentis: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius* Quid clarius? ideo fugit à Deo Adã, & ideo ab auditione verbi Dei fugiunt multi, *no quieren oyr sino huir*, vt non arguantur opera eius, quo quid stultius? quis ad mortem infirmatus medicum fugit? phreneticus. Tales igitur hi sunt, sic enim in peccato suo morientur.

Vidit quendam Philosophus quidam adolescentem è popina egredientem, adolescens autem Philosophum intuitus pedem retraxit vt se à Philosophi absconderet conspectu. Cui Philosophus, Tanto magis intra popinam eris. Hoc tibi peccator dicam qui à corrigente abscondis te, dictum puta, abscondis peccatum, & à corripiente fugis, tanto magis intra peccatum eris.

PROPOSITIO IV.

Peccatorem Deus etiam in hac vita punit.

HInc timor peccandi oritur & ratio correctionis nostræ vt in posterum non peccemus; qui enim post supplicia Dei pro peccatis illata, nihilominus peccat, grauiori est pœna dignus. Peccauit Adam & maledixit Deus terræ propter peccatum eius, peccauit nihilominus Cain dicens Genes. 4. *Nunc igitur maledictus eris super terram.* &c. Adæ, inquam, dixit, *maledicta terra in opere tuo*; Cain verò dixit Deus, *maledictus eris*, &c. Cur non eodem modo vtrique maledixit? Nimirum, quia maiori pœna dignus erat, qui non fuit veritus peccate, peccati Adæ supplicium videns, *porque no escarmento en cabeza agena opor mejor dezir en el que era su propia cabeza.* Rationem hanc adhibuit Strabo super c. 3. Genes. Strabo.
dicens: terra maledicitur propter peccatum Adæ, vt cuncti propter quos hæc scripta sunt terreantur, ne similia facientes simili pœna plecterentur; ipse verò Cain, quia primæ præuaricationi fratricidium addidit, maledicitur ipse, cum dicitur *maledictus eris super terram.* Ita ille.

Inde infirmitates, inde fames, inde bella, inde pestis, inde frequens mors, &c. Vbi obserua quod inter huiusmodi supplicia iustorum, qui talium suppliciorum non sunt digni, non obliuiscitur Deus. 3. Reg. 12. Ob peccata populi Deus terram fame oppresserat, misit autem Dominus Heliam ad viduam Sareptanam, vt eam ac filium eius à fame ac morte liberaret. Cur, inquit, potius ad hanc, quàm ad alias vel alios misit? cur potius sic recordatus est Dominus huius viduæ quàm aliorum? respondet S. Chrysost. homil. 2.

de Helia: Neque enim, inquit, vidua victu potuit indigere quæ nefariis in scelere numquam voluit consentire, neque enim diuersa merita vna astringit sententia. ita ille. Quare si aliquando vel fames vel pestis etiam iustos comprehendat, vel pro purgatorio eis deseruit, vel ad maiorem cumulum meritorum.

Genes. 4 occidis Lamech Cainum & iuxta sententiam priùs à Deo prolatam dixit: *Occidi virum in vulnus meum, septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Cur maiori pæna puniuit Deus Lamech quàm Cain, cum Cain innocentem & vita dignum occidisset fratrem, Lamech verò nocentem & morte dignum fratricidam? Respondet S. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel cap. 10. In Lamech septuages septies vindicatur, quia grauior eius culpa est, qui nec post damnationem alterius se correxit. Cain verò impetu quodam improuiso peccauerat. Lamech vtique quod in alio reprehensum aduerterat, cauere debuerat. ita ille.

S. Ambros.

Querebatur Deus olim per Isaïam c. 1. dicens: *filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, væ genti peccatrici.* Cur ita væ? subdit, *Terra vestra deserta*; quo pacto, *relinquetur filia Sion sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Expendit Sanct. Irenæus lib. 4. cap. 8. hæc verba dicens: Quando derelinquetur hæc filia Sion? nempe quando nullius erit eius fructus, sicut subuertitur casula siue vmbraculum in vinea facta vindemia, quia nullus est iam in ea vmbraculi vsus collecto fructu; illuc enim custos vineæ se abdebat vt fructus seruaret. ita ille. Ecce Dei mores, cum viderit fructum virtutis & sanctitatis seruabit te; cum tu à fructu cessaueris, cessabit & ille à custodia tua.

S. Irenæus

Forte quis naturaliter loquendo vsque ad vltimam senectam peruenturus erat, quem tamen Deus in iuuentute sua è medio tollit propter peccata eius. vnde Eccles. 7. *ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Duo hîc asserit Salomon. Primum, stultum esse illum, qui effrenis peccat, nimirum, quia vel semel peccare stultissimum est; si enim videres hominem proprio mucrone corpus suum transuerberantem, nonne illum stultum affirmares? Quid igitur facit, qui mortale peccatum committit, quàm proprio gladio animam suam perimere? Si ergo stultum est corpus occidere proprium, quanto magis qui animam? Præterea stultissimum est vel vnum peccatum lethale committere, quid erit plura? Ideo igitur peccare volenti ait Salomon, *noli esse stultus.* Secundo ait, *ne moriaris in tempore non tuo*, quid est mori, *in tempore non tuo?* Nicolaus de Lyra mortem, inquit, accelerando.

Eccle. 7.

In huius confirmationem hoc adducit exemplum Pater noster Lorinus in eodem loco Eccl. 7. dicens: Narrat S. Bernardin. dominica secunda quadragesimæ ser. 17. in ciuitate sua quæ est in Catalonia prope Valentiam, ætate sua, duo de viginti annorum adolescens parentum non parens monitis, tandem ob latrocinia patibulo suspensus est, & ibi spectante populo mox ei barba succreuit, & sensim cum capillo incanuit, & ipsa facies decrepitum senem exhibuit nonagenarium. Episcopus diuino afflatus spiritu docuit tandiu victurum fuisse, si se in paterna obedientia continuisset. ita ille. Sed quid mirum si priuati homines sic puniantur in mundo, cum & mundus ipse sic fuerit etiam punitus? Genes. 6. de diluuio inundaturo mundum dixit Dominus, *erunt dies illius centum viginti annorum*, id est post centum viginti annos immittam diluuium, & tamen secundum aliquorum opinionem, non expectauit nisi centum annos. Cur ita? Sanct. Chrysost. hom. 25. in Genes. respondet: hoc misericordiæ Dei magnum est argumentum, vidit enim homines quotidie incurabiliter peccare, & non solùm ex longanimitate eius nihil proficere, sed etiam magis incrudescere vlcera, præterea succidit tempus, ne se maiori pænæ facerent obnoxios. ita S. Chrysost.

S. Bernardinus

S. Chrys.

Psal. 54. *viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Vbi Cardinalis. Belarminus dicit illud *non dimidiabunt dies suos*, non est accipiendū mathematicè & nimis subtiliter; sed est modus loquendi quo vitæ breuitas significatur. ita ille. Quamuis autem de his tantùm peccatoribus, qui iniustè sanguinem proximi fundunt loqui videatur, Titelmanus de vniuersis peccatoribus qui peccatis suis habenas remittunt, etiam locum interpretatur, sanguis enim in sacris literis peccatum significat, vti ait Origenes super Psalm. 16. hom. 3. isti enim non dimidiabunt sæpe dies, quibus se victuros putant, vel etiam quibus naturaliter victuri erant.

Bellarm.

Titelman.

Origenes

Iob. 33. sic Eliu a[...] Iob: *increpat Deus per dolorem in lectulo. & omnia ossa eius marcescere facit.* In enim in lectulo homines quietem à defatigatione quærunt, & quietem & corpus defatigatum lenire, sed tamen cum Deus peccatorem punire decernit, in vanum quietis lectum quærit; nam in ipso lecto & in ipsa sua requisita quiete, nouit cum doloribus premere & ossa etiam interiora conterere, *alli donde el peccador busca des canso alla dolor; y molimiento de huessos*; quia non est consilium contra Dominum, nec est qui de manu eius possit eruere.

S. Basil. qu. 55. ex his quas fusiùs disputauit: Morbi, inquit, sæpenumero velut quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agimus nisi vt vitam nostram in melius commutemus. ita Sanct. Basil. vnde sic se Deus nobiscum gerere videtur, sicut puerorum magister, à quo pueri vapulant, vt à defectibus corrigantur; nec mireris peccatores pueris comparari, cum non minori quàm pueri ignorantia laborent, imò & maiori quamuis senes illi sint.

S. Basil.

Simile.

Vnde Mat. 9. sic Dominus ad Paralyticum, quem sanauit priusquam salutem illi concederet: *fili remittuntur peccata tua.* Etenim ille non remissionem peccatorum, sed corporis sanitatem postulabat. Cur igitur Christus illam præmisit? Strabus in illum locum sic respondet: Ecce modum curationis, priùs dimittit peccata tollens causam morbi, & postea corpus curat. ita ille. Tollens, inquit, causam morbi. Sic etiam medici corporum faciunt, dolet caput & sanguinem ex brachio extrahunt, nimirum, quia ex abundantia vel malitia sanguinis caput dolere vident, & quia ex capite sanguinem extrahere non expedit, ex brachio illum educunt. Sic Deus propter peccata punit. Si ergo radicitus à morbo liberari vis, tolle peccata quæ morborum radices sunt.

Simile.

Ex eadem Paralytici curatione idem docet Sanct. Hieron. ibid. dicens: *Remittuntur peccata tua*, ait Dominus, quo nobis intelligi datur propter peccata plerasque debilitates & infirmitates euenire. ita S. Hieron.

S. Hieron.

Quod

Quod etiam constat ex curatione alterius Paralytici Ioan. 5. cui Dominus dixit, *ecce sanus factus es iam noli peccare:* quasi dicat propter peccata longa infirmitate laborasti, caue ne iterum pecces. Et ideo merito addit Christus ibi, *ne deterius tibi contingat.* Dictum sibi putet peccator cum infirmatur, peccata tollat si infirmitatem tollere cupit, & post sanitatem ad peccatum non redeat, ne deterius illi contingat.

Ioan. 5.

1. Cor. 11. Præterea Paul. 1. Cor. 11. agens de his qui indignè communicabant: *Propterea*, inquit, *multi infirmi & imbecilles inter vos, & dormiunt multi.* Vide quæ pariant peccata, infirmitates nempe & imbecillitatem & mortem, id enim est, *dormiunt multi*, id est moriuntur.

Eccl. 38. Denique generaliter ait Spiritus Sanctus Eccl. 38. *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* vbi Iansf. bene, inquit, ad exaggerationem peccati dicit, *qui delinquit in in conspectu eius qui fecit eum*; sic enim notatur hominis ingratitudo, qui peccare audet contra eum qui vitam illi dedit, & sanitatem, & ob id dignus est, vt si non vita, saltem sanitate priuetur, & morbos patiatur, & cum morbis amara etiam & molesta medicorum remedia, simul cum grauamine impensarum. ita Iansen.

Nahum. 1. *Deus emulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus & habens furorem, vlciscens Dominus in hostes suos.* Ter dixit *vlciscens Dominus*, vt apertiùs explicaret propheta quàm grauiter puniat peccatores Deus.

At dices, plurimos videmus peccātes & diu viuere sine huiusmodi vindicta. Audi quid subdat Propheta, *& irascēs ipse inimicis suis.* vbi Pagninus & translatio Regia sic legunt, *& reseruans ipse inimicis suis*; reseruans nempe vltionem, quasi dicat: *vengase Dios pero no luego en fraganti delito, sino que muchas vezes se la tiene guardada a sus enemigos*; & hoc non est non vlcisci, sed est vindicta maior. Tunc enim Deus supra modum excandescit cum sinit peccata peccatis cumulari. vnde S.

S. August. Aug. ser. 37. de verbis Domini; Magnæ, inquit, misericordiæ Dei est nequitiæ impunitatem non relinquere, quia ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò flagello dignatur castigare. Vis nosse nulla pæna, quanta sit pæna? Dauidem audi qui ait: *Exacerbauit peccator Dominum, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* Ideo nempe non quæret, quia multum irascitur, parcendo cædit, sed iustè cædit. ita S. August.

Hinc Dominus ipse ad populum suum per

Ezech. 16. Ezech. c. 16. auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius. Verba hæc pietatem potiùs, quàm iram Dei præseferunt, sed nihil minus.

S. Bernard. Audi S. Bernard. ser. 41. in cantica in hæc Ezechiel. verba: solo auditu contremisco: ego, inquit Deus, quos amo castigo. Si ergo Dei zelus te deseruit, & amor, neque eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris, vides, quia tunc maximè irascatur Deus cum non irascitur. ita S. Bernard. vide Sanct. Hieron. in eundem locum Ezechielis.

Quare meritò Scriptura S. 2. Macch 6. *Etenim*

2. Macc. 6. *multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indiciū*, &c. existimabit quidem peccator dum punitur, iram solùm Dei se incurrisse, cum potius Dei misericordia sit sic puniri.

Pro. 14. Prouerb. 14. *Iustitia eleuat gentem, miseros facit populos peccatum.* Ne igitur mireris si abundante in populo malitia abundent in eo miseriæ, quia Deo vindicante miseros facit populos peccatum. Deus enim est iustus Iudex, adeo quidem vt eo ipso quòd Deus est, oporteat illum iustum, & peccatorum esse punitorem.

Nihilominus Sap. 11. sic ad Dominum Sapiens: *Misereris omnium quia omnia potes, & dissimulas peccata omnium propter pænitentiam.* Obserua priuiò, misericordiam hic omnipotentiæ tribui, quia vti ait Ecclesia, *Deus omnipotentiam suam parcendo maxime & miserando manifestat*: homines enim cum primùm afficiuntur iniuria ab aliquo, vindictam quærunt tanquam infirmi & debiles, qui iniuriam sustinere non valent, nec iram suam cohibere ac refrænare victi ab ira sua; at Deus cum iniuria illata illi à nobis grauissima sit & supplicio æterno digna, tamquam omnipotenter misericors dissimulat peccata hominum propter pænitentiam; non dissimulauit peccata Angelorum, quia non ita sicut homines capaces erant; nos expectat quia capaces sumus. Vnde Oseæ 11. sic Deus ipse; *Conuersum est in me cor meum, non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Efraim, quoniam Deus ego & non homo.* Vbi sic S. S. Cyrill.
Cyrillus, quia ego bonus non concedam iræ vt non vincar ab ira. ita ille. Adde, sicut homo, qui facile cedit iræ, & vincitur ab illa.

Et quidem ideo in sacris litteris Deus *longanimis* cognominatur, vt in Psal. 102. num. 8. & 2. Esdræ 9. n 17. id est longus seu latus naribus, *no es ayrado ni se le sube depresto el humo a las narizes como a nosotros*; & est Deus noster adeo longanimis, vt inde ansam infideles sumant detrahendi iustitiæ & misericordiæ diuinæ Adnotauit hoc Tertul. lib. de patientia c. 2. Est Deus adeo Tertull.
longanimis in peccatoribus sustinendis, vt sua sibi patientia detrahat, plures enim Dominum id circo non credunt, quia tandiu sæculo iratum nesciunt. ita ille.

Mouere aliquem posset impunitas peccatorum. Vnde Dauid dixit Psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde; mei autem pene moti sunt pedes. Pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns*, &c. Sed tamen ipsemet Dauid paucis respondet Psal. 9. Psal. 9.
dicens: *Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi, peribitis gentes de terra illius.* Quasi dicat: Nolite mirari videntes malos in mundo ad tempus florere absque punitione diuina, quia iudex & vindex Deus in æternum regnat: ergo æternitatem habet ad debita inferenda supplicia. S. Basil.
Sic locum exponit S. Basil. in scholiis, dicens: *Dominus*, inquit, *regnabit in æternum.* Loquitur hic propheta ad eos qui propterea turbantur, quod non mox pænas dent peccantes Quid turbaris, inquit? non enim Deus iudex temporarius est; tametsi namque pænas nondum det qui peccat, dabit tamen prorsus; manet enim continuo iudicās, propterea dicit, *peribitis gentes de terra illius.* ita S. Basil. Etenim Reges terræ non ita differunt supplicia, quia Rex & regentes temporales forte si statim non puniunt, postea cum voluerint non poterunt; Deus autem cum æternus sit, si in hac vita non punit, puniet post hanc vitam, & væ illi cui supplicium differtur in aliam vitam!

Mat. 8. Dormiente Christo Domino suborta fuit tempestas maris talis ac tanta, vt Apostolis periculum induceret mortis. Cur igitur sic dormiebat Christus? cur tempestatem oriri permisit? Respondet sanct. Ambros. serm. 11 de S. Ambr.
Temp. quia ibi erat perfidus Iudas; quisque

quiq;

enim peccatum admittit, statim sibi dormire facit Dominum, & procellam sibi spirituum suscitat immundorum. ita S.Ambros. Idem patet in Iona.

Genes.3. sic Dominus Adæ post eius peccatum: *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, & tribulos germinabit tibi:* Quid peccauit terra vt eam malediceret Deus? Lyra. Lyranus, in hoc sterilitas terræ notatur, quæ post peccatum non produxit fructum homini conuenientem, nisi cum cultura & labore, quæ antea sponte fructus producebat conuenientes in abundantia, & produxisset, si homo in statu innocentiæ perstitisset. Vnde in Hebræo habetur, *maledicta terra propter te*, id est, propter peccatum tuum propter quod sterilitatem incurrit. ita ille.

Et item ad Cain post eius peccatum sic Dominus: *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos.* Idem. vbi etiam Lyranus, licet antea maledicta fuerit terra propter peccatum Adæ, amplius est maledicta propter peccatum Cain, vt paucus fructus daret illi. ita Lyran.

Nota verbum *in opere tuo*. Quid est *in opere tuo?* S. Hieron. Sanct. Hieron. in quæstionibus Hebraicis, opera hic non ruris colendi vt pleraque putant sed peccata significant, vt in Hebræo habetur; & Aquila non discordat, dicens: *Maledicta humus propter te.* ita Sanct. Hieron. Igitur propter peccata hominum Deus terræ maledicit, si terra denegat triticum, vinum & fructus, peccata sunt in causa; si fames nos premit, si aliis huiusmodi malis vexamur, maledictio Dei erit propter iniquitates nostras. Cesset iniquitas, & cessabit maledictio.

Sunt quidem plures qui ad facilè peccandum inde mouentur, quod facile sit à Deo propter infinitam eius misericordiam consequi veniam. Confitebor, inquit peccans, peccata, pænitentiam faciam, & sacramenta recipiam, vt veniam peccati pariter recipiam. Ecce serpentis astutiam & deceptionem. Primò enim scis, ô peccator, te peccante mortaliter gratiam Dei amittere, & secundùm præsentem iustitiam, te mortis æternæ reum remanere; vtrum autem rectè pænitentiam acturus sis, ita vt ad gratiam Dei redeas, ignoras.

Præterea quamuis pænitentiam egeris, ita vt gratiam consequaris, pæna peccati remanet, quæ sæpe sæpius non omnino per confessionem remitti solet, sed multis laboribus & tribulationibus solui; sicut in primo parente patet, quem pænitentia mediante, eduxit Deus è delicto suo, sed tamen maximis fuit simul laboribus addictus, quorum & nos heredes sumus, in quo ipse Adam Lyra. deceptus fuit, prout his verbis notauit Lyranus in 3. caput Genesis; fuit Adam in hoc deceptus, quod credidit post transgressionem se consequuturum veniam, & sic in statu suo remanere. ita ille, *In statu*, inquit, *suo* scilicet immortalitatis, & felicitatis paradisi, sed nihil minus. Sic & huiusmodi peccatis idem euenire solet, nullum enim peccatum dimittit Dominus impunitum, &c.

Deus cui proprium est misereri semper & parcere, ne peccatores inferni pæna in æternum puniat, solet in hac vita eos punire. Vnde Genes.6. videns multam esse malitiam hominũ super terram dixit, *non permanebit spiritus meus in homine* S. Hieron. *in æternum, quia caro est.* Sanct. Hieronym. ex Hebræo sic transfert, *non iudicabit spiritus meus homines in sempiternum, quia caro sunt;* quid est *non iudicabit in sempiternum?* Respondet idem Sanct. Hieron. explicans hunc locum in quæstionibus Hebraicis, quia fragilis est hominum conditio, non eos æterno cruciatui reseruabo, sed hic reddam, quod merentur. Clementia ergo est non seueritas, quod peccator hic pro scelere visitatur. Vnde Deus iratus dicit Oseæ 4. *non visitabo filias eorum cum fornicatæ fuerint,* & Psal. 88. *visitabo in virga iniquitates eorum.* ita Sanct. Hieron. Cũ igitur qui peccauerit (Quis autẽ est homo qui non peccauerit?) viderit se malis temporalibus premi, gratias Deo reddere debet, quia qui non iudicat bis in id ipsum, non reseruat supplicium eius in æternitatem, sed temporali potius cum pæna castigat.

Iob. 4. sic quidam sapiens amicus Iobi. *vidi eos qui operantur iniquitatem & seminant dolores & metunt eos, flante Deo periisse.* Quid est seminare dolores & metere illos? peregrina quippe est talis seminatio & messis ista, triticum & hordeum seminari & meti nouimus, dolores verò quomodo seminari & meti possunt? Sanct. Gregor. 15. S. Greg. Mor. 15. Dolores seminant, qui peruersa agunt, & dolores metunt, cum de eadẽ peruersitate puniuntur, fructus quippe peccati, est retributio damnationis. ita ille. Ait igitur Eliphaz, se experimento didicisse, quòd iniqui in hac vita peccando dolores & tribulationes seminant, & colligunt. Attendat igitur quid agat qui peccat; etenim dolorem seminare & tribulationem, est peccare; quam igitur aliam messem expectabit?

Quod si aliquando non statim Deus punit, ma- S. Chrys. ioris futuræ pænæ signum est. Sanct. Chrysostom ser. 2. de Helia: Sera vltio fæneratam metetur pænam. ita ille. Pondera metaphoram fænetis.

Dices, sæpe videmus peccatores prosperitate gaudere, & nulla animaduersione puniri. Re- S. Leo. spondet S. Leo Papa ser. 5. Epiphaniæ: Dilatio vindictæ dat locum pænitentiæ, nec tamen dici potest nullam ibi esse vltionem, vbi nulla est conuersio: quia mens dura & ingrata iam sibi ipsi supplicium est. ita ille. habet enim Deus reseruata in alia vita supplicia grauia.

Et subdit S. Leo: Prosit peccatori patientia Idem. Dei, nec ideo delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur; non sit de impunitate securus, quia si tempus pænitẽtiæ amiserit, locum indulgentiæ non habebit, dicente Propheta, *quia non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* ita ille.

Dices, consuetudine praua me alligatum sentio. Respond. S. Leo ibidem ser. 6. confuge ad clementiam auxiliantis Dei, & vincula malæ consue- Idem. tudinis ab illo posce abrumpi; qui alleuat omnes qui corruunt & erigit omnes elisos, & non erit vacua confitentis oratio; sed misericors Deus dabit quod petitur, qui dedit vnde peteretur. ita S. Leo.

PROPOSITIO V.

Peccatum mentem excæcat.

LVc. 15. sic de filio prodigo qui peccatoris speciem gerit: *Ipse reuersus dixit: Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quid est *in se reuersus?* numquid

S. Petrus Chrysol. numquid non erat ipse semper in se? S.Petr.Chrys. ser. 2. de duobus filiis. In se priùs rediit vt rediret ad Patrem, qui à se ante recesserat, cum recessit à Patre; à se enim migrat, & ab homine iterus transit in bestiam, qui est paternæ pietatis immemor, & gratiæ genitoris oblitus. ita ille. Et quidem peccatum commissum id ostendit; quis enim si mente captus non esset tantum in Deum & in se ipsum perpetrare auderet malum? Sicut si videres hominem proprio pugione pectus suum transfodientem, nonne iudicares illum iudicio carere? quid autem est peccatum mortale committere, nisi eo veluti pugione quodam animæ pectus transuerberare, & animam mortuam in viuo corpore sepelire?

Non negamus malis & peccatoribus acumen ingenij, sed peruersionem affirmamus; acumen enim & sapientiam naturalem in malum conuertunt. Sicut qui munitionum arcem ab hostibus expugnat, & capit, omnes munitiones & arma & tormenta bellica illius arcis, quibus hostes aduersus eum pugnabant, aduersus eos conuertit: sic cum peccatum hominem inuadit & arcem intellectus capit, omnem aciem intellectualem, qua virtuti seruiebat contra peccatum, deinde contra virtutem ea peccatum commutat. Vnde sic Dominus ad peccatores populi sui, Ierem. 4.
Ierem. 4. *sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.*

Exod. 1. sic Pharao ad consiliarios suos; *Venite & sapienter opprimamus Israelem.* Non ait, *venite & fortiter & crudeliter opprimamus eum*, sed *sapienter*; vide quomodo sapientes hi sint ad malum.
Lipoman. Vnde Lypomanus in hunc locum: Consilium capiunt nocendi peregrinis, callidè consultant, & astutè circumueniunt filij sæculi huius, & sapientiores sunt ad malum, & suis solent semper rebus consulere per fas vel nefas. ita ille.

2. Reg. 12. 2. Reg. 12. missus fuit Nathan ad correctionem Dauidis, mirum quidem hoc, cum maior & sublimior propheta esset Dauid quàm Nathan, & potius poterat Dauid docere ipsum Nathan quàm Nathan Dauidem. Cur igitur misit Dominus Nathan ad corrigendum Dauidem? S. Ambros. in Apologia Dauidis: Sciebat Nathan, quod Dauid nesciebat, ideo caligat animus obumbratus nube quadam vitiorum. ita ille. Etenim per annum ferè antea peccauerat Dauid, & cum tantus Propheta extitisset, non ita pænituerat, donec iam nato ex adulterio filio, oculos eius Dei pietate aperuit Nathan, quamuis inferior propheta. Quod si mentem Prophetæ tanti cæcat peccatum, quid efficiet in his qui non sunt prophetæ & sine freno peccant?

Mat. 2. in aduentu Magorum Herodes consuluit sapientes Iudæorum vbi Christus nasceretur. A quibus accepit Christum nasciturum in Bethleem secundùm diuinas scripturas; & inde decreuit occidere maximum numerum illorum
S. Chrys. puerorum. Arguit S. Chrysost. hom. 2. in Matth. contra Herodem hoc pacto: Credebat Herodes, scripturas, aut non credebat; si non credebat, vt quid interrogabat scripturas, quibus fidem non dabat? si autem credebat, quia inde nasciturus erat vbi scripturæ dicebant, quomodo sperabat se interficere posse Regem illum, quem futurum scripturæ esse dicebant? Numquid poterat homo corrigere vt non fiat, quod Deus ordinauit, vt fieret? Excæcatio fuit ista inimici. ita ille. Quid mirum si cæcus in foueam cadat? quid mirum si stultus stulta loquatur & operetur? sic quid mirum si excæcatus à diabolo cadat in stulta peccata.

Propositio VI.

Quàm dignus dedecore sit peccator.

ANtequam homo primus in peccatum incideret, animalia cuncta, etiam feræ & venenata serpentia ei subdita erant; & ideo Dominus ea omnia coram Adam collocauit, *vt videret quid vocaret ea*, &c. Denique cuncta homini in iustitia originali constituto honorem deferebāt; sed cùm primùm peccauit, animalia in eum conspirarunt. ita Sanct. Chrysost. in Psalm. 8. Postquam homo aspectum per peccatū commutatauit, tunc bestiæ eum non agnoscebant, & quæ seruæ erant ei hostes euaserunt. ita ille. *perdieron le el amor y respeto que le tenian como a traydor a su Rey y criador.*

Genes. 4. dicitur de Enos: *Iste cæpit inuocare nomen Domini.* Enos idem est quod homo. Quærunt igitur expositores sacri, cur nomen vniuersale, & cunctis hominibus commune tributum sit & applicatum huic viro speciatim? Respondet Eusebius lib. 7. de præparat. Euangelica cap. 3. dicens: Apud Hebræos Enos verus homo interpretatur, & neminem existimant verum esse hominem præter eum qui verum Deum cognoscit, & piè colit, alios verò nihil à peccatoribus differre arbitrantur, quia veluti bestiæ ad terram proni, ventri & veneri obediant, quorum alios lupos, alios canes, alios sues, alios serpentes, varia quadam vitiorum similitudine scripturæ Iudæorum appellare consueuerunt. Gen. 4. Eusebius

Genes. 6. sic de Noë diuina scriptura: *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis.* Expendens locum istum Philo lib. de legibus non scriptis: Hominem, inquit, non vulgari loquendi forma sed per excellentiam vocat eum, qui verè suo respondet nomini, erectis ex animo immansuetis, rabidis feriuisque affectibus vitiorum. Argumento est quod post hominem addit, *Iustus*; quia nemo iniustus est homo, sed potius bestia in figura humana; in solum autem iustitiæ sectatorem hominis competit nomen. ita ille. Non igitur ait Spiritus S. *Noe iustus & perfectus erat*, sed addit *erat vir.* Esse virum & esse iustum coniunxit; nemo enim dici vir meretur qui iustus non sit. Subscribit S. Chrysost. hom. 23. in Genes. dicens: commune nomen pro laude iusti Moyses vsurpat, nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immersi erant, esse homines amiserant. Noë verò in tanto populo imaginem hominis seruauit: tunc enim quis homo est quando virtutem colit; neque enim hominem speciem habere & oculos, & nares, & os, & genas, homines esse ostendit, sed colere virtutes & fugere vitia, & illicitis affectionibus imperare, & Dei mandatis obtemperare. ita S. Chrysost. Gen. 6. S. Chrys.

Hinc est quod in sacris litteris belluarum nomina peccatoribus applicantur vt Matth. 3. Matt. 3. 7
Baptista eos *viperas* vocat. Ierem. cap. 5. *equos* Ierem. 5. 8
Salomon Cant. 2. *vulpeculas*, Dauid Psalm. 48. Cant. 2. 15.
iumenta, Christus Dominus Luc. 10. *lupos*, Luc. 48 13.
& alibi aliter. Quæ quidem loca sic expendit Luc. 10. 3.
Sanct. Ambros. ser. 10. in Psalm. 118. Scriptura S. Ambr.
cum

eum hominem dicit qui eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, peccantem autem non hominem, ſed ſerpentem aut equum inhinnientem, aut vulpeculam, aut iumentum vocare conſueuit: quia exuti cæleſtis imaginis ornamento, etiam hominis amittimus nomen, qui gratiam hominis non tenemus. ita ille.

In ſacris litteris ſupplicia peccatoribus inflicta *onera* vocari ſolent, vt Iſai. 22. *onus deſerti maris.* & Iſai. 22 *onus vallis viſionis* & c. 23. *onus Tyri*, & c. 30. *onus iumentorum Auſtri*, &c. cur non ait pœna vel ſupplicium, ſed *onus?* nimirum, quia onus belluarum propria res eſt; ideo enim ibi dixit Iſaias. onus iumentorum pœnam Auſtralium; vt enim iumentis onera, ita ſupplicia peccatoribus imponuntur. Dicendo igitur onera peccatorum, belluas eos eſſe denotauit.

Matth. 5. ſic legio illa dæmonum quæ hominem quendam poſſidebat, ſic Chriſtum deprecabatur dicens: *mitte nos in porcos.* Ita ne Angelici ſpiritus, qui ſicut Deus eſſe volebant, in porcos introire volunt & pereunt à Deo? S. Petr. Chryſol. ſer. 17. expendens petitionem hanc: Vide, inquit, vbi Satanas, ſedem optat collocare de ſepulchris in porcos, ſemel infectus putredine habitacula fœtida & immunda perquirit; ſordibus enim delectatur, & cœno, qui vtique ſemper, fœtore criminum & ſqualore paſcitur vitiorum. ita ille. Permiſit igitur Deus legionem illam dæmonum in fœtore prius ſepulchri, deinde in porcis ſedem conſtituere, vt doceret nos quibus in cordibus miſerabilis hæc creatura commoretur, vt vel hac ratione abominationem peccati fugiamus, ne ſterquilinium dæmonum ſimus.

S. Petrus Chryſol.

Luc. 2. *Reclinauit eum in præſepio*, &c. Cur Deus maieſtatis in ſtabulo naſci, & in præſepio voluit collocari, cuius habitatio cœlum eſt? Et quidem nec digna tali tanto habitatore, talis cœli habitatio eſt: nimirum, qui quærit aliquem, ibi eum quærit vbi ille eſt; ſtabulum & præſepia loca ſunt beſtiarum. Quærens igitur Deus hominem ad beſtiarum loca deuenit, vt in beſtiam hominem qui peccauerat conuerſum denotaret. Vnde Sanct. Bernard. ſerm. 3. circumciſionis Chriſti, Chriſtus (inquit) panis eſt viuus, de quo viuere debuit homo, ſed quia homo iumentum factus erat, & panis factus eſt fœnum, & huius quidem ſacramentum mutationis die natiuitatis celebratum eſt, quando verbum caro factum eſt, verbum diuinum in nobis cibus eſſe voluit ſecundùm carnem ſuam, nos iumenta conuerſos denotauit. Sed hoc confirmatum eſt ex circunſtantia loci vbi naſci dignatus eſt.

S. Bern.

Tempore quo Rex Manaſſes regnabat ſuper regnum Iuda, prophetarunt Ioel, Nahum & Habacuc vti affirmant Hebræi in libro, *Soder olam.* Cur igitur in principio horum prophetarum nulla fit mentio Regis Manaſſes, cum mos prophetarum ſit in principio prophetiæ regum tunc regnantium facere mentionem? Reſpondent Hebræi ibidem, quia Manaſſes non erat rectus coram Domino, nec nominis ipſius facere mentionem voluit. ita ille. Et quidem valde Manaſſem deliquiſſe contra Dominum conſtat ex. 2. Paralip. 32. & 33. & ex lib. 4. Reg. 22. & ex Ierem. cap. 15. Ecce quanta ſit infamia & vilitas peccati, vt hoc pacto famam tanti Regis denigrauerit.

Ioan. 1. ſic de ſe Sanct. Ioannes Baptiſta: *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*, &c. Quale, inquies, deſertum eſt hoc, in quo Baptiſta clamat? numquid propterea hoc dixit, quia in deſerto prope Iordanem prædicabat? Ita quidem, ſed potius, quia corda eorum ad quos prædicabat deſerta, & deſtituta erant religione, virtute, & moribus bonis. Sic locum hunc interpretatur Theophylactus Marci cap. 1. dicens: *Vox clamantis in deſerto*, forte in deſerto Iordanis, vel forte in ſynagoga Iudæorum, quæ deſerta erat omni bono. ita ille. Nec obſtat expoſitioni dictio illa *forte*, quia ſæpe ſacri expoſitores hanc notam dubitationis in ſuis gloſſis apponunt, non vt mere ſub dubio ſenſum relinquant, ſed vt debita cum reuerentia & timore ſacram Scripturam exponant. Deſertum igitur Matth & Iſaias corda illa Iudæorum vocant, eo quòd ſimilia deſerto erant. In deſerto enim non arbores fructiferas, & olera virentia, & victui noſtro apta reperies, ſed ſpinas, tribulos & arbores ſylueſtres. Sic in cordibus illis tunc temporis non fructus virtutum, ſed malas vitiorum herbas inuenit Baptiſta. in deſerto dracones, & leones, vrſi, & lupi, ſerpentes, & viperæ degunt; ſic in cordibus peccatorum, quid inuenies niſi dracones ſuperbiæ, leones crudelitatis, vrſos terroris, lupos gulæ, vulpes fraudis, ſerpentes & viperas detractionis? quid enim detractor niſi venenum expuit? ſic vitia cor humanum, quantumuis in ſe nobile deturpant, & vile reddunt.

Luc. 16. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo*, &c. Cur Dominus diuitis huius nomen non dixit, pauperis verò Lazari expreſſit? quod præter vſum eſſe videmus. In mundo enim diuites & nobiles ſunt viri famoſi, pauperum autem nomina ab omnibus ignorantur, diuites in pretio habentur, pauperes pro nihilo reputantur, & deſpiciuntur, vti obſeruauit Salomon Eccleſiaſt 9. num. 14 & Eccleſiaſti, c. 3, n. 28. vbi dicitur: *Diues locutus eſt & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent. Pauper loquutus eſt, & dicunt, quis eſt hic?* Chriſtus verò hic pauperem proprio nomine nominauit, diuitem verò nequaquam. Cur ita? Ratio in promptu eſt. Diues ille peccator & malus erat, pauper verò iuſtus & bonus; in ore autem Dei peccator nomen nõ habet Pſal. 15. *nec memor ero nominum eorum per labia mea*; de iuſtis verò quamuis pauperes ſint, Pſalm. 71. ait Dauid: *Honorabile nomen eorum coram illo.* Perpendit hoc rectè S. Paulin. epiſt. 31. dicens: eorum diuitum quorum vel crimina vel ſupplicia in ſcriptura ſignata ſunt, nomina ſignificata non ſunt, quia ſine dubio indigni erant vt diuino ſermone nominarentur. Talia igitur nomina in Euangelio non ſcribuntur, quia nec in libro vitæ continentur. Labia ſua diuina iuſtitia polluì noluit nominibus impiorum, & idcirco diuitum illorum. de quibus Luc. 12. & 16. & Matth. 10. mentio fit, nomina non exprimuntur. ita S. Paul. In mundo quidem nomen habet diues quamuis peccator ſit, dum ſcilicet viuit: ſed poſt mortem (ſicut ait Dauid) *perit memoria eorum cum ſonitu*: nam & & ipſe mundus quos adulationibus viuentes extollit, mortuos vituperat, & contemnit, & eorum obliuiſcitur in ſæculum ſæculi. Hoc rectè explicuit Sanctus Vincentius Ferrer. 5. poſt Dominic. 2. Quadrageſimæ, ſimilitudine iſta; falco dum viuit honoratur multum a domino ſuo, & in manu eius portatur, & diligenter ſeruit

S. Paulinus

S. Vincentius Fer.

ſeruit & carnem ei præbet ad manducandum manu propria. Gallina verò ſi modicum approximat ad comedendum micas quæ cadunt de menſa domini, expellitur ſtatim. Sed tamen in morte è conuerſo gallina cum honore ponitur in menſa domini inter duos catinos, & falco proiicitur in ſterquilinium. Ita in mundo diues ſicut falco delitiosè, & honorificè viuit, pauper verò ſicut gallina nec appropinquare audet diuitis domui; quando verò moritur pauper, anima eius deportatur coram Deo inter duos catinos, ſed diues mortuus ſepelitur in inferno. Et ecce cur Chriſtus priùs nominauit pauperem quando loquebatur de alia vita. ita S. Vincent.

Ierem. 31. Ierem. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Locum hunc ad Chriſtum Dominum ſpectare notiſſimum eſt, cum nempè adhuc exiſteret in vtero matris. Cur igitur eum virum appellat Propheta cum adhuc infans, nec natus eſſet? nimirum quia ſapientia & fortitudine animi vir perfectiſſimus erat; at peccatores vide quomodo appellentur à Propheta Iſai. c. 65. *infantes dierum & pueri centum annorum*, & Prou. 1. Dei ſapientia introducitur prædicans in foro hominibus referto dicens, *vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſunt ſibi noxia cupient?* Nonne in foro viri nobiles & ſenes conueniunt? cur ergo pueros eos vocat? Nimirum, quia ad peccatores ſermo erat, & hi pueri meritò dicuntur: nam ſicut pueri prudentia carent, ſic & peccatores, nulla enim ſtultitia maior quàm peccate, nulla inſania maior; ſi enim inſanos dicimus eos qui inſana verba dicunt, quanto magis eos, qui inſana opera faciunt? Ideoque ſtultos ibi ſapientia vocat peccatores.

Iſaias 65. Prou. 1.

S. Ambroſ. Luc. 1. Vnde Sanct. Ambroſ. ad illa verba de Baptiſta, *erit magnus coram Domino*, in cap. Luc. 1. ait: Eſt paruitas animæ, & virtutis pueritia, & ſubdit: Animæ numerantur ætates non pro ratione temporis, ſed pro qualitate virtutis; vt vir perfectus ille dicatur, qui errore pueritiæ careat, & lubricum adoleſcentiæ animæ maturitate non ſentiat. ita S. Ambroſ.

Pſal. 104. Pſal. 104. *Miſit ante eos virum in ſeruum, venundatus eſt Ioſeph.* Cur hic Dauid virum dicit fuiſſe tunc Ioſeph, cum non haberet niſi ſexdecim annos, vti conſtat ex cap. 37. Geneſis? Rupert. lib. 8. in Geneſ. cap. 33. quia licet iuuenilem ætatem ageret, virilem præſeferebat. ita ille.

Gen. 37. Rupert.

Gen. 6. Geneſ. 6. ait Scriptura de peccatis illis propter quæ Deus diluuium miſit: *Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.* cur non ait: *Repleti ſunt homines iniquitate*, ſed *terra*, cum propriè loquendo non terra ſed homines iniquitate pleni eſſent? Sanct. Chryſoſt. hom. 24. in Geneſ. ſic reſpondet: Quia peccatum facit vt homines ſuo nomine vocari non ſint digni. ita ille. Etenim nomen hominis honorificum eſt in ſe, & quia peccator honore indignus eſt, ideo Deus peccatores illos homines vocare noluit. ita ille.

S. Chryſ.

Luc. 3. Eadem ratione Sanct. Lucas cum de Magdalena mentionem fecit cap. 7. quando peccatrix erat, non eam proprio nomine nominauit, ſed peccatricem, dicens: *Erat mulier in ciuitate peccatrix.* Cur nomen proprium tacuit, niſi quia noluit eam ſuo nomine honeſtare?

Vnde ſic Deus de peccatoribus agens Pſal. 15. ait: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Quaſi infecta peccatis eſſent nomina illa. Cui cõgruit quod dictum eſt de Lazaro & diuite.

Propositio VII.

Sæpe Deus propter peccata deſerit peccatorem, & quomodo.

INter omnia huius mũdi mala hoc potiſſimum timendum eſt, deſeri nempe hominem à Deo; hoc illud *væ* ſonat Oſeæ c. 9. *væ eis* (ſcilicet peccatoribus Efraim) *cum receſſero ab eis.* Quid eſt, *cum receſſero ab eis?* id eſt, cum deſeruero eos. Sic explicat poſt longam huius loci examinationem D. Franciſcus Ribera: deſertioni huic rectè adiungitur *væ*, quæ ſummam calamitatem importat, vnde non ſine cauſa pauor irruit ſuper Cain, cum dixit Geneſ. 4. *eiicis me hodie à facie tua & à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Quid ergo inde? *omnis* igitur *qui inuenerit me, occidet me.* Legitima eſt conſequentia, quis negabit eam? Ecce igitur quid peccatum operetur, deſertionem quidem & ſeparationem à Deo, & priuationem dolendam prouidentiæ diuinæ. Oſe. 9. P. Ribera

Hinc Dauid. Pſal. 3. *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſus me, multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.* Ita interpretatur S. Baſil. in ſcholiis huius pſalmi dicens: *Domine*, inquit, *quid multiplicati*, &c. Hoc eſt, multi quidem communis generis hoſtes vndique irruunt in me, hi tamen plus cæteris me diſcruciant, qui me prouidentia tua priuatum eſſe dicunt. ita S. Baſil. adeo graue malum eſt, ſic deſtitui nos à Deo. S. Baſil.

Geneſ. 4. ſic Dominus ad Cain. *Si male egeris, ſtatim peccatum in foribus aderit.* Quid eſt *peccatum in foribus adeſſe*? Alcuinus in hoc loco, id eſt intrantem te & exeuntem peccatum comitabitur te, nec Dominus cuſtodiet introitum tuum, & exitum tuum. ita ille. Eſt autem ſcripturæ phraſis, cuſtodire Dominum introitum & exitum alicuius, pro eo quod eſt in omni negotio ac re bonum initium, bonumque exitum tribuere Deum alicui, vti Caſſiodor. & alij teſtantur in id Pſal. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum*, id eſt (ait Caſſiod.) bonis initiis bonos exitus adiungat, hoc eſt, protegat te Dominus ab omni malo. Ait igitur Dominus ad Cain, *Si male egeris, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*, hoc eſt protectionem Domini in introitu & exitu rerum tuarum amittes, & ſub peccati malo militabis. Alcuinus

Propositio VIII.

Peccator ſeruus eſt diaboli.

MAtth. 6. *Adueniat regnum tuum.* S. Gregor. Niſſen. oratione 3. in oration. Dominic. numquid nunc vult Chriſtus fieri Rex vniuerſi? quid ibi vult hæc deprecatio? Reſpondit idem S. ibidem; ac ſi dicat: A morte liberatus ſum Domine, ſoluar à vinculis peccati, ne poſthac regnet in me mors, ne ampliùs aduerſùm me efficax ſit malitiæ tyrannis; ne præualeat contra me hoſtis, nec per peccatum captiuum me ducat, ſed veniat ſuper me regnum tuum. ita ille. Tyrannis igitur diaboli Niſſen.

in peccato consistit, quod adeo graue malum est, vt inter septem præstantissimas petitiones hanc secundò & immediatè post Dei sanctificationem constitueris Christus.

Propositio IX.

Peccator sæpe priuat se pia Dei prouidentia quam habet erga iustos.

GEnes. 4. Peccauit Cain fratricidium committens, propter quod illum maledixit Dominus, & subdit scriptura: *Egressusque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra,* &c. Quid est *à facie Domini egredi?* qui fieri potest vt à facie Dei quis egrediatur, cum oculi Domini non solùm videant, sed etiam contemplentur bonos & malos in omni loco? sicut Salomon ait Prou. 15. S. Chrysost. hom. 19. in Genes. id est nudatus est Cain præsidio Dei propter facinus quod perpetrauit. ita ille. nudatus scilicet præsidio illo & prouidentia illa speciali, quam Dominus erga iustos habet? quid infelicius? inde quippe innumera mala proueniunt, sicut in filio prodigo videmus postquam à domo & facie patris recessit.

Propositio X.

Quàm graue malum sit peccatum.

Matt. 26. 38. MAtth. 26. Sic Christus Dominus: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Vnde quæso tristitia tanta Christo Domino? numquid non ipse passionem suam priùs desiderauerat valde, dicens: *baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur:* Luc. 12. Luc. 12. 50. Desiderij autem adimpletio lætitiam habet, non tristitiam. Psal. 68. 21. Solutio ex verbis illis psal. 68. pendet, vbi Christus dixit ore Dauidis, *sustinui, qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur & non inueni.* At cum Christo non fuerunt contristati Apostoli? & mulieres bonæ nonne lamentabantur? vt constat ex cap. 20. Ian. & 16. Marc. S. August. Respondet S. Augustinus non dixit Dominus, *sustinui qui contristaretur & non fuit*, sed *qui simul contristaretur*, id est ex ea re qua ego contristabar, & non inueni. Contristabantur illi de morte Domini, de illis autem esse debuit, tristitia, qui cæci medicum occiderunt, qui tanquam perniciosè febrientes, frenetici faciebant iniuriam ei, à quo illis fuerat salus allata. Christus volebat eos sanare, illi sæuire, hinc tristitia medico, quære verùm inuenerit comitem tristitiæ huius; ergo in tristitia quam habebat Dominus quando pro illis orabat, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt,* nullum comitem habuit, qui simul contristaretur. S. August. Tristitia ergo illa vsque ad mortem propter peccata illorum erat, ideo Christus dixit mulieribus, *nolite flere super me*, id est, super mortem & dolores meos corporales, *sed super filios vestros*, id est super eorum peccata. Ecce vnde Christo Domino talis tristitia ac tanta, ex peccatis scilicet, ô quàm graue malum peccatum, propter quod sic dolet, sic tristatur Deus, qui lætitia est Angelorum!

S. Ambros. S. Ambros. lib. 3. de officiis cap. 5. fabulam refert à Platone conscriptam, pastorem nempe quendam, nomine Gyges, inuenisse annulum aureum, cuius proprietas erat possessorem suum reddere inuisibilem, ita vt quodvis delictum inuisibiliter perpetrare posset, sicut fabulosè aiunt perpetrasse ipsum Gygem vt regnum Lydiæ sibi adipisceretur. Ait igitur Plato: Da hunc annulum sapienti, vt beneficio eius possit latere cum deliquerit, & non minus fugiet peccatorum contagium quàm si non posset latere; non enim est latebra sapienti spes impunitatis sed innocentia. ita refert S. Ambros. Iustus ergo recta facit propter seipsa, & vitat peccatum propter ipsum, & amat virtutem, quia virtus est; odio autem habet peccatum, quia peccatum est; amplectitur bonum quia bonum; fugit malum, quia malum; & hac ratione ait Apost. 1. ad Timoth. 1. *Iusto non est lex posita.* Quid ita? numquid lex non complectitur omnes, tam iustos quàm peccatores? Idem. S. Ambros. ibidem: Iusto, inquit, non est lex posita, sed iniusto, quia non terrore pœnæ reuocatur à culpa, sed honestatis regula. ita ille. Peccator peccata sua latere cupit, virtutis verò si aliqua facit opera, manifestari; iustus autem è conuerso virtutes suas occultat, & peccata confitetur.

Miratur meritò S. Bern. ser. 3. de circũcis. Christi, cur voluerit Deus circumcidi, dicens. S. Bernard. Quando verbum caro factũ est, minoratus est Christus Dominus paulo minùs ab Angelis, habitu inuétus vt homo; in circumcisione verò eius mirabilius aliquid audio, quia minoratus est multum minus ab Angelis, cùm non solùm formam hominis, sed etiã formam habeat peccatoris, & insigatur velut quodã cauterio latronis. Quid est enim circumcisio nisi quoddam peccati indicium? Tu autem Domine, nonne verus Deus es de Deo vero: & homo verus sine peccato de virgine matre: Sed quid mirum si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? totus siquidem mihi est datus & totus in vsus meos expensus est. ita S. Bernard.

Sed, inquies, si nos fuimus, qui peccatum commisimus, nos pœnas peccatorum soluere debebamus; cur igitur nobis peccantibus super eum qui non peccauit pœna descendit? Respondet S. Bern. S. Bern. ibidem; Quid mirum si caput pro mẽbris accipit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam? Nonne & in membris nostris pro vnius infirmitate alteri curatio adhibetur? dolet brachium & in brachio fit coctura, dolent renes Simile. & fit in tibia; ita & pro totius corporis infirmitate, cauterium quoddam infixum est in capite. ita S. Bernard. Idem.

Sed rursũ dices, quòd capite dolente in brachio fiat coctura, non mirum si membrũ minoris valoris patiatur pro nobiliori; at nobilius pro viliori sic pati, hoc est quod omnem superat admirationem. Sed responsio in promptu est, curatio peccatorum in satisfactione pro ipsis consistebat; tanta autem erat grauitas peccati, vt satis facere Deo pro nostris peccatis prout oportebat, nulla pura creatura valeret; est enim culpa in Dei infinitam maiestatem, atque adeo erat debitum infinitum. In tantum enim peccati malitia crescit, in quantum persona cui facta est, iniuria maior est. Cum igitur Deus infinitus sit, satisfactio cuiusdam infiniti valoris ei debebatur. hanc quis poterat adhibere nisi qui Deus esset? Ideo igitur Saluator noster, qui satisfacere volebat pro nobis, Deus esse debuit.

Ierem. 2. *Scito & vide quia malum & amarum est reliquisse te Deum Dominum tuum.* Duo de peccato dicit. Primum, quod malum sit,

malum

malum videlicet in se, & amarum nobis; malum, inquit, est peccatum; non ait, quale malum vel quantum malum sit, sed absolutè malum, quia est malum ipsum absolutè, & ita malum, vt solum peccatum propriè dicendum sit malum. Vnde S. Dionys. puniri non est malum, sed fieri pœna dignum; mala pœnæ nos mala nominamus, sed impropriè; id enim solum malum est, quod malos nos facit. Sicut solum id dicitur albedo, quod album facit, & amaritudo quod amarum reddit: sic malum, quod malum facit. At infirmitas v. g. infirmum facit, sed non malum; & eadem ratione idem est de reliquis malis pœnæ; sola ergo culpa est ipsum malum essentialiter. Vnde in oratione Dominica dicimus, *libera nos à malo*, id est à peccato, vti exponit S. August. lib. 2. contra Episc. Parm. c. 10. & alij. Et quidem meritò peccatum dicitur absolutè malum, quia nihil ita oppositum & contrarium Deo, quàm peccatum. Quod igitur sic summo opponitur bono, summè malum est. Est præterea amarum nobis, quia omnes amaritudines nostras peccatum attulit, dolores, ægritudines, paupertates, persecutiones, mortes, &c. mala quæ patimur, peccata nostra meruerunt, ait S. Gregor. Si peccatum non intercessisset, mala hæc non fuissent, sed fœlicitas omnis paradisi. Vide igitur, ait S. Hieron. quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.

S. Diony.

S. August.

S. Hieron.

Etenim non hoc vident peccatores, sed præcipites feruntur in peccata, quia oculos habent & non vident, & vt semel dicam, sic à diabolo cæci feruntur ad mala & peccata. Matt. 8 dicitur quod grex porcorum præceps in mare ruit, & periit. Absque iniuria suos vocare possumus peccatores, quid enim obscœnius quàm peccatum? hos diabolus ita ad peccandum impellit vt præcipitanter in peccata ruant absque consilio & consideratione malitiæ & nocumenti peccati, &c.

Act. 5. Peccauit Ananias in pretio illo agri, & S. Petrus occidit illum verbis oris sui, dicens Ananiæ: *Non es mentitus hominibus sed Deo, & cadens expirauit*: Quomodo sine vulnere sic subito mortuus est? Origen. hom. 8. in Mat. Ponderans hunc locum ait, cruciatus in se à Deo est punitus, ita vt expiraret verbis Petri catechizantibus animam eius. ita Origen. quid est catechizantibus verbis Petri? cathechizare idem est, quod docere, & elucidare; verbis ergo illis illuminauit Sanct. Petrus oculos Ananiæ, vt scilicet videret, & radio quodam superiori perciperet, quàm grauis esset malitia peccati sui, qua sic apertè cognita, turbatus tanti mali cognitione, animam præ dolore efflauit; id enim significat verbum illud Origenes. *Cruciatus in se*, id est, talis ac tantus fuit tunc in se animæ cruciatus interior. Etenim verè censeo quod si quis enormitatem peccati, diuina quadam luce ita prospiceret vt plene deformitatem eius agnosceret, sicut Ananias similiter obiret, atque adeo, quia huiusmodi deformitatem non attingunt filij hominum, perpetrant mala.

Actor. 5.

Origen.

Graue quidem malum æterna damnatio, sed valde peccatum peius, quasi incomparabiliter maius est malum culpæ, quàm pœnæ. Vnde Mar. 14. dicente Domino ad discipulos: *Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. At illi cœperunt contristari & dicere ei singulatim, numquid ego? qui ait illis, vnus ex duodecim*, &c. Postea dixit: *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei si non esset natus homo ille.* Obserua quod cùm primo dixit: *vnus vestrum tradet me*, contristati fuerunt discipuli boni & dixerunt, *numquid ego sum*: sed postquam dixit, *væ homini illi*, &c. vbi de damnatione tradentis locutus fuit, non ait Euangelista eos locutos fuisse, peius enim esse censebant peccatum traditionis, quam damnatio ex eo subsecuta.

Tanta quidem est peccati malitia, vt si possibile Deo esset lachrymas fundere propter peccata nostra, copiam maximam profunderet; & ne id exaggerationi nostræ tribuatur, audi quid p. Hieremiam Dominus dicat c. 9. *quis*, inquit, *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Quis hæc dicit, Deus ne an propheta nomine proprio? S. Hier. ibidem: Hoc, inquit, ex persona Domini intelligi potest. ita S. Hier. quem doctorem maximum in exponendis sacris Scripturis vocat Ecclesia. Sed quomodo, inquies, sermo hic Deo tribui potest? Numquid desiderium flendi in Deũ cadere potest? minimè quidem, sed in sacris litteris huiusmodi affectus Deo tribuuntur, quia voluit sic per modos nostros loquendi mentem suam exprimere nobis, vt v. g. Genes. 6. videns quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omni tempore pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, *& tactus dolore cordis intrinsecus delebo*; inquit, *hominem, quem creaui a facie terræ.* Numquid pœnitere potest Deus? absit. numquid cordis dolore tangi potest infinita impassibilitas Dei? quis adeo stupidus, qui hoc ignoret, & in dubium verset? Quid ergo sibi vult Deus tali modo loquendi? S. Ambros. lib. de Noë c. 4. Ideo, inquit, hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam, tamquam eò vsque meruerit culpa, vt etiam Deus qui naturaliter non mouetur ira, vel odio, vel passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam. ita S. Ambrosius. Tanta igitur est peccati grauitas, & malitia, vt si per impossibile in Deũ caderet pœnitudo, posset ob id maximè pœnitere, quod hominem sic peccatis mortalibus obnoxium procreasset; & item si dolor & angor in Deo possibilis esset, ob hoc doleret & angeretur in corde intrinsecus quod tantam malitiæ grauitatem committere videret. O peccata nostra! ô detestanda peccatorum furia! numquid, si hoc Dei verbũ homines considerarent & perciperent mille mortes priùs subirent, & omnes martyrum cruciatus, quàm peccatum mortale committere? Quale enim malum hoc, quod sic fari Deum faciat, *pœnitet me hominem fecisse?* Videns peccata hominum tactus sum dolore cordis intrinsecus.

S. Hieron.

S. Ambros.

Quod si ampliùs verbis augeri potest, his quidem vehementer, quæ ex cap. 9. Hieremiæ citauimus, *Quis*, inquit, *dabit oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* interfectos scilicet in anima. Ponderat ibi S. Hier. verba ista, & explicat, dicẽs: Si totus, inquit, vertar in fletum, & nequaquam guttæ sint lachrymarum, sed abundantia fluminis; tamen interfectos populi mei dignè flere non potero; tanta enim sunt mala, vt omnem dolorem sui vincant magnitudine. ita S. Hier. & insuper ait, *die ac nocte*, hoc est semper.

S. Hieron.

Quod si Deus in quantum Deus flere non potest, in quantum homo potuit, & non semel neque bis tantùm in præsepio & super Hierusa-

lem & in passione, vbi dicere possumus quod lachrymis sanguineis fleuit fletu magno, propter peccata nostra, in sudore illo sanguinis; tunc enim non flagella, non spinæ, non claui, non lancea sanguinem illum extraxerunt de corpore Domini, sed nostra peccata. Et in morte Lazari fleuit super Lazarum, in quantum Lazarus mortuus peccatores figurabat, vt hinc constaret quanto dolore afficiant eum peccata nostra, si imago illorum ita cor eius angebat. Nescio quid amplius desiderare valemus ad grauitatem peccati cognoscendam.

Genes. 3. cum Deus post peccatum Adæ ipsum conueniret, hanc primam emisit vocem: *Adam vbi es?* numquid ignorabat Deus vbi esset Adam? *quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* ait Dauid. A facie Dei Adam fugit, sed non effugit; cur ergo ait Dominus, *Adam vbi es?* hæc enim interrogantis vox videtur esse, non ignorantis sed monentis. Audi S. Ambros. lib. de paradiso cap. 14 *Adam* (inquit Deus) *vbi es?* id est non in quo sed in quibus es; non ergo interrogatio sed increpatio est; quasi dicat: De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia in quam miseriam cecidisti? dereliquisti vitam æternam, vbi est illa tua sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem, vbi ergo es? non quæro in quo loco, sed in quo statu? ita S. Ambros. Et vtinam id secum peccator cogitaret, & diceret, vbi sum? extra Dei charitatem & gratiam? in statu damnationis? in manifesto periculo inferni?

S.Ambros.

Genes. 1. sic Deus primis parentibus: *Dominamini vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Vbi nunc quæso dominium hoc nostrum super bestias terræ? bestia est leo, & vrsus, & serpens, & non solùm non parent hæ nobis tanquam Dominis, sed etiam inuadunt nos, tamquam nobis potentiores, & nos ab eis fugimus tamquam debiliores. S. Chrysost. hom. 9. in Gen. Quod nobis, inquit, nunc terrori sunt bestiæ, & timeamus eas, & dominio exciderimus, non contradico; verum hoc non arguit falsam Dei promissionem, nam ab initio non ita se res habebant, sed tremebant & timebant bestiæ, & hominem suspiciebant tanquam Dominum: vbi autem per inobedientiam amisimus dignitatem nostram, etiam principatus noster mutilatus est. Subiecta autem homini animalia omnia fuisse, accipe ex scriptura quæ dicit, *adduxit Deus bestias, & omnia bruta ad Adam vt videret, quid vocaret ea*, & cum videret iuxta se bestias non resiliit, sed tanquam Dominus seruis subditis nomina imposuit, *& omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.* Quod vtique dominij signum est, & illud manifestius ex colloquio mulieris cum serpente; nam si terribiles fuissent hominibus bestiæ, mulier serpente conspecto, statim ad conspectum eius obstupefacta fugisset, & non ei locuta fuisset, cæterum vbi peccatum intrauit, hæc dignitas & potestas ablata est. ita S. Chrysost. & hinc colliges quanta sit peccati malitia, cum ita nos, qui feris eramus terrori tanquam illarum principes, per peccatum è conuerso nobis illæ terrori sunt, ac si nobis principes essent.

S.Chrys.

PROPOSITIO XI.

Deus punit peccatores in eo in quo peccant.

2. PAralip. 16. Rex Asa sacrilege apprehendere iussit quendam Dei prophetā, & in neruum mittere pedes eius; & postea ait scriptura, *ægrotauit Asa dolore pedū vehementissimo, qui nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est & mortuus est.* Ecce qui pedes Prophetæ Dei misit, in neruum dolore pedum vehementissimo mortuus est.

2. Paral. 16. 10.

1. Reg. 26. persequente Saule Dauidem inuenit eum Dauid dormientem in tentorio suo, potuitque cum facile occidere, sed noluit dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini.* Quamobrem tollens hastā eius & scyphum aquæ recessit intacto Saule. Sed tamē vt beneficium agnosceret recedens excitauit illū, & gesta recensuit. Miratus Saul dixit: *Peccaui, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quia stultè egerim & ignorauerim multa nimis.* Ecce quid etiā Dominus in peccatores faciat, potest enim eos facile morte de medio tollere; sed quia pius & misericors est, non vitā, sed instrumenta peccandi ab eis aufert. Etenim hasta Saulis instrumentum erat, quo non semel Dauidem occidere tentauit, hanc ab eo abstulit Dauid. Sic cū quis diuitiis v.g. vel honore vel salute abutitur in Dei offensam, hæc ab eo Deus tollit, vt videns peccator misericordiam Dei fuisse, vitam ab eo non abstulisse & ad inferna damnasse, sed solum instrumenta peccandi tulisse, sicut Saul, dicat, *peccaui*, &c.

1. Reg. 26. 11.

Exod. 7. prima plagarum Ægypti fuit conuersio aquæ Nili in sanguinem. Cur ita? Theod. q. 19. in Exod. Propter pueros Hebræorum in illū demersos, fluuius enim ille in sanguinē mutatus cōqueritur de cæde puerorum per eos commissa. Hac etiā de causa aquæ illorum ebullierunt ranas pro pueris in illas demersis. ita ille. Sic etiam Absalon per capillos suspensus, acrē mortem incurrit; capillorū enim pulchritudine abutens illis gloriabatur, & mulieribus eos tradebat in ornatum profanum. Similiter Deus demersit Egyptios in mari rubro, quia suffocauerant in aquis Israelitas, vt ait ibidem Theodoretus.

Theod.

Ps. 7. *Lacum aperuit, & effodit eū: incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticē eius iniquitas eius descendet.* Exponens locū hunc S. Basil de Achitophele, & Absalone hæc dicit: In amborum siquidem capita supplicium descendit. ita ille. De Achitophele constat ex c. 17. 2. lib. Reg. dedisse pessimum consilium pro Absalone contra innocentem patrem eius Dauidem; sed inde sibi mortem pessimam asciuit, & qui contra innocentem crudele consilium dedit, quia non ita factum est sicuti consuluit; ipse contra se crudelius excogitauit consilium, laqueo enim se suspendit.

S. Basil.

De Absalone verò notum est ex lib. 2. Reg cap. 18. quòd in eodem bello, quod ipse contra parentem instituit, suspensus è quercu, & tribus lanceis transfixus infeliciter obiit. Vterque incidit in foueam quam fecit.

Item Danielis cap. 3. Cum ministri Regis Nabuchodonosor mitterent tres illos fideles pueros in fornacem illam magnam Babylonicam &

valde incensam, *erupit*, inquit, *flamma, & incendit quos reperit iuxta fornacem, de Chaldæis*, Sic per quæ quis peccat per hæc & torquetur; si in diuitiis peccas, in diuitiis punieris; si in honore, in honore quoque punieris; si in deliciis, in eis pariter punieris; quia per quæ quis peccat, per hæc & punitur.

Genes. 37. *Vendiderunt Iosephum fratres eius Ismaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum*. Graue quidam peccatum hoc, & ideo graui pœna puniuit illud Deus. Nam propterea permisit Deus eos in Ægyptum ire, & ibi annis quadringentis seruituti Ægyptiorum subiecti fuere; nam malè tractarunt eos, eo tempore Ægyptij, vti S. Stephan. asseruit act. 7. Quod autem in pœnam seruitutis Ioseph hoc factum fuerit, asserit Rupert. lib. 5. in Genes. cap. 22. dicens: Fratrem suum Iosephum fratres vendiderunt, quæ causa fuit peregrinationis, & seruitutis illorum in Ægypto. Rupert.

Propositio XII.

Punitio peccatoris misericordia Dei est magna.

APoc. 15. *Vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis, septem phialas aureas plenas iracundia Dei viuentis in sæcula sæculorum*. Quis non miretur iracundiam Dei in vasis aureis collocatam? Misericordiam si dixisset, non mirum; quia pretiosa nobis est sicut aurum & amplius. Iracundia verò in vase ferreo, potius ponenda videbatur, quia punitio ferrea est. vnde Psal. 2. sic Pater Christo, *reges eos in virga ferrea*, puniendo scilicet peccatores. Cur ergo hic iracundia Dei in vasis aureis collocata est? rectè quidam doctor respondet. Quoniam Deus has plagas immittit non cupiditate nocendi, sed charitate, vt simul & peccatores puniat, aut vt corrigantur, aut certè vt minus peccent, atque ita minus postea puniantur in inferno. Notum autem est in litteris sacris, in auro charitatem sæpe indicari. ita ille.

Propositio XIII.

Contra eos qui peccata sua tribuunt fato seu stellis.

PSal. 58. *non miserearis omnium qui operantur iniquitatem?* Quid hoc? non ne misericordia Domini extenditur ad peccata vniuersa? S. Aug. Est quædam iniquitas quam qui operatur non miseretur ei Deus. Quæres quænam illa sit. Ipsa est defensio peccatorum; hoc defendit, quod Deus habet odio. Nemo quidem est qui dicat, bonum est adulterium, bonum est homicidium, bonum est periurium; sed quomodo defendunt? quilibet dicunt, fato meo feci, curris ad stellas? qui ordinauit stellas, Deus est; ergo dum peccatum defendis, Deum accusas; excusatur reus, vt accusetur Iudex. Prorsus talem iniquitatem operantium non miseretur Deus. Ideo ait: *Non miserearis omnium operantium iniquitatem*, [estos quieren que lo bueno cotra por suquenta y lo malo por la de Dios que los crio ental constellacion, como si la constellacion quitase la libertad. S. August.

Propositio XIV.

Cur peccatores peccatis non satientur.

FIlius prodigus *cupiebat saturari de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat*. In parabola hac locutus est Dominus. Sed quid, inquies, sibi vult parabola ista? ita ne parui pensus esse potuit homo præditus ratione vt porcorum cibo indignus iudicaretur? Respondet S. Petrus Chrysol. serm. 2. quia diabolus non sinit peccatores, ex ipso porcorum cibo pastuque saturari, vt esurientes vitia plus delinquant. ita ille. Qui enim ex aliquo cibo saturantur, statim est illis fastidio cibus ille, vti exemplo Hebræorum id probat S. Hieron. epistola 22. ad Gaudentium dicens: Cupientibus Hebræis Ægyptias carnes, vsque ad nauseam & vomitum præbuit Deus examina coturnicum, vt eas postea satiati contemnerent. ita S. Hieron. Ideo igitur diabolus recusat satiare peccatores peccatis & bonis temporalibus, ne satietas odium & fastidium eis pariat. S. Petrus Chrysol. S. Hieron.

Propositio XV.

Quòd solum peccatum malum nostrum sit.

MAtth. 6. *Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo*. S. August. serm. 28. de verbis Domini secundùm Lucam: Non patiaris (inquit) induci in tentationem, quam ferre non possimus; quasi athleta talem vult homo tentationem, quam ferre possit humana conditio vt à malo, hoc est à peccato liberetur. ita S. Aug. Et quidem aduersatiua, *sed*, hanc S. Augustini explicationem confirmat, vt hic malum idem sit quod peccatum. Nam tentatio peccati est, peccatum igitur absolutè loquendo malum dicitur. Et meritò, solum enim peccatum malum facit hominem. Sicut dulcedo quæ dulcem & amaritudo quæ rem amaram reddit: sic solum peccatum est quod malum hominem reddit, *de vn enfermo dezimos questa malo*; sed non quòd sit malus, quia ægritudo ægrum facit non malum. Paupertas etiam pauperem facit, non malum; & sic de aliis malis pœnæ, malum enim pœnæ non est absolutè malum, sed secundùm quid. Solum ergo peccatum, quod absolutè malum facit, absolutè malum est. S. August.

Propositio XVI.

Propter peccatores pati solet communitas.

MAtth. 8. Dormiente Christo Domino nauis Petri tempestate quatiebatur tanta, vt omnes Apostoli mortis periculum formidarent. Etenim in eandem nauiculam Petri Luc. 5. ingressus fuit Dominus, & nullo venti flatu commota fuit, imò serenitate cœli quieta, inde Christus turbis prædicauit, & in altum mare deducta, Petrus felicem fortitus fuit piscationem. Quærit S. Ambr. ser. 11. de tempore huius rei & discriminis causã; dicens: Videamus quæ causa est, quòd S. Ambr.

quòd vna eadéque nauicula, hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, & ibi in tempestate discipulis metum mortis inducit? præsertim cum ibi etiam cum reliquis Apostolis Simon Petrus adesset? Hæc autem est periculi causa, erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter proditor Iudas; & quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen perfidia nauem conturbabat. Tranquillitas est vbi solus nauigat Petrus, tēpestas verò vbi adiungitur Iudas; licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. ita S. Ambros. vbi subdit: Ergo si vnius Iudæ peccato periclitantur Apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, ne per vnum omnes fluctuemus. Quin etiam huiusmodi de nauicula nostra eiiciamus, vt non dormiat, sed vigilet in nobis Dominus, & eo vigilante nulla nos spiritualis nequitiæ procella concutiat. ita ille. Attendant vigiles populi, attendant iudices ne somnus eorum ruinæ reip. occasio fit. Vide etiam historiam Ionæ.

Propositio XVII.

Peccatum ipsum vindictam à Deo petit.

GEnes. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus est.* & Genes. 4. sic Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Quomodo (dices) clamat peccatum ad Deum, cum peccatum res inanimata sit? Respondet S. Gregor. 5. Mor. 7. quia omnis iniquitas apud secreta Dei iudicia vocem habet suam. ita ille. Pondera *apud secreta Dei iudicia: peccat enim homo* & ait, *peccaui, & quid mihi accidit triste?* ita quia non statim contra eum diuina proferuntur secreta, sed tamen in secreto Dei iudicio clamat peccatum, & eius est audita accusatio tempore suo in lucem proditura. — S. Greg.

Mat. 2. *vox in Rhama audita est,* &c. hæc vox facta est in nece puerorum innocentium. Sed cur ait, *in Rhama,* & non in Bethleem, vbi natus erat Christus, cuius causa interficiebantur pueri, & Rhama non erat adeo prope Bethleem? Respond. sanct. Chrysost. in imperfect. hum. 2. quia Rhama Hebraicè interpretatur excelsum, & ideo dixit, vox in excelso audita est, quoniam de morte innocentium mittebatur ad cœlum. ita ille. — S. Chrys.

Propositio XVIII.

Quàm grauia supplicia patientur post mortem peccatores.

2. AD Thessalonic. 1. in principio nascentis Ecclesiæ Thessalonicenses magnis afficiebantur persecutionibus, quas ipsi patienter tolerabant; ne autem mirarentur illi eum fideles Deo essent, sic ad eos scripsit Paulus; *Nos ipsi in vobis gloriamur, in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide, in omnibus persecutionibus vestris quas sustinuistis, in exemplum iusti iudicij Dei.* Quid sibi volunt verba ista, *quas sustinuistis in exemplum iusti iudicij Dei?* Sanct. Gregor. 5. Mor. 8. sic respondet, ac si diceret: dum tot dura toleratis qui tam recta agitis, quid aliud quàm iusti Dei iudicij exempla datis? quia ex vestra pœna colligendum est, quomodo feriat quibus irascitur, si sic vos affligi patitur in quibus lætatur? aut quomodo illos percussurus est, quibus iudicium exhibebit iustum, si etiam vos sic cruciat quos piè redarguens fouet? ita S. Greg. — S. Greg.

Propositio XIX.

In iudicio peccata erunt testes contra peccatores.

PSal. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele.* Testimonium hoc loco idem est quod lex Dei. Cur igitur eam vocat testimonium? S. Basil. ibidem. Testimonium vocatur lex Dei ob id quod peccatores contestatur, & transgressionis supplicium ostendit. ita ille. Duo igitur ait hic Dauid. Primum, *Lex Domini immaculata, conuertens animas,* id est, lex Dei adeo sancta est ac vera, vt ipsa per se absque alia persuasione seu ratione, conuertendi peccatores vim ac virtutem habeat, quia satis superque iustificata est in seipsa; tum quia iustissima est, & rationi naturali consentanea; tum quia præceptum Dei sit. vnde Esdræ 2. lib. c. 8. legente Esdra librum legis in platea ciuitatis, vbi conuenerat omnis populus & audiens lugebat, *flebat,* inquit, *omnis populus cum audiret verba legis;* sic lugebat, & adeo, vt Esdras, & Nehemias & Leuitæ dicerent populo; *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere & nolite flere.* Cur sic lugebat populus omnis? nimirum, quia lex ipsa tanquam immaculata animas conuertebat, atque adeo opus non erat alia concionatorum exhortatione. Secundò vocatur lex testimonium, quia in die iudicij, non erit opus testibus & fiscalibus aduersus peccatores, quia ipsa legis Dei transgressio sufficiens testis, & accusator erit in eos. Ipsa enim sicut sanguis Abel clamabit de terra petens iustitiam à Deo. — S. Basil.

Propositio XX.

Agentes & consentientes pari pœna puniuntur.

MAtth. 2. *Herodes videns quia illusus esset à Magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius à bimatu & infra,* &c. Mira crudelitas sed non impunita. Audi Chrysostom. in imperf. hom. 2. post hæc (id est post hanc necem infantium) dignam pœnam suscepit Herodes, nam tres filios suos interfecit & non ab alio vidit eos occidi, vt nec paternam super eos pietatem demonstraret in luctu, sed ipse occidit vt filios occideret, & de morte eorum acquireret crimen; viscera sua laniabat in filiis & dolorem eorum non sensit. Deinde ipse multis doloribus apprehensus est sicut refert historia; quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebantur, & quia multoties mori non poterat, qui multos occiderat infantes, propterea multorum morientium vindicta in multis ei doloribus reddebatur. Item quando se prope mortem vidit, sciens, quia odibilis erat super omnes Iudæos, & quòd — Matth. 2.

& quòd mors illius multis gaudio futura erat, congregauit omnes Principes Iudæorum & iussit vt eum ipso omnes illi morerentur, vt in morte ipsius omnes lugerent ciuitates, si non propter ipsum, saltem propter illos. Et hoc consilio Dei factum est; quando enim Magi annuntiauerunt de stella Regis futuri, omnes Principes Iudæorum consenserunt Herodi, vt requireret & occideret illum: hoc autem vnde scimus? primum, quia dicit Scriptura: *Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo* Deinde verba Angeli demonstrant dicentis Iosepho: *Accipe puerum & matrem eius, & reuertere in terram Iuda*: non dixit, *mortuus est, qui quærebat animam pueri*; sed, *mortui sunt omnes qui quærebant animam pueri.* Ita ille.

Propositio XXI.

Qui in vno peccat factus est omnium reus.

S. Hier. MAtth. 5. *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Maxillam nempe. Cur non dixit, præbe illi & sinistram? S. Hieron. ibidem percussa dextera maxilla non iubemur sinistram præbere, sed alteram, hoc est alteram dextram; iustus enim sinistram non habet. Ita S. Hieronym. Ita quidem est, nihil enim sinistrum in iusto, quod eum sinistrum & à Deo auersum faciat; *qui* enim vel *in vna offendit, factus est omnium reus*, vti ait S. Iacobus, hoc est, sic propter vnum peccatum mortale damnabitur sicut propter plura, licet non ita acerbè.

Propositio XXII.

Propter peccata parentum punit Deus eorum filios.

EXod. 20. *Visitans iniquitates Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Si filij non peccant, cur punit eos Deus, propter peccata quę ipsi filij non commiserunt? Respondet Hugo de Hug. Vict. S. Victore ibidem, quia vsque ad tertiam & quartam generationem solent viuere parentes, & sic vident, quomodo propter delicta sua filij puniuntur. Ita ille. Diligunt parentes valdè filios, ideo Deus sic visitat peccata eorum in filiis, vt saltem ne videant mala filiorum, à peccatis abstineant.

Propositio XXIII.

Consilia & media quæ sumit peccator ad peccandum, conuertit Deus contra ipsosmet peccantes.

Ioan. 11. 47. IOan. 11. In consilio Pharisæorum & Pontificum Hierusalem contra Christum Dominum dixerunt congregati, *Quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Ecce quid intendebant isti consiliarij, tollere Christum de medio, ne homines crederent in eum, & ne propterea venirent Romani & tollerent ab eis regnum & gentem: sed medium & consilium eorum pessimum ita Deus in oppositum conuertit, vt quia Christum de medio tulerunt, mundus in eum crediderit, sicut Dominus ipse prædixit Ioan. 12. *Si ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; & insuper Ioan. 12. 32. propterea venerunt Romani Principes Titus & Vespasianus, & tulerunt ab eis regnum & gentem, quod illi per Deicidium vitare intendebant Quod expendens S. Greg. 6. Mor. 12. ait: Cum Sacerdo- S. Greg. tes populi Iudaici, inuidia accensi, mundum post Christum currere cernerent, dixerunt, videte quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit, & vt ab illo vim tanti concursus abscinderent, finire eius potentiam morte conati sunt, dicentes, *expedit vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat.* Sed mors Saluatoris ad coniunctionem & non ad separationem Ecclesiæ suæ valuit, vnde miro modo vt in bonum vsum à Deo mala facta conuertuntur, eius consilio militant etiam, quæ consilio eius repugnant. Ita S. Greg.

Psal. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Ita quidem *magna*, quia à magno Deo nostro. Sed cur speciatim *magna*? quia *exquisita in omnes voluntates eius.* Quod sic exponit S. Greg. 6. Mor. 12. Sic quippe opera eius Idem. magna sunt, vt per omne quod ab hominibus agitur, eius voluntas exquiratur; nam sæpe inde perficitur, vnde repelli existimabatur. Et hinc Salomon ait: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Ita S. Greg. *Sabe Dios bien como dizen traher el agua a su molina, sabe bornear nuestras cosas de manera, que por donde nosotros pensamos salir con la nuestra, sale Dios con la suya.*

Iob. 5. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum & consilia prauorum dissipat.* Exponit locum hunc S. Gregor. vbi supra dicens, sæpe nonnulli S. Greg. humana sapientia inflati, dum desideriis suis diuina iudicia contraire respiciunt, astutis machinationibus ei reluctari conantur, & subtiliora consilia ad hoc exquirunt: sed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt. S. Gregor. vbi aliqua ad rem Scripturæ sacræ exempla adducit.

Primum est Patriarchæ Ioseph Genes. 37. dicens: *Ioseph* somnium viderat, quòd suo manipulo se fratrum suorum manipuli prosternebant, & quòd sol & luna se cum vndecim stellis adorabant. Quæ quia purè fratribus retulit, eorum corda futuræ dominationis inuidia, pauorque cepit, eúmque hunc ad se in agro venire conspiciunt, malitia sæuientes dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Eum denique vendiderunt. Ideo ergo ab eis venditus est ne adoraretur, sed ideo est adoratus, quia venditus; Astutè aliquid agere ausi sunt vt Dei consilium mutaretur, sed diuino iudicio, quod declinare conati sunt, renitendo seruierunt. Sic sic diuinum consilium dum deuitatur, impletur; sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Ita S. Gregor. nota est historia ex c. 37. Genesis. S. Greg.

Subdit aliud exemplum S. Greg. ex 1. Reg. 18. 1. Reg. 18. dicens: sic Saul Dauidi in coniugium filiam spopondit, atque in eius dotem centum dari ab eo Philistinorum præputia petiit vt inimicorum gladiis vitam finiret; sed Dauid diuino fauore roboratus centum se dare perhibuit, & ducenta præputia reportauit; sic Saul vnde se Dauid vitam extinguere credidit ne succresceret, virtutis eius gloriam inde cumulauit. Ita S. Gregor. Idem.

Qui etiam id probat exemplo Ionæ dicens: Ion. 1. Prudenter Ionas sapere voluit eum ad prædicandam Niniuitarum pœnitentiam, missus, quia electis gentibus, Iudæam deserere timuit, prædica-

quòd vna eadémque nauicula, hîc in tranquillitate doctrinam populis tribuit, & ibi in tempestate discipulis metum mortis inducit? præsertim cum ibi etiam cum reliquis Apostolis Simon Petrus adesset? Hæc autem est periculi causa, erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter proditor Iudas; & quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen perfidia nauem conturbabat. Tranquillitas est vbi solus nauigat Petrus, tēpestas verò vbi adiungitur Iudas; licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus prodtoiris. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. ita S. Ambrof. vbi subdit: Ergo si vnius Iudæ peccato periclitantur Apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, ne per vnum omnes fluctuemus. Quin etiam huiusmodi de nauicula nostra eiiciamus, vt non dormiat, sed vigilet in nobis Dominus, & eo vigilante nulla nos spiritualis nequitiæ procella conuetiat. ita ille. Attendant vigiles populi, attendant iudices ne somnus eorum ruinæ ipsis occasio fit. Vide etiam historiam Ionæ.

Propositio XVII.

Peccatum ipsum vindictam à Deo petit.

GEnes. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est.* & Genes. 4. sic Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Quomodo (dices) clamar peccatum ad Deum, cum peccatum res inanimata sit? Respondet S. Gregor. 5. Mor. 7. quia omnis iniquitas apud secreta Dei iudicia vocem habet suam. ita ille. Pondera *apud secreta Dei iudicia:* peccat enim homo & ait, *peccaui, & quid mihi accidit triste?* ita quia non statim contra eum diuina proferuntur secreta, sed tamen in secreto Dei iudicio clamat peccatum, & eius est audita accusatio tempore suo in lucem proditura. S. Greg.

Mat. 2. *vox in Rhama audita est*, &c. hæc vox facta est in nece puerorum innocentium. Sed cur ait, *in Rhama*, & non in Bethleem, vbi natus erat Christus, cuius causa interficiebantur pueri, & Rhama non erat adeo prope Bethleem? Respond. sanct. Chrysost. in imperfect. hom. 2. quia Rhama Hebraicè interpretatur excelsum, & ideo dixit, vox in excelso audita est, quoniam de morte innocentium mittebatur ad cœlum. ita ille. S. Chryf.

Propositio XVIII.

Quàm grauia supplicia patientur post mortem peccatores.

1. AD Thessalonic. 1. in principio nascentis Ecclesiæ Thessalonicenses magnis afficiebantur persecutionibus, quas ipsi patienter tolerabant; ne autem mirarentur illi eum fideles Deo essent, sic ad eos scripsit Paulus; *Nos ipsi in vobis gloriamur, in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide, in omnibus persecutionibus vestris quas sustinuistis, in exemplum iusti iudicij Dei.* Quid sibi volunt verba ista, *quas sustinuistis in exemplum iusti iudicij Dei.* ? Sanct. Gregor. 5. Mor. 8. sic respondet, ac si diceret: dum tot dura toleratis qui tam recta agitis, quid aliud quàm S. Greg. iusti Dei iudicij exempla datis? quia ex vestra pœna colligendum est, quomodo feriat quibus irascitur, si sic vos affligi patitur in quibus lætatur? aut quomodo illos percussurus est, quibus iudicium exhibebit iustum, si etiam vos sic cruciat quos piè redarguens fouet? ita S. Greg.

Propositio XIX.

In iudicio peccata erunt testes contra peccatores.

PSal. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele.* Testimonium hoc loco idem est quod lex Dei. Cur igitur eam vocat testimonium? S. Basil. ibidem. S. Basil. Testimonium vocatur lex Dei ob id quod peccatores contestatur, & transgressionis supplicium ostendit. ita ille. Duo igitur ait hic Dauid. Primum, *Lex Domini immaculata, conuertens animas*, id est, lex Dei adeo sancta est ac vera, vt ipsa per se absque alia persuasione seu ratione, conuertendi peccatores vim ac virtutem habeat, quia satis superque iustificata est in seipsa; tum quia iustissima est, & rationi naturali consentanea; tum quia præceptum Dei sit. vnde Esdræ 2. lib. c. 8. legente Esdra librum legis in platea ciuitatis, vbi conuenerat omnis populus & audiens lugebat, *flebat*, inquit, *omnis populus cum audiret verba legis*; sic lugebat, & adeo, vt Esdras, & Nehemias & Leuitæ dicerent populo; *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere & nolite flere.* Cur sic lugebat populus omnis? nimirum, quia lex ipsa tanquam immaculata animas conuertebat, atque adeo opus non erat alia concionatorum exhortatione. Secundò vocatur lex testimonium, quia in die iudicij, non erit opus testibus & fiscalibus aduersus peccatores, quia ipsa legis Dei transgressio sufficiens testis, & accusator erit in eos. Ipsa enim sicut sanguis Abel clamabit de terra petens iustitiam à Deo.

Propositio XX.

Agentes & consentientes pari pœna puniuntur.

MAtth. 2. *Herodes videns quia illusus esset à Magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius à bimatu & infra*, &c. Mira crudelitas sed non impunita. Audi Chrysostom. in imperf. hom. 2. post hæc (id est post hanc necem infantium) dignam pœnam suscepit Herodes, nam tres filios suos interfecit & non ab alio vidit eos occidi, vt nec paternam super eos pietatem demonstraret in luctu, sed ipse occidit vt filios occideret, & de morte eorum acquireret crimen; viscera sua laniabat in filiis & dolorem eorum non sensit. Deinde ipse multis doloribus apprehensus est sicut refert historia; quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebantur, & quia multoties mori non poterat, qui multos occiderat infantes, propterea multorum morientium vindicta in multis ei doloribus reddebatur. Item quando se prope mortem vidit, sciens, quia odibilis erat super omnes Iudæos, & quòd Matth. 2.

& quòd mors illius maltis gaudio futura erat, congregauit omnes Principes Iudæorum & iussit vt cum ipso omnes illi morerentur, vt in morte ipsius omnes lugerent ciuitates, si non propter ipsum, saltem propter illos. Et hoc consilio Dei factum est; quando enim Magi annunciauerunt de stella Regis futuri, omnes Principes Iudæorum consuluerunt Herodi, vt requireret & occideret illum: hoc autem vnde scimus? primum, quia dicit Scriptura: *Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo*. Deinde verba Angeli demonstrant dicentis Iosepho: *Accipe puerum & matrem eius, & reuertere in terram Iuda: non dixit, mortuus est, qui quærebat animam pueri; sed, mortui sunt omnes qui quærebant animam pueri*. Ita ille.

Propositio XXI.

Qui in vno peccat factus est omnium reus.

S. Hier. Math. 5. *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Maxillam nempe. Cur non dixit, præbe illi & sinistram? S. Hieron. ibidem percussa dextera maxilla non inbemur sinistram præbere, sed alteram, hoc est alteram dextram; iustus enim sinistram non habet. Ita S. Hieronym. Ita quidem est, nihil enim sinistrum in iusto, quod eum sinistrum & à Deo auersum faciat; *qui* enim *vel in vno offendit, factus est omnium reus*, vti ait S. Iacobus, hoc est, sic propter vnum peccatum mortale damnabitur sicut propter plura, licet non ita acerbè.

Propositio XXII.

Propter peccata parentum punit Deus eorum filios.

Exod. 20. *Visitans iniquitates Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Si filij non peccant, cur punit eos Deus, propter peccata quæ ipsi filij non commiserunt? Respondet Hugo de Hug. Vict. S. Victore ibidem, quia vsque ad tertiam & quartam generationem solent viuere parentes, & sic vident, quomodo propter delicta sua filij puniuntur. Ita ille. Diligunt parentes valdè filios, ideo Deus sic visitat peccata eorum in filiis, vt saltem ne videant mala filiorum, à peccatis abstineant.

Propositio XXIII.

Consilia & media quæ sumit peccator ad peccandum, conuertit Deus contra ipsosmet peccantes.

Ioan. 11. 47. Ioan. 11. In consilio Pharisæorum & Pontificum Hierusalem contra Christum Dominum dixerunt congregati, *Quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Ecce quid intendebant isti consiliarij, tollere Christum de medio, ne homines crederent in eum, & ne propterea venirent Romani & tollerent ab eis regnum & gentem: sed medium & consilium eorum pessimum ita Deus in oppositum conuertit, vt quia Christum de medio tulerunt, mundus in eum crediderit, sicut Dominus ipse prædixit Ioan. 12. *Si ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; & insuper propterea venerunt Romani Principes Titus & Vespasianus, & tulerunt ab eis regnum & gentem, quod illi per Deicidium vitare intendebant. Ioan. 12. 32. Quod expendens S. Greg. 6. Mor. 12. ait: Cum Sacerdotes populi Iudaici, inuidia accensi, mundum post Christum cernerent ire, dixerunt, videte quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit, & vt ab illo vim tanti concursus abscinderent, finire eius potentiam morte conati sunt, dicentes, *expedit vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat.* Sed mors Saluatoris ad coniunctionem & non ad separationem Ecclesiæ suæ valuit, vnde miro modo vt in bonum vsum à Deo mala facta conuertuntur, eius consilio militant etiam, quæ consilio eius repugnant. Ita S. Greg. S. Greg.

Psal. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Ita quidem *magna*, qua à magno Deo nostro. Sed cur specialiter *magna*? quia *exquisita in omnes voluntates eius*. Quod sic exponit S. Greg. 6. Mor. 12. Sic quippe opera eius magna sunt, vt per omne quod ab hominibus agitur, eius voluntas exquiratur; nam sæpe inde perficitur, vnde repelli existimabatur. Et hinc Salomon ait: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Ita S. Greg. *Sabe Dios bien como dizen traher el agua a su molino, sabe bolvear nuestras cosas de manera, que por donde nosotros pensamos salir con la nuestra sale Dios con la suya.* Idem.

Iob. 5. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum & consilia prauorum dissipat.* Exponit loc in hunc S. Gregor. vbi suprà dicens, sæpe nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis diuina iudicia contraire respiciunt, astutia machinationibus ei reluctari conantur, & subdolosa consilia ad hoc exquirunt: consilia inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt. S. Gregor. vbi aliqua ad rem Scripturæ sacræ exempla adducit. S. Greg.

Primum est Patriarchæ Ioseph Genes. 37. dicens: *Ioseph somnium videras*, quòd suo manipulo se fratrum suorum manipuli prosternebant, & quòd sol & luna se cum vndecim stellis adorabant. Quæ quia purè fratribus retulit, eorum corda futuræ dominationis inuidia pauor q; cepit, eúmque hunc ad se in agro venire conspiciunt, malitia sæuientes dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Eum denique vendiderunt. Ideo ergo ab eis venditus est ne adoraretur, sed ideo est adoratus, quia venditus; Assiduè aliquid agere ausi sunt vt Dei consilium mutaretur, sed diuino iudicio, quod declinare conati sunt, renitendo seruierunt. Sic sic diuinum consilium dum deuitatur, impletur; sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Ita S. Gregor. nota est historia ex c. 37. Genesis. S. Greg.

Subdit aliud exemplum S. Greg. ex 1. Reg. 18. dicens: sic Saul Dauidi in coniugium filiam spondit, atque in eius dotem centum dari ab eo Philisthinorum præputia petiit vt inimicorum gladius vitam finiret; sed Dauid diuino super roboratus centum se dare perhibuit, & ducentae præputia reportauit; sic Saul vnd. le Daudis vit. m extinguere credidit ne succeserit vitutis eius gloriam inde cumulauit. Ita S. Gregor. 1 Reg. 18. Idem.

Qui etiam id probat exemplo Ionæ dicens: Prudenter Ionas sapere voluit cum ad prædicandam Niniuitarum pœnitentiam, missus, quia electis gentibus, Iudæam deserere timuit, prædica- Ion. 1.

 tionis

tionis officium implere recusauit, nauim petiit, fugere Tharsis elegit, sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur vt cognoscatur cuius culpa mare turbetur. Ionas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, & ceto sorbente repente deuoratur, atque illuc gestante bellua peruenit, quò ire sponte contempsit. Ecce fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit: & quia autori suo renititur, ad locum quò missus fuerat, reus suo carcere portatur, iubente Deo ministrare homo prophetiam noluit, & aspirante Deo, bellua prophetiam vomuit. Sic comprehendit Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in vsum voluntatis suæ redigit per quod sibi humana voluntas contradicit, ita S. Gregorius.

Potest afferri in huius veritatis confirmationem exemplum Principis Aman, Esther 6. & 7. Voluit Aman iniustissimè suspendere innocentem Mardochæum, superbè nimis iratus, quia non eum sicut cæteri gentiles genuflexus adorabat. Abiit ad extorquendam à Rege Assuero facultatem ad illum suspendendum in alto patibulo ad hoc iam parato; sed Deus in cuius manu cor Regis, ita consilio Regis consilium Aman dissoluit & commutauit, vt in eodem patibulo quod parauerat Mardocheo & non in alio iusserit Rex Aman suspendi. Quid ita? nonne Aman familiaris Regis erat? Erat quidem imò familiarissimus omnium, & dilectissimus, quem secundum à se in regno constituerat, & tanquam patrem habebat. Cur igitur acerba adeò morte damnauit? quia cor Regis in manu Dei, qui pœna talionis eum damnare voluit, vt notum omnibus sit quia non est consilium contra Dominum, & quod ita comprehendat sapientes in astutia eorum. Ita quidem ars deluditur arte, *afsal que escape al cielo locae acuestas.*

Daniel. 3. Item Daniel. 3. Miserunt Gentiles iussu Regis Nabuchodonosor tres pueros sanctos in fornacē ignis ardentis. Sed quid inde? *Erupit*, inquit, *flāma de fornace, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis, pueros autem non tetigit omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Etenim Chaldæi volebāt pueros cremare, & eodē igne quo eos cremare satagebant, cremauit eos Deus, sic comprehendit Deus peccantes in astutia eorum.

Iob 5. sic quidam sapiens amicus Iob à Deo loquens: *qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant, qui apprehendit sapientes in astutia eorum.* Pondera verbum illud *dissipat*, quo quidem verbo vsus est Salomon Pro. 25. cum de Aquilone dicit: *Ventus Aquilo dissipat pluuias.* Contingit sæpe cœlum nubibus operiri, magnam pluuiam præseferentibus, quæ quidem Aquilone flante sic dissipantur, vt illico cœlum serenum appareat. Sic etiam Sapiens ille ait, *Deus dissipat cogitationes malignorum*; imò & vertit intentiones eorum aduersus malignos; ideo rectè subdit, & *apprehendit eos quantumuis sapientes sint in astutia eorum.* Quod quidem exemplis supra relatis clarè constat.

Psal. 7. *incidit in foueam quam fecit, conuertetur dolor eius in caput eius.* Quocum loquitur hic S. Basil. Propheta? S. Basil. in scholiis huius Psal. de Achitophele, inquit, & de Absalomo hæc esse posita dicimus; in amborum siquidem capita descendit supplicium. ita ille. nota est historia ex lib. 2. Reg. Eleuauit Absalon aduersus Patrem calcaneum suum & adiuuabat eum Achitophel consilio malo, sed pares vterque pœnas dedit. nam Absalon suspensus periit, & Achitophel se ipsum suspensum laqueo interemit, & vnde Dauidem euertere conabantur, inde ipsi perierunt.

Propositio XXIV.

Peccatum ex animi & cordis debilitate prouenit.

S. August. Subtiliter animaduertit Sanct. Aug. lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 34. differentiam modi, quo peruenit ad nos præceptum Dei ab eo quo peccatum, dicens: Præceptum Domini per virum vsque ad fœminam, peccatum autem à diabolo per fœminam vsque ad virum venit, & hæc significationibus plena sunt, ita S. August. significatio autem huius facti hæc est, vir à viribus dicitur, vnde vir fortitudinem importat; fœmina autem debilitatem animi denotat, vnde eos, qui debiles sunt effœminatos appellamus. Præceptum igitur & obedientia per virum introducitur, quia præcepti obseruatio animi fortitudinem requirit, transgressio verò ex cordis debilitate procedit; quare qui præcepta Dei seruare desiderat, sicut par est illum desiderare, qui saluari vult, animum oportet induat virilem; qui autem succumbit non viri, sed fœminæ appellatione dignus est, & cum effeminatis pars eius erit.

Propositio XXV.

Deus videt omnia peccata quantumuis occulta.

Etenim licet peccata nostra Deum laterent, vitāda prorsus essent ab homine, qui ratione capax est, quia contra rationē sunt: sed hoc valde à peccatis remouere deberet, quod omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Cum Cain malum quid aduersus fratrem machinaretur, sic Dominus ad eum; *Nonne si bene egeris recipies? sin autem male, statim peccatum tuum in foribus aderit.* Quid est in foribus adesse peccatum? Lyranus, id est, ita Lyra. mihi patens erit, sicut ea quæ ponuntur in ostio. Vnde 2. Metaph. Philosophus loquens de notitia primorum principiorum, quæ omnibus nota sunt, dicit, in foribus quis delinquet? ita ille.

Genes. 10. de Nemrod, qui tyrannus & hominum oppressor fuit, dicitur: *Nemrod cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Quid est *robustus venator?* respondet Alcuinus in hunc locum: Erat robustus venator, id est hominum oppressor, & extinctor, quos allexit vt turrem contra Deum construerent. ita ille. Sed cur ait *coram Domino*? nonne id manifestum erat? quid enim est, vel fit, quod non coram Domino fit, vel fiat? Hoc quidem ad nos omnes tacita admonitio fuit, nam idem fuit ac dicere, videant, & attendant omnes impiè agentes, quod oculis apertis, Deus facta & verba, cogitatus & intentiones clarè intuetur, *en todo esta Dios a la mira*, vt scilicet cuncta adducat in iudicium. Sic Lyranus ibi dicens: *Coram Domino*, inquit, nam Deus omnia illa videt ad puniendum suo tempore grauissima pœna. ita ille. Quis coram iusto prætore crimen morte dignum committere audeat? Deus autem iudex iustus, & fortis est, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, quod prætores & iudices mundi facere non possunt. Quis ergo,

ergo non contremiſceet coram tali ac tanto iudice peccare?

Propositio XXVI.

Peccatum ex cæcitate mentis procedit.

Si quid faciat cum peccat peccator, conſideraret, à peccato quidem facile abſtineret. Geneſ.4. decreuerat Cain occidere fratrem ſuum Abel, & ad facinus faciliùs perpetrandum dixit fratri: *Egrediamur foras* Ponderat factum S. Chryſoſt. Hom. 19. in Geneſ. & ait: Quid facis ô Cain? ſcis cui loqueris? non reputas quod eodem quo tu vtero natus eſt? non expendis abominabiles conatus? non times iudicem qui falli nequit? non horres facinus? quæ inſania? quæ rabies? eſto excæcatus mente fraternæ dilectionis nullam rationem habeas, neque naturam agnoſcas, cur aduerſus illum ad bellum te inſtruis, qui nulla te affecit iniuria? quid item habes quod parentibus objicias quos tanta mæſtitia affligere deliberas, & actor eſſe terribilis tragædiæ? vt prius violentam mortem oſtendas, has illis retributiones reddis? an gratia Domini erga illum ipſum aduerſum te extolli fecit? ô abominabilem manum! audacem mentem, quo modo non cogitauit naturam? quomodo non expendit antequam operaretur nefas, operis finem? ita quærit & expendit Sanct. Chryſoſt. Cui per verba ſua reſpondere poſſumus ita; quia excæcatus mente nihil horum animaduertit: paſſio enim ad peccatum mouens animum, primùm omnium mentem turbat, vt damna peccati & mala inde promanantia non animaduertat; ſi enim attenderet illa, non peccaret. S. Chryſoſt. S. Chryſ.

Memini me legiſſe quendam hominem magna quadam affectum miſeria deſperaſſe, & ex alto quodam præcipitio ſe præcipitem dare voluiſſe; aſcendit itaque ſuper abrupta illa, priuſquam ſe præcipitaret, profundum baratri illius proſpexit. Horruit & in ſe reuerſus dixit; abſit, nolo tantum ſubire malum. Abſtinuit à morte & à ſcelere illo, quia ſcilicet prius malum illud proſpexit. Etenim, qui in mortale incidit peccatum, extremum omnium incurrit malum & damnum; & ideo quidem, quia non conſiderat prius tale baratrum & profundum malorum, quod ſi perpenderet, remitteret profectò nuncium & ab eo abſtineret. Simile.

Propositio XXVII.

Peccatum deſtruit merita.

Agricola ſi non exciderit ſentes, ſi gramina non auulſerit, ſi cultrum non impreſſerit, ſi ſulcum non effoderit, ſi in tuto ſemina non locarit, ſibi mentitur, non terræ; non enim terræ, ſed ſibi damnum infert. Sie qui in peccato mortali eſt, quantumuis ſemina virtutum iaciat, ieiunet, eleemoſynas faciat, & cætera opera pia, nullum inde gratiæ vel gloriæ meritum colliget. Simile.

):(

Propositio XXVIII.

Peccatum ex malitia quàm graue ſit.

PS. 2. agens Dauid de Conciliis Iudæorum, contra Chriſtum Dominum: *Quare*, inquit, *fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* non ait cogitauerunt inania, vel fecerunt, ſed *meditati ſunt*. Quid igitur eſt *meditati ſunt inania?* S. Baſil. in ſcholiis Pſ. 2. Aptè quidem & admodum competenter dictum eſt, *meditati ſunt inania*. Iudæi enim praua meditatione contra Saluatorem inepterunt. ita ille, nimirum, quia collegerunt Pontifices concilium. Semel vt caperent eum in ſermone, iterum atque iterum, vt cum motti traderent, *no inaduertidamente, sino a campana tañida y ſobre muy penſado*; huiuſmodi malitia aggrauat peccatum ſupra modum & Deo eſt inuiſa valde, quando ſcilicet non ex ignorantia ſeu inaduertentia vel paſſione procedit, ſed conſulto, & meditatione præmiſſa. S. Baſil.

Propositio XXIX.

Propter peccata permittit Deus nos ab beſtibus debellari & vinci.

OSeæ 1. 6. Dominus: *Non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum, & domus Iuda miſerebor & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo, & non ſaluabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Cur ita ſe Deus ſeuerum in Iſraëlem, id eſt in decem tribus ſe oſtendit, mitem verò ac pium in populum Iuda? Rufinus hunc locum ſic exponit: Cum populum Samariæ præuaricatione fœdatum calamitatibus, exitiiſque ſubieceto, tunc in Iuda parte ſiſtentes, & in cultibus religionis ſpem ſalutis ſuæ collocantes, non ſolùm protegam, verùmetiam nouitate mirabili vindicabo, vt etiam palam clareat eos nequaquam armis munitos fuiſſe, ſed meritis, nec acie conſequutos, ſed pietate victoriam. ita ille. Ecce cauſam cur ſæpe populus Dei ab infidelibus ſuperetur, & cur infideles à fidelibus vincantur, merita enim vel demerita in cauſa ſunt. Ita autem accidiſſe ſicut vox diuina prædixit, exitus comprobauit: nam, vt idem Rufinus ibi atteſtatur: Veniens Sennacherib Rex Aſſyriorum contra Regem Ezechiam (qui regnabat in populo Iuda) copioſo exercitu eum deſtruere intendebat; miſit verò Deus aduerſum eum Angelum quendam qui centum octoginta quinq; millia Aſſyriorũ ſub vocte vna peremit. Sic ſine arcu & gladio Deus tutatus eſt Ezechiam Regem pium à tali ac tanto inimico, quia Rex bonus erat, & quia populus eius in vera ſe religione continebat; vinceimus & nos, ſi boni æmulatores fuerimus, quia idem Deus eſt, & eadem charitate nunc defendit ſeruos ſuos. Rufinus.

S. Hieron. Epiſt. 3. noſtris peccatis barbari fortes ſunt, vitiis noſtris noſter ſuperatur exercitus; & infelices nos qui tantum diſplicemus Deo, vt per rabiem inimicorum illius in nos ira deſæuiat! Proh pudor & ſtolida vſq; ad incredulitatẽ mens! S. Hieron.

Romanus

Romanus exercitus victor orbis & Dominus hos pauet, ab his vincitur qui ingredi non valent, qui si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur, & nõ intelligimus Prophetarum voces, fugient mille vno persequente, nec amputamus causam morbi, vt ipse morbus pariter auferatur. Ita ille.

PROPOSITIO XXX.

Peccatum mors animæ est.

MAt. 8. Sic Christus ad quendam qui vocatus ab eo dixit: *Domine permitte me ire & sepelire patrem meum.* Cui Christus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quomodo mortui possunt mortuos sepelire? quosnam hic mortuos vocat? S. Pet. Chrys. ser. 19. Fratres Christus dixit, ego sum vita, quia enim est anima corpori hoc est animæ Christus, nõ viuit sine anima corpus, nec anima sine Christo; recedente anima, mox corpori fœtor, putredo, vermis, horror, & cinis; sic discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, & fit in corporis sepulchro viuo, funus animæ iam sepultæ. Ita ille. Chrysol.

1. Reg. 1. *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit super Israel.* Quid hoc? nonne plures annos habebat Saul cum regnare cœpisset & 40. annis clauem tenuit regni? S. Hieron. lib. de quæstionibus Hebraicis in 1. lib. Reg. Sic nodum soluit; sic enim innocens erat Saul cum regnare cæpit, sicut est filius vnius anni, & in eadem innocentia duobus regnauisse annis dicitur. Ita S. Hieron. *de manera que quando reyno en pecado se quenta entre los muertos, y quando en gracia entre los viuos.* S. Hier.

PROPOSITIO XXXI.

In peccato quantus labor, & quàm infructuosus sit.

IOb. 7. sic ait S. Iob. *Ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* S. Gregor. 8. Mor. 5. allegotizans locum istum ait, hic per os sancti Iob Ecclesiam Dei loqui, & lamentari super filios peccatores. Ait ergo S. Greg. In hac vita quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam verò laboriosa & vacua simul. Amore quippe conditoris præsentis vitæ laboribus exerceri laboriosum quidem est, sed vacuum non est; amore autem sæculi voluptatibus solui, vacuum quidem est, sed non laboriosum; amore autem eiusdem sæculi aduersa aliqua pati vacuum simul & laboriosum est, quia ex aduersitate mens afficitur, & tamen remunerationis præmio non repletur. Sancta igitur Ecclesia in his qui voluptatibus defluũt & proinde fructu non ditantur, menses vacuos ducit, quia tempora fine retributionis munere expendit; in his verò qui æternis desideriis dediti, mundi huius aduersa patiuntur, laboriosas noctes enumerat, quia tribulationum tenebras, quasi in caligine vitæ præsentis portat. In his autem, qui transeuntem mundum diligunt & tamẽ eius contrarietate fatigantur, simul menses vacuos, & noctes laboriosas tolerant, quia eorum vitam nulla retributio subsequens numerat, & præsens tribulatio angustat. Ita S. Gregor. Etenim si hi qui in peccatis versantur, verum fateantur, & ad transactam vitam oculos conuertant, menses vacuos & noctes diesque laboriosas enumerabunt: quem enim fructum tandem habebunt, in his in quibus nunc erubescunt? Quod si voluptatibus mundi se frui dixerint, dicant simul quæ quantaque simul patiantur. Vbi enim peccatum, ibi labor & dolor; ita namque ordinauit Dominus, vt pœna sibi sit inordinatus animus quantumuis illi arriserit mundus. S. Greg. S. Greg. Simile.

PROPOSITIO XXXII.

Peccator nullam requiem habet in rebus mundi.

SIc Iob cap. 7. in persona hominis lapsi, sicut S. Gregor. interpretatur 8. Mor. 6. *Si dormiero, dicam, quando consurgam, & rursus expectabo vesperam.* Loquitur ad modum infirmi doloribus affecti, qui dum nox est ait, *O si iam nox appropinquaret!* sic peccator qui conscientiæ stimulis & mundanis incommodis fatigatur, numquam & nusquam inuenit requiem. Sic locum interpretatur S. Gregor. ibidem dicens: Quia fixa mens stare cum potuit noluit, stare iam non valet etiam cum vult, vt & quietus actionem desideret & occupatus ad otium anhelet; varietatem ergo banc exprimens dicit, *Si dormiero dicam, quando resurgam & rursum expectabo vesperam* ac si apertè dicat, nihil perceptum menti sufficit, quia ipsum, qui verè sufficere potuit emisit; in somno namque surrectionem desidero, in surrectione vesperam expecto, quia quietus exercitium actionis appeto, & exercitatus otium actionis quæro. Ita ille. Etenim hoc maximè in peccatoribus verificatur, quia cor impij est, quasi mare feruens, quod quiescere non potest; variis enim ac multiplicibus desideriis agitatum, quærit requiem, sed eam nnmquam inueniet, sicut nec ceruus sagitta percussus. Simile.

PROPOSITIO XXXIII.

Quam contra dignitatem Christianam sit peccatum mortale.

MAt. 6. Sic nos orare docuit Christus; *Pater noster qui es in cœlis.* Cur non ait, Domine Deus, cum verè & ille Dominus noster sit, nos verò serui eius? Et cur dixit, *qui es in cœlis*, cum in cœlis & simul in terris & vbique sit? Cassian. in collat. 9. de orat. quia cum vniuersorum Dominum, Patrem nostrum esse confitemur, profectò de conditione serulli, in adoptionem filiorũ Dei nos profitemur ascitos, adiicientes deinde, *qui es in cœlis*, vt commorationem vitæ præsentis, qua in hac degimus terra, velut peregrinam & à nostra patre nos longissimè separantem toto horrore vitantes ad illam potius regionem in qua Patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, & nihil admittamus, quod indignos nos hac nostra professione, ac nobilitate adoptionis tantæ faciat, & hereditate paterna velut degeneres priuet, & iram nos faciat iustitiæ eius incurrere. Ita Cassian. Cassian.

* *

PROPOSITIO XXXIV.

Quæ cum peccato fiunt, prosperum euentum habere non possunt.

Rom. 1. AD Rom. 1. Sic Paulus Romanis: *Testis mihi est Deus quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis.* Vbi primum obserua, quanti momenti sit verbi Dei prædicatio, vt assiduis orationibus id à Deo pro Romanis postulauerit Paulus. Sed ad rem, obserua illa verba, prosperum iter habeam in voluntate Dei, quasi prosperitatem itineris nullam expectaret nisi Dei voluntas interueniret. Obseruatio hæc S. Anselmi est ibidem dicentis. *In voluntate Dei dicit*, quia tunc esset vtilis aduentus eius; *& prosperum iter*, inquit, quasi dicat, quoniam aliter prosperum iter non habebo, nisi voluntas Dei illuc direxerit me. Ita ille. Et meritò, quomodo enim prospere fieri valent illa, quæ sine voluntate Dei fiunt, imò quæ contra Dei fiunt voluntatem? Cum igitur peccatum contra Dei voluntatem fiat, qui peccando aliquod bonum quærit, non prosperitatem, sed aduersitatem inueniet. Etenim ire Paulum ad prædicandum euangelium Romanis, opus sanctum, & optimum erat ex se; at voluntate Dei non intercedente, nec prosperum nec vtile fore credebat; & tu contra Dei voluntatem expressè faciens prosperum tibi promittere audes euentum?

S. Ansel.

At dices: Sæpe contingit peccatorem peccando ad finem optatum peruenire, & prosperitatem consequi quam quærebat. Cui primum dico quamlibet prosperitatem mundi optabilem non esse homini Christiano, si contra voluntatem Dei procuranda fuerit; est enim fidali omnibus prosperitatibus voluntas Dei anteponenda; & ideo Paulus prosperitatem itineris sui cum Dei voluntate coniunxit, quia prosperitatem nisi cum Dei voluntate coniunctam nolebat. Ita explicat etiam S. Anselm. locum dicens: *Prosperum iter* (inquit Paulus) *habeam in voluntate Dei*, quia non semper prosperitas itineris in Dei voluntate perficitur; sicut eorum qui prosperis successibus ad malum currunt. Ita ille. Sed deinde dicendum est, quod prosperitas eorum, qui contra Dei voluntatem faciendo illam acquirunt, non est dicenda prosperitas, sed aduersitas, & miseria magna, cum ipsa peccati fuerit causa & damnationis æternæ; quomodo autem cum peccato & damnatione talis felicitas & prosperitas potest conuenire?

S. Anselm.

PROPOSITIO XXXV.

Deum & creaturas sibi aduersantes reddit peccator.

Luc. 21. LVc. 21. *Erunt signa in sole & luna*, &c. Signum ait S. August. lib. de doctrina Christi, est id quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Si ergo signa sunt hæc, quid significant? etenim primò Dei aduersus peccatores iudicandos iram & indignationem præ se ferunt; si videres hominem ensem nudum blandientem, pallium brachio inuolutum ferentem, & faciem turbatam & pallidam labiis trementem, & oculos sanguinolentos habentem, & voce tremula clamantem, & dicentem, *moriatur, moriatur*, facile agnosceres magna ira aduersus aliquem inimicum teneri. Cum igitur ad iudicium properans Deus, solem luce sua & lunam claritate priuet, & stellas & elementa perturbet, quid aliud hic audies nisi aduersus peccatores minas? ac si diceret, *moriantur iniqui, pereant omnes peccatores terræ*; Væ peccatori! horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. vbi similiter creaturarum iracundiam aduersus peccatores aduerte, vti obseruauit Oleaster in cap. 4. Genes. dicens; sicut illum quem Princeps respicit toruè, omnes serui eius illum persequuntur; Ianitor enim ei introitum negat (*dale con las puertas en los ojos*) & alter qui ei arridere solebat, iratum in eum vultum conuertit, & denique omnes de eo vindictam sumere conantur; sic creaturæ eum qui Deum creatorem offendit, & cui iratus Deus est, omnes creaturæ persequentur; sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum & stellæ de cœlo cadent, & nasum & iram suam ostendent aduersus eos, quibus tunc Deus irascetur. Summe ergo fratres cauendum est ne Deum offensum habeamus, quia non solùm eum, sed etiam omnes creaturas eius habebimus aduersarias, terra non dabit fructum, nec mare pisces, &c. Ita Oleaster. Oleaster.

S. August.

Et hoc quidem præ se fert metus ille Cain Genes. 4. *Ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Cur ita omnia sibi aduersa fore timet? manifestum est, quia omnium Dominum sibi offensum videbat; rectè enim David Psal. 33. *Oculi Domini super iustos*, favorabiles scilicet & grati; vultus autem Domini turbidus & iratus. Sicut enim placidis & suauibus oculis Deus bonos intuetur, ita iracundo & terribili vultu aspicit malos, & inde creaturæ Dei gloriam prosequentes totis oculis peccatores intuentur, & solitum eis obsequium denegãt & vindicant de inimicis suis Creatorem suum.

PROPOSITIO XXXVI.

Dolere debemus propter proximorum peccata.

1. COr. 11. Sic Paulus: *Quis infirmatur, & ego nō infirmor? quis scandalizatur, & ego nō vror?* Sensum horum verborum sic explicat S. Anselm. quis fidelium infirmatur in actione, & ego non doleo? quis scandalizatur, id est radit in culpam, & ego non vror? id est zelo Dei inflammor. Ita S. Anselm. Ponderat autem verbum illud *vror* S. Chrysost. hom. 11. in Genes. & ait: Non inquit Apostolus, quis scandalizatur & ego non contristor, sed *ego non vror*, intensum nobis dolorem declarans, quòd intrinsecus accenderetur, & vreretur pro his qui sic offenderentur. Ita S. Chrysost. Vnde autem sic dolebat Paulus nisi ex amore nimio, quo Deum diligebat & proximum? Vrebatur iuxtrius, quia videbat peccatores peccatis suis offendere Deum, & ipsorum animas perire. Si ergo nos videmus etiam proximos peccare, & non dolemus, manifestè ostendimus nos Deum non diligere, sicut eius filius & amatores decet. 1.Cor. 11. S. Ansel. S.Chrys.

PROP.

PROPOSITIO XXXVII.

Deus peccatores punire solet morte anticipata.

SOlet Deus subita morte statim peccantes punire, quod si aliquando differt vindictam, tempus ad pœnitentiam concedens, solet tamen illud limitare iuxta placitum voluntatis suæ; quod si peccator perseuerat in peccatis suis tempore illo à se destinato, continuò statim eum necat, quamuis amplius naturaliter victurus esset.

Gen. 6. Vnde Genes. 6. videns Deus multiplicationem in terra, dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, hoc est, non diu viuent sicut antea viuebant homines. Cur ita? *quia caro sunt*, id est carnales & vitiosi sunt; *eruntque dies illius*

Oleaster. *centum viginti annorum.* Vbi rectè Oleaster. Audis hic quod in multis scripturæ locis Deum puniționi peccatorum certum statuat tempus, vt citò delicta emendes. Hinc illud, *nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum*, id est tempus quo illorum mala punire decreui. Hinc etiam illud Saluatoris, *donec compleantur tempora nationum.* Quamobrem S. Dauid psal. 20. admonet peccatores dicens: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*, & à via pereatis. ita ille. Decernit igitur Deus vsque ad talem vel talem numerum peccatorum supplicium mortis differre huic vsque ad 20. illi vsque ad 10. *&c.* Cum igitur peccare decernis, quid scis an vltimum istud peccatum sit, quo perpetrato infallibiliter te Deus ad mortem temporalem & æternam condemnet?

PROPOSITIO XXXVIII.

Cognitio peccati ad feruentem pœnitentiam conducit.

Psal. 50. PSal. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Si iam mundatus per animi contritionem fuerat, cum primum dixit, *peccaui Domino*, & Nathan propheta dixit ei, *Dominus transtulit peccatum tuum*; quid est quod adhuc veniam petit, & instat dicens: Amplius laua me ab iniquitate mea? videtur mihi hoc lo-

Simile. co similis Dauid homini nimis munditiem amanti, qui si v.g. maculam aliquam in manibus contraxerit lauans semel manus quo maculam illam deleat, iterum atque iterum manus lauat; quasi non satis essent mundæ. Sic Dauid quamuis iam semel audierat: *dimissum est peccatum tuum*, iterum clamat, *amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, quasi dicat: Confiteor me grauiter peccasse & te mihi pepercisse: sed quoniam peccatum meum ego cognosco, grauissimum scilicet fuisse, *amplius laua me ab iniquitate mea.* Etenim, quia multi peccatores grauitatem peccatorum non agnoscunt, ideo nec debitè dolent, nec ita se à Deo postulant lauari.

Item Luc. 7. *Cum cognouisset Maria Magdalena quod Iesus accubuisset in domo Pharisei, illico ad eum perrexit.* Importunè quidem, cur non expectauit commodius tempus? cur suis lachrymis & gemitibus turbare voluit lætitiam conuiuij? cur in domum alienam sic irruit facultate non

S. August. obtenta priùs à domino domus? S. August. lib. 50. homil. hom. 23. tom. 10. sic ponderat & respondet: Vidistis mulierem quæ erat in ciuitate peccatrix non inuitatam irruisse conuiuio vbi suus medicus recumbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatem; nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse ad quem venerat, sciebat. ita S. August. Pondera rationem illam, *nouerat enim quanto morbo laboraret?* quàm consonat hæc ratio rationi Dauidis, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper?* Qui enim sic cognoscit peccata sua, nihil non audet, nec cunctatur, nec veretur.

PROPOSITIO XXXVIII.

Peccatum inconstantem hominem reddit.

ECcles. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol; nam stultus sicut Luna mutatur.* Antithesis est inter iustum & peccatorem, & loco hominis peccatoris dixit hominem stultum; nec mirum, quia nemo stultus magis quam peccator. Si enim stultus est qui stulta dicit, cur non magis est dicendus stultus qui stulta operatur? Sensus igitur est vt ait Iansenius: Sicut Sol semper constans vnus & idem manet in luce & claritate sua, ita vir bonus & sanctus constanter persistit in sapientia sua; at sicut Luna in lumine suo mutatur, sic peccator pro varietate occasionum mutatur. ita Ians. Sol quidem etiam si nubes interponantur, quæ radios diffundere impediant, in se tamen semper æquè lucidus est; sic iustus quamuis aduersa intercedant aut prospera, semper idem est ac persistit, peccator verò oblatis occasionibus, facilè à virtute in vitium, & ab vno vitio in aliud mutatur. Hoc modo interpretatur hunc locum Origen. in cap. 1. primi lib. Regum. Luna, inquit, cum videatur vna esse per substantiæ immutationem; semper tamen est à semetipsa diuersa: sic peccator quia semper diuersa capit & sentit, vnus dici non potest. ita ille. & ibidem inductiuè ait: Peccator nunc vultum refert irati, nunc lenis, nunc tristis, nunc gaudentis, alio tempore de rebus diuinis consulentis, paulo post quæ ad auaritiam, & vanam gloriam pertinent molientis. ita Origenes.

Eccl. 27. 12. / Simile. / Origen.

Simile. Sicut enim nauis inter maris vndas si gubernaculo caret, pro varietate ventorum huc modò & illico illuc fertur; sic deficiente gratia Dei homo quauis mutatione temporum, & successuum circumfertur: & hac ratione peccator huiusmodi in sacris litteris duplex nominatur, vt patet Eccles. 1. numero 36. & Eccles. 2. num. 14. & Nahum. 1. num. 9. & Iacobi 1. num. 8. & alibi.

Psal. 1. Vnde Psal. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Hebraicæ *in consilio inquietorum:* nihil enim peccatore inquietius, *mudasse acada passo como ve era de tejado*; nunc quidem vult & statim ei displicet quod placebat; nunc amat & illico quod amabat, odio habet; iam audet, iam timet *&c.* Sic stultus hic quasi luna mutatur inquietudine sua.

Eccl. 33. 7. Eccles. 33. *Præcordia fatui, quasi rota carri & quasi axis versatilis cogitatus illius.* Cur rotæ carri comparat Spiritus sanctus corda fatuorum?

Iansen. Iansen sic explicauit: Comparat viscera fatui (id est peccatoris) rotæ carri seu currus, quæ circa axè

continuo

contiouo motu versatur, & comparat illius cogitationem axi versatili, qui simul cũ rota cui innixus est vertitur & mouetur, vt distinguatur ab axe fixa circa quam immotam manentem circumagitur rota, quia sicut illa assiduo motu circumaguntur, idque summa cum celeritate, ita peccatoris
Simile. cogitatio varia est, instabilis, vaga & velociter de vno prolabens in aliud. ita Iansenius. Idem igitur de peccatore quod de chamæleone dicendum est: qui secundum colores rerum quibus adhæret mutat colorem in se: sic peccator, secundùm rerum euentus, mutat cogitationes, & intentiones, & verba, & affectus, & actiones, ergo peccator mores sicut chamæleō, & facies sicut Protheus, & habitus sicut Vlysses mutat & numquam permanet idem.

Propositio XL.

Quàm grauiora sint peccata Christianorum quàm infidelium.

MAt. 18. *Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Ponderat locum istum Sanct.
S. Ambros. Ambros. serm. 10. dicens: Videamus cur Christianis scandalizantibus ista pœna sit data. Existimo enim in illa mysterium aliquod contineri, quasi enim non sufficeret in mare homini demergēdo saxum quodcumque non magnum, sed quod molæ asinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat quoque res vsui necessaria? sic expendit S. Ambros. & ad quæstitum sic respondet: Saxi mola est Paganorum Iopiter & Hercules lapideus, circa quos excis oculis frequenti errore circumeunt; nonne tibi videtur molam asinariam voluere gentilis popolus, quandiu imperitiæ suæ labore versatur? ita S. Ambros.
Idem. Sensus ergo sententiæ Christi hæc est: Christianus scandalizans alios multo grauius Deum offendit quàm Gentilis & Paganus, quia Gentilis ignorat legem amoris & charitatis Christi, atque adeo grauius peccat, sciens scandalum contra legem charitatis esse.

Propositio XLI.

Peccator mortuus & deformis abominabilis est ac infelix.

VTar ad huios rei explicationem similitudine quadam Senecæ: Cum viri primarij moriuntur, variis pigmentis & vnguentis solent eorum corpora condiri, & magna pompa sepeliri: sed rogo, suntne ideo minùs mortui, & minùs deformes ac infælices quàm hi qui nudi & sine vllo apparatu in sepulturam proiiciuntur? sic quamtumuis peccator diues &
Seneca. magnus, non minùs deformis est quàm seruus.

Propositio XLII.

Quàm ingratus sit Deo peccator.

Seneca. SEneca lib. 1. de beneficiis cap. 3. qui benefacere instat & priora beneficia sequentibus onerat, etiam ex duro pectore gratiam extundet, neque audebit ingratus aduersus multa beneficia oculos attollere. ita Sene. & meritò. Quomodo igitur qui nō solùm homo, sed Christianus est, & innumeris est à Deo affectus beneficiis eum mortaliter offendere audet?

Propositio XLIII.

Quàm stultum sit peccare ob spem veniæ, vel ob propositum pœnitendi.

SVnt qui peccato consuescere solent, propter propositum pœnitendi, & spem veniæ, quam ex pœnitentia futura concipiunt: quibus proponenda est doctrina S. Gregor. 4. Mor. vltimo, vbi S.Greg. ait: Plerumque mens, quod peruersè egisse meminit deplorat, & tamen dum eorum quæ gessit reminiscitur, grauiter iudicij Dei pauore terretur, & inter spem formidinemque sollicita trepidat, quia iustus index veniens, quid de perpetratis repotet, quid relaxet ignorat, quàm praua commiserit meminit, sed an commissa digne fleuerit, nescit; & ne culpæ immanitas modum pœnitentiæ transeat, metuit. ita ille. Ne igitur in has redigaris angustias, & in periculum huiusmodi situationem tuam inducas, quasi à facie colubri fuge peccatum quodcis mortale.

Etiam sunt qui tentatione vehementi oppressi & victi ad spem & propositum pœnitentiæ recurrant, quibus S. Hieron. Epist. 8. Ignoremus pœ- S. Hieron nitentiam ne facile peccemus, illa quidem miseris secunda post naufragium tabola sit. Aliud autem est quærere quod perdideris, aliud possidere quod numquam amiseris, ita ille. Nota pœnitentiam miserorum remedium esse: quis miseriam amplectitur spe remedij & quidem incerti? certum enim est per peccatum æterno supplicio peccatorem dignum esse; an autem dignam venia pœnitentiam quis facturus sit, incertum est. vnde meritò hic ait S. Hieron. *Aliud est quærere quod perdideris, &c.* Perdes peccando gratiam, an eam recuperaturus sis incertum est; at in re tanta stultum est relinquere pro incerto certum.

Propositio XLIV.

Quàm prouocent Deum ad iram peccata iterata.

PAtienter sustinet Deus peccatores. Caue tamen ne iterando peccata eū prouocesad iram; vera enim est sententia illa Plinij lib. 37. cap. 4. Plinius Supra modum incandescit semel victa lenitas, *blandura vencida con agrauios quanto maior tanto mas se conuierte en mayor ira yenojo.* Ideo antiqui sic Dei patientiam significabant: pingebant Aquilam grandem & infra corniculam pedes eius, rostro ferientem semel & sæpe; quo Aquila irata, voguibus apprehensam corniculam discerpebat, & in frusta secabat; sic Deus homuncionem tenaciter peccantem punit.

Cc

Principiis obsta serò medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere vias.

PROPOSITIO XLV.

Peccatum impedit Dei cognitionem.

TRibus illis Regibus Magis se Christus manifestauit, non verò Herodi, nec consortibus eius. Adnotauit hoc S. Leo Papa serm. 2. de Epiphania Domini dicens: Verbum caro factum sic susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus IESVS credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus. ita ille. Hoc autem quotidie Dominus agit; iustis enim & bonis se cognoscendum exhibet, peccatoribus autem non sic. Audi Apost. Ioannem, 1. Ioann. 2. *qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.* S. Leo.

PROPOSITIO XLVI.

Grauitas peccati constat ex passione Christi.

SAnct. Bern. serm. 3. de natali Domini: Ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Filius Dei altissimi iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur. Agnosce ô homo, quàm grauia sint vulnera illa pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari, sic medicinæ æstimatio & doloris & timoris exaggeratio est. ita S. Bernard. S. Bern.

Peccatum veniale.

1. *Quàm debeamus peccata etiam venialia cauere.*
2. *Peccata leuia ad grauia disponunt.*

PROPOSITIO I.

Quàm debeamus peccata etiam venialia cauere.



Sal. 16. *Custodi me Domine vt pupillam oculi.* Cur *vt pupillam oculi* potius quàm vt manum vel pedem, *&c.* S. Ambr. lib. 6. exameron c. 9. Vt protectionis diuinæ fieret ei tam sollicita & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est Deus; simul quia innocentiæ integritas leui sorde aspersa violatur. ita S. Ambros. Etenim pupillæ oculi quiuis puluisculus nocere solet; non quidem minor est teneritas virtutis: quiuis enim moralis defectus ei pro modulo nocet. S. Ambros. Simile.

PROPOSITIO II.

Peccata leuia ad grauia disponunt.

SEnec. vt initia morborum quamuis leuia serpunt: ita si vitia & affectus malos vel leuissimos admittas, crescent & augescent. ita ille. Quare non minùs de morbis animi quàm corporis dictum illud accipe;

Pænitentia, *Vide* Conuersio.

1. *Pænitentia est peccatorum antidotum.*
2. *Pænitentiæ lachrymæ gloriam magnam promerentur.*
3. *Quàm grata Deo sit pænitentia.*
4. *Quod ad debitè pænitendum diuinam oporteat misericordiam inuocare.*
5. *Opera pænitentiæ amplectenda sunt, voluptatis verò fugienda.*
6. *Quàm magnum bonum sit pænitentia.*
7. *Quàm necessaria sit pænitentia.*
8. *Pænitentia auxilio Dei eget.*
9. *Sententiam contra peccatores pronunciatam mutare solet Deus ob pænitentiam.*
10. *Lachrymæ pænitētū quā impetratoriæ sint.*
11. *Pænitentia iuuat ad perfectionem.*
12. *Pænitentia non [illegible] differenda.* Vide *Conuersio.*
13. *Omnes culpas quantumuis graues legitima pænitentia delet.*
14. *Qui legitimam pænitentiam facere optat, occasiones peccatorum fugiat.*
15. *Quàm procliuis sit natura diuina ad remittenda peccata pænitentis.*
16. *Pænitentia agenda est propter amorē Dei.*
17. *Pænitentia cognitionem sui requirit.*
18. *Quàm deceat peccatorem pænitentia.*
19. *Quàm plenè & exactè agenda sit pænitentia.*
20. *Ad pænitentiam requiritur cognitio malitiæ peccati.*
21. *Quod pænitentiæ comes debeat humilitas esse.*
22. *Vera pænitentia operibus patescit.*
23. *Cum spe veniæ agenda est pænitentia.*
24. *Quod non sit propter pænitentiæ propositum peccandum.*

PROPOSITIO I.

Pænitentia est peccatorum antidotum.



Genes. 4. Sic Dominus ad Cain post peccatum fratricidij perpetratum, *Vbi est Abel frater tuus?* Ad quid interrogatio hæc, cum optimè sciret Dominus obitum Abelis & delictum Cain? S. Ambros. lib. de Cain & Abel c. 9. Quod ad rationem profundam attinet, peccantes admonet ad pænitentiam: Cōfessio enim pænarum cōpendium est. ita ille. Requisiuit ergo Deus à Cain peccatū, vt confessio & pænitentia delicti veniam coo.equeretur: talis verò ac tanta pænitudo esse potest, vt non solùm culpæ, sed etiam promeritæ pœnæ remedium sit. Hoc importat verbum illud S. Ambrosij, *pœnarum compendium est.* S. Ambros.

Cain.

Cant. 1. Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis*: Sic sponsa Dei Christo Domino; etenim nomen Christi, nomen *Iesus* siue *Saluator* est, quod oleo effuso non clauso sed effuso comparat, quia liberaliter valde salutem animarum impertiit, & effudit; quod enim effunditur, non auarè communicatur, sed largè: sic Christus salutem. vnde & dicit Matth. 11. *venite ad me omnes*, &c. Neminem excludit, quia *oleum effusum nomen eius*; & subdit. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Philo Episcopus sic locum hunc legit, *propterea adolescentulæ dilexerunt te, & traxerunt te post te.* Quid est *traxerunt te post te*? qui fieri potest vt quis trahatur post se? Nota hic Philonem nomine adolescentularum intelligere animas debiles, & peccatrices, & suppone, quòd eo ipso quod quis peccatum aliquod mortale committit, gratiam Dei amittit, atque adeo illum quasi post tergum proiicit; odio est enim Deo impius & impietas eius; sed tamen si talis impius fecerit pœnitentiam peccati sui, Deus peccatum eius post tergum suum proiicit, & faciem suam ad eum conuertit, & tunc rectè dicemus quod *adolescentulæ trahunt Deum post se*, quia cum auersus Deus à peccatore esset, ad eum conuertit se, propitium se Saluatorem exhibens. Meritò ergo ait sponsa Christo Saluatori, *oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ traxerunt te post te.*

Philo.

S. Ambr. S. Ambros. lib. 2. in Lucam: Nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet, nouit Dominus mutare sententiam si tu noueris emendare delictum. ita ille. Ecce magnam pænitentiæ nostræ virtutem, imò Dei magnitudinem misericordiæ, & clementiæ.

PROPOSITIO II.

Pœnitentiæ lachrymæ gloriam magnam promerentur.

Matth. 11. MAtth. 11. ait Christus Dominus: *regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Cui sententiæ obstare videtur, quod Dominus Matth. 18. *nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*; vim patitur, & violentorum ac fortium est rapere illud, quomodo ait ad rapiendum cœlum nos paruulos esse debere? paruuli enim nec fortes sunt, nec vim habent, &c. Responsio in promptu est, pueri in lachrymis fortitudinem habent; si aliquid petunt, & eis denegatur, lachrymis importunis illud assequuntur; si vapulare à parentibus debent, ploratu & lachrymis veniam extorquent, arma denique puerorum lachrymæ sunt, arma quibus vim faciunt pænitentes lachrymæ sunt, cum illis enim vim regno Dei faciunt & rapiunt illud.

Hinc Christus Dominus conuiuium Simonis Pharisæi acceptauit Luc. 7. sciens adfuturam Magdalenam, quæ lachrymis suis & ipsi placeret, & illa salutem consequeretur. Vnde

S. Petrus Chrysol. S. Petr. Chrysol. serm. 93. ad prandium, & ad Pharisæi prandium venisse Christum sollicitus miretur auditor, Pharisæi domum Christus intrauit non accepturus eius cibos, sed pænitentis lachrymas potaturus, & diuinam misericordiam ei largiturus. ita ille. Quod si dicas, poterat, Christus vel in templo, vel alibi, id præstare, cur igitur in conuiuio? vt pro conuiuio lachrymas illas ipsi fuisse videamus, *el mas regalado plato de este combite fueron las lagrimas de la Magdalena.*

PROPOSITIO III.

Quàm grata Deo sit pænitentia.

GEnes. 4. sic Dominus ad Cain post fratricidium: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Cur morte dignum Cainum sic Dominus defendit? S. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel cap. 10. Noluit Dominus homicidium homicidio vindicari, qui mauult peccatoris correctionem quàm mortem. ita S. Ambros. Seruauit igitur Dominus vitam Cain, non quia tali beneficio ille dignus esset, sed vt tempus pænitentiæ illi concederetur. Hinc est quod cum in eodem cap. 4. Lamech interfecisset Cainum dixit, *septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Cur maiori pæna puniri debuit, qui fratricidam occidit, quàm qui occiderat innocentem? Respondet ibidem S. Ambros. quia nemo debuit interimere eum, qui vsque ad naturalem terminum mortis suæ agendæ pænitentiæ spatium habebat; excusare enim se posset, quod se redemisset, vel sera actione pænitentiæ nisi eum præmatura pæna rapuisset. ita ille. S. Ambr. Idem.

Gen. 4. 4. Genes. 4. *Abel obtulit de primogenitis & adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel & ad munera eius.* Quis docuit primos illos homines, huiusmodi sacrificia esse Deo grata, & ad expiationem peccatorum vtilia? Respondet Hugo Victorin. credimus Deum docuisse Adam hunc diuinum cultum quo eius beneuolentiam recuperaret, quam amiserat propter transgressionis culpam, & ipse docuit filios suos. ita ille. Obserua igitur & perpende Dei bonitatem, & misericordiam, qui licet offensus viscera doluit peccantis, & modum edocuit, quo eum placare posset, & damnationem vitare, & ad eius gratiam redire: gratias age, quod nunc pænitentiæ instituit sacramentum quo à peccatis mundemur, & ad eius amicitiam reuertamur. Hug. Vict.

Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ad quosnam sermo iste? numquid ad pauperes, qui egestate premuntur? aut ad eos qui variis ægritudinibus laborant? vel ad eos, qui persequutiones graues patiuntur? aut aliis pænis fatigati vexantur? S. August. serm. 11. de Euangel. secundùm Matth. *venite*, inquit, *ad me qui onerati estis, & ego reficiam vos.* vnde onerati? nisi sarcinis peccatorum, & transgressionibus legis, ita S. August. Omnes igitur peccatores ad se vocat Dominus, vt eos reficiat & exoneret à peccatis, *omnes*, inquit, & qui omnem vocat, nullum peccatorem excludit. S. Aug.

Ioan. 1. Vnde Ioann. 20. cum primum post passionem resurrexit, discipulis dixit: *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quorum*, inquit, id est omnium, neminem excipio. Ita ne Domine? quid si venerint Scribæ & Pharisæi qui te ad crucem vsque persequuti sunt? *quorumcumque* ait. Quid si Cayphas & Pilatus iniquissimi iudices, qui mortis crudelis aduersus te sententias protulerunt? *quorumcumque* inquit. Quid si Iudas venisset? neminem excipio à pænitentiæ & remissionis

remedio. O immensa Dei bonitas adhuc sanguinis suæ sanctissimæ maculæ supra lapides Hierusalem apparebant? & pro effusoribus sanguinis huiusmodi remedium adhibebat. Quis igitur quantumuis peccator de venia desperet?

At, inquies, in oppositum esse videtur quod per S. Euangelistam Marcum ait Christus Dominus: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerint; qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Datur igitur peccatum aliquod irremissibile. Respondet S. Aug. serm. 11. de euangelio secundùm Matth. Peccatum seu blasphemiam in Spiritum sanctum, esse peccatum impænitentiæ finalis, quando scilicet desperans non pænitet, vel alia quauis ratione pænitentiam agere noluerit, peccatorum veniam non consequetur; impænitentia autem seu desperatio huiusmodi, dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia Spiritui sancto tribuitur remissio peccatorum secundùm id Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ait igitur S. August. ibidem? vbi peccatum non fuerit cordis impænitentis contra Spiritum sanctum quo in Ecclesia peccata soluuntur, cuncta alia dimittuntur; quomodo enim hoc remittetur, quod etiam aliorum peccatorum impedit remissionem? ita S. August. hoc autem magis dicta confirmat, idem enim est ac dicere: Vbicumque interfuerit pænitentia vera, omnia peccata dimittuntur; vbi autem impænitentia, nequaquam.

Marc 3. 28.

S. August.

S. August. serm. 28. de verbis Domini secundùm Luc. sic ad peccatorem ad Deum rectè conuersum: Ex malo seruo factus es bonus filius. ita ille. Ex malo, inquit, seruo seruitus semper, fuit & est exosa, sed tamen seruitus peccatoris est pessima. est enim seruus diaboli imò & ipsius peccati, quod ipso diabolo peius est. Est enim malus diabolus, non ex natura sua sed ex peccato. Ait igitur Christus Dominus, *qui facit peccatum, seruus est peccati.* O prorsus misera seruitus! ò captiuitas horrenda, hominem ad imaginem Dei factum diaboli & peccati seruum esse! ô beata pænitentia, quæ ex diaboli & peccati seruo filium Dei facit! quid felicius, quàm Dei filium hominem esse per gratiam.

S. August.

Propositio IV.

Quòd ad debitè pænitendum diuinam oporteat misericordiam inuocare.

Luc. 22. 61

LVc. 22. Cum ter negasset Petrus Dominum, *Conuersus Dominus* (ait Euangelista Lucas) *respexit Petrum & recordatus est Petrus verbi Domini, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras Petrus fleuit amarè.* Coniunxit hic Euangelista visum Domini cum pænitentia Petri. cur ita? S. Ambros. in hunc locum: Negauit, inquit, primò Petrus & non fleuit, quia non respexerat Dominus. Negauit tertiò, respexit Iesvs, & tunc ille amarissimè fleuit. Respice nos Domine Iesv, vt sciamus nostrum deflere peccatum & lauare delicta. ita S. Ambros. Tu igitur si vis rectè pænitere, ora Dominum & dic cum Ecclesia, *vt ad veram pænitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.*

S Ambros.

* *

Propositio V.

Opera pænitentiæ amplectenda sunt, voluptatis vero fugienda.

POnderat S. Bernard. serm. 3. in natiuitate Domini tempus natiuitatis Christi, quod scilicet fuerit in asperiori tempore totius anni, & ait: Hyeme & nocte natus est Christus. numquid credimus casu factum, vt in tanta aëris inclementia & in nocte nasceretur, cuius est hyems & æstas, dies & nox? non eligunt cæteri paruuli quando nascantur, quibus quippe nullus sit rationis vsus, nulla eligendi libertas; Christus tamen & si puer erat, Deus erat, & eiusdem cuius nunc est sapientiæ & potestatis. Nasciturus itaque Dei filius, in cuius arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod molestius erat præsertim paruulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum, præsepe ad reclinandum: & tum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Non est tale iudicium mundi, aut iste fallitur, aut mundus erat: sed impossibile est diuinam sapientiam falli. Christus autem qui non fallitur, elegit quod molestius erat carni. Id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum, & quisquis aliud doceat vel suadeat ab eo tanquam à seductore cauendum est. ita S. Bernard. Vnde conuersus ad mundi amatores idem sanctus ibidem ait: Christus eligit, quod salubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat ille; quis prudentior è duobus? cuius iudicium iustius? cuius sententia sanior? ipse est paruulus, qui, vt ait Isaias, scit reprobare malum & eligere bonum, malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est. ita ille.

S. Bern.

Propositio VI.

Quàm magnum bonum sit pænitentia.

ESt adeo ingens beneficium remissionis peccatorum, vt Christus Dominus ex eo nomen illud sublime Iesvs voluerit tanquam insigne honorificum sibi assumere, *y poner como por blason en el timbre de sus armas estas palabras.* Vocatum est nomen eius Iesvs, etenim reges terræ in remissione criminis læsæ maiestatis inexorabiles sunt. Rex autem noster Christus tamquam pius & bonus Dominus, inde sibi nomen gloriosum vindicauit. Hac etiam de causa inter articulos fidei ponitur remissio peccatorum; voluit enim è cordibus nostris excludere omnem oppositi suspicionem, & de fide tenendum esse ab eo in Ecclesia institutam remissionem peccatorum; & similiter magnitudinem rei voluit commendari, articuli enim fidei de rebus arduis, & quæ rationem nostram naturalem superant, à Deo in symbolo collocantur.

Hinc etiam in lege veteri institutum à Deo fuit festum Expiationis, quod præcedebat aliud festum, quod Tubatum appellabant. Voluit autem hoc festum Tubarum celebrari ante festum Expiationis, vti asserit S. Thom. 12. quæst. 102. artic. 4. ad. 10. Quodnam igitur erat hoc festum Expiationis, ad cuius solemnitatem, S. Thom.

tem, & debitam celebrantium præparationem sic Tubæ insonabant, & talem vigiliam alterius festi Deus requirebat? neque ad alia festa etiam paschalia talem instituit ritum. Respondet S.Thom. ibidem: Festum Expiationis institutum fuit à Deo in memoriam illius beneficij, quo Deus propitiatus est peccato populi in adoratione vituli ad preces Moysi. ita S.Thom. Itáne tanta res est peccati vnius remissio vt tali ac tanto festo voluerit celebrari? Ita quidem.

Cur legem suam voluit Dominus Euangelium dici? *Prædicate*, inquit, *euangelium omni creaturæ?* Euangelium autem idem est quod nuntium bonum, cur ergo legem suam bonum nuntium appellauit? Multa quidem sunt in ea ob quæ meritò sic appellari voluit: speciatim au-
Beda. tem sic respondet Beda in 1. cap. Marci. Quod melius est nuntium quàm hoc, *appropinquabit enim regnum cælorum?* ita ille. Tanta enim res est pœnitentia, tamque eximium bonum remissio peccatorum, vt vel propterea tota lex gratiæ euangelium iure nominetur: quid enim de nobis peccatoribus actum esset, si locus pænitentiæ & remissio peccatorum nobis deesset? Si autem nihil iucundius nuntiari potest captiuis apud Turcas quàm aduenisse eis aliquem redemptorem, quanto magis nobis aduenisse Iesvm ad redemptionem animarum?

Propositio VII.

Quàm necessaria sit pænitentia.

PSal. 59. Sic Deo Dauid: *Commouisti terram & conturbasti eam; sana contritiones eius, quia commota est.* Quænam est commotio ista &
Hugo. Card. conturbatio hæc terræ? Hugo Cardinalis sic explicat; id est, corda nostra timore concussisti; & nota quod non dicit *mouisti*, sed, *commouisti*, quia nec homo solum sic se mouere potest, nec Deus vult sine homine. ita ille. Oportet igitur vt cum Deus auxilio suo mouet cor peccatoris ad pænitentiam, simul pænitendo cum Deo concurrat homo, & tunc commotus, id est, simul motus est homo per legitimam & salutarem pœnitentiam. alioquin grauius iudicium patietur peccator per Dei auxilia motus. & merito talibus dicit Dominus id quod Prou. 1. *vocaui & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo: tunc inuocabunt me & non exaudiam*, &c. Ecce igitur tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

2. Reg. 12. 2. Reg. 12. misit Dominus Prophetam Nathan ad Dauidem, vt reprehenderet eum propter peccatum adulterij, & illico Dauid corde compulsus clamans dixit: *Peccaui*; vix protulerat Dauid verbum *peccaui*, cum iam Nathan remissionem peccati expresserit ei dicens; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* O mira pænitentiæ efficacia, *que alli tan de mános à voca, se le perdono un peccado de adulterio.* Simul pænitentia & remissio peccati fuerunt absque vlla mora, in tantum vt non diceret Nathan: *Dominus transfert* de præsenti, sed *transtulit* de præterito; quia cum primum cœpit remissionem culpæ proferre Nathan, iam culpa remissa erat. Talis ac tanta est pænitentiæ vis, ac virtus, tamque accinctus, & promptus Deus ac multus ad ignoscendum est.

Exod. 25. 37. Exod. 25. Præcepit Dominus Moysi tabernaculum Deo ipsi construere & dicare, in quo Propitiatorium collocare præcepit Deus: *Facies (inquit) & propitiatorium de auro mundissimo, duos quoque Cherubim aureos & productiles ex vtraque parte oraculi.* Hic primò consideranda venit immensa Dei pietas & clementia in peccatores, in eo quod sic præceperit in domo sua propitiatorium, id est locum remissionis peccatorum constituere. Non sic Reges terræ, non sic se habent, locum in quo rei iudicentur & condemnentur, habent quidem, *salas del crimen en sus audientias si tienen pero sala de perdon esso no, cada reo ha de salir por sus cabales.* Propitiatorium ergò solus Deus in domo sua habere voluit & modò etiam haberi, imò & plura propitiatoria. Quid enim aliud sunt confessionalia, in quibus confessarij peccatores absoluunt, nisi propitiatoria domus Dei? nonne hinc satis constat quàm libenter Deus peccata remittat & quàm multus sit ad ignoscendum?

Prætetea consideranda est ratio, cur duos Cherubim ibi prope ipsum propitiatorium iusserit apponi, quod quidem mysterium auget. Cur igitur non duos Seraphim, vel ex alio Angelorum ordine? nimirum, quia in scriptura sacra Cherubim equi Dei sunt iuxta id Psal. 17. *ascendit super Cherubim & volauit.* Voluit igitur duos illos Pf. 17. 11.
Cherubim adesse circa propitiatorium, vt velocitatem & promptitudinem Dei ad remittenda peccata significaret; *fue cómo dezir tenendme ay dos cavallos ligeros, iunto al perdonadero de los peccados para que yo volando sobre alas de Cherubines acuda à perdonar los peccados de qualquier peccador penitente, aunque este en el cabo de el mundo.* Ita quidem significauit celerem suam voluntatem in peccatis dimittendis.

Quod quidem satis apertè Dominus ostendit in parabola filij prodigi. Luc. 15. vbi inter alia inquit: *Cum autem adhuc longe esset vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, &c. Pondera verba illa *accurrens*. Cur ò pater sic curris ad amplectendum & osculandum prodigum filium? veniat, & currat ille ad te, & cadens in terram lachrymisque profusus veniam à te petat, tuum autem erit exprobrare iniquitates eius, *&c.* Sed Deus verè pater, verè misericors, impatiens moræ statim accurrens recipit clementissimè peccatores. vnde S.Chrysol. serm. 3. de filio prodigo: S.Chrys.
Sic Pater iudicat, sic emédat, sic peccanti filio dat oscula nõ flagella, quia delicta non videt vis amoris. ita ille. Ecce quàm potens apud Deum sit pænitentia nostra, & quàm præsentaneum remedium ad veniam quorumcumque peccatorum obtinendum à Deo.

Hinc rogare libet: Si talis ac tanta est virtus pænitentiæ, quomodo non peccatores omnes ad eam currunt? *numquid*, ait Hieremias, *resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Explicat locum hunc S. Hieronym. dicens: In- S. Hieron.
uenimus resinam Galaad pro pænitentia poni, mirarique nunc Deum quare vulnera Hierusalem non sint sanata. ita ille. Nunc ad populum Christianum sermonem conuertamus, numquid non est resina in Ecclesia Christi? non sunt medicamenta efficacia? non sunt sacramenta? non est vis pænitentiæ? Quomodo ergo sunt tot in ea infirmi? tot peccatores? quomodo tot ad inferna descendunt? Equidem quod vel vnus solus Christianorũ damnaretur, mirum

valde nobis esse deberet. Dices, damnatur multi, non quia remedia desint, sed quia illis vti nolint peccatores; at super hoc merito miratur Hieremias, dicens, *numquid qui cadet non resurget? & qui auersus est non reuertetur?* Quod si quis in lutum cadit quamprimum surgit, quia turpe quidem est in peccato iacere? numquid ergo qui in cœno peccati iacet non resurget? vide quàm magna sit stultitia peccatoris, & quàm iustè pœnas stultitiæ suæ dabit. Iere. 8. 4.

Sunt quidem quamplurimi peccatores qui effrenatè peccare volunt, pænitentiam verò & fructus dignos pænitentiæ facere recusant; quibus rectè S. Bernard. super *ecce nos reliquimus omnia:* Mutatis non effugitis pænitentiam, nam malum impunitum esse non potest; non punitur hic voluntariè, punietur alibi sine fine. ita ille. Electionem Deus tibi piè assignauit, vt eligas scilicet hîc vel in inferno puniri; hîc supplicio temporali, in inferno verò intolerabili & æterno. Vnde Abraham ad diuitem in inferno guttam aquæ postulantem Luc. 16. *recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Ecce quomodo vel in hac vita, vel in alia, pænitentia necessaria sit. S. Bern.

Vnde etiam S. August. lib. Soliloq. cap. 22. Nemo potest in vtroque sæculo consolari, nec potest hîc & ibi gaudere, sed vnum necesse est perdat qui alterum voluerit possidere. ita S. August. *no da Dios paraysos vno aca y otro alla, antes bien echo Dios del parayso à Adam en este valle de lagrimas para llorar y padezer reseruandole el descanso para el cielo, la sirena viue cantando, y muere llorando à si quien desea morir cantando viua llorando.* Simile.

PROPOSITIO VIII.

Pænitentia auxilio Dei eget.

QVi verè ad Deum conuerti desiderat, Deum humiliter deprecari debet, vt efficax illi auxilium conferat, quo peccandi affectum deponat, & fortiter ac viriliter peccarotum vincula rumpat. Peccabat Petrus negans Christum Dominum non semel nec bis, &c. & in ipso feruore negationum *respexit Dominus Petrum* & illico *fleuit amarè.* Ponderat S. Ambros. ibi factum hoc, & ait: Negauit primò Petrus & non fleuit, quia non respexerat Dominus; negauit secundò & non fleuit, quia non respexerat Dominus adhuc; negauit tertiò & respexit IESVS & ille tunc amarissimè fleuit; respice Domine IESV vt sciamus nostrum deflere peccatum. ita S. Ambros. respectus ille quidem inspirationem & auxilium Dei efficax includebat, quo sic repente & potenter conuertit animum Petri. Si ergo vis efficaeiter ad Deum conuerti, roga Deum, vt sic te misericorditer aspiciat, & respiciat. Luc. 22. S. Ambr.

Et quia post conuersionem perseuerantia opus est ad salutem æternam consequendam instet conuersus petens auxilium efficax à Deo, ipsius enim Dei est perseuerantiæ donum. Audi dominum ipsum ad conuersum dicentem Psal. 31. *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.* Responsio est Dei ad Dauidem petentem auxilium à Deo. Sensus ergo est: Ego docebo te interius, quod consilium tibi necessarium sit, ne erres in via salutis, & dirigam te in exterioribus actibus tuis, & denique firmum auxilium dabo tibi ad perseuerandum. ita exponit Cardinalis Bellarminus. Psal. 31. Bellarm.

PROPOSITIO IX.

Sententiam contra peccatores pronuntiatam mutare solet Deus ob pænitentiam.

LAta quidem est à Deo sententia aduersùs delinquentes. Psal. 10. *pluet* (inquit) *super peccatores laqueos*, hoc est verbera grauia, vti explicat S. Hieron. Sed tamen cum grano salis (vt aiunt) intelligendum est; si enim opportuno tempore pœnitentiam egerit peccator, sententiam vindictæ in misericordem remissionem Dominus mutabit; nam vti ait S. Ambros. Nouit Dominus mutare sententiam si tu noueris emendare delictum. ita S. Ambros. Psal. 10. 6. S. Hieron. S. Ambr.

Isa. 38. ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & introiuit ad eum Isaias Propheta, & dixit ei: *hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ quia morieris & non viues.* Ecce sententiam mortis à Deo latam, & tamen mutauit eam Deus, & quindecim vitæ annos adiecit ei, nimirum quia fleuit Ezechias fletu magno, & orauit Dominum, & obtinuit illud tempus vitæ. Sic etiam erga peccatores se Deus gerere solet, vt constat in Niniuitis Ion. 3. ingressus enim Ionas in Niniuen sic concionabatur: *adhuc 40. dies & Niniue subuertetur.* Sed hanc, quæ absoluta videbatur, sententiam à Deo latam reuocauit Dominus, & pepercit Niniuitis remittens pænam: lachrymis enim & pænitentia illi resciderunt decretum illud. Ionæ. 3. 4.

Sed dices, quo pacto Deus mutare potest, quod semel asseruit, cum omnino certissimum sit Deum mentiri vel mutari non posse? ad Hebræ. 6. *impossibile est*, ait Paulus, *mentiri Deum*, & Num. 23. *non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* Vnde Antiquorum proloquium fuit, *Deus nec mori nec mentiri potest.* Responsio scita est & nota, quòd nempe diuina decreta, atque adeo Prophetarum oracula & vaticinia licet absolutè proferantur, cum supplicia peccatoribus denuntiant, plerumque tamen latentem includant hanc conditionem, *si tamen peccatores non resipiscant nec conuertamur ad Deum:* Sicut Ierem. cap. 18. expressit dicens: *Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum vt eradicem & destruam & disperdam illud: Si pænitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pænitentiam à malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Ecce hic expressum pactum quod in aliis similibus Dei comminationibus latet, quod etiã exponit Theod. in c. 27. Ezech. dicens: Fert Dominus sententiam & latam antiquat, & veritas eius non minuitur: fert enim sententiam contra non pænitentes, in his verò qui pænitentiæ remedium exceperint, supplicij decretum non habet locum. ita Theod. Heb. 6. 18. Nu. 23. 19. Theodor.

Ita etiam S. Gregor. 16. Mor. 17. cum exteriùs mutari videtur sententia Dei, interius consilium non mutatur, quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid mutabiliter fit exteriùs. ita sanct. Gregor. & S. August. lib. contra aduersarios legis cap. 20. Pænitentia Dei dicitur rerũ in eius potestate constitutarũ hominibus inopinata mutatio. ita ille & iterum S. Greg.

rum

rum S.Gregor. 20. Mor. 24. consilium Deus non Idem. mutat, sed rem. ita ille. Quamuis Deum intendentem aduersùs se arcum videat, ad pænitentiam accurrat: licet enim secundum præsentem iustitiam à Deo damnatus ad inferos sit, pænitentia tamen sua Deum placabit.

Propositio X.

Lachrymæ pænitentis quàm impetratoriæ sint.

Isai. 38. ISaiæ 38. *orauit Ezechias & fleuit*, &c. *& Dominus ad eum: Audiui orationem tuam & vidi lachrymas tuas.* Tertul. lib. 5. contra Marcionem lachrymis adscribit placatum fuisse Deum Ezechiæ, dicens: Facilis Deus Ezechiæ precibus flecti. ita ille. Etenim Ezechias non solùm fleuit coram Domino, sed etiam orauit Dominum & potius lachrymis quàm orationi exauditionem tribuit Tertul. nimirum, quia sermo non ita explicat veritatem & intentionem cordialis affectus sicut lachryma, quæ verè prodit affectum animæ. Vnde rectè sapiens quidam dixit: Lachrymæ doloris in animo concepti testes incorrupti sunt, & omni exceptione maiores & manifesti indices latentis in corde pænitentiæ. ita ille. Et S. Greg. Nissen. S. Gregor. Nissen. in oratione funebri de Placilla. Dolor in corda delitescens per fletos & lamentationes significatur, ac vulnerum animi tanquam Simile. sanguis lachrymæ sunt. ita ille. Sicut ergo sanguinis effusio ex corpore vulnerato procedens grauitatem vulneris ostendit: sic etiam lachrymarum effusio doloris cordis grauitatem manifestat, & ob hanc causam Deus lachrymanti facilè postulata concedit, quia placet illi valde verus affectus cordis.

Tobiæ 12. Vnde Tobiæ 12. sic Angelus Raphaël ad Tobiam: *Quando orabas cum lachrymis, &c. ego obtuli orationem tuam Domino*; licet enim per se oratio sine lachrymis valde sit grata Deo, lachrymis tamen sociata gratior multo est illi, quia tunc oratio ex maiori affectu cordis procedit, vt dixi.

Quam ergo Deo placeant lachrymæ nostræ, constat ex verbis illis Dauidis, Psalm. 55. *Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; quasi non omnia sint in conspectu eius. Cur igitur speciatim ait *in conspectu* S. August. *Dei esse*? S. Augustinus & glossa dicunt, ideo dici lachrymas in conspectu Dei positas, quia exaudiuit orationem eius qui flens orabat bene; sed adde ideo in conspectu Dei constitutas, quia valde gratæ Deo erant; id enim quod amamus, frequenter intueri solemus, & quod frequenter aspicimus, id nos multum diligere indicamus. Ideo ergo dixit: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, id est, immensas tibi gratias ago, eo quod tanti facias & ames lachrymas meas, quod posueris eas in conspectu tuo.

Præterea tanto in pretio à Deo habentur lachrymæ nostræ; maximè autem, quando pænitentis lachrymæ sunt, quod si etiam tacens & nihil petens, quis eas effuderit, efficaciùs quàm vocalibus vocibus impetrabit à Deo quod cupit. S. Maxim. Vnde S. Max. hom. de pænitentia S. Petri in illa verba S. Lucæ 22. *Egressus foras Petrus fleuit amare.* Ergo Petrus (inquit) prorupit ad lachrymas nihil voce precatus; inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit; lauat crimina delictum quod voce pudor est confiteri: lachrymæ igitur preces sunt, veniam non postulant & merentur. ita S. Maxim. Vide S. Ambrosium in eadem verba S. Lucæ & de S. Maria Magdal. idem obseruant expositores Luc. 7. n. 38.

Hinc est, quod in sacris litteris vox lachrymis attribuatur, vt in Psal. 6. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*: non ait *vocem orationis*, sed *exaudiuit fletum*: quasi fletus ipse tacens clamaret. Item Psal. 38. n. 13. *auribus percipe lachrymas meas.* & Threnorum 2. *neque taceat pupilla oculi tui.*

Vnde S. Maxim. vbi suprà confirmans rationem de hac re suprà assignatam, subdit: vtiliores lachrymarum preces sunt quàm sermonum. S. Maxim. quia sermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit: sermo autem interdum sæpe non totum profert negotium; lachryma verò semper totum prodit affectum. ita ille. Mirabili ergo modo lachrymæ, dum vbertim effusæ deorsum fluunt, contrario celerique cursu ad cœlum vsque sursum ascendunt.

Quarè meritò exclamat S. Laurentius Iustinian. lib. de ligno vitæ, c. 9. ô lachryma humilis, S. Lau. Iust. tua est potentia, tuum est regnum, tribunal iudicis non vereris, non est qui te ad Deum accedere vetet; si sola intraueris, vacua non redibis; quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, aperis cœlum & diabolum fugas. Idem S. Hieron.

Hac de causa sacri expositores solent lachrymas pænitentiæ baptismo comparare. S. Isidor. S. Isidor. lib. 2. de officiis Ecclesiasticis c. 25. eas vocat baptismum laboriosum, & S. Leo serm. 9. de passione Domini, agens de lachrymis S. Petri: felices, inquit, S. Apostole lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. ita ille.

Et S. Ioan. Clymacus, gradu 7. ponderat quòd S. Clim. baptismus nos semel dumtaxat abluit à peccatis, sed lachrymæ toties, quoties peccator eas fundit, si inueniunt quod abluant.

Item S. Gregor. Nazian. oratione prima contra Nazianz. Iulian. Lachrymæ, inquit, peccatorum diluuium sunt, & mundi expiamentum. ita ille.

Hinc S. Chrysost. ho. 5. de pænitentia. Ob hoc, S. Chrys. inquit, tristitia facta est, vt ipsa ad peccata delenda vtamur; mulctatus est quis pecunia? tristatus est, sed mulctam non emendauit; filium amisit? doluit, sed mortuum non resuscitauit: in morbum periculosum incidit? luxit sed non sustulit morbum, imò reddidit difficiliorem. Vides nulli horum, nulli prodesse tristitiam? Peccauit quis? lachrymatus est, & peccatum deleuit. ita S. Chrysost.

Etenim cum Samuel Populum Hebræum idololatria contaminatum sanari vellet, fecit eos conuenire in eodem loco: *Et hauserunt*, inquit, *aquam, & effuderunt in conspectu Domini*, &c. Quid sibi vult hæc aquæ effusio, aut quid illi cum peccatorum curatione? Paraphrasis Chaldaica sic locum illustrat: Caldaicus *Hauserunt*, inquit, *aquas à puteo cordis sui, & abundè lachrymati sunt coram Domino pænitentes.* ita Chaldæus; & Latina versio in bibliis Regiis, *impleuerunt aquas & effuderunt in pænitentia ante Dominum cor suum.* & sic S. Greg. explicat Sanctus Gregor. hunc locum in commentario suo dicens: Quid est aquam haurire, nisi de profunda animi pænitentis confusione lachrymarum fluenta producere? velut enim aquam haurimus dum quàm profunda iniquitate cecidimus considerantes plangimus. ita Sanctus Gregorius. Vnde

Trenor. 2. 19. vnde etiam Threnos. 2. *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*, & iterum ibid. n. 18. *Deduc quasi torrentem lachrymas. Hauserunt* ergo *aquam, & effuderunt coram Domino*, quasi tali ceremonia tacitè dicerent: Peccauimus Domine nimis contra te, & ad ea diluenda, riuis lachrymarum nobis opus erat; vtinam sic manerent corda nostra in lachrymis resoluta sicut aqua hæc maner effusa.

S. Chrysol. Hinc S. Chrysol. serm. 93. O (inquit) quanta est vis in lachrymis peccatorum! rigant cælum, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiã, & extinguũt gehennam. Ita ille. Pondera hæc vltima verba, qualis, dic, esset vis vnius guttæ aquæ, si ea sola fornacem illam Babylonicam, in quam missi sunt tres illi adolescentes penitus extinxisset? Vide igitur quanta sit virtus lachrymarum pænitentiæ, cum vel vna tantùm lachryma extinguat fornacem illam infernorum, à qua liberat peccatorem.

Propositio XI.

Pænitentia iuuat ad perfectionem.

Prou. 30. 29. PRou. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Stellio est reptile quoddam exiguum, quod nos hispanè vocamus *Salamanquesa*, de quo hic Salomon ait, quia manibus innitens ad alta regalis palatij solet peruenire, quid sibi vult ascensio ista stellionis? S. Greg 6. Mor. 5. Plerumque aues quas ad volatum subleuat penna, in vepribus resident, & stellio qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus Regis ædificium tenet, quia nimirum ingeniosus quisque, dum negligentia torpet, in prauis actionibus remanet, & vir simplex, quem ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni Regni mœnia virtus operationis leuat. Ita S. Greg. vbi nota quod stellio reptile venenosum est, quo significatur, quod sæpe homo peccator, qui verè venenosus est, per pænitentiam manibus, hoc est, bonis operibus insistens, tales pænitentiæ fructus facit, vt ad altiorum meritorum culmina perueniat, quàm qui non ita peccauit; adeo pænitentiæ opera Deo placent.

(margin: S. Greg.)

Propositio XII.

Pænitentia non est differenda.

SVnt qui nimis de diuina misericordia confidentes, confessionem differunt; de quibus sic S. Fulgent. epist. 7. plerosque sub specie indulgentiæ in peccatis diabolus tenet, & facit eos Dei iustitiam non timere, quos inaniter suadet de Dei bonitate gaudere. Ita ille. Nota *plerosque*, fieri enim potest vt aliquis saluetur; sed tamen plerique sunt ex his qui damnentur, imo vix ex his qui non pereat.

(margin: S. Fulgent.)

S. Chrys. De his etiam S. Chrysost. hom. 3. de pænitent. pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confessioni verò fiduciam; inuertit autem rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, & cõfessioni pudoré. Ita S. Chrys. *Dios vistio al peccado de verguenza, y a la confession de esperanza, el demonio al reues viste al peccado de esperanza, y a la confession de verguenza.* In omnibus hic inimicus, inimicum se Dei ostendit & nostræ saluti contrarium.

Propositio XIII.

Omnes culpas quantumuis graues legitima pænitentia delet.

IErem. 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum*, &c. Pagnin. sic transfert. *Peccatum Iuda scriptum est in latitudine cordis eorum*, (scilicet peccatorum) *stylo ferreo, & stylo adamantino exaratum* (*El peccado destos hebraos escrito y granado esta con pluma de hierro y conpuntas de diamantes en la dureza de sus corazones*,) ac si dicat: Licet durissima sint eorum corda, non obstat duritia eorum, quin Deus distinctè & clarè scripserit peccata eorum quasi quodam stylo ferreo & adamantino; quo significatur & eorum pertinacia, & indelebilis memoria, quam Deus de illis habet. Viuant igitur diutiùs peccatores, quàm Mathusalem; multiplicent innumera peccata, numerata tamen ad iudicium & characteribus indelebilibus manent apud Deum; væ peccantibus! sed quid? numquid nullum supererit remedium ad omnia hæc peccata delenda & penitus abolenda? superest quidem Dei bonitate & misericordia intercedente, dummodo & nostra intercedat legitima pænitentia, qua mediante nulla erit indelebilis culpa; & quãtumuis multiplicata sit, audi Dominum ad eosdem Iudaici populi peccatores sic loquentem; *Lauamini, mundi estote* (scilicet per veram pænitentiam) *venite & arguite me dicit Dominus; si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt. Lauamini*, inquit, non ait, *curamini*, quod proprium chirurgi est; chirurgus ergo curat cum suo & infirmi labore; sed non sanat statim nisi temporis internallo. Sed *lauamini* ait: licet enim pessima sit macula peccati, pænitentia ita illam delet, sicut aqua maculas leues lauat; non opus est ferramentis, non igne, non membrorum incisione, sed solo cordis legitimo dolore, & confessione.

3. Reg. 9. Sic Dominus ad Salomonem: *Si ambulaueris coram me sicut ambulauit Pater tuus in simplicitate cordis & in æquitate*, &c. *Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum.* Numquid Dauid pater Salomonis non ordinauit insidiosè mortem Vriæ? numquid non commisit adulterium, in quorum primo non ambulauit in simplicitate, & in secundo non ambulauit in æquitate? cur igitur ait Dominus, *Si ambulaueris in æquitate & simplicitate sicut Pater tuus?* nimirum, quia Dauid iam egerat conuenientem pænitentiam, & lachrymis multis deleuerat illa duo peccata, sicut ipse dixit: *exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Et iterum. *Lachrymis meis stratum meum rigabo*; quapropter Deus quasi illorum peccatorum oblitus, ait, *Si ambulaueris in simplicitate*, &c. iuxta illud Ezechiæ, *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* O misericordia Deo digna! O eximia pænitentiæ commendatio!

2. Reg. 11. Scriptura sacra peccatum adulterij Dauid enarrat. Cur quæso tanti viri casum & culpam grauem detegit Deus? nonne honestius fuisset illud celare saltem propter honorem tanti viri? S. August. sub initio Ps. quinquagesimi sic respondet: non cadendi exemplum propositum est, sed si quis ceciderit resurgendi; attende ne S. August.

cadas

cadas, ne ſit delectatio minorum, lapſus maiorum: ſed ſit caſus maiorum, tremor minorum. ita ille & S.Chryſoſt. in imperfect. hom 41. (S.Chryſ.) Vt quid Dauidem arguit Nathan, & ſuſcipit niſi vt adulterij & homicidij remedium à Deo ſperet? Raab meretrix ſanctificata eſt, vt meretricibus ſpes daretur. ita ille. (Simile.) Etenim Pharmacopolæ in officinis ſuis quam plurimas habent medicinarum ſpecies, quæ vtiles omnes ſunt, ſed non omnibus omnes, ſed hæc vni & alteri illa; quæ enim huic antidotum eſt, illi venenum erit. Sic Deus in ſacra Scriptura varia medicamenta poſuit pro animabus noſtris, ſed non omnia cunctis, ſed ſingula ſingulis, timentibus Deum, v. g. ponit caſum Dauidis & aliorum, vt inde cautiores ſint, nec propter virtutes ſuas blandiantur ſibi, ſed dicant: Si Dauid ille Propheta magnus ſic corruit, quidni ego timere debeam? Ideo Paulus, *qui ſtat, videat ne cadat.* Hoc quidem præſeruatiuum medicamentum eſt pro iuſtis, pro peccatoribus antidotum eſt Dauidis pænitentia, ne qui ceciderit non adijciat vt reſurgat, ne terreat eum ruina ſua: grauis enim fuit Dauid, quanto enim ſanctior erat & maioribus à Deo beneficiis affectus, tanto eius ruina grauior fuit. Nihilominus pænitentia ſua reſurrexit, vt & tu ſpem ſalutis inde concipias. Idem de Magdalena & de bono latrone dicendum eſt. Ne igitur quis amet in Dauid, quod odio habuit idem Dauid.

Propositio XIV.

Qui legitimam pænitentiam facere optat, occaſiones peccatorum fugiat.

(Mat. 3.) MAtth. 3. *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, pænitentiam agite, &c.* Cur in deſerto pænitentiam prædicabat, & non magis in ciuitate, vbi peccatores verſabantur? S. Anſelm. in hunc locum: In deſerto prædicat, vt per locum oſtendat quò debeant fugere peccatores pænitentiam agentes; quicumque enim voluerit agere pænitentiam, vel loco, vel mente; ad deſertum tranſeat, poteſt enim ſæculi poſtponere tumultum. ita S. Anſel. (S.Anſelm.) Nimirum quia peccator, qui recenter pænituit, cum peccatis fuerit aſſuetus, facilè ad peccata relabitur, niſi occaſiones peccandi fugiat. (Simile.) Sicut candela recenter extincta facilè reaccenditur ſi alteri accenſæ applicetur. Si ergo in deſertum non abſceſſerit, in ipſa ciuitate tumultum & occaſiones deuitet, ſicut fecit ſancta mulier Iudith. cap. 8.

Matth. 2. *admoniti per Angelum Magi ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Numquid non poterat Deus liberare ſeruos ſuos Magos de poteſtate Herodis, quamuis per eandem viam reuerterentur? Poterat quidem tamquam Chriſtus, ſed myſticè voluit nos docere qualiter recedens per pænitentiam ab Herode infernali, debeat occaſiones & vias illas effugere per quas venerat ad illum. ita S. Chryſoſt. in imperf. hom. 2. dicens: (S.Chryſoſt.) Qui enim à diabolo venit ad Deum, numquam debet per viam illam ambulare, per quam ad Diabolum venit: veniſti per viam fornicationis; ambula de cætero per viam caſtitatis. Veniſti per viam auaritiæ? ambula de cætero per viam eleemoſynarum. Si autem per eandem redieris viam, iterum ſub regnum Herodis vadis, & eris proditor Chriſti. ita ille.

Propositio XV.

Quàm procliuis ſit natura diuina ad remittenda peccata pænitentis.

IOa 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me non eiiciam foras, quia deſcendi de cœlo nō vt faciam voluntate meam* (humanam videlicet) *ſed eius qui miſit me* (id eſt diuinam.) (Ioan. 6.) Ponderat S. Auguſtinus verba hæc tractatu 25. in Ioannem dicens: (S. Auguſt.) Ideo ergo cum qui venit ad te Domine non eiicis foras, quia deſcendiſti de cœlo non vt faceres voluntatem tuam, ſed voluntatem eius qui te miſit. Magnum Sacramentum hoc explicemus, numquid voluntas humana Chriſti diuinæ oppoſita erat? Abſit. Cur igitur ait, *Deſcendi, non vt faciam voluntatem meam*, &c. Ecce ſacramentum. Agebat Chriſtus de remiſſione peccatorum, hoc enim ſignificat: *Omne quod venit ad me non eiiciam foras*, hoc eſt omnem peccatorem ad me confugientem recipiam, & dimittam peccata, non vt in hac peccatorum remiſſione meam exerceam voluntatem humanam, altius enim principium habet peccatorum remiſſio, dimittam vt adimpleam voluntatem Patris mei. Loquitur enim Chriſtus quatenus homo, & oſtendere voluit Dei voluntatem procliuem eſſe ad miſericordiam & remiſſionem peccatorum in tantum vt ad hoc maximè fuerit à Patre miſſus ad nos. Sit ille in ſæcula benedictus.

Inde etiam conſtat, quàm accepta ſit à Deo pænitentia: per eam enim peccator venit ad Chriſtum.

Sic Sponſa Chriſti ad ipſum: *Oleum effuſum nomen tuum.* (S.Bernard. Chriſtopol. Ricardus Philo.) S. Bernard. & Chriſtopolitanus & Philo Epiſcopus hoc loco, & Ricardus Heremita lib. de Elogio nominis *Ieſu*, de ipſo nomine *Ieſu*, locum hunc interpretantur formaliter, quatenus ſaluator eſt; oleum autem dicitur, quia oleum ſymbolum miſericordiæ eſt notiſſimum. Vocatur igitur oleum nomen *Ieſu*, hoc eſt Chriſtus, quatenus ſaluator; quia parcere peccatori ſummum miſericordiæ Dei opus eſt. Vnde Dauid Pſalm. 50. cum à Deo veniam peccatorum exigeret, *miſerere mei* (inquit) *Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Cur *ſecundum magnam* dixit? numquid in Deo nonnulla miſericordia reperitur, quæ magna non ſit, ad cuius differentiam remiſsionem peccatorum miſericordiā Dei dicat magnam? Manifeſtum quidem eſt in Deo vnicam eſſe & magnam, imò infinitam miſericordiam; ſed quia miſericordia ordinem & relationem quandam ad miſeriam dicit, eſt enim miſericordia actualis miſeriæ remedium, ideo in Deo multitudinum miſericordiam imaginamur, ſecundùm quod in nobis plures miſeriarum ſpecies ſeu genera ſunt. Et cum inter omnes miſerias primum locum obtineat peccatum, eſt enim miſeriarum maxima, ideo remiſsionem peccatorum ſuorum petens Dauid, ait: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Quod autem inter omnes miſerias peccatum maxima ſit miſeria, adeo verum eſt, vt ſi omnes mundi miſerias ſimul coniunxeris, vnicum mortale peccatum maiorem miſeriam eſſe dicendum ſit. Imò ſi Deus ex pænis inferni aliquem extraheret, & peccata eius remitteret, maior in eo miſericordia eſſet à peccatis liberari quam à gehenna. Rectè igitur

igitur nomen *Iesu*, oleum nuncupatur, quia salvare à peccatis maximum opus est misericordiæ. Quod si quæsieris, quàm magnificè ac liberaliter Deus peccata remittat, addit dictionem illam *effusum*, quasi dicat effusè & diffusè vtitur Deus huiusmodi misericordia, & non rectè, non auarè, sed magna cum liberalitate; quod enim effundimus, liberaliter mittimus: sic remittit ergo Deus peccata effusè, cui enim verè pænitenti denegat Deus remissionem hanc peccatorum, quamtumuis peccator ille sit? *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quinam sunt hi qui laborant & onerati sunt? S. Chrysost. & S. Hieron. & S. August. serm. 11. de verbis Domini secundùm Mat. dicunt esse peccatores, qui onerati sunt peccatis & lassati in via iniquitatis, de quibus peccatis dixit Dauid Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Ecce ergo quos vocat Dominus ad reficiendum eos, peccatores scilicet, & omnes, nullo excepto, qui pænitens ad eum venire velit.

S. Chrys. S. Hieron. S. August.

Quàm autem maxima misericordia hæc nobis esse debeat & quàm propterea diligi Deus debeat, subdit ibidem sponsa dicens: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis*, quod sic legit Philo Episcopus, *ideo adolescentula dilexerunt te & traxerunt te post te.* Obscura lectio, sed præclara; quid igitur est, *traxerunt te post te?* Si dixisset *traxerunt te post se*, manifestum dictum fuisset: quo autem pacto trahi potuit Deus post se ipsum, & quænam sunt adolescentulæ istæ? Philo ibidem per adolescentulas, animas peccatorum pænitentium intelligit, quæ cum conuertuntur, incipiunt diligere de nouo Deum. Vt autem intelligatur quo pacto cum conuertuntur, trahunt Deum post ipsummet Deum, supponamus quod peccator peccans auertere facit faciem Dei à se, ideo Dauid Psal. 26. Domino dicebat: *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo*; hoc est, vti explicat Cardinalis Belarminus, *ne sinas me in peccatum labi, ne iratus à me recedas.* Terga igitur dicitur Deus ab homine vertere cum homo mortaliter peccat; cum verò pænitentiam agit, faciem Dei ad se conuertit per misericordiam remissionis & veniæ. Ait igitur sponsa saluatori: *Oleum effusum nomen tuum*, saluatoris scilicet, quia misericorditer & liberaliter parcis peccatoribus, & ideo *adolescentulæ*, id est animæ pænitentes; *dilexerunt te, & traxerunt te post te*; quia tu auersus eras, & per pænitentiam conuertis faciem in eam partem ad quam conuerteras terga, secundùm id quod Deus ipse promisit dicens: *Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos*, &c. In exemplum huius adducit prædictus Philo Episc. illud Mat. 15. vbi Chananæa post Christum clamabat. Ait ergo Philo: Adolescentula in fide Chananæa Iesum à tergo traxit, ita vt illius misereretur omnino. ita ille. Sed quidem melius in Magdalena hoc verificari potest Luc. 7. vbi à tergo Domini constituta *lachrymis cæpit rigare pedes eius*, per veram pænitentiam. Quid tum? *& conuersus Dominus*, ait Euangelista, *ad illam dixit Simoni: Vides hanc mulierem*, &c. & tandem ad illam: *Remittuntur tibi peccata*; quæ quidem ideo dilexit postea valde Christum Dominum ob tam ineffabile beneficium, &c.

Philo Epi.

Bellarm.

Philo.

Propositio XVI.

Pænitentia agenda est propter Dei amorem.

Genes. 4. Cain eiectus à facie Domini sic locutus ad Deū est: *Ecce me hodie à facie terræ, & a facie tua abscōdar*, &c. *omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Nō ait, *væ mihi, quia peccaui in te*, quia transgressus sum legem tuam naturaliter insitam mihi, sed propter hoc doleo, quia miserè occidendus ab aliquo sum. ita obseruauit ibi S. Isidor. Non, inquit, Deum iratum sibi grauem putat, sed timet ne occidatur. ita ille. Sic igitur multi dolent se peccasse non Dei amore permoti, sed timore sui damni. S. Isidor.

Propositio XVII.

Pænitentia cognitionem sui requirit.

Sanct. August. Ponderans parabolam Pharisæi Luc. 18. vbi Publicanus se peccatorem nouit, & confessus fuit, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, quid miraris si Dominus ignoscit quando ipse se agnoscit? ita ille. Sic Dauid Psal. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, &c. Qui enim se peccatorem verè cognoscit, facile ad contritionem & confessionem requisitam accurrit. S. August.

Propositio XVIII.

Quàm deceat peccatorem pænitentia.

Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto*, &c. cur se vocem Ioannes vocat? S. Paschasius in cap. 3. Matth. Verbi diuini vox Ioannes iure accipitur, quandoquidem organū Spiritus sancti fore monstratur, per cuius inspirationem Verbum quod in principio erat apud Deum, voce ipsius Ioannis fidelibus referatur: clamantis autem se vocem potius quàm loquentis fatetur, in eo sapientia illa clamare intelligatur, de qua in Salomone dicitur, *Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua.* Hæc nimirum vox Ioannis erat, in quo sapientia Dei Patris clamitans dicebat *Pænitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum*: & vt clarescerer, quod ipse esset qui dudum per Ioannem ita clamabat, debuit & ipse Christus in primordio prædicationis suæ eandem retexere vocem, quam Ioannes præconatus officio nuntiarat, quatenus clarius per se nitesceret ex opere, qui prius per Ioannem clamabat in voce. ita ille. Vbi notandum non solùm prædicasse pænitentiam Ioannem verbo, sed etiam exemplo. Vnde non dixit, *Ego professo vocem pænitentiæ*, sed *ego sum vox*, quia ipse Ioannes totus à pedibus ad verticem vsque pænitentiam opere prædicabat. Erat vox pænitentiæ eius vestitus, qui cilicium ex pilis camelorum erat. Erat vox pænitentiæ cibus, quia venit Ioannes, vti ait Christus, neque comedens, neque bibens. Erat vox pænitentiæ, locus habitationis eius, quia desertum & spelunca pauperculæ erat, &c. Denique ipse in se totus vox erat pænitentiæ, quia in omnibus S. Pascas.

nibus rebus suis pænitentiam præsferebat. Nunc ad nos, si is qui prius fuit sanctus quàm natus, si amicus ille sponsi Christi, si is quo nemo inter natos mulierum maior fuit, si is qui teneris sub annis antra deserti petiit, ne leui saltem maculare viram famine posset, pænitentiam talem ac tantam egit, quid facere oportet eum, qui sæpe mortaliter Deum offendit? &c.

PROPOSITIO XIX.

Quàm planè & exactè agenda sit pænitentia.

Iob. 3. IOb. 3. Diei pe cati maledicens ait: *Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine*, &c. De pænitentia quam agere debet qui peccat, locum

S. Greg. hunc interpretatur Sanct. Gregor. lib. 4. Mor. 17. vbi ponderans illa duo verba *occupet & inuoluat*, ait, *occupet diem peccati caligo*, id est, blandimentum nequitiæ afflictio pænitentiæ digno mœrore perturbet, *& inuoluatur amaritudine*. Diem peccati amaritudine inuoluimus, cum prauæ delectationis gaudium, quæ supplicia sequantur aspicimus, & asperis circumdamus fletibus: quia enim hoc quod inuoluitur ex latere omnis partis operitur, inuolui dies amaritudine optatur, quatenus quæ mala imminent in correctis, ex omni parte quisque conspiciat, & tristitiæ lamentis tergat. ita S. Gregor. Animaduertant hoc, qui superficie tenus pænitentiam agunt non solùm de leuibus, sed etiam de grauioribus culpis.

PROPOSITIO XX.

Ad pænitentiam requiritur cognitio malitiæ peccati.

Psal. 50. PSalm. 5. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*. Si iam mundatus per animi contritionem fuerat cum primum dixit, *Peccaui Domino*, & Nathan propheta dixit ei: *Dominus transtulit peccatum tuum*; quid est quod adhuc veniam petit & instat dicens, *Amplius laua me ab iniquitate mea?* Videtur mihi hoc loco similis Dauid homini nimis munditiem amanti,

Simile. qui si v.g. maculam aliquam in manibus contraxerit, lauans semel manus quo maculam illam deleat, iterum atque iterum manus lauat, quasi non satis sint mundæ. Sic Dauid, quamuis iam semel audierat, *dimissum est peccatum tuum*, iterum clamat; *amplius laua me ab iniquitate mea*. Etenim, quia multi peccatores grauitatem peccatorum non agnoscunt, ideo nec debitè dolent, nec ita se à Deo postulant lauari.

Item Luc. 7. *Cum cognouisset Maria Magdalena quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, illico ad eum perrexit*. Importune quidem, cur non expectauit commodius tempus? Cur suis lachrymis & gemitibus turbare voluit lætitiam conuiuij? Cur in domum alienam sic irruit facultate priùs

S. August. non obtenta à domino domus? S. August. lib 5. homil hom. 23. to. 10. sic ponderat & respondet: Vidistis mulierem quę erat in ciuitate peccatrix, non inuitatam irruisse conuiuio, vbi suus medicus recumbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatem; nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse ad quem venerat, sciebat. ita S. August. Pondera rationem illam, *nouerat enim quanto morbo laboraret*, quàm consonat hæc ratio rationi Dauidis, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper?* qui enim sic cognoscit peccata sua, nihil non audet, nec cunctatur, nec veretur.

PROPOSITIO XXI.

Quòd pænitentiæ comes debeat esse humilitas.

LVc. 15. Sic filius prodigus ad Patrem: *Pater iam non sum dignus vocari filius tuus*. Ecce vera pænitentis forma, quam sic ponderat Guarri Ab- Guarri. Abbas bas serm. de prodigo. Nihil ita patrem promeretur, sicut huius vocis affectus, nec melius te facies dignum, quam si semper te confitearis indignum. ita ille. Idem exemplum inuenies in publicano, qui nolens oculos in cælum leuare dicebat, Luc. 18. *Deus propitius esto mihi peccatori*, qui propterea iustificatus in domum descendit suam. Non ita Pharisæus superbus. Et similiter 2. Reg. 12. cum reprehenderet Nathan Regem Dauidem, non inflatus nec indignatus in eum Dauid dixit: *Quænam est audacia ista sua vt audeas me Regem corripere*, &c. sed humiliatus dixit, *Peccaui Domino*, & ideo statim à Propheta illo audiuit: *Dominus transtulit peccatum tuum*, &c. Ergo si acceptam Deo cupis pænitentiam tuam, humiliter eam facias.

PROPOSITIO XXII.

Vera pænitentia operibus patescit.

MAtth. 3. Sic Ioannes Baptista ad eos qui conuertebantur: *Facite fructum dignum pænitentiæ*. Vbi duo dixit. Primum, vt faciant fructus pænitentiæ, v.g. (vti ait glossa interlinearis) Mat. 3. *Carnis mortificationem*; & vt ait S. August. *Largitionem eleemosynarum iuxta vniuscuiusque facultatem*. Secundum est, vt talis fructus sit dignus S. August. veræ pænitentiæ, id est secundùm quantitatem culpæ, vt ait glossa interlinearis. Denique v. qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, id est quod licitum est, vt ait Caiet. vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Caiet.

Hinc sequitur quàm incerta sit eorum confusio, qui post confessionem sicut antea iurant, & detrahunt, &c. Signum est quidem hoc illegitimæ pænitentiæ, quamuis in confessione dixerint se plurimum dolere de peccatis præteritis, & proponere emendationem vitæ futuræ, *essas parez en palabras de cumplimiento, y Dios no es amigo ni se paga de palabras de cumplimiento, sino de cumplimento de palabras*.

Etenim cum filius prodigus ad se reuersus pænitentiam egit, iussit pater in manu eius annulum apponi. Quid hoc? Caietan. Annulus, inquit, ornamentum est manus, ac per hunc significantur operum ornamenta. Oportet enim opera non solùm ab omni specie mali aliena esse, sed etiam palam velut decora & ornata apparere. ita Caiet. In sacra enim Scriptura man' opera nostra designant, vti aiunt lib. de Virgin. c. 3. & S. August. S. August Epist. 119. & S. Hilarius super Psalm. 118. & 21. S. Hilarius Mor. 7. & 22. M. 10. & S. Hieron. super c. 8. Mat. S. Hieron manus enim sunt operum nostrorum instrumenta. Post conuersionem igitur peccatoris Deus opera virtutum requirit. Hæc enim sunt fructus digni

digni pænitentiæ, quia nempe sicut fructus ex arbore sic opera bona ex bona pænitentia oriuntur.

Propositio XXIII.

Cum spe veniæ agenda est pænitentia.

Solet hostis à pænitentia peccatores auertere grauitatem & multitudinem peccatorum eis opponens, quibus deterriti ab spe veniæ & remissionis cadant. Sit in exemplum Iudas, sit & Cain, stultissimus vterque; maior enim est misericordia Dei quàm sint omnes iniquitates nostræ. Cogitet igitur peccator, qui pænitere & veniam consequi desiderat, ad honorem & gloriam Dei pertinere parcere subiectis, sicut debellare rebelles. Sicut enim ad excellentis medici gloriam illustrandam plurimum confert, graues & exitiales morbos sanasse, quo artis suæ peritiam ostendat: Simile. ita summus ille animarum Medicus in parcendo magnis peccatoribus (dummodo veri pænitentes sint) gloriam magnam suæ misericordiæ lucratur. Si enim parcere pænitenti gloriosum Deo est, tanto gloriosum amplius erit ei, quanto maiores fuerint peccatores quibus ipse pepercerit. Hac enim ratione Ioan. 11. mortem Lazari ad gloriam suam pertinere asseruit, quia dum illi tam immedicabili morbo & morti opem tulit, diuinitatis suæ gloriam patefecit, & maximè; quia vti S. August. adnotauit, Lazari mors & resurrectio maximi peccatoris mortem & resurrectionem figurabat.

Propositio XXIV.

Quòd non sit propter pænitentiæ propositum peccandum.

Sunt qui peccato consentire solent propter propositum pænitendi & spem veniæ, quam ex pænitentia futura concipiunt, quibus proponenda est doctrina S. Gregor. 4. Mor. vltimo, vbi S. Gregor. ait: Plerumque mēs quod peruersè egisse meminit deplorat, & tamen dum eorum quæ gessit reminiscitur, grauiter iudicij Dei pauore terretur, & inter spem formidinemque sollicita trepidat; quia iustus index veniēs, quid de perpetratis reputet, quid relaxet ignorat, quam praua commiserit meminit; sed an commissa dignè fleuerit nescit, & ne culpæ immanitas modum pænitentiæ transeat metuit. ita ille. Ne igitur in has redigaris angustias, & in periculum huiusmodi saluationem tuam inducas, quasi à facie colubri fuge peccatum quodvis mortale.

S. Hieron. Contra quos etiam sic S. Hieron. epist. 8. ignoremus pænitentiam, ne facile peccemus; illa quidem miseris secunda post naufragium tabula sit. Aliud autem est quærere quod perdideris, aliud possidere quod nunquam amiseris. ita ille. Nota pænitentiam miserorū remedium esse, quis miseriam amplectitur spe remedij & incerti? certum enim est per peccatum, æterno supplicio dignum esse peccatorem; an autem dignam venia pænitentiam, quis facturus sit, incertum est. Vnde meritò hic ait S. Hieron. aliud est quærere quod perdideris, &c. Perdes peccando gratiam, an eam recuperaturus sis incertum est; at in re tanta stultum est relinquere pro incerto certum.

Perfectio.

Propositio I.

Quàm grata sit Deo perfectio nostra.

Mat. 6. *vos autem sic orabitis: Pater noster qui es in cælis*, &c. Miratur S. Gregor. S. Greg. Nissen. Nissen. lib. de oratione dominica dignationem Dei qui nos, (qui prope nihil sumus) tantam maiestatem Patrem appellare velit, ita ne qui seruus Dei esse non meretur, Patrem appellare audebit? & hoc Deo sic volente ac ordinante? S. Gregor. Nissen. vbi suprà oratione 2. qui præcipit, vt in oratione Deum Patrem tuum dicas, nihil aliud quàm per diuinum vitæ institutum te cælesti Patri similem fieri iubet, sicut alibi apertius id mandat dicens: *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est.* ita ille. Est enim connaturale filios parentibus suis similes esse, atque eos imitari.

Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem Dei.* Quonam pacto homo est ad imaginem & similitudinē Dei, cum homo res finita, Deus verò infinita sit? Finiti autem ad infinitum nulla est proportio vti Philosophus ait; si autem homo imago Dei est, & similitudinem Dei habet, proportio erit inter Deum infinitum & hominem finitum. S. Chrysost. hom. 9. in Genes. sic respondet: sicut igitur imaginem dixit ratione principatus, ita & similitudinem, vt pro viribus humanis similes fiamus Deo, mansuetudine, scilicet, & lenitate, & virtutibus Deo similes efficiamur.

S.Chryf. clamur. ita S.Chryfoft. At dices qui fieri poteft vt homunculus ad malum procliuis perfectus ficut Simile. Deus fit? Qui pueros fcribere docet, formulam quandam perfectæ litteraturæ tradit eis, vt formam illam litterarum imitentur, non quidem vt ita perfectè pueri litteras forment ficut magifter, fed vt quàm fieri ab eis poffit litteras magiftri imitentur. Sic Deus fe nobis tamquam perfectionis normam proponit, non vt eius perfectionem attingamus, id enim impoffibile nobis eft, fed vt pro viribus fecundùm poffibilitatem noftram illum imitemur.

Matth.17. Matth.17. *Hic eft filius meus dilectus in quo mihi complacui*: Quærit Rupertus quando vel quomodo? Et refpondet: Tunc vtique, quando in ifto principio cœlum & terram Pater creauit, quando per illud omnia fecit; dixit enim Pater: *Fiat lux & facta eft lux, & vidit Deus lucem quòd effet bona*; dixitque Deus: Fiat hoc vel illud, & factum eft ita, & vidit Deus quod effet bonum & denique vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona: fic in filio fibi Deus bene complaS.Ambrof. cuit. ita Rupert. Confonat S.Ambrof. ferm. 14. in Pfalm. 118. fuper illa verba *viuifica me fecundùm verbum tuum*: tu, inquit, imitator efto Dei, fed quomodo imitator? numquid cœlum potes facere, aut terram, aut mare? non vtique, fed vt omnia per verbum facias, nihil fine verbo, omnia cum ratione, & nihil fine ratione. ita S. Ambrof. Sicut ergo opera filij Dei placuerunt Patri, quia bona, & valde bona & perfecta erant; fic opera noftra fi bona & perfecta fuerint, gratiffima Deo erunt.

Propositio II.

In arduo fita eft perfectio.

Sic poëta:

——Facilis defcenfus Auerni,
Sed reuocare gradũ fuperafq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eft.

Sed numquid hac de caufa virtutis & perfectionis viam relinquere debemus? abfit. At facilius erit in pofterum hanc arripere viam. Etenim qui hoc arbitratur, fimilis mihi videtur effe ruftico illi qui numquam fluuium viderat, & cum aliquãdo ad ripam cuiufdam fluuij perueniret, quem tranfuadari oportebat, prope aquam fedit, expectans donec fluuij aqua pertranfiret, de quo fic Horatius. Horatius: ——*Sapere aude*

Incipe viuendi qui rectè peragat horam
Rufticus expectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Ac fi dicat: Ineuitabilis in virtute difficultas, at à virtute abftinere non licet. Ita quidem, nam æterna falus in ea confiftit. Merito igitur ait Horatius, *fapere aude*: *Audaces* enim *fortuna iuuat, timidofque repellit*, muta fortunæ nomen in Dei nomen, *porque mas haze vn hombre conaliento que ciento*.

Propositio III.

Quàm auerfetur mundus iuftorum perfectionem.

Matth.20. Mat.20. *Duo cæci fedentes fecus viam audierũt quia tranfiret & clamauerunt, dicentes: Mi-*

ferere noftri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos vt tacerent Ponderans factum hoc S.Auguft. fer. S.Auguft. 19. de verbis Mar. ad mores traducens, ait. Incipiat quis mundum contemnere, pauperibus diftribuere fua, pro nihilo habere quæ homines amant, contemnat iniur as, non appetat vindicari, præbeat maxillam percutienti; cum ifta facere cœperit, omnes fui cognati, & amici commouentur, & qui diligunt fæculum contradicunt; quid infanis? nimius es, numquid alij non funt Chriftiani. Ifta ftultitia eft, ifta dementia eft? & cætera turba clamat, ne ifta faciat, ita S. Auguft. Quid Idem. autem tunc Deo placere volentes facere debeant, illi duo cæci, quamuis cæci, docent; ait enim Euangelifta: *At illi magis clamabant dicentes: miferere noftri, fili Dauid.* Sic ad perfectionem Idem. properantes inftare debent, perfeuerare debent. fic Sanct. Auguft. ibidem dicens: Bonos Chriftianos volentes facere præcepta Dei, Chriftiani mali & tepidi prohibent; turba enim ipfa, quæ cum Domino prohibet clamantes ad Chriftum, clament & illi, non deficiant neque ducantur authoritate turbarum, ita S. Auguft.

Propositio IV.

Quod femper vlterius progredi in noftra perfectione debeamus.

Genef.1. *Terra autem erat inanis & vacua, &c.* Gen. 1. Ecce poftea fubdit fcriptura dixiffe Deum: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum, &c.* Prius enim creauit Deus terram inanem & incultam, & poftea eam herbis, floribus, arboribufque ornauit. Cur ita? numquid non potuit fimul & femel terram cum omni ornatu fuo producere? potuit quidem. Quam ergo ob caufam non fecit? S.Ambrof.lib.1.exameron c.7. imitato- S.Ambrof. res, inquit, nos voluit Deus vt primò faciamus aliqua & poftea venuftemus, nedum fimul vtrumque adoriamur, neutrum implere poffimus. ita S. Ambrofius. Ego autem de operibus noftris fic perficiendis nunc taceo & de noftra ipforum perfectione dicam; nos enim non fumus Simile. à natura in omni perfectione procreati. Sicut igitur Deus incultam terram poftea venuftauit & perfecit, fic nobis agendum fignificauit, terra enim homo eft, & vt alibi S. Ambrofius Idem. ait, homo ab humo dictus eft. Cum ergo inculti primò fimus, paulatim poftea cultui & perfectioni noftræ attendere debemus, quod Dominus Abrahæ fignificauit, Genef.17. dicens: Gen.17. *Ambula coram me, & efto perfectus*: quafi dicat ambulando coram me, & non fedendo eris perfectus. Et Pfalm. 108. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ille ambulat in lege Domini qui femper ad perfectiora contendit. Sic terra humana perficitur & venuftatur ad fimilitudinem & imitationem Dei.

Sanct. Thom. 1. 2. qu. 102. artic. ad 10. S.Thom. in fine rationem myfticam reddit trium feftorum, quæ inter alia fefta principalia inftituit Deus, nempe feftum expiationis, & feftum tabernaculorum, & feftum collectæ & cœtus, de quibus fic ait: Per feftum expiationis fignificatur emundatio à peccatis populi Chriftiani, per feftum autem tabernaculorum peregrinatio noftra in hoc mundo, in quo Chriftiani ambulant

in virtutibus proficiendo; per festum autem cætus, atque collectæ, significatur congragatio fidelium in regnum cœlorum. & ideo illud festum dicebatur sanctissimum esse; & hæc tria festa erant adinuicem continua, quia oportet expiatos à vitiis proficere in virtute quousque perueniant ad visionem Dei, vt dicitur in Psal. 83. ita S. Thom.

Luc. 18. sic Pharisæus ille: *Gratias ago tibi Deus, quia non sum sicut cæteri homines*, &c. tanquam superbum damnauit Christus Dominus Pharisæum hunc; non quia à se habere bona sua existimaret, nam ideo gratias Deo agebat, quia à Deo se illa data censebat; vnde ergo superbus? S. August. serm. 36. de verbis secundùm Lucam:
S. August. Ideo tanquam superbus, & inflatus reprehenditur, quia velut nihil sibi addi cupiebat, *Gratias*, inquit, *ago tibi Deus, quia nō sum sicut cæteri homines iniusti*, ergo tu iustus? ergo nihil rogas; ergo iam plenus es? ergo iam abundas. ita ille. Vtinam & inter nos non sint tacite multi, qui nullos intendunt in virtute progressus, quasi sibi sufficere quam habent virtutem censentes.

Veni de libano Sponsa mea, Veni de libano,
Cant. 4. *veni.* Cur ter vocat nos Christus Dominus? nonne semel dixisse, *veni* vt veniremus sufficiebat? Sanctus Gregorius Nissenus ibidem:
S. Nissen. Numquam (inquit) ascendenti deest exhortatio Dei, qua semper ad maiora pertrahatur. ita ille.

Item in eodem cap. ait sponsus sponsæ, *tota pulchra & amica mea et macula non est in te.* & statim subdit: *Veni de libano*, &c. vbi idem
S. Nissen. Sanctus Gregorius Nissenus. Ne, inquit, propter hoc testimonium elata in progressu ad altiora impediatur, rursum exhortatur eam ad desiderium superiorum quasi diceret: Cum ad hanc sublimitatem perueneris, ne subsistas in ascendendo, quasi iam sis perfectionem assequuta. ita ille.

Psalm. 18. de sole & sub eius metaphora de Christo Domino, qui sol iustitiæ à Propheta Malachia nominatur, sic Dauid: *Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* vbi Dauid vti obseruant ibi Sanct. Hieron. & Sanct.
S. Hieron. August. sub pulchra metaphora solis immensum cœli spatium velocissimo cursu absoluentis, & vnde exierat reuertentis, mortalis Christi vitæ curriculum describit. Vbi tria notanda sunt. Primum est verbum, *exultauit*, quod Christi Domini alacritatem, qua viam seu vitam suam peregit denotat; & vt legit Sanct. Cyprian.
S. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 19. *exultauit currere*; non enim coactè, non tepidè, sed cum alacritate, atque adeo summa velocitate cucurrit; qui enim gaudenter & libenter aliquid facit, summa solicitudine operatur. Secundum est, vt *Gigas*, quod fortitudinem & animi robur importat, & strenuitatem currentis. Vnde Sanctus Augustinus ibi ait, *exultauit sicut fortissimus*, & nos incomparabili virtute præcedens ad currendam viam. ita Sanct. August. qui lib. 4. confess. cap. 12. hoc magis exprimens ait: Non tardauit Christus, sed cucurrit dictis, factis, vita, morte, descensu & ascensu. ita ille. Denique vt sol iustitiæ, qui omnia citissimè iuxta patris voluntatem executus est, & vt Didimus ait: Robustissima fortitudine omnem diuini consilij cursum libenter expleuit. Dixerim ego robustissima velocitate; fuit enim in redemptione nostra Christi fortitudo velocissima, & velocitas fortissima; vidit sponsa, & dixit Cant. 2. *ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles (viene Christo mi esposo à redemir al mundo saltando por los montes y atrauancando collados,)* quasi dicat per montes & colles, quos pedetentim nos ambulare solemus, venit Christus saliens, & transiliens non deambulans, sicut dicitur Genes. 3. *deambulans ad auram paradisi*; ibi enim ad puniendum, hic verò ad parcendum veniebat, hic ad saluandum, & ita affert sanitatem in pennis. Denique *vt Gigas*. Gigas autem ait Sanct. Chrysost. in catena S. Chrys.
Græca ad Psalm. 18. impetuosum significat, & assumitur ad Christum magno impetu, in phalanges dæmonum irruentem. ita Sanctus Chrysostomus.

Sed iam ad tertium deueniamus, venit Christus Dominus ad nostræ redemptionis negotium sicut sol, etenim solis tanta est in cursu velocitas, vt potius volare quàm currere videatur. & ideo apud Malachiam Prophetam pennas Malach. 4.
dicitur habere. *Orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ & sanitas in pennis eius.* Sol enim radiis suis, quasi quibusdam pennis circumuolans omnia lustrat. *Et sanitas*, inquit, *in pennis eius*, quia radiis suis sicut gallina pullos omnia fouet, omnibus fauet atque viuificat. Sic Christus maximè in cruce tamquam sol pennatus, extensis brachiis velut extensis alis, nos fouet; protegit, ac defendit, & veluti licet immotus volitat; aues enim cum volant extensis alis figuram crucis præseferunt: sic Hieron. adnotauit in cap. 15. Marci, dicens, Aues cum ad æthera volant, crucis formam assumunt. ita ille.

Vnde Dauid Psal. 17. sic de Christo Domino: Psal. 17.
Inclinauit cælos & descendit: & ascendit super Cherubim & volauit: volauit super pennas ventorum. De Christo Domino explicant locum istum. S. Hieron.
Sanct. Hieronym. & Sanct. August. ibidem: vbi mirè explicat psalmista velocitatem cursus vitæ Domini.

Ecce igitur protypum, & exemplar perfectionis nostræ, quod nos aspicientes veloci animi promptitudine per sanctitatis viam sequi debemus. vt ait Apostol. ad Hebr. 12. *Deponentes* Hebr. 12.
omne pondus (peccati nempe,) *& circunstans nos peccatū* (id est ait Theophylact. omnem sarcinam terrenarum cogitationum, & curarum sæcularium) *per patientiam* (sunt enim in via perfectionis impedimenta multa & plures labores) *curramus ad propositum nobis certamen* (videlicet contra diabolum, mundum, & carnem) *aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum* (qui scilicet non solùm inchoauit, sed consummauit & perseuerantet perfecit cursum vitæ suæ, & redemptionem nostram. Sic, sic nos currere, ait, debemus, imò & volare, sicut ille, exultans sicut Gigas & sicut sol volauit.

Vbi nota quòd in via perfectionis quidam ambulant, alij currunt, alij verò volant; ambulant incipientes, currunt proficientes, volant perfecti; ambulant multi currunt pauci, volant paucissimi; etenim omnes perfecti esse debent, sed difficultatibus præpediti animum deponunt, se ad perfectionem pertingere posse desperantes (quod ex defectu prouenit spei in Deum

in Deum, metiuntur enim difficultates perfectionis viribus suis, & non gratia Dei; si enim hi spem firmam in Deum haberent, dicerent cum Apostolo. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Audi Isaiam c. 4. *qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt multitudinem & robur multiplicat: deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent: qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Etenim homo lassus vix ambulare potest, & is qui non est, qui vix viuere & esse videtur, vix etiam respirare valet. Sed tamen nouit & potest Deus omnipotens huiusmodi lassis & debilibus robur & fortitudinem magnam communicare, sicut in Apostolis factum scimus; hoc tamen ex parte nostra postulat Deus vt ab spe in ipsum non cadamus. Vnde subdit, *deficient pueri;* pueri sunt nonnulli in virtute, qui etsi bene viuere incipiant, facile tempore tentationis à virtute recedunt; *& iuuenes in infirmitate cadent,* hoc est, sunt alij fortiores in virtute, quam pueri, sed iuuenes adhuc qui solida virtutis fortitudine carent, qui quamuis magis quàm dicti pueri tentationibus & difficultatibus resistant, tædio tandem victi & se non posse amplius resistere & perseuerare existimantes in sua infirmitate & diffidentia cadunt: sed qui firmiter & fortiter confidunt in Domino, *mutabunt fortitudinem.* S.Hieronym. ibidem: Qui non in suis viribus, sed in Deo habent fiduciam, & semper eius misericordiam præstolantur, assu- S.Hieron. ment pennas vt Aquilæ, &c. ita S.Hieron. Vbi nota verbum *præstolantur,* quod non solùm significat spem habere, sed expectare patienter, si viderint Deum moram facere in auxiliando, hi non solùm ambulabunt in via virtutis sed current, *dexaran de andar por el camino de la virtud y pondranse à correr:* imo assument pennas vt Aquilæ, quæ super omnes aues pernici volatu super nubes ascendit. Sic sic volant sancti viri, qui in Deo firmiter spem suam collocarunt. Sed quid est, quod subdit Isaias, *current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient?* Gradatio ista exaggerationum difficultatem præsefert. Cum enim exaggeramus aliquid à minori ad maiorem exaggerationem procedere debemus: Hîc verò Isaias à maiori ad minorem exaggerationem deuenit; potius enim videbatur dicendum, *ambulabunt & non deficient, current & non laborabunt, imo volabunt assumentes pennas vt Aquilæ.* Sed tamen cum calamus Isaiæ manu Domini duceretur, errare nequiuit. Sensus igitur est, qui verè in Domino confidunt, volabunt in via Domini; quod si aliquando non ita volauerint, sed cucurrerint, imò si aliquando non cucurrerint, sed solum ambulauerint, (sancti enim viri quamuis sancti, homines nihilominus sunt & non Angeli, atque adeo aliquid humanæ patiuntur remissionis: nam arcum frangit intensio, & bonus quandoque dormitat Homerus, & Deus nostram humiliationem ita permittit;) quia tamen semper perfecti viri in Deo spem suam habent si currunt non laborabunt, sicut currentes solent, imò si non nisi ambulauerint, non deficient: quia propter spem in Deum, (quæ Deo gratissima est) auxilium illis Dominus præbet ne deficiant tunc, & postea vt volent sicut Aquilæ. Speret igitur seruus Dei in Domino, & viriliter quantum est in se agat & sustineat Dominum, quia veniens veniet auxilium eius & non tardabit, & mutabunt fortitudinem ad perfectionem à parua in magnam, siue ab ea qua efficaciter mundo prius seruiebant in fortitudinem sanctam, sicut in Paulo videre licet, &c.

Consonat dictis illud Psalm. 83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit; etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem* (iran de bien en mejor) *videbitur Deus Deorum in Sion,* id est vsque ad visionem beatificam, &c. sensus est: Fælix vir ille, cui tuum præbes auxilium; is enim semper in perfectione proficiet, in hac lachrymarum valle & loco in quo versatur in terra, vsquequò perueniat in gloriam cœlestem. Psal. 83.

PROPOSITIO V.

Quàm pauci ad perfectionem aspirant.

MAtth. 8. *Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.* Cur non ascendit hæc turba multa in montem? Audiuisset quidem mira illa quæ ibi docuit Christus de perfectione Christiana. Origen. hom. 5. in diuersos. In montem ascendere turbæ non poterant, quia quos mundi sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia nisi abiecto onere ascendere non valent. Idcirco filij Israël in montem ascendere non potuerunt, quia conuersatione Egyptiaca grauati præpediebantur; sed solus Moyses ascenderat & cum eo pauci seniorum Israël. ita Origen. Math. 8. Origen.

PROPOSITIO VI.

Ex interiori spiritus Dei abundantia procedit perfectio.

EXurgens Maria abiit in montana cum festinatione; id est postquam in visceribus suis Dei filium concepit. Et Spiritus sanctus superuenit in eam, vt adnotauit ibidem S. Ambrosius dicens: Quò tam Deo plena nisi ad superiora cum festinatione contenderet? nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. ita ille. quasi diceret: In hoc quod Maria Spiritus sancti gratia plena & superplena ad montana Iudææ per montes & colles ascendit, nobis significatur quòd qui Spiritus sancti gratia potitur, festinus currit ad perfectionem; nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Sed vniuersalius dicamus, quòd Beata Maria ad illud opus pietatis & charitatis cum festinatione pergit & feruenter, quia Deo & Spiritus sancti gratia plena erat. Sic quem Deus & Spiritus sancti gratia occupat, ad diuina obsequia festinanter, & feruenter properet, non lentè & desidiosè; Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Luc. 1. S Ambros.

PROPOSITIO VII.

Qui perfectus esse desiderat, terrena despicere debet.

Theod. LEuit. 1. Iussit Deus animalia sibi offerenda in frusta diuidi, non tamen si sacrificium de auibus esset. Cur discrimen istud constituit? Theod. q. 1. in Leuit. sicut Abraham volatilia non diuisit (Genes. 15. n. 10.) ita nec legislator ea diuidi iubet; nam qui volant Deum toto corde diligentes, nun partiuntur animum, collocantes illum partim in terrenis, partim in cęlestibus, sed totum sursum ferunt: ita ille. Sic de se fatetur Apostolus & de consortibus suis, *conuersatio nostra in cœlis est*, conuersatio scilicet tota.

PROPOSITIO VIII.

Quòd in omnibus operibus nostris perfectionem exigat Deus.

Gen. 1. GEnes. 1. dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux est; & vidit Deus lucem quod esset bona.* Quid sibi vult reflexio ista diuinæ visionis? numquid examinare voluit bonitatem lucis, vt dicat scriptura, *vidit lucem quod esset bona?* an imperfectio aliqua esse poterat in operibus Dei, vt examinatione indigerint? Solent quidem artifices examinare opera sua, quia nō eo ipso quod ab eis facta sunt, perfecta sunt; *Dei autē perfecta sunt opera*, ait scriptura; eo népe ipso quod à Deo, *que tan perfecta torque sa no pueden salir sino perfectissimas obras, aunque sean de primera instancia*, ita quidem est. Sed hanc ceremoniam reuidendi lucem vti voluit Dominus sicut in creatione aliarum rerum, quia ad hominis vilitatem illa creabat. ita Oleaster in c. 1. Genesis, quod hac similitudine explicauit dicens. Solent artifices valde attendere, cum opus Domino magno fabricant, & non ita si aliis de media plebe; sic nos cum seruire Deo volumus, perfectioni operis attendamus, quia diuinæ maiestati fit opus. Voluit Dauid ædificare templum Domino in Hierusalem, & ideo immensas opes ad hoc exhibuit, dicens, *opus enim grande est, nec homini præparatur, sed Deo.* 1. paral. 29. num. 2.

Simile.

Oleaster.

Simile.

Plinius Plinius in præfatione sui operis, veteres, inquit, pingendi artifices opera sua etiam illa, quæ admirationi cæteris erant, pendenti sic inscribebant titulo. *Apelles faciebat, Policletus faciebat*, non *fecit* sed *faciebat*, cur ita? vt ita innuerent opera illa esse inchoata, nec omnino perfecta, & quod in eis desiderari posset se ad emendandum paratos esse. Cautè illi quidem ac prudenter, quorum non erat omni vitio carere. Sed tamen Dei optimi & Maximi opera perfecta sunt, Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.* & Psal. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*; ac proinde illis nemo potest detrahere neque addere. Quare consentaneum non erat vt Scriptura S. vteretur tempore imperfecto cum mundi creationem recitaret, dicens, *in principio* creabat *Deus* sed *creauit*; quod temporis perfecti verbum est, *creauit*, hoc est ita creauit, vt perfectè perfectum creauerit mundum, atque ideò cuncta creata circumspiciens, vidit esse valde bona. Rectè igitur ait *creauit*, quia factum est hoc opus Domini omnibus suis partibus expletum, & cunctis numeris absolutum, ac perfectum.

Ecce Dei exemplum propositum nobis ad imitandum. Vult igitur Deus opera nostra perfecta esse exemplo suo, nec mirum hoc nobis esse debet, cum Christum dicentem audiamus Matth. 5. *Estote perfecti sicut pater vester cęlestis perfectus est.* At dices, qui fieri potest, vt homo sicut Deus perfectè operetur? respondet S. Chrysost. ho. 18. in Mat. similes, inquit, pro vi hominibus possibile est. ita ille. Sicut puerorum magister, exemplum quoddam ad scribendum optimum præbet, vt illud imitentur, non ad vnguem, sed pro viribus suis. At vtinam sic in Dei seruitio homines essent, sicut mundani in obsequio mundi, &c. S.Chrys. Simile.

Nicolaus de Lyra in c. 15. Genesis, ait Beatum Franciscum dicere solitum fratribus suis, *eia fratres incipiamus seruire Deo, quia vsque nunc profecimus parum.* ita Lyra. & meritò quidem; nam in obsequium tanti Domini quid facere possumus quod parum non sit, & maximè cum vita nostra adeo breuis sit & vires nostræ debiles? Lyra.

PROPOSITIO IX.

Quàm ad saluationem conducat tendere ad perfectionem.

BEati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth. 5. Esuries ista & sitis in quo consistit? S Hieron. in hunc locum: Non nobis (inquit) sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ famem patiamur, vt sub hoc exemplo, nunquam nos satis iustos, sed semper esurire opera iustitiæ intelligamus. ita S. Hieron. nomine autem iustitiæ virtus accipitur: sunt verò multi, qui post aliquot annos in palæstra virtutis consumptos se satis profecisse censent, quod vel superbiæ tribuendum est, vel ignorantiæ: perfectio enim altissimum posuit locum suum, &c. Matt. 5. S. Hieron.

PROPOSITIO X.

Conatus ad perfectionem à peccatis immunes nos seruat.

NOn solùm propter se est perfectio totis viribus procuranda & propter merita eximia, quæ perfectionem comitantur, sed etiam quia talis cura nos à peccatis omnibus defendit. Sicut qui ad eloquentiæ apicem aspirat, facilè solœcismos, & barbarismos cauet, sic & vnde hostis noster à perfectione nos abducere satagit, non solùm ne perfecti simus, sed etiam vt in peccata nos inducat. Hoc enim interest inter eum, qui domum ædificat ab eo qui domum destruit; quod ædificans à fundamentis incipiens, ad culmen tendit, destruens verò à culmine incipit vt ad destructionem fundamentorū perueniat. Sunt præcepta Dei fundamenta Christianę religionis, consilia verò in quibus perfectio consistit, culmina sunt sanctitatis; qui ergo ædificium sanctitatis erigere decernit, à perfecta mandatorum obseruatione, ad culmen obseruantiæ consiliorum progredi debet; diabolus autem cum ad peccatum inducere vitum perfectum vult, non incipit à tentatione mandatorum, sed prius incipit à perfectionis gradu eum deturbare, & deinde à mādatorum obseruatione; quare qui saluari desiderat, ad perfectionem animum dirigat. Simile. Simile.

PROPO

Propositio XI.

Laborem & difficultatem secum habet perfectio.

GEnes.6.sic Dominus ad Noë: *Fac tibi arcam, & sic facies eam,&c.& in cubito consummabis summitatem eius.* Inferior pars arcæ lata erat, nam longitudo erat trecentorum cubitorum,latitudo verò triginta cubitorum. Cur igitur tam ampla in parte inferiori,tam angusta verò in superiori? Sanct. Gregor. hom. 16. in Ezech. & Glossa interlinearis & Sanct. Isidor. super Genes.6.aiunt, arcam illam typum fuisse Catholicæ Ecclesiæ. Ait ergo S.Gregor. ibi,quia Ecclesia Dei inferiùs ampla,superiùs verò angusta est; ab ea enim latitudine quam adhuc in membris infirmantibus habet parumper angusta & in altum proficiens ad vnum tendit; ratio enim exigit,vt in arcæ longitudine omnes bestiæ, quadrupedia & reptilia in inferioribus fuerint, homo & volatilia in superioribus: ibi lata, vbi bestiæ; ibi angusta, vbi homines; quia in carnalibus ampla,& in spiritualibus verò angusta est. Lata quippe est via quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam, angusta est porta, quæ docit ad vitam, & pauci veniunt ad eam. ita S. Gregor. hom. 16. & in Glossa ordinaria hic citatus. Perfectio igitur tanto in stricto & angusto versatur, quanto in parte superiori & sublimiori virtutis,& sanctitatis; ob eam causam animalia bruta quæ imperfectorum symbola sunt, in amplitudine arcæ,volatilia verò, quæ perfectorum virorum figuræ sunt in angustia eius collocantur. Qui ergo perfectionem desiderat, angustiam istam arcæ amet.

S.Isidor. S. Greg. S. Gregor.

Propositio XII.

Quòd Christiana perfectio non solùm ad religiosos & Ecclesiasticos, sed etiam ad laicos & sæculares pertineat.

GEnes. 5. *ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Hoc est, adeo sanctus fuit Henoch, vt viuum transtulerit Deus à terra illa in qua degebat, & sicut sanctissimum Heliam, in aliam excellentiorem & sublimiorem viuum duxerit,in paradisum quidem vt communis tenet opinio, vbi cum Helia inter Angelos versetur,& conseruetur,& in fine mundi cum Helia iterum ad nos reuertatur aduersus Anti-christum dimicaturus pro fide,& pro Dei gloria, occidendus. Vnde colligimus perfectissimum virum fuisse Henoch ad modum Heliæ, vbi rectè Oleaster: Audis, inquit, ad quem perfectionis gradum ascendere possit coniugatus, vt ita Dominus è medio tollat,& apud se recondat. ita ille. Etenim Helias cælibem vitam duxit, Henoch verò coniugalem. Ne igitur coniugatos dicat: Ad cælibem & non ad coniugalem statum meum pertinet perfectio; possunt coniugati sanctissimi esse, sicut Iob,& Tobias,& Moyses, & Abraham, & alij sancti qui vxorati fuerunt.

* *

Lavata loci Mor. Tom. I.

Propositio XIII.

Viri perfecti mentem ad quæ perfectiora sunt dirigunt.

SIcut, qui ex arbore aliqua poma quærunt, semper ea oculis quærunt, quæ meliora & pulchriora sint; sic ex virtutum arbore viri sancti opera excelsiora circumspiciunt & amplectuntur. Simile.

Propositio XIV.

Ad perfectionem conducit Dei præsentia.

GEnes.17. sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me & esto perfectus.* Quid est *ambula coram me?* Lyranus, ac si præsentialiter semper videres me. ita ille. Etenim principium perfectionis est à peccatis abstinere. Hoc autem præsentia Dei præstat: si enim coram Rege nihil indecorum famoli eius facere audent, in præsentia Dei ipsum Deum offendere quis non verebitur? imò si coram homine secundùm illud poëtæ. Simile.

Si quid forte facis quod me spectante rubeeres, Cur spectante Deo non magis ipse rubes?

Præterea non solùm ad cauenda peccata,verum etiam ad omnimodam perfectionem sectandam, præsentia Dei conducit,quod hîc Dominus significauit dicens: *Ambula coram me & esto perfectus.*

Propositio XV.

Quàm periculosum est homini se perfectum existimare.

SAnct. Leo Papa serm.2.de Quadrages.hæc est vera perfectorum vera iustitia, vt numquam præsumant se perfectos esse, ne ab intentione itineris nondum finiti cessantes ibi incidant in deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint desiderium. Ita S. Leo. S. Leo.

Vnde Apost. Paul. ad Philip. 3. aiebat, *non quod iam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu: fratres,ego non arbitror me comprehendisse, vnum autem quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor,ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu, quicumque ergo perfecti sumus,hoc sentiamus.* Ponderat locum hunc S. Chrys. st. in imperfect.hom.5.dicens: Si ergo Apostolus Paulus timuit dicere se perfectum, quis audebit se perfectum existimare? ita ille. S.Chrysol.

Perseuerantia.

4. *Verus pænitens & vir iuſtus, perſeueranter iuſtitiam & gratiam cuſtodire debet.*

5. *Perſeuerando obtinemus quod optamus.*

6. *Pænitens cum propoſito eſſe debet perſeuerandi.*

PROPOSITIO I.

Dum viuimus, ſemper bonis operibus inſiſtere debemus.

Pſ. 104.  Sal. 104. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper*, quo pacto, inquies, quæritur Deus? quærere nos ſolemus non quod ad eſt ſed quod abeſt; Deus autem vbique eſt præſens, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Quomodo ergo Deus eſt inquirendus? Gloſſa ordinaria, *quærunt Dominum bene operantes.* ita Gloſſa. Ille igitur quærit Deum, qui bona opera facit; inueniet autem eum in cœlo ab hac vita decedens, vbi tenebit bene operans illum, & non dimittet: Sed quomodo ſit quærendus, ſubdit *& confirmamini*: Lyranus, *confirmamini*, id eſt ſitis certi de eius inuentione, nam quærentes Dominum fideliter inuenient eum infallibiliter, ſecundùm illud, *omnis qui quærit inuenit.* ita Lyran. ſed Hugo Cardinal. ad rem, *confirmamini*, id eſt quærentes Deum eſtote firmi, & feruentes. ita ille. Sunt enim nonnulli qui Deum quærere incipiunt & quia mors tardat, quando ſcilicet boni propter merita bonorum operum morientes Deum in gloria inueniunt, defatigantur, non ſuſtinentes dilationem, & ſic deficiunt à frequentia ſacramentorum, ab oratione, a pænitentia, ab eleemoſyna, & aliis operibus ſanctis, & hi non confirmantur quærendo Dominum, id eſt non firmiter & conſtanter quærunt. Ideo ſubdit Dauid, *quærite faciem eius ſemper.* Duo ait, Primum, *quærite faciem Dei*, ſunt qui non faciem ſed manus eius quærunt, munera ſcilicet & beneficia temporalia; hi manus dantis quærunt: alij faciem Dei quærunt, id eſt quærunt reuerenter, quia facies ſuperioris ad reuerentiam mouet inferiores Propter obedientiam igitur Deo debitam ſeruite illi, & hoc non hodie, vel cras, ſed hodie & cras, & ſemper, *quærite faciem eius ſemper.* S. Auguſt. lib 15 de Trinit. c. 2. Si quæſitus, inquit, Deus inuenire poteſt, cur dictum eſt, *quærite faciem eius ſemper*? an & inuentus quærendus eſt? ita ille. Etenim re inuenta ceſſat eius inquiſitio: inuento igitur Deo quomodo vlterius quæri debet? Quæritur (inquit ibi S. Auguſt.) Deus inueniendus, & inuenitur quærendus; tam magnum enim ac incomprehenſibile bonum eſt, quod & quæritur vt inueniatur dulcius, & inuenitur vt quæratur auidius. ita S. Auguſt. quod hac ſimilitudine declaratur: Inuenisti venam quandam auri pretioſi ſub terra, depromſiſti partem quandam illius, numquid ab extrahendo inde auro cras ceſſabis, quia hodie iam venam illam inuenisti? nequaquam, ſed ideo ad amplius quærendum aurum incitaris, quia pretioſam inueniſti venam, vnde maiorem & maiorem fructum capere potes. Inexhauribilis vena dulcedinis ſpiritualis & meritorum cœleſtium eſt Deus, qui obſequiis & operibus ſanctis acquiritur, & poſſidetur, hic fide, ſpe, & charitate, & in futuro fruitione perpetua, num quia hodie ſanctis nullis operibus illum promeruiſti, cras à tali inquiſitione ceſſabis? hoc ergo eſt, quod ait S. Auguſt. quæritur Deus inueniendus, & inuenitur quærendus; inuenitur vt quæratur, ſicut ſcilicet effodientes theſaurum, vel aurum, &c.

Glossa, ordinaria · Lyra. · Hug. Car. · S. Auguſt. · Simile.

S. Bernard. Subſcripſit S. Bernard. ſer. 89. in cantica dicens: Exiſtimo quia nec cum inuentus fuerit Deus ceſſabitur à quærendo, deſiderium enim ſanctum felix inuentio non excludit, ſed extendit. ita ille. Cum igitur opera bona in Dei obſequium facta tanti momenti ſint, vita verò noſtra adeo breuis, & mors, quæ meta meritorum eſt, non tardet Eccleſiaſtes 11. *mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua*: ſed quod ipſa poteſt inſtanter operare, quia nec opus nec ratio ad merendum vel ad pænitentiam agendam eſt apud inferos, ſeu apud ſepulchra, quò indeſinenter properamus.

Eccl. 11. · Simile.

Hebr. 12. Heb. 12. *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atque in dextera Dei ſedet.* Multa in hoc loco ſe offerunt conſideratione digna: ſed quod ad rem noſtram ſpectat, exemplum Chriſti Domini eſt, qui redemptionem noſtram intendens non ſolùm feliciter cæpit, ſed ad finem vſque perſeueranter perduxit, non obſtantibus perſequutionibus, iniuriis, flagellis, ſpinis, clauis, & morte crucis, & quidem hoc propoſito ſibi gaudio, quod Sanct. Chryſoſt. & Theodor. & Theophylactus & Oecumenius ſic exponunt; Chriſtus homo factus cum poſſet ſtatim beatitudinem & gloriam animæ ſuæ in corpus deriuare, & in morte, gaudio adimplere, maluit corpori ſuo crucem excipere. Vocat autem eum Apoſtolus, autorem & conſummatorem fidei, ſeu religionis Chriſtianæ; quia licet quàm plurimi labores interuenerint in proſequutione fundationis Eccleſiæ ſuæ, & redemptionis noſtræ, perſeuerauit, vſque in finem omnes difficultates vincens, & conculcans. Etenim in cruce fixus audiuit dicentes, *ſi filius Dei eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei*, grata Chriſto promiſſio, ſed deſcendere noluit, quouſque finem redemptioni iam imponens, dixit, *conſummatum eſt*, negotium ſcilicet redemptionis humanæ, ſimul cum morte & reſurrectione ſua. Ideo Paulus Chriſtum dicit conſumatorem, vt & nos eum imitemur perſeuerantes in cruce Chriſtiana quam profitemur. Vnde rectè Iacob. cap. 5. *ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* & quid inde? Iob quidem crucem magnam paſſus eſt vt conſtat, ſed in finem vitæ, quia labores illius ceſſauerũt eo viuente, ſed labores Chriſti Domini ad finem vſque vitæ illius peruenerunt, atque adeo patientia Chriſti vſque ad mortem perdurauit. Ideo ait Iacobus *ſufferentiam Iob audiſtis*, vt patientiam eius imitemur, & finem perſeuerantis Domini in cruce, vt perſeuerantiam eius ſequamur; qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit, qui verò non perſeuerauerit, peribit. Et quia patientiæ & perſeuerantiæ noſtræ plurima obſtant, ait Apoſtolus, *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum*; quid vocat *pondus*? quid *circumſtans nos peccatum*? Pondus, inquit, Theophylact. eſt ſarcina terrenarum cogitationum, & curarum, quod aggrauat animam, & impedit imitationem Chriſti. Vnde Petrus Matth. 19.

S. Chryſ. Theodor. Theophil. Oecumen. · Iacob. 5. · Theophil.

ecce

ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quasi dicat: vt sequeremur te, vale diximus mundo & cultis eius; neque enim oneratus homo currentem Christum sequi valet. Vnde Hieron. in regula monach. ad Paulam ait cap. 5. nudus IESVS nudos quærit sequentes; quod si ipsum sequi volueris appetens temporalia, onerata

S. Hieron. grauedine nudum sequi non poteris. ita S. Hieronym. qui de Crate Thebano ditissimo quondam, sed amore sapientiæ, omne pondus diuitiarum abiiciente, ait epist. ad Paulinum. Non existimauit se simul posse diuitias & virtutes possidere, nos verò auro suffarcinati Christum pauperem sequemur. ita ille. *Circunstans* autem *peccatum* vti multi expositores volunt, intelligitur corpus quod veluti circunstat animam; dicitur autem peccatum propter appetitus & passiones eius, quæ ad peccata assiduè prouocant animum. Deponendæ ergo sunt corporis concupiscentiæ, vt perseueranter Christum sequi possimus, quod apertè docuit ipse Matth. 16. dicens: *qui vult ve-*

Nazianz. *nire post me,* &c. quare merito S. Gregor. Nazianz. in carmine ad virgines carnem nostram remoræ comparauit dicens.

Ne vita ipsa tua immittas Echeneida carnem
Quæ velut iniecta properantem comede puppim
Detinet actantam cogit subsistere molem.

Simile. Echeneida autem idem est quod remora, quæ cum sit paruus piscis, naui magnæ nauiganti adhærens eam sistere cogit ne vlterius pergat; quamuis piscis paruus, ipsa verò nauis ingens sit: sic remora carnis nostræ homines litteris, & fortitudine, & authoritate magnos detinere solet, ne in virtutis via progrediantur, & Christum ad finem vsque vitæ sequantur. Vide optimè locum

Cassian. istum expendentem Cassian. lib. 6. c. 7.

Hinc etiam 2. ad Timot. 2. *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit;* legitimè autem non certat, qui benè certare incipiens illicò terga vertit, sed qui ad victoriam vel ad mortem vsque pugnat.

Ad Galat. 6. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus.* hic Apostolus vt perseuerantiam suadeat, optimam similitudinem & metaphoram ab agricolis sumptam tangit, quam

S. Thom. sic explicat S. Thom. ibidem lect. 2. dicens: Nota quod dicit *tempore suo.* quia sicut agrico-

Simile. la non statim de illo quod seminat, colligit fructum, sed tempore congruo, secundum id quod Apostolus Iacobus ait cap. vlt. *agricola expectat gloriosum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum:* & de ista messione dicitur 1. Cor. 9. *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.*

S. August. Vnde August. ait: Si homo non imposuerit finem operi bono, Deus non imponet finem remunerationi. ita S. Thom. Pondera igitur verba illa Iacobi *patienter ferens;* etenim inter sationem & messionem, quam plures labores intercedunt; semel enim & iterum arare debet agricola terram, deinde serere, & cæteros pati labores culturæ vsque ad horrea. Sic inquit Iacobus, qui gloriam æternam consequi optat, quamplures labores ferre debet, & quidem Agricola sæpe fructum suorum laborum amittit, ex defectu scilicet pluuiæ, vel ex grandine, aut locusta; qui verò bonorum operum semina terræ mandat, certo certius in cœlo æternum consequetur fructum.

Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; Sic Christus paralytico iuxta piscinam Ioan. 5. Sunt quidem multi, qui post confessionem & absolutionem suorum peccatorum recidunt in peccata, hi merito timere possunt ne deterius aliquid illis contingat, quàm quod ille infirmus patiebatur: Deus enim pro beneficio maximo absolutionis perseuerantiam in sua gratia poscit. Vnde in cap. 1. Leuitici in sacrificio pro peccatis postulabat sibi offerri aliquod animal non viuum quidem sed mortuum; cur quæso mortuum exigebat qui autor est vitæ & non mortis? S. Thom. S Thom.
1. 2. quæst. 102. artic. 3. ad 5. animalia illa in sacrificio oblata occidebantur, vt per occisionem eorum significaretur destructio peccatorum, & quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco peccatorum occiderentur, ad expiationem significandam peccatorum. ita ille. Cum ergo vicem peccatorum tunc haberent animalia illa occisa, quasi occisus esse peccator quatenus peccator existimabatur; quod autem moritur, in perpetuum moritur vsque ad mundi finem. Sic igitur post expiationem delicti, quasi ad numquam amplius peccandum offertur homo Deo, & speciatim, quia post remissionem iterum peccare est eximia in Deum ingratitudo, quia peccati remissio est maxima Dei misericordia, vnde maximam à peccatore gratitudinem requirit, & reincidentia maximum supplicium; sicut ille qui à peccato læsæ maiestatis absolutus, iterum in peccatum læsæ maiestatis cadit.

Hinc est quòd legitima confessio debet esse, cum firma determinatione, firmoque proposito numquam amplius peccandi: qui enim citò post confessionem relabitur in peccatum, videtur non habuisse propositum requisitum, iuxta illud prouerbium, *Cum inimico non statim quis redit in gratiam.* Timeo quidem in multis huiusmodi propositum deesse, & quod sibi ipsis mentiantur, dicentes, propositum se habere numquam amplius delinquendi.

Genes. 19. *respiciens retro vxor Loth conuersa est in statuam salis.* Præceperat quidem Deus vt Gen. 9.
Loth & vxor eius exeuntes Sodoma respicerent retro, & quia vxor præceptum transgressa fuit, in statuam salis conuertit Deus illam; etenim peccatum illud perexiguum videtur, *su voluer de cabeza;* cur igitur adeo seuerè Deus pius, & misericors grauiter eam punituit? cur prætetea in salis statuam eam conuertit potius quàm in materiam aliam? Abulensis ad vtrum- Abulensis.
que dubium sic respondet ibidem: Huius (inquit) ratio est, quia sal condit & saporem dat cibis, & ideo sapientiam designat, & est sensus quòd vxor Loth in salis statuam conuersa est, vt per suam pœnam nos Deus doceat à bono cœpto numquam desistere, ne peior exitus nos sequatur. Et hic sensus, licet tropologicus videatur, est tamen litteralis, quia Deus conuertens illam in statuam salis docuit nos ne retrocedamus à bono incepto. ita Abulensis. Plures sanctorum eandem rationem reddunt. Cur autem tanti fecerit Deus conuersionem capitis, respondet Abulensis quia verbis An- Idem.
gelorum inobediens fuit. ita ille. Sed dices, hoc mirum est, quod pro leui inobedientia sic fuerit animaduersa. Clemens Alexandrinus ad gentes: Vxorem Loth accepimus effectam esse lapidem, propterea quod amaret

Sodomam. ita ille. Vbi innuere videtur quod displicebat ei tale ac tantum supplicium, eo quod Sodomam diligebat; quo valde displicuit Deo. Denique sub aliqua magna interminatione videtur iniunctum illud præceptum, & ideo morte fuit punitum; sicut contigit Adæ ac Euæ in paradiso, quibus sub mortis pœna iniunctum fuit eis præceptum, ne comederent de arbore scientiæ; & ideo quamuis de se exiguum videretur peccatum, morte plexit eos Deus.

Propositio II.

Ad perseuerantiam requiritur auxilium Dei, & ideo postulandum.

Simile. SVnt nonnulli peccatores qui conuerti ad Deū detrectent, eo quòd desperent se posse à peccatorum consuetudine & affectus violentia liberare; ignorant hi quomodo Christus sanet nostrarum animarum infirmitates; non quidem sicut medici temporales qui ita infirmos sanant, vt non statim cum à febri liberantur, robur & vires pristinas recoperent & vigorem, semper enim reliquiæ morbi supersunt, & paulatim ad perfectam perueniunt sanitatem. Non sic sanat nos Deus, non sic: sed simul cum salute animæ & peccatorum remissione vires ad perseuerandum præbet, quod in socru sancti Petri Christus Dominus significauit, qui cum magnis febribus teneretur, à Christo Domino miraculosè sanata, quamuis prouectæ esset ætatis & graui morbo detenta, statim è lecto surgens Christo Domino ad mensam sedenti ministrauit, adeo vires omnes ex tempore recuperauit. S. Petrus Chrysol. Quod expendens S. Petrus Chrysolog. serm. 18. ait: Christus sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat; vbi curat ars, ibi infirmitatis remanet lassitudo; sed vbi sanat virtus Dei, ibi languor vestigium non relinquit. ita ille. Sic Deus vbi animam peccatricem sanat, ita perfectè sanat vt integras ei vires ad perseuerandum triboat; qood si ex vitiorum consuetudine debilitas aliqua remansisse videatur, & pronitas ad malum; auxilia diuina ad ea superanda sufficientissima non deficiant, ita vt cum Paulo dicere quiuis sanatus possit: *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Propositio III.

Quàm Deo grata sit perseuerantia in obsequio suo.

Luc. 12. LVc. 12. *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quia præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Obserua verba illa *inuenerit vigilantes*, quasi dicat, de his seruis Dei loquor qui vigilanter vsque ad mortem in Dei obsequio perseuerauerint. Sed quid est quod ait *ministrabit illis?* numquid in cœlo ministrabit diuina maiestas seruis suis, vbi ab omnibus Angelis & beatis laudatur & glorificatur? S. Petrus Chrysol. respondet S. Petrus Chrysolog. serm. 24. de seruo vigili: En mutatio inaudita rerum, en terribilis dominationis correptio, expauenda, correptio seruitutis, quia parumper seruus steterit in Domini sui expectatione succinctus, & sustinendi fidem breui fatigatione portauit, vt ei talionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate diuinitas, & epulanti seruo seruit Dominus, & hoc facit in Patris iam gloria constitutus. ita ille.

Beda. At dices; Quonam pacto dicitur *Christus in cœlo ministrare?* Beda in cap. 12. Lucæ sic explicat locum hunc: *Præcinget se Christus in cœlo*, id est, ad retributionem præparat. *Facit illos discumbere*, id est, in æterna requie resoueri; discumbere enim nostrum in cœlo requiescere est; transiens autem Dominus ministrat, quia ab humanitatis forma forma in diuinitatis suæ contemplationem nos eleuat. ita Beda.

Propositio IV.

Vir pænitens & vir iustus perseueranter iustitiam & gratiam custodire debet.

S. Epiph. Simile. SAnct. Epiphan. in physiol. cap. 16. cum serpens ad fontem vt bibat pergit, virus non defert, sed in antro illud dimittit, & sic putus accedit, ne ex illis aquis bibentes inficiat veneno. ita refert S. Epiphan. sed tamen postea serpens venenum reassumit quasi qui sine veneno viuere non possit: sic etiam quamplurimi sunt qui tempore confessionis virus peccatorum deponunt, sed tamen occasione oblata, iterum virus assumunt, & facilè in peccata relabuntur, ac si absque peccato viuere nequirent, adeo in malum sunt prochues & propensi.

Propositio V.

Perseuerando obtinemus quod optamus.

S. Greg. POnderat S. Gregor. Papa hom. 25. in Euangelia beneficium Christi Domini exhibitum Magdalenæ in resurrectione ipsius Domini, quòd scilicet illa fuerit prior, cui Dominus apparuit post suam resurrectionem (excipiamus hîc matrem Domini:) prius enim apparuit Magdalenæ, quàm illi Apostolorum, cur ita? numquid sanctior illa quam Petrus, vel Ioannes? &c. S. Gregor. in prædicta hom. perseuerantiæ Magdalenæ in Domini inquisitione hoc tribuit, dicens, quia à monumento Domini etiam discipulis recedentibus, non recedebat, exquirebat quem non inuenerat, flebat inquirendo, & amoris sui igne accensa, eius quem ablatum credidit, ardebat desiderio; vnde contigit vt eum sola tunc videret; quæ remanserat vt quæreret, quia nimirum virtus boni operis perseuerantia est. Quæsiuit ergo priùs & minimè inuenit, perseuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret. ita S. Gregor. vbi nota S.Greg. verbum illud *virtus boni operis*, &c. Virtutem vocat fortitudinem illam animi perseueranter quærentis, nam ille animi indefessus vigor ad metam & finem optatum perseuerantem perducit.

***

Propo

PROPOSITIO VI.

Pænitens cum proposito esse debet perseuerandi.

Tito Liu. ANnibal Carthaginensis apud Liuium videus suos antequam bellum committerētur, animi constantiam & fortitudinem præferentes dixit illis, *si tales animos in prælio habueritis quales hic & nunc ostenditis, vicimus* ita ille. *dadnos anosotros por ven cedores y alos enemigos por vencidos.* Id ego dico pænitentibus qui cum confitentur & tentationes non vrgent, dicunt se prius quoduis genus martyrij passuros quàm peccare: etenim si tempore tentationis à tali proposito non recideritis, vicistis; sed tamen plures videmus quibus dicere possumus quod in Psal. 77. dictum fuit filiis Efrem: *fily Efrem intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli.* Cardinalis Bellarminus sic explicat sapienter locum hunc, filij Efraim seu Israëlitæ, idem enim est, similes sunt militibus qui incipiunt præliari cum hostibus & mox hostibus terga vertunt, sic filij Israël in deserto non semel proposuerunt se Deo parituros & facturos quæcumque ille mandasset, & statim mutata voluntate cogitabant de reditu in Ægyptum. ita ille. Sic sunt multi pænitentes, &c.

Persequutio Bonorum.

1. *Qualiter Deus puniat vexantes & persequentes iustos.*
2. *Quòd iusti eo quòd iusti à malis persequutionem patiantur.*
3. *Persequutio bonorum clamat ad Deum pro vindicta.*
4. *Quàm magna consolatio sit innocenter pati.*
5. *Deus persequentes proximos quomodo puniat.*

PROPOSITIO I.

Qualiter Deus puniat vexantes ac persequentes iustos.

NOtum est quomodo percusserit Deus Ægyptios decem illis acerrimis plagis, quæ in Exodo continentur, & qualiter eos tandem in mari rubro soffocauerit. Cur ita? reuelauerat causam Deus Abrahæ Genes. 15. di- Gen. 15. 13 cens: *scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis: veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo.* Lyran. Lyra. Ego iudicabo, inquit, percutiendo decem plagis vt habetur in Exodo. ita ille. Ecce igitur causam plagarum & flagellorum Ægypti, persequutio scilicet fuit, qua Ægyptij persequuti sunt populum Dei. Time igitur seruos affligere Dei.

Sicut sanguisuga a medico applicita nihil Simile. aliud intendit nisi sanguinem sugere, nulla habita ratione salutis infirmi; medicus autem qui sanguisugam applicat, nihil de vtilitate sanguisugæ cogitat, sed salutem infirmi intendit: Sic peccator & maleuolus qui iustum persequitur, nihil aliud intendit quam vindictam, vel commodum proprium; Deus autem, qui talem persequutionem permittit, non intendit commodum persequentis mali, sed persequutionem patientis, vt scilicet inde humilior, & patientior, & sanctior euadat.

Et hinc est quod sæpe Deus vim & malum persequutionis, in persequutorem conuertat, sicut ignem ipsum peccatorum in eos qui talem ignem accendebant conuertit. Sed optimum exemplum in Aman persequente Mardochæum habes: bonum enim quod sibi præscribebat, Mardocheo contigit, quando scilicet Ester. 6. dixit ei Rex: *Quid debet fieri viro quem Rex honorare desiderat,* &c. Et simul futea, quam Mardocheo parabat contigit ei. Deo sic prouidente in pœnam persequutoris, & in fauorem eius quem iniustè persequebatur; *el bien que para si queria le dio Dios à Mardocheo y el mal que queria para Mardocheo cay ò sobre el.*

Vnde Psal 124: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Ad huius loci intelligentiam nota sæpe Deum permittere tribulationes iustis & tentationes dæmonum, quia sic expedit iustis ad vitiorum purgationem & virtutum & meritorum augmentum, ita tamen vt cum mensura hæc fiant, sicut cum quis famulo pallium suum tribuit, vt virga puluerem ab eo Simile. excutiat, attendens quomodo id exequatur & videns iam satis pallium virga percussisse, & puluerem excussisse, dicat, satis est, sine, ne amplius percutias, ne pallium scindas; non enim percussionibus istis percussionem intendo, sed munditiem & bonum pallij. Sic igitur ait psalmista, *non non relinquet Dominus virgam peccatorum* (qua scilicet percutiunt bonos) *super sortem iustorum,* nimis & plus quàm oportet eos percutiendo, ne extendant iusti ad iniquitatem manus suas, ne ictibus nimiis scindantur, non enim persequutiones & tentationes permittit vt percutiantur, sed vt purgentur à culpis & meritis impleantur.

Psal. 11. *in circuitu impy ambulant, secundùm* Psal. 11. *altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Quid est *in circuitu ambulare impios?* S. Basil. in S. Basil. hunc locum: Quid est, inquit, quod dicit *in circuitu impy ambulant?* etiam, inquit, si nos in morem circuli conclusetint impij, nihil tamen patiemur mali: etenim tu nos custodis Domine, & in sublime euehis, ac gloriosos facis secundum altitudinem potentiæ tuæ. ita S. Basil.

PROPOSITIO II.

Quòd iusti eo quòd iusti à malis persequutionem patiantur.

NAto Christo *turbatus est Herodes,* Matt. 2. Matth. 2. cur ita? Euthymius ibidem: Herodes, inquit, turbatus est timens de regno suo filiorumq; suorum ita ille. Sed addit Euangelista, *& omnis Hierosolyma cum illo.* cur Hierosolyma cum à Prophetis omnes illi nossent venturũ Christũ ad eorum saluationẽ?

Respondet

S.Chryfol. Refpondet S. Chryf. hom. 2. in Matth. Turbantur, quia de aduentu iufti non poterant iniqui gaudere. Ita ille. Ideo ergo non folummodo turbantur, fed & poftea ad crucem vfque Chriftum Dominum perfequuti funt, ficut ipfimet confeffi funt Sapientiæ 2. dicentes. *Circumueniamus iuftum, quia inutilis eft nobis, & contrarius eft operibus noftris.* Inutilem fibi vocat peccator iuftum, quia id folum fibi conducere videtur quod ad mundana illū iuuat, & contrarium fibi, & inimicum eum iudicat, qui in his ipfi contradicit; & ideo iuftum circumuenire decernit, ficut de Cain afferit S.Ioan. 1. Ioan. 3. *Cain occidit fratrem fuum, & propter quid occidit eum? quia opera eius maligna erant, fratris autem eius iufta.* 1. Ioan. 3.

Plato Plato lib. 6. de legibus, ferui & domini (inquit) amici effe non poffunt, nec probi & improbi, etiamfi paribus afficiantur honoribus; æqualia enim inæqualibus inæqualia fiunt, verus namque eft prifcus ille fermo, *ab æqualitate amicitia procreatur.* ita Plato. Cum igitur nulla fit inæqualitas maior, quàm inter bonum & malum virum, ideo non folùm amicitia nunquam inter illos inuenietur, verùm affidua intercedet inter eos inimicitia; hac tamen differentia, quòd Deus auerfatur quidem malitiam mali, non enim aliter bonus effet; fed malus aperto marte perfequitur bonum, quia ipfe malus, ille verò bonus eft.

Ecclefiaft. 33. *Contra malum bonum eft & contra mortem vita, fic & contra virum iuftum peccator.* Confideratione digna eft fententia ifta. Cur quæfo non dixit, *contra bonum malum eft & contra mortem vita, fic & contra virum iuftum peccator?* Hoc enim exigere antithefis videbatur, fed è conuerfo, *contra bonum malum, &c.* Etenim bonum non perfequitur quod bonum eft, nec vita mortem, fed è conuerfo: & ita conuenienter diceretur, fic virum iuftum perfequitur peccator. Attende fapientiam dicti, fiquidem vita contra mortem infurgeret, ad hoc effet, vt mortuus homo refurgeret; & fi bonum contra malum militaret, ad hoc effet, vt malum in bonum commutaretur, & tunc perfequutio ifta in bonum eius effet, quòd perfequutionem pateretur. Sic ergo peccator perfequitur bonum, in bonum nempe ipfius boni; nam perfequutio talis valde prodeft iufto, vt patet in perfequutionibus Tyrannorum, qui martyres occiderunt, & tamen perfequutionibus fuis coronas martyribus fabricarunt. Hinc magna iuftorum confolatio, dicente Domino: *Beati qui perfequutionem patiuntur propter iuftitiam, quoniam ipforum eft regnum cælorum.* Fælix ergo perfequutio talis.

PROPOSITIO III.

Perfequutio bonorum clamat ad Deum pro vindicta.

Matt. 2. MAtt. 2. *Vox in Rhama audita eft,* &c. Hæc vox facta eft in nece puerorum innocentium. Sed cur ait *in Rhama* & non *in Bethlehem* vbi natus erat Christus, cuius caufa interficiebantur pueri, & Rhama non erat prope Bethlehem?

S.Chryf. Refpondet S.Chryfoft. in imperfect. hom. 2. quia *Rhama* Hebraicè interpretatur *excelfum.* Et ideo dixit: *vox in excelfo audita eft*, quoniam de morte innocentium mittebatur ad cœlum. ita ille.

Similiter Genef. 18. Sic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eft.* Vbique ergo clamant ad Deum peccata noftra quantumuis occultemus ea, & vindictam exigunt a iudice iufto.

PROPOSITIO IV.

Quàm magna confolatio fit innocenter pati?

1. PEtr. 4. *Nemo veftrũ patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, fi autem vt Chriftianus non erubefcat, glorificet autem Deum in ifto nomine.* Animaduertat hoc, qui cum iniuftè perfequutionem patitur, queritur, quòd cum innocens fit patiatur, cum inde potius gloriari oporteret. Refert Tert. lib. de anima c. 1. quod cum Socrates fine culpa effet ad mortem damnatus, & ad fupplicium pergeret, coniugi obuiæ, & muliebriter inclamanti, *iniuftè damnatus eft Socrates*, admirabundus imo ftomachabundus refpondit, *volebas tu, quod iuftè?* quafi diceret tolerabilior ne tibi videtur mors quæ nocenti, quàm quæ innocenti irrogatur? ita Tertul. ratio autem manifefta eft, quia nocentis dolor ftimulis & punctionibus confcientiæ malæ augetur, caretque bonæ confcientiæ folatio, quo fruitur infons; iuftus verò fi dat immeritò pœnas, ad fuam bonam conuerfus confcientiam confolatricem habet illam, &c. 1.Pet. 4. Tertul.

PROPOSITIO V.

Deus perfequentes proximos quomodo puniat.

PSal. 7. *Incidit in foueam quã fecit & conuertetur dolor eius in caput eius.* Quo cum loquitur hic Propheta S.Bafil in fcholiis huius pfal.: De Achitophele (inquit) & de Abfalamo hæc effe pofita dicimus, in amborum fiquidem capita fupplicium defcendit. ita ille. Nota eft hiftoria ex lib. 2. Reg. eleuauit Abfalon aduerfus patrem calcaneum fuum, & adiuuabat eum Achitophel confilio malo, fed pares vterque pœnas dedit, nam Abfalon fufpenfus periit, & Achitophel fe ipfum fufpenfum laqueo interemit, & vnde Dauidem euertere conabantur, inde ipfi perierunt. Pfal. 7. S.Bafil.

Periculum.

1. *Occafionem vehementem vel periculum non vitare, peccatum graue eft.*
2. *Vniuerfus mundus periculis refertus eft.*

PROPOSITIO I.

Occafionem vehementem vel periculum non vitare, peccatum graue eft.

NVm. 19. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam defuper, immundum erit.* Cur immundum fi nullam intus continet immunditiam? S.Thom. 1. 2. q. 102. art 5. ad 4. Huius immunditiæ caufa eft, quia in talia vafa de facili poterat aliquid immundum cadere, vnde poterant immundari. ita S. Thom. Igitur apud Num. 19 S Thom.

Deum

Deum non solùm reputatur immundum, quod immundum actu est, sed quod est in proximo periculo immunditiæ. Ille igitur, qui proximo periculo peccandi mortaliter se exponit, mortaliter peccat. Vnde Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Peribit, inquit, in ipsomet periculo, etiam si in peccatum quod periculum imminet, non cadat, quia tali periculo sic se exponere, vt dixi, peccatum est.

PROPOSITIO II.

Vniuersus mundus periculis refertus est.

S. Leo. SAnctus Leo Papa serm. 5. de Quadragesima. Plena sunt omnia periculis, plena sunt laqueis, incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium, inde sæuit odium, hinc deficit officium mendax, vt facilius sit vitare discordem quàm declinare fallacem. Ita S. Leo.

Vnde infert dicens, nemo ita à puluere terrenæ conuersationis alienus est, vt non semper egeat expoliri. Ita ille. Etenim quantumuis quis mundum se curat in mundo seruare, vt puluerem euitare possit, impossibile est vt scopis mundatoriis non sæpe indigeat, sic nec à culpis venialibus, vt non sæpe etiam egeat mundari.

Prædicator.

1. *Prædicatores sunt decus & ornamentum Ecclesiæ.*
2. *Quàm puros ac sanctos esse prædicatores oporteat.*
3. *Quàm infesti sint dæmones prædicatoribus & ministris Ecclesiæ.*
4. *Quanta sit virtus verbi Dei prædicati per Apostolos & Concionatores Christi.*
5. *Quàm egeat prædicator Dei auxilio.*
6. *Qui concionatur indebitè, ab officio prædicationis excluditur à Deo.*
7. *Vt monitiones prædicatoris prosint, faciat quæ monet.*
8. *Non plausum sed animarum fructum quærat concionator.*
9. *Quòd tam concionator quàm auditor Dei gloriam & animæ salutem intendere debent.*

PROPOSITIO I.

Prædicatores sunt decus & ornamentum Ecclesiæ.

Mat. 5. Atth. 5. sic Christus ad primos illos doctores, & concionatores: *Vos estis lux mundi,* [Soya saluz y colucido de mi Iglesia,] quod eis dixit, omnibus Simile. dixit, qui eis successerunt. Sicut enim in cœlo luminaria Deus constituit, quæ totum illustrarent orbem, sic in Ecclesia doctos & sapientes instituit viros qui tum verbis sapientia plenia, tum factis sanctitate refertis sanctam illuminarent Ecclesiam, non quidem vt in suam, sed vt in Dei lucerent gloriam.

Ordinauit olim Deus, c. 25. Exodi, *Candelabrum fieri ductile ex auro mundissimo,* in quo septem Exod. 25. lampades accensæ constituerentur, vt in Dei tabernaculo & templo lucerent. Quid ita? quid ea luce Dominus intendebat? numquid Deus egebat luce, sicut nos egem' in nostra domo? S. Th. 1. 2. q. S.Thom. 102. ar. 6. ad 6. Candelabrum hoc institutum erat ad tabernaculi honorificentiam, pertinet enim ad magnificentiam domus quòd sit bene luminosa. Ita S. Thom. Ad ornatum ergò & decorem domus Dei & ad eius gloriam candelabrum sic lucebat; ita quoque in Ecclesia Christi, viri sapientes, doctores & concionatores constituuntur, vt in ea tanquam in domo Dei ad eius luceant gloriam. Hoc enim asseruit Christus Dominus Mat. 5. dicēs Apostolis, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est:* non ait, vt vos glorificemini à videntibus lucem vestram, sapientiam vest. & sancta opera vestra, *sed vt glorificetur Deus, laudetur Deus. Amen,* & quidem dico *Amen;* timeo enim & suspicor valde, multos sic lucentes sibi lucere, non Deo; nam vti ait Apostolus, *scientia inflat,* sic autem inflatus suam, non Dei gloriam quærit.

Sunt forte qui dicant se lucere vt victum & vestitum acquirant; his enim egent, quasi Deus non curam eorum haberet. Exod. 25. Sic Domi- Exod. 25. nus ad Moysem: *Facies mensam & deaurabis eam auro purissimo:* & subdit: *& pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Cur ita? S. Thom. vbi supra: Mensa autem apponebatur S.Thom. ad significandum quòd Sacerdotes templo seruientes in templo victum habere debebant, vnde duodecim panes superpositos mensæ in memoriam duodecim tribuum solis sacerdotibus edere licitum erat, vt habetur Mat. 12. Ita S. Thom. Ideo Idem. Christus Dominus ad discipulos dixit Luc. 22. Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil.* Nimirum, quia Deus seruientibus sibi quonam modo deesse potest? memento quæso verborum Apostoli 1. ad Timot. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* S. Anselm. sic locum hunc S.Ansel. exponit: Fidem negauit operibus etsi non verbis, quia proximum non diligit & infideliter erga eum agit; & est deterior infideli, qui nonquā fidem habuit; hic enim veritatem nouit, infidelis autem minimè nouit; multo autem grauiùs delinquitur scienter, quàm ignoranter. Ita S. Ansel. Si ergo indignum est homine fideli suorum non gerere curam, quis mentis compos non colliget, quanta sit Dei cura, eorum qui seruiunt ei, & maximè in re tanti momenti, qualis est animarum salus? Nota igitur & candelabrum & mensam ex auro purissimo esse, quia & ministros suos lucere luce ex charitate procedente vult; & similiter mensam ex auro purissimo esse, importare auream illam charitatis curam, quam Deus erga ministros suos habet: aurum enim in sacris litteris charitatis symbolum est, vti notauit S. August. S. August. super Ps. 67. Sicut enim inter omnia metalla primum locum obtinet, sic charitas inter virtutes omnes.

Propo

Propositio II.

Quàm puros ac sanctos esse prædicatores oporteat.

Gen. 49. GEnes. 49. Sic Iacob in benedictione Iudæ filij sui, *dentes eius lacte candidiores.* Quid sibi vult hæc dentium laus? Rufinus in hunc locum per Iudam Christum Dominum intelligit, per dentes eius concionatores & ministros verbi Dei. Ait ergo Rufinus, dentes Christi candidi, erunt hi, qui fortem & solidum cibum manducare & comminuere ad summam sublimitatem dentibus possint, de quibus dicit Apostol. in Epistola ad Hebræos, *perfectorum est solidus cibus*; de imperfectis autem Corinthiis dicit, *lac enim vobis dedi non escam, nondum enim poteratis.* Aptissime autem candidos hos dentes dicit, qui subtilem & minutum intellectum Ecclesiæ corpori subministrant, quia hi candidi & puri debent esse & ab omni macula liberi, ne forte dicatur eis, *qui alios doces teipsum non doces?* ita ille. Adde, ne dicatur eis prouerbium Christi, *medice cura teipsum.*

Propositio III.

Quàm infesti sint dæmones prædicatoribus & ministris Ecclesiæ.

1.Reg.18. 1. REg. 18. *Inuasit spiritus Dei malus Saul, Dauid autem psallebat manu sua, tenebatque Saul lanceam, putans, quod configere posset Dauid cum pariete, & declinauit Dauid.* &c. Cur Saul sic occidere voluit eum tunc, cum ab eo musicæ beneficio frueretur, quo leuabat tormentum eius, pro quo non morte sed mercede

S.Ambr. regia dignus erat? respondet S. Ambros. in octonario 2. Psal. 118. quis Regem Saulem excitauit contra Dauidem, nisi spiritus ille malus, qui se dolebat à Saule excludi citharæ sono, quo mentem Regis animumque mulcebat? ita S. Ambr. sic enim dicitur 1. Reg. 16. *quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam & percutiebat manu sua, & recedebat ab eo spiritus malus.* habemus adumbratam imaginem modi, quo Diabolus se habet aduersus Euangelij ministros; eos enim persequitur qui animarum curam gerunt, & cithara diuini verbi & sani consilij à corde peccatorum eum eiiciunt.

Propositio IV.

Quanta sit virtus verbi Dei prædicati per Apostolos & concionatores Christi.

PRæcepit Dominus Iosue vt arcam fœderis viri bellatores armati præcederent, sacerdotes autem septem buccinis clangerent, & sic per septem dies mœnia Iericho circuirent, & ita septimo die dum vociferatio populi tubis clangentibus admisceretur, Iericho protinus mœnia à fundamento collapsa subuertuntur. Ponderemus hoc pugnandi genus, & hanc victoriam: non enim ad hanc vrbem sic capiendam educitur gladius, non tela vibrantur, non iaculum mittitur, non acies militaris cunei ad irruptionis murorum impetum constipatur, sed tubis tantùm sacerdotum clangitur, & sic victoria obtinetur. Quis mysterium aliquod diuinum non odoratur? etenim deliramentum hoc fuisse gentes iudicarent, si non vidissent victoriam subsequutam. Mysterium facti huius explicuit S. Petrus Damian. S. Petrus Damian.
serm. 57. dicens: Per Iericho, quæ dicitur Luna, non incongruè mundus significatur, qui per momenta temporum labentium, tamquam per menstrua detrimenta finitur: arca autem Ecclesia sancta erat, tubæ autem Apostoli sunt vel quique doctores Ecclesiæ, quorum admonitionibus semper contra illecebras carnis, & hostis insidias pugnamus, & velut tubarum clangoribus incitamur; quæ nimirum tubæ septem fuisse referuntur, quia prædicatores sancti septiformi Spiritus gratia sunt repleti, septem quippe dierum vicissitudine tempus nostræ mortalitatis euoluitur. Vrbem ergo Iericho Sacerdotes arcam ferentes & canentes septem diebus circumeunt, & muri eius per arcæ præsentiam & tubarum sonitum cadunt, quia in huius mortalitatis vitæ decursu, dum circumquaque per orbem sancta dilatatur Ecclesia, per sanctæ prædicationis instantiam omnis elati mundi superbia, & cuncta peccatorum obstacula subruuntur. ita S. Petrus Damian.

Vbi aduertit non ab hoc genere militiæ sæculares excludi, dicens: Notandum est quòd armati milites cum sacerdotibus ire iubentur, vt hi qui non prædicant contra occulti hostis insidias, armati nihilominus & circumspecti semper incedant. ita ille. Non enim sufficit eis audire verbum Dei, nisi audita executioni mandent, *beati* Simile.
enim *qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Sicut enim in corporali militia non sufficiunt exhortationes optimæ Ducum, nisi milites viriliter pugnent ad victoriam obtinendam; sic etiam non sufficiunt concionatorum documenta ad victoriam spiritualem, si auditores audita non exequantur.

Propositio V.

Quàm egeat prædicator Dei auxilio.

Mat.4. MAtth. 4. Sic Christus ad Petrum & Andream: *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*, non dixit *& eritis piscatores* S.Paschas. Abbas.
hominum, sed *faciam vos.* Cur ita? Paschasius Abbas: *faciam*, inquit; nam alioquin in vacuum laborat Doctor Ecclesiasticus, si non fuerit à Deo factus vt proficiat: quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. ita ille. & ob hanc causam in principio concionis gratia postulatur.

Quamuis organa præparata & temperata sint Simile.
templados y afinados, si defuerit organista peritus qui ea pulset & resonare faciat, organa non sonabunt: sic quantumuis prædicator studuerit & arte concionandi polleat, debitè non concionabitur Deo non fauente: quapropter prima & principalis concionatoris cura esse debet, humiliter deprecari, vt animum & pectus eius pulset, & gratia sua faueat ei Deus.

Pro-

PROPOSITIO VI.

Qui concionatur indebitè, ab officio prædicationis excluditur à Deo.

Idem. MAtt. 5. *Quod ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quid eſt *mitti foras?* S. Paſchaſios Abbas: Forte extra officium docendi mittendum ſignificat, quia ſaporem gratiæ non retinuit. ita ille. Quadrat litteræ explicatio. & ideo adiecit Chriſtus, *& conculcetur ab hominibus*; non enim côculcaretur ab hominibus Doctor animarum, ſi eum veluti bene meritum audirent; eiectum verò à tali munere conuenit conculcari: quare dum vanè prædicant, non ſolùm famam & honorem quem intendunt, non conſequuntur, verùm etiam quem fuerant conſequuti, amittunt.

PROPOSITIO VII.

Vt monitiones prædicatoris proſint, faciat quæ monet.

Seneca. SEneca epiſtola 108. qui aliter viuit, quàm viuendum eſſe præcipit, non magis mihi prodeſt quàm nauigator in mari nauſeabundus; tenendum eſt gubernaculum rapiente fluctu, luctandum cum ipſo mari; quid inenuare poteſt gubernator attonitus. & vomitans, &c. Quanto maiori cenſes vitam noſtram tempeſtate iactari, Simile. quàm vllam in mari ratem? non eſt tam loquendum quàm gubernandum, omnia quæ iſti dicunt, quæ turba audiente iactant, aliena ſunt. Dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſipus, dixit Poſſidonius, & ingens agmen tot ac talium, ſed quomodo probare poſſint eſſe ſua quæ docent, monſtrabo; faciant quæ dicunt. ita Senec.

Caſſian. Abbas Cheremon apud Caſſian. collat. 11. cap. 4. Numquam erit efficax inſtituentis au horitas, niſi eam effectu operis ſui cordi affixerit audientis. ita ille. Sicut enim non ſufficit clauum eſſe acutum ad penetrandum, niſi mallei vi figatur, ſic nec perſuaſio ſine exemplo. Simile.

Seneca. Seneca lib. 2. Epiſtolarum epiſtola 20. ſermo tuus in exemplo tuo videbitur; non enim tunc dicitur ille, ſed probatur; ſic non ſolùm præceptor veri ſed teſtis eris. ita Seneca.

PROPOSITIO VIII.

Non plauſum ſed animarum fructum quærat concionator.

S. Hieron. SAnct. Hieron. epiſtola 2. ad Nepotian. Te in Eccleſia docente non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lachrymæ auditorum laudes tuæ ſint, verba voluere & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Nihil tam facile, quàm indoctam plebem linguæ volubilitate decipere, quæ quod non intelligit, plus miratur; melius eſt ruſticitatem ſanctam habere, quàm linguam peccatricem. ita S. Hieronym.

***

PROPOSITIO IX.

Quòd tam concionator quàm auditor Dei gloriam & animæ ſalutem intendere debent.

SEneca epiſtola 108. ex Attalo præceptore ſuo hanc ſententiam refert: idem dicenti & diſcenti propoſitum eſſe debet, vt ille prodeſſe, hic proficere velit. ita Seneca. Seneca.

Præſentia Dei.

PROPOSITIO VNICA.

Ad ſanctitatem & perfectionem noſtram conducit Dei præſentia.

GEneſ. 17. Sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me & eſto perfectus.* Priùs quàm diceret Dominus, *eſto perfectus*, ait, *ambula coram me.* Quid eſt *coram Deo ambulare?* Nicolaus de Lyra, id eſt, ac ſi me præſentialiter ſemper videres. ita ille. Qui ſic Deum ſe videntem meditatur, facile mala deuitat, ne oculos dei offeodat, & quæ placita ſunt ei, ſemper facit. Sicut in aula Regia famuli Regis dum ei aſſiſtunt, & dum ab eo videntur, nihil indecorum aſpectui Regio facere audent; ſic & ampliùs viri prudentes, dum ſe à Deo conſpici animaduertunt, omne oculis Dei indignum operari refugiunt, & opera Deo digna ſatagunt præſtare. Lyra.

Princeps.

PROPOSITIO VNICA.

Quòd principes deceat religionis Chriſtianæ cultum tueri.

TAbernaculum illud quod Dei nutu in deſerto fecit Moyſes ad Dei cultum, Exod. 26. poſtquam ventum eſt ad terram promiſſionis in vrbe Silo collocatum fuit, vt conſtat ex c. 18. Ioſue, vbi ait ſcriptura, *congregati ſunt filij Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonij.* Dices cur potius in Silo quàm in alia vrbe? Reſpondet Caiet. par ſuit vt in ſorte Principis ſcilicet Ioſue, & vbi erat Principum domicilium, locaretur diuinus cultus. ita Caietan. ac ſi Principem inter cæteros populares diuini cultus ſtudioſiſſimum eſſe oporteret. Exod. 26. Ioſue 18. Caiet.

Eadem ratione in Hieruſalem prope templum ſitum Regium palatium erat, vt patet ex S. Hier. in quæſtioni Hebraicis ad cap. 32. Geneſis, & ex epiſtola 27. ad Euſtochium, & ex Genebrardo in Pſal. 86. vt Reges prope templum Dei degentes templi & diuini honoris curam haberent, imò & Romani gentiles, vti ait S. Auguſtin. lib. 5. de ciuitate cap. 12. duo templa ad inuicem contigua & propinqua conſtruxerunt, alterum Virtuti, alterum Honori dicatum, vt oſtenderent conuenientiam inter Honorem & Virtutem. S. Hieron. Genebrad. S. Auguſt.

Pſal.47.4. Hine Pſal. 47. *Deus in domibus cognoſcetur*, &c. Seu vt eſt in Hebræo, *Deus in Palatiis cognoſcetur*. In tantum enim Principes & Magnates Dei cultum & honorem tueri debetent, & ac ſi Regis Palatium tanta debeat religione florere, vt templum Dei eſſe videatur; nec immeritò, eſt enim religio regnorum cuſtodia. Quandiu in Silo manſit tabernaculum Dei, floruit, vt patet ex capite 18. Ioſue. Tabernaculo autem euerſo, ruit pariter & imperium. Vnde Dauid. Pſal. 77. poſtquam dixit, *repulit tabernaculum Silo*, addidit, *& tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*. Ac ſi ſacra æde ruente Regia domus nullo modo poſſet ſtare, & permanere.

Ioſue 18. Pſ.77.60.

Proſperitas.

1. *Obliuionem Dei parit proſperitas.*
2. *Proſperitatibus ſolet Deus obſequia reproborum remunerare.*
3. *Quàm periculoſa res ſit proſperitas.*
4. *Quòd nimia proſperitas damnationis nonnullum ſignum ſit.*
5. *Quàm expoſita ſit turbationibus mundi.*
6. *Quòd diabolus homines eleuare conetur in altum proſperitatis vt deiiciat.*
7. *Quòd proſperitas non ſit per fas & nefas quærenda.*
8. *Proſperitas mundi ſuperbiæ occaſio magna eſt.*
9. *Quòd Deus propter vtilitatem noſtram viciſſitudinem proſperitatis & aduerſitatis tribuat nobis.*
10. *Quòd ſit proſperitas mundi parui pendenda.*
11. *Quàm miſera ſit fælicitas huius mundi.*

Propositio I.

Obliuionem Dei parit proſperitas.

Geneſ. 37. Patriarcha Iacob è paterna domo in Meſopotamiam proficiſcens, poſt miram illam ſcalæ & Angelorũ viſionem, votum vouit Domino dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Mirum quidem quod tantus vir huiuſmodi emiſerit votum, Deum verum in Deum habere, quidni etiam ſi neque cibum, neque indumentum tribuiſſet? erat ne propterea ſolum ab eo colendus Deus, quòd temporalia iſta ipſi prouideret? nonne ad hoc ex iure diuino tenebatur? Caietanus reſpondet: Quòd cum tes præcepta materia ſit quoque voti, optimè potuit Iacob ſe obſtringere voto ad id quod ex præcepto tenebatur; ſic enim etiam Dauid pſal. 118. *Iuraui*, inquit, *& ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Cur iurat & pollicetur quod præſtare ex diuinis præceptis tenebatur? nempe quia gaudet pluribus vinculis ſe ad Dei præcepta ſeruanda alligatum eſſe. Ita igitur de Iacob dicendum eſſe ait Caietanus. Bene, ſed appoſuiſſe Iacob tot conditiones ad res temporales pertinentes, panis, indumenti, & itineris ſui, felicis progreſſus, honori diuino derogaſſe videtur, & non ex amore gratuito in Deum, ſed ex amore proprio & veluti ex contractu oneroſo emiſiſſe votum illud. Reſpondet optimè S. Chryſoſt. hom. 55. in Geneſ. Iacob fidei oculis futuram ſuam præuidens abundantiam gratitudinem ſuam declarabat, ita S. Chryſoſt. fundatur autem dictum eius in verbis illis quæ paulo ante dixerat Dominus Iacobo, *Terram*, inquiens, *in qua dormis tibi dabo, & ſemini tuo, & ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc.* hanc ergo proſperitatem præuidens Iacob ait S. Chryſoſt. ex gratitudine animi votum illud vouit, quaſi diceret: Tanta fruiturus ſum abundantia? In magno igitur periculo verſor obliuionis Dei, ſolet enim proſperitas talem inducere obliuionem. Ne igitur in talem incidam ingratitudinem, me in ea Deum præ oculis habiturum, & debitum obſequium & cultum præſtare ſemper ipſi promitto, &c.

Caiet.

S.Chryſ.

Hæc enim differentia inter proſperitatem & aduerſitatem eſſe ſolet, quòd aduerſitas facilè hominem in Deum ducit, tamquam in omnium malorum noſtrorum reparatorem, & miſerorum refugium; proſperitas verò Dei obliuionem facilè inducit, qui enim illa potitur, ſe Dei fauore minimè videtur egere, orat qui eget, & plorat, & qui non eget, non plorat, ſed gaudet; non orat, quia quod petere debebat, iam habet. Expendit optime S. Ambr. pincernæ Pharaonis amicitiam & familiaritatem erga Ioſeph: dum enim ambo in carcere ſimul eſſent, familiaritet & amicabiliter agebant, & Ioſeph in ſomni pincernæ interpretatione gratiſſimus illi fuit, at ſuccedentibus proſperis pincernæ, oblitus ipſe fuit Ioſephi interpretis ſui, vti ait ſcriptura; hoc, inquam, expendens S. Ambroſ. ait: Vini præpoſitos multo & ipſe ebrius mero proſperitatis, beneficij authorem oblitus eſt, & Ioſepho dicente, *memor eſto mei cum bene tibi fuerit*, obroſas, iam habebat aures ſaltu vicinæ potentiæ, ita S. Ambroſ. vinum inebrians vocat S. Ambroſ. proſperitatem mundi, ebrietas autem obliuionem inducit, ſicut ait Salomon prouerb. vltimo, *date vinum his qui amaro ſunt animo, bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* Sic igitur proſpetitas bonorum temporalium Dei obliuionem parit; quod quando efficiunt, non bona, ſed mala ſunt meritò nuncupanda.

S. Ambr.

Idem.

Propositio II.

Proſperitatibus ſolet Deus obſequia reproborum remunerare.

Luc. 16. Sic Abrabam ad diuitem aquam poſtulantem: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua & Lazarus ſimiliter mala*, &c. Quid eſt, *recepiſti bona in vita tua*? Reſpondet Euthymius in hunc locum: Non ait *accepiſti bona tua*, ſed *recepiſti*; nam recipere ob ea ponitur quæ debentur; & hine omnino ſignificatur quòd diues quamuis peccator erat, aliquam tamen habebat virtutem, pro qua bona in vita receperat; & Lazarus quamuis iuſtus erat, aliquod tamen vitium babebat propter quod

Luc. 16.

Euthym.

qood adhuc viuens debita receperat mala; siquidem nullus hominum expers est vitij, aut omnino bonus, ideoque morientes decesserunt; ille quidem meram habens malitiam, hic autem puram habens virtutem. ita ille. Ecce qualiter prosperitas in hac vita esse solet; quòd Deus in mercedem eam homini prouideat, ne in alia vita aliud recipiat præmium. Idem ait S. Chrysostom.

Vnde quando sancti hic prosperitate potiuntur timent, ne Deus illam in præmium suorum operum bonorum conferat eis, est locus egregius ad hoc Genes. 14. & 15. (Gen.15.1.) vbi Abraham fœlicem quandam victoriam è quatuor Regibus reportauit, cui apparens tunc Dominus dixit: *noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quid est quod post victoriam partam dicit illi Dominus, *noli timere?* Etenim ante victoriam quando bellum adoriebatur, congruum apparebat dicere, *noli timere, ego enim protector tuus ero*; at peracto bello, & victoriam consequuto aptior videbatur cógratulatio, quàm timoris ablatio; non enim tempus illud timoris, sed gaudij videbatur. tamen tunc meritò timuit Abraham, quia sancti in hac vita plus timent prospera, quàm aduersa, quia aduersitate purificantur, prosperitate verò præmio affici solent. (Lyra.) Ita explicat locum hunc Nicolaus de Lyra, dicens, *noli timere*, ait Dominus Abrahæ, quasi dicat: Victoria quam dedi tibi, non est merces tua, sed maiora satis reseruo tibi; ego enim ero merces tua magna nimis. ita ille. Ecce quam ob causam potius laboribus quàm prosperitate gaudere debeamus.

Genes. 4. Nati sunt Adæ duo filij, quorum prior vocatus est Cain, quod *possessio* interpretatur, secundus Abel, quod nomen *luctus* latinè dicitur. Et quidem non sine Dei speciali prouidentia, hæc nomina imposita fuerunt, vti animaduertit (S.August.) S. August. lib. 3 de Genesi ad litteram vbi ait: Cain qui interpretatur *possessio*, eos significat, qui terrenam ciuitatem & mortiferas delitias erant amaturi; Abel autem qui *luctus* interpretatur, eos significat, qui futuram ciuitatem sunt quæsituri, & de huius habitationis miseriis lugentes ad futuram gloriam toto desiderio transituri sunt. Est autem posterior Abel, quia non prius quod spirituale, sed quod animale est; & hinc Cain dicitur *Agricola*, id est terrenis operibus incombens; Abel *pastor ouium*, simplicitatem scilicet & Innocentiam diligens. ita (S. August.) S. August. Quo quidem symbolo Deus nobis innuere voluit, huius mondi opes & possessiones more Cain quæsitas & amatas damnationis signum esse, luctum verò tribulationum saluandorum parti conuenire.

At dices: Ego diuitias possideo & temporalia bona; sed tamen non ista sicut Cain amo: fateor id possibile quidem esse, sed difficile, & quod maximè Dei egeat gratia; *beatus* enim diues, *qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris, quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* ait Spiritus
(Eccl.31.) sanctus Eccl. 31.

***

PROPOSITIO III.

Quàm periculosa res sit prosperitas.

MAtt. 14. *Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* (Matth.14.) Hic contrarius ventus aduersitatis symbolum est; tunc enim in mari sæculi huius ventum contrarium patimur, cum rebus laboramus aduersis; sed in vento contrario ita includamus aduersitatem, vt non excludamus prosperitatem. Sententia hæc Diui August. est serm. 15. de verbis Domini secundùm Matth. (S. August.) existimatis tunc esse ventum contrarium, quando est huius sæculi aduersitatis? quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum calamitas euenit, tunc putatur tempus aduersarium, & ibi putatur inuocandus Deus; quando autem fælicitate temporali sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius. noli hinc interrogare temporis tranquillitatem, sed interroga tuam cupiditatem; vide si tranquillitas est in te, vide si non te subuertit ventus interior: hoc vide, magnæ virtutis est cum fælicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa fælicitas subuertat; magnæ inquam virtutis est cum fælicitate luctari, magnæ fælicitatis est à fælicitate non vinci. ita S. Augustinus. Cum igitur tibi aliquid euenerit prospere, ventum contrarium tibi cense, caue ne ab illo demergaris in profundum æternum.

1. Cor. 7. *Seruus vocatus es, non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber, magis vtere.* (1 Cor. S.Th.) S. Thom. ibidem lect. 4. sic explicat, quasi dicat: vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, in ea permaneat. v.g. seruus vocatus es ad fidem Christi? non sit tibi curæ, vt scilicet velis seruitutem effugere, sed potius si potes fieri liber mane in seruitute. ita S. Thom. quis non miretur Apostoli consilium, cum seruitus tanta miseria sit, vt in prouerbium recepta sit illa sententia, *non bene pro toto libertas venditur auro.* Cur igitur consulit Apostolus seruo vt in seruitute remaneat etiam cum ab illa liberari iustè possit? S. Thom. (Idem.) sic respondet: Quia seruitus causa est humilitatis, & sicut ait Ambros. (S.Ambr.) quanto quis despectior est in hoc sæculo propter Dominum, tanto magis exaltabitur in futuro. Et S. Gregor. (S.Greg.) quanto quis Deo gratior est, tantò propter eum vilior. Et Boetius: Cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen prospera quàm aduersa. ita S. Thom. & S. Anselm. (S.Anselm.)

Forte dicet peccator minanti sibi aduersa, *peccaui, sed nihil mihi accidit triste.* quasi prosperitas ei non magis timenda sit quàm supplicium. Audi Deum aduersùs Israëlem fulminantem Ezech. (Ezech.16.) 16. *recessit zelus meus à te, vltra non irascar tibi*, non ait *percutiam te iratus*, sed *non irascar.* Pietas hæc apparet, sed nihil minùs. ait enim ipse Apoc. 3. *ego quos amo, arguo & castigo.* (Apoc 3.) Ponderans S. Bernard. serm. 42. in cantica ait: (S.Bernard.) Solo audito contremisco, quia si te zelus deseruit & amor Dei, non eris amore dignus qui indignus amore censeris. ita ille.

Multum quidem ad peccata vitanda sapientia valet, sed præualet prosperitas etiam in sapiente ad peccandum, quod in Salomone sapientissimo videre licet, de quo sic 3. Reg. 11. (1.Reg.11.) *Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per*

mulieres, vt sequeretur Deos alienos. Quomodo sapientissimus Salomon, cui Dominus supernaturaliter consulerat copiosam illam sapientiam, & cuius lingua calamus Spiritus sancti erat, & calamus lingua, in tantam dementiam deuenit? S. Aug. serm. 17. de Ciuit. e. an. bonis initiis malos exitus habuit, quippe secundæ ras sapientum animos fatigant, vnde magis offuerunt illi, quàm profuit sapientia. ita S. Aug.

S. August.

Propositio IV.

Quòd nimia prosperitas damnationis nonnullum signum sit.

Genes. 15.

GEnes. 15. *His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens: noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Cur quæso dixit Deus Abrahæ *noli timere?* quænam illi erat causa timoris, vt diceretur illi *noli timere?* Ad huius responsionem consideranda sunt verba illa, *his itaque transactis*, quænam illa transacta erant? Ex præcedenti textu cap. 14. Genesis constat, quòd Abraham feliciter & prosperè de quatuor Regibus quos debellarat, victoriam reportauerat, & alia etiam secundè ei euenerant, Inde igitur timor; timent enim sancti prospera mundi, scientes arctam esse viam quæ ducit ad vitam, scilicet per aduersa, amplam verò & latam quæ ducit ad perditionem, sicut asserit Christus Dominus Matth. 7. Sic interpretatur locum hunc Nicolaus da Lyra, dicens, secundùm Hebræos Abraham ex victoria tam excellenti, de quatuor Regibus habita, timuit, ne foret ex hoc iustitia sua remunerata, propter quod dixit Dominus ei, *noli timere.* Igitur Abraham significat quemlibet iustum qui exaltatus ex aliquo dono Dei timet ne forte de bonis suis remuneratus sit in præsenti propter quod Deus consolatur eum per consolationem internam dicens, *noli timere Abraham*, &c. ita ille.

Lyra.

Iob. 5. 3. Iob 5. sic Eliphaz amicus Iob ipsius, *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim*, [vi al necio al necio echar fuertes y grandes rayzes en los bienes temporales del mundo y luego al punto le hache la maldicion.] Quid, inquies, est *firma radix?* S. Greg. 6. Mor. 4. quasi firma radice stultus in terra figitur, qui totis desideriis in terreno amore solidatur. ita S. Gregor.

S. Greg.

Cur igitur hunc stultum vocat, cum in mundo pro viro prudenti habeatur, qui pecunias & dignitates, & honores, & delitias & diuitias nouerit cumulare? & qui omnia quæ appetit sagaci consilio assequitur, & qui declinare à malis, & à miseriis mundi astutè scit; qui aduersa astutè declinat & prospera apprehendit; qui amicos multos acquirit, & inimicos habere fugit; etenim hic nihilominus, qui sic in mundanis radicari satagit, meritò stultus perhibetur, quia cum æterna & instabilia cælestis patriæ cura & solicitudine procurare deberet, hæc ad terga proiiciens, omnem solicitudinem cordis in terrenis constituit. vnde Luc. 12. diuiti qui massem multam magna cura collegerat, & de sola conseruatione eius in annos plurimos cogitabat, sic diuina vox, *stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Stultum vocat Deus quem mundani prouidum & prudentem dixissent, quia nempe stultissimum est breue huius vitæ tempus, ad cœlestem gloriam misericorditer à Deo nobis impensum, in caducis & vilibus bonis acquirendis, & fruendis expendere. *Cuius*, inquit, *erunt?* respondet certè aliquis, *erunt filiorum, & consanguineorum*; sed & hoc vanitas & stultitia magna est sui obliuisci vt filius ditet. Si enim pater damnetur, filij à gehenna eum minimè liberabunt. sapiens ille pater qui vicinus morti & tactus insipientiæ suæ dolore intrinsecus, statim iussit omnia male parta restitui. Doluit super hoc filius eius, ad quem Patris hereditas pertinebat, & patrem conueniens dixit; *Quid hoc pater mi? ita ne me pauperem & miserum relinquis?* cui pater. *oro te fili, vt ex illo foco manibus nudis prunam accipiens, eam deferas ad me.* Cui filius, *absit Pater, neque enim prunæ ardorem potero sustinere. Si igitur*, ait Pater, *pro me vnius prunæ ardorem ferre non vales, cur vis vt ego pro te æternos inferni feram ardores? absit.* ita refert Paludanus in suo thesauro nouo.

Luc. 12. 20.

Meritò igitur Eliphaz stultum virum illum vocat qui firmas radices cordis sui in corporalibus & temporalibus bonis, posuit, dicens: *vidi stultum*; nec immeritò, addit, *& maledixi statim pulchritudini eius.* Cur ita vel quomodo maledixit? S. Gregor. ibidem: pulchritudini stulti statim maledicere, est, eius gloriam ex considerata damnatione iudicare, quia eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis eleuatur, & qui honoratur in via in fine damnabitur, & quasi per amœna prata in carcerem, & interitum tendit. ita S. Gregor. Signum igitur & præsagium æternæ damnationis est prosperitas huius vitæ. Quis ergo nisi stultus temporalem prosperitatem non timet? non fugit? Hac ergo ratione maledixit sapiens iste pulchritudini, seu prosperitati huiusmodi, hoc est maledictione æternæ obnoxium iudicauit de qua Dominus dixit, *ite maledicti in ignem æternum*, &c. Denique hanc maledictionem ait protulisse, quia malè de illa sentire non expectauit, nam sicut docet ibi S. Greg. sunt nonnulli, qui videntes prosperitatem alicuius ei benedicunt, dicentes, O quàm felix & beatus homo? *es hombre de estrella y venturoso*, & inuident ei; at in eius mente philosophantur, & dicunt, ô quàm nihil est humana gloria, vanitas vanitatum & omnia vanitas, de quibus ibidem S. Greg. ait: Hoc rectius dicerent, si eum in gloria mundi hominem illum cernerent, tunc eius interitum cogitantes potentiam transeuntem nihil esse sentirent. ita ille, Eliphaz ergo tamquam vir prudens statim damnans hanc vanam mundi gloriam, ait, *statim maledixi pulchritudini eius.*

S. Greg.

Idem.

Idem.

Propositio V.

Quàm exposita sit turbationibus mundi prosperitas.

Matth. 2.

MAtth. 2. Venientibus Magis Hierosolymam turbatur nimis Rex Herodes. Ad quem sic Ecclesia: *Hostis herodes impie, Christum venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.* Præterea si à Deo factum est istud, quid contra Dei voluntatem, sæuit turbatus Herodes, Christum occidere tentat, & crudeliter in pueros innocentes sæuit? quid proficit tantum nefas? Cur talis turbatio ac tanta? S. Chrysost. hom. 2. in imperfecto: quasi de successore regni futuro turbatus est: semper enim grandis potestas maiori est timori subiecta. Sicut arborum rami in excelso loco positi, etiamsi leuis aura flauerit mouentur;

S. Chrys.

Simile.

tur; sic homines sublimi in culmine dignitatum existentes, etiam leuis nuntij fama conturbat, humiles autem sicut in conualle in tranquillitate consistunt. ita ille.

PROPOSITIO VI.

Quòd diabolus homines eleuare conetur in altum prosperitatis vt deiiciat.

Matth. 4. cum Christus in eremo esset humilians seipsum, *assumpsit eum hostis in sanctam ciuitatem & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit: Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Vide ad quid in altam templi partem Christum Dominum eleuauit, vt scilicet tanto profundius Simile. caderet, quantò altiùs ascendisset. Sic etiam homines ad alta prosperitatum eleuare contendit, vt grauiùs ruant, in peccata scilicet, vel in pœnas, vel in vtrumque. unde Paschasius Abbas ibidem: Duxit hostis Christum vsque ad altiora templi, vt hoc daretur indicium ad quid eleuet vnumquemque, quem deorsum præcipitare desiderat. ita ille. Vbi asserit pinnaculum illud templi sedem fuisse magistrorum & doctorum, quos ideo ascendere ita gaudet hostis, quia multi eorum per vanam gloriam inde corruunt, nam scientia inflat. Verba Paschasij sunt: Nullo vitio magis deuastat hostis eos quos magisterij dignitas eleuat quàm vanæ gloriæ, per quam etiam de bono opere inflatos reddit, dum non Dei, sed suam quærentes gloriam, inanes fiunt. Docet igitur egregius Magister eos qui in sublimitate sunt constituti, quid magis cauere oportet, ita vt nihil per inanem gloriam faciant, qua etiam & ipsi qui sani videntur pessimè laborant; qui autem sibi applaudunt, & fauores vulgi excitari in se cupiunt; non lucra cogitant animarum, sed omnia gerunt laudis suæ gratia. ita ille.

Paschas. Abbas.

Paschas.

PROPOSITIO VII.

Quòd prosperitas non sit per fas & nefas quærenda.

Est quidem mundi prosperitas res periculis animæ plena, & propterea prudenter eam timent, qui saluati desiderant; sed quia communis est eius appetitus, hoc saltem amatores huius prosperitatis attendant, ne per fas & nefas eam inquirant, sed iuxta Dei placitum & voluntatem iustè ac sine peccato, sicut Apostolus Paulus nos suo exemplo docuit. qui ad Rom. cap. 1. sic scribit: *Sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis, obsecrans si quomodo tandem prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* Prosperum quidem iter ad Romanos optabat Apostolus, sed tamen in voluntate Dei; quamuis enim huiusmodi prosperitas, sancta & optabilis videbatur, erat enim in bonum animarum Romanorum vt ibi constat; sed qualiscumque illa esset, in voluntate Dei fundatam eam Paulus desiderabat. Sic explicat locum hunc S. Anselm. dicens, vt prosperum, inquit, iter habeam ad vos in voluntate Dei, quia non semper prosperitas itineris in Dei voluntate perficitur, sicut eorum, qui prosperis successibus ad malum currunt. ita ille. Quod si talem & tam spiritualem prosperitatem nolebat Apostolus, quanto minus appetenda erit prosperitas mundi & corporalis sine Dei voluntate?

PROPOSITIO VIII.

Prosperitas mundi superbiæ occasio magna est.

Genes. 2. *Tulit Dominus Deus hominem & posuit illum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* Quale opus illud esset, quod operari debebat homo? ex circumstantia loci colligitur facile in loco illo hortulani officium, seu agricolæ quod exercere debebat Adam, at excellentiæ status in qua homo tunc erat minimè tale munus congruere videtur; nam agricultura humile officium est, status autem innocentiæ dignitatem magnam & felicitatem continebat, quali nec Regia nunc dignitas venit comparanda. Cur ergo Deus Adam posuit in paradiso vt operaretur? S. Chrysost. hom. 14. in Genes. Hoc, inquit, magnæ Dei curæ & prouidentiæ nostri argumentum est, nam cum omnibus delitiis potirentur vitam agentes ibi, ne immodica prosperitate homo insolesceret, præcepit Deus vt operaretur illum. ita S. Chrysost. S. Chrys.

PROPOSITIO IX.

Quòd Deus propter vtilitatem nostram vicissitudinem prosperitatis & aduersitatis tribuat nobis.

Mundum condidit Deus tempore verno. v. g. mense Martio. Cur autem potius hoc mense magis quàm alio? S. Ambros. lib. 1. exameron. c. 4. Decebat, inquit, principium anni, principium esse generationis rerum terræ, & ipsam generationem mollioribus auris foueri; neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris frigoris tolerare laborem, aut æstus torrentis iniuriam sustinere. ita S. Ambros. Id etiam de nobis quod de plantis dicendum est, etenim non erat expediens nobis tempus semper esse aut prosperitatis aut aduersitatis, sed vicissitudinis, iam scilicet tempus ridendi, & iam tempus flendi, quia prosperitas assidua efficeret nos desides & effæminatos; assidua verò aduersitas animos nostros deiiceret & in immensam proiiceret tristitiam cordis, & impatientiam. Moderator igitur rerum nostrarum, moderationem istam prouidit, vt per labores patientia, per aduersitates gratiarum actionibus vitam promereamur æternam. S. Ambros.

PROPOSITIO X.

Quòd sit prosperitas mundi parui pendenda.

Senec. in præfatione lib. 3. quæst. natural. cap. 14. quid, inquit, est præcipuum in rebus humanis? & respondet erigere animum supra minas, & promissa fortunæ, & nihil dignum censere quod speres ab ea. Quid enim habet dignum quod concupiscas? ita ille. nec mirum ad diuina quippe nati sumus. Quid autem sunt humana cuncta natis ad diuina? Vnde rectè ibidem Seneca, à diuinorum contemplatione quoties ad humana reciderls, non aliter caligabis quàm quo- Seneca.

rum oculi in densam vmbram ex claro sole redière. ita ille. Quia ergo diuinorum obliuiscimur, terrenis adhæremus.

Propositio XI.

Quàm misera sit fælicitas huius mundi.

S.Cypr. SAnct. Cyprian. epistola 1. ad Donatum: Ante illos censes securos esse, quos Regalis aulæ splendore fulgentes, armorum excubantium tutela circunstat? maior illis quàm cæteris metus est; tam ille timere cogitur quam timeri, & quam securos non sinit esse subiectos tam necesse est non sit & ipse securus; ante ipsos terret potestas sua quam faciat esse terribiles, fenore quodam, quam fuerit amplior summa dignitatis & bonorum, tam maior exigitur vsura pænarum. ita S.Cyprian.

Prudentia.

Propositio vnica.

Imprudentem facilè inuadit diabolus.

S.Epiph. SAnct. Epipha. in Physiologo de quadam aue quæ *Picus* nominatur, sic scribit cap. 24. Picus auis est varij coloris, quæ nemoris frutera ingreditur, & rostro arborem petit & aurem illi admouet; quod si inanis arbor fuerit, illam excindit, excissamque occupat; verùm si solidam deprehenderit, intactam relinquens auolat & aliam inuadit. Non aliter diabolus, qui varij coloris & versipillis est, syluam naturæ humanæ intrat, atque in arboribus consîdet, hominis inquam cor ad inhonesta traducens, ferit & attentè obseruat, eumque hominem inualidum atque excordem esse animaduertit, ipsum inuadit, & in eo nidum suum constituit; quod si integro ac firmo esse corde sentiat, fugit statim & ad alios accedit. ita ille.

Quadragesima.

Propositio vnica.

Quadragesima est pænitentiæ tempus.



INter aues quas ad Holocausta Dominus elegit, turturem speciatim designauit. Cur non cignum vel pauonem, vel aliam ex speciosioribus auibus? Isichius ibidem: Non frustra turturem, sed ad significationem legislator assumpsit; turtur siquidem cognitionem temporum habet, ita vt eorum exemplo Iudæorum populus exprobraretur. Hieremias hoc probat, ait enim: *Turtur & hirundo & ciconia custodiunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* ita ille. Sunt quidem nonnulli qui nullam temporum differentiam agnoscunt, semper delitiari, semper ridere, imò semper solent peccare, ita vt quamuis Quadragesimæ tempore ad luctum & ad pænitentiam, ad ieiunium, ad orationem & ad conciones eos Dominus vocet, nec ieiunent nec audiant verbum Dei, nec magis pænitentiæ vacent, quàm temporibus aliis; solum enim viuere & voluptatibus mundi gaudere curant. Ad hos igitur sic Dominus per Isaiam: *Vocauit Dominus Deus exercituum in die illa, ad fletum & ad planctum, ad caluitiem & ad cingulum facci, & ecce gaudium & lætitiam,* &c. Quam hi excusationem prætendent in iudicio Dei? Ideo igitur turturem ad holocaustum elegit Deus, vt eum se approbare & saluare ostendat qui ad debita pænitentiæ & diuini obsequij opera destinat, destinata tempora noscat. Isai. 22. 12.

Religiosus.

Propositio I.

Religiosum esse, magnum Dei beneficium est.



GEnes. 7. Sic Dominus ad Noë: *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam,* &c. hoc pro magno beneficio Noë factum reputatur; sic enim à naufragio illo vniuersi liberatus est; quo non minus sed maius est beneficium vocationis in arcam religionis, in ea quippe facile liberantur religiosi à diluuio maximo peccatorum, quo in mundo innumeri homines inundantur. *Maledictum* enim ait Oseas capit. 4. *& mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit,* [que vn peccado se al cancaba à otro] Ecce diluuium mundi, ab hoc liberat Deus Gen. 7. Simile.

Deus religiosos, ad eum modum quo à dilunio aquarum Deus familiam Noë liberauit.

Liberat, inquam, eos à periculis maximis peccandi & à periculis damnationis æternæ, quibus mundus plenus est, & quod maiori cõsideratione dignum est, pericula huiusmodi sunt pericula ab hominibus amata: quid enim maiori prosequuntur amore in mundo homines quam diuitias & delitias & honores? In his autem maximè pericula damnationis continentur; in honoribus superbia & ambitio; superbia autem fons & origo omnium peccatorum est: in diuitiis auaritia & prodigalitas, auaritia autem sicut & superbia capitale vitium est: in delitiis gula & luxuria versantur, & alia sensualitatis peccata; quid autem periculosius, quàm pericula dilecta? Etenim quando periculum timetur aut odio habetur, timor ipse & odium è manibus periculorum nos eripiet; quod verò amatur, quomodo poterit euitari? hinc colligitur, quàm eximium beneficium sit vocatio ad religionem, in religione quippe contra honores, & diuitias, & delicias militant religiosi, si religionis suæ regulas obseruant; ad hæc enim tria vota ordinantur & regulæ.

Bene, inquis; sed status religionis crucis & mortificationis status est, & laboribus & difficultatibus abundat. Sit ita, nonne melius est sic mortificari quàm damnari? vel inter pericula talia versari? In arca illa Noë non dubium quin pressura magna homines constringerentur, arcta enim valde erat commoratio illa, animalia fœtore implebant arcam illam, ibi leo rugiebat, similiter & taurus, serpens sibilabat, lupus vlulabat, canis lattrabat, denique multipliciter locus ille incommodus erat: sed tamen cum clamorem eorum qui extra arcam suffocabantur audirent qui erant intus dicentes *væ nobis perimus*, quid existimas dicerent, qui clausi erant in arca, nisi *bonum est nos hic esse?* si extra arcam fuissemus simul cum illis perissemus, bonum est nos hîc esse, quamuis talis clausuræ incommoda patiamur. &c.

Magnum præterea beneficium sibi à Deo factum existimauit Loth cum Angeli cogebant illum ex Sodoma exire. Gen. 19. *Cogebant*, inquit, *eum Angeli dicentes, tolle vxorem tuam & duas filias quas habes, ne & tu pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante autem illo aprehenderunt manum eius, eo quod parceret Dominus illis, eduxeruntque eum & posuerunt extra ciuitatem*, &c. hoc inquam pro magno beneficio habitum est, in quo quasi viuis coloribus beneficium religiosorum depictum est. Mundus enim plenus iniquitatibus est, ardet in eo libidinis & aliorum peccatorum ignis, quo quam plurimi accenduntur; Deus autem, quos specialiùs amat, è medio incendij huius tollit, & sæpe dissimulantibus illis cum vocantur, Deus quasi manu apprehendit eos vehementia inspirationum, & eos in religionem ducit ne pereant sicut alij.

Caueant autem sibi qui nimis resistunt, ne illis eueniat quod sponsis filiarum Loth euenit, monente namque Deo Loth, ad generos suos loquutus est, dicens: *Surgite egredimini de loco isto quia delebit Dominus ciuitatem hanc; & visus est eis, quasi ludens loqui.* Noluerunt tandem monita salutaria Dei audire, quapropter ibi cum reliquis Sodomitis combusti periere. Denique qui iam Dei misericordia præuenti religionem ingressi sunt, perseuerent ne sicut vxor Loth, etiam ipsi pereant, ne retro, respiciant sicut illa, ne puniantur sicut illa. Denique *nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Luc. 9.

Propositio II.

Quàm grata Deo sint vota religiosorum.

GEnes. 4. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain verò & ad munera illius non respexit.* Cur ita? cum Deus non sit personarum acceptor? Omissis aliis rationibus, Iosephus lib. 1. antiquitatum c. 2. ideo censet hoc factum, quia Abel obtulit lac & primogenita pecorum quæ naturaliter procreantur, & sponte sine industria humana: Cain verò obtulit fruges terræ, quæ quasi vi aratri & ligonis, & seminationis, & humanæ culturæ proueniunt: *obligada la tierra con violencia de arado y açada sementera y siega de las mieses:* & vt significaret Deus spontanea sacrificia sibi grata & non violenta esse, ideo respexit ad munera Abel & non ad munera Cain. Verba Iosephi sunt: Abelis sacrificium Deo fuit acceptius, quod sponte natura genitis constaret, quàm ea quæ homo auarus & industrius per vim quandam extorserat à natura. ita ille. Doctrina quidem in se vera secundum id Psalm. 53. *voluntariè sacrificabo tibi*, &c. Iosephus.

Inter omnia sacrificia Veteris legis præcipuum & sublimius erat holocaustum, vel eo maximè quod in eo hostia quæ offerebatur in totum comburebatur, quod non in aliis fiebat sacrificiis: sic qui statum religionis assumit, quasi holocaustum Dei efficitur, quia se totum, totaliterque consecrat Deo. Quid enim habet homo nisi corpus animam & bona temporalia? at per votum castitatis offert Domino corpus, per obedientiam animam, per votum autem paupertatis temporalia bona, atque adeo se totum dedicat Deo. Quid igitur acceptabilius Deo?

Seneca lib. 1. de beneficiis c. 8. Socrati (inquit) cum multa multi pro sua quisque facultate offerrent, Æschines pauper Socratis auditor. *Nihil (ait) dignum te quod dare tibi possim inuenio, & hoc vno modo pauperem me esse sentio, itaque dono tibi vnum quod habeo me ipsum: hoc munus qualecunque est rogo boni consulas, & cogites alios cum multum tibi darent plus sibi reliquisse.* Videtur mihi Æschinem dixisse, nihil egisti fortuna, quod me pauperem esse voluisti; expediam nihilominus dignum hoc viro munus, & quia de tuo non possum, de meo dabo meipsum. ita Seneca. Ecce in quo excessit Æschines alios donatores, quod scilicet alii sua, hic verò se Socrati dedit, cui meritò respondit Socrates. *Quid ni tu magnum dederis munus nisi forte paruo te æstimes? habebo itaque curæ vt te tibi meliorem reddam quàm accepi*, sic respondet Socrates vti refert idem Seneca. Quod si Socrates pro magno habuit, se Æschinem ipsi tradidisse docendum, quanto magis holocaustum religiosi æstimabit Deus? sæculares quidem sua solent Deo offerre per eleemosynas & alia opera pia, at religiosi sua omnia séque Deo tradunt in obsequium eius, totius vitæ curriculo. Dabit igitur operam Christus, vt meliores nos reddat, quàm accepit, melius multum quàm Socrates fecit; ille enim docendo, Christus autem non solùm docendo, sed gratia sua nos viros sanctos efficiendo. Seneca.

Propositio III.

Quàm fortis & constans esse debet religiosus ad perferendos labores religionis.

Leuit. 1, 3. LEuit. 1. *Si holocaustum fuerit eius oblatiò, ac de armento, masculum immaculatum offeret.* Isichios super hunc locum. Holocaustum hoc armenti illud esse dicit, quod offerunt hi qui statum perfectionis profitentur, dicentes, quia Deus sacrificia nostra vult pro salute nostra, non ea ipse opus habens. Satis nos Paulus commonitfacit ad Rom 12. dicens; *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*; ergo placens sacrificium Deo corporum nostrorum mortificatio est, sed quia ipsa corpora quidam plenissimè, aliqui autem ex parte mortificant, secundùm conditionem conuersationis & vitæ, in qua degunt, cum hi quidem vt viri perfecti sapiunt, alij verò vt paruuli, ea, quæ omnimoda est renuntiatio sæculi, & voluptatum, plenissima abnegatio dicitur holocaustũ; totum enim se offert Deo nõ iam terrenus sed spiritualis effectus, & quodammodo cælestis. ita ille. Et hac eadem ratione oblatio armenti dicitur bouis scilicet vel tauri, non exigui agni, aut ouis; quia magnum hoc sacrificium est, videlicet, religiosorum, qui ad modum holocausti se totos offerunt Deo. De hoc igitur holocausto ait Dominus, quod sit *armentum masculum & immaculatum*; cur non fæminam & etiam simaculam nonnullam habeat? Isichius; Masculum esse munus & immaculatum vult; masculum quidem, vt nullatenus mãdatorum effæminetur, siue emollescat operator; immaculatum verò siue putum, vt nequaquam iustitiæ iniquitatem pertimescat, nec simulatione virtutem commaculet. ita ille. Qui merito simulatorem seu hypocritam hunc vocare debemus, qui sub habitu sancto iniquitatem abscondit & tegit; effæminatum verò illum, qui se vinci à difficultatibus virtutum & tentationibus dæmonum sinit.

Num. 20. Deficiente aqua filiis Israël in deserto conuenerunt ipsi contra Moysem, & Aaron, & dixeruot; *quare nos fecistis ascendere de Ægypto?* Ponderans S.Bern. locum istum S. Bernard. ser. 3. in fine super Psal. *qui habitat*; Legimus, inquit, de filiis Israël, quia corde redierunt in Ægyptum, nam corpore reuerti clausum post eorum aduentum mare rubrum prohibebat; hoc est quod vehementer singulis quibusque religiosis timendum est, ne quãdo forte eatenus Deum offendant, vt manifestè abiiciantur & euomantur ab eo, aut si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerat apostasiam cordis, vt videlicet in habitu religionis cor sæculare gerant, & quidquid sæcularis consolationis inuenire potuerint, amplectantur. ita S. Bernard. At dicet aliquis, ego iam professionem emisi, iam antiquus in religione sum, nõ ad me spectat huiusmodi animaduersio. S. Bernard. his qui recenter sæculo valedixerunt, talis admonitio deseruit. Etenim si de corporis apostasia solummodo loqueretur S. Bernard. locum habere posset hæc obiectio, non tamen de illa quam cordis appellat, quam cunctis vsque ad mortem fugiendam esse ait, dicens: Sed id tandiu timendum est, donec laqueus contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit, nam & ipsum corpus laqueus quidam est, vnde & oculus dicitur animam deprædari, minimè ergo decet esse hominem securum, qui laqueum suum portat: neque enim sumus nos Apostolo sanctiores, qui tamen verebatur ne forte cum aliis prædicasset ipse reprobus efficeretur. ita S. Bernard. apostasiam autem cordis vocat S. Bernard. teporem & desidiam illam cordis, quæ religiosum facit, sæcularia habere desideria & feruore spiritus deposito delitias in cibis, & vestitu, & lecto, & colla, & conuersationibus sæcularibus, & commoditatibus corporalibus indagare, & orationem, mortificationem, silentium & pænitentias corporales dimittere, & debitam regularum suarum obseruationem non habere & fortasse pænitere statum religionis accepisse, & cætera huiusmodi. S.Bern.

1. Cor. 7. *vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Hoc præcipue ad religiosos spectat, maximè quos à sua vocatione reuocare nititur dæmon; à quo non solùm liberare debet fælicitas vocationis suæ, sed etiam verecundia ipsa. Genes. 16. num. 12. Angelus qui inuenit Agar ancillam Sarai per deserta fugientem, dixit ei: *Agar ancilla Sarai vnde venis? aut quò vadis?* cui illa: *A facie Dominæ meæ Sarai ego fugio.* Cur non dixit *quò iret* sed *vnde veniret*? respondet Lypomanus: erubuit confiteri à domo sancti viri probatæque dominæ ad Ægyptios rursus redire idololatras. ita Lypom. Sic quidem hi quos è tenebris, è periculis mundi Dominus liberauit, & ad fælicem portum religionis traxit, iterum in Ægyptum redeuntes, non solùm erubescere, debẽt sed etiam valde timere damnationẽ suam, dicente Domino: *nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei*, vbi de hoc ipso agebat, memento hîc vxoris Loth, quæ quia respexit retro, conuersa est in statuam salis, &c. 1.Cor.7. Lypoman.

Propositio IV.

Religiosi vniti quàm fortes sint contra hostes animarum.

CAnt. 6. de Ecclesia Dei, *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cui ita S. Bernard. lib. de modo bene viuendi cap. 45. Sicut hostes timent quando acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident, ita dæmones expauescunt, quando spirituales viros virtutum armis accinctos in vnitate concordiæ viuere conspicit. ita ille. qui addit: Diabolus non ita timet nostra ieiunia, quia ipse nunquam dormit; timet tamen nostram concordiam, quia tenemus in terris quod ipse non habuit in cœlis. ita Sanctus Bernardus. Cant. 6. S.Bern. Simile.

1. Reg. 11. dicitur trecenta & triginta millia virorum quasi vir vnus Sub Rege Saule ad bellum contra Ammonitas processisse: quid igitur inde? quid? gloriosa quædam victoria, ex illa vnione militum consequuta fuit; à tali enim vnitate facile multitudo superatur, vt ibi glossa notauit. Sic qui aduersus dæmones & vitia pugnant, si vnanimes procedunt, facile superabunt, & eorum viribus resistent: facillime rumpuntur fila separata, vnita verò in funiculo non ita, nota est illa de sagittis in fasciculum vnitis historia. 1.Reg.11. Simile.

Propo

Propositio V.

Religiosi curis sæcularibus valedicere debent.

EXod.3. Sic Dominus ad Moysem: *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.* Qualis est quæso consequentia hæc? & quænam huius rationis via? eo quod locus sit sanctus, *solue calceamenta?* Cur non ait, *genua flecte & terram sanctam adora?* Hæc enim & huiusmodi alia venerationis & religionis indicia sunt, at solutioni calceamentorum, quid cum sanctitate terræ? Theodor. q.7. in Exod. referens (Theod.) sententiam aliorum ait: Dicunt nonnulli id præcepisse Moysi Dominum, vt solicitudines temporales & sæculares abiiceret, huic mortali vitæ adhærentes; nam pelles vnde conficiuntur calceamenta mortuæ sunt. ita ille. Secundùm horum sententiam ab his quos ad suum speciale obsequium vocat Deus (sicut tunc vocabat Moysem) id exigit, vt in cœlis sit eorum conuersatio, & de temporalibus habentes alimenta, & quibus regantur, his contenti sint.

2. ad Timoth.4. Sic ad discipulum suum Timoth. Apostolus: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Quod si quæras quonam pacto Christi miles laborare debeat, per negationem sic respondet, *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Dices sunt tamen nonnulla negotia sæcularia, quæ redolent pietatem. Esto, sed negare nō possumus, quin sæcularia sint, & paruitas cordis nostri non capit sæcularia & cœlestia, spiritualiaque negotia. Vnde (S. Ansel.) S. Anselm. hoc loco rationem reddens verborum Apostoli, ait: Quia nemo potest duobus Dominis seruire, Deo videlicet & sæculo. ita S. Anselm.

Exod.4. Eunte Moysi in Ægyptum, ad exequendam legationem Dei, *occurrit ei Angelus & Euaginato gladio volebat occidere illum.* Cur ergo eum Angelus occidere volebat, eom potius mercede (S. August.) quàm morte dignus videretur? S. August. ser.86. de tempore. Ex hoc loco (inquit) possumus intelligere, quàm displicuerit Deo quòd Moyses facinus mirabilia Dei vxoris impedimentum, secum in Ægyptum ducere voluisset. ita S. August. etenim pium videbatur familiam suam docere secum, sicut Abraham in peregrinatione sua: sed tamen, quia Moyses Deo militabat, in re tanti momenti qualis erat liberatio populi Israël à tyrannide Pharaonis, ideo illum morte dignum iudicabat Deus, quia tamquam purè sæcularis secum vxorem duceret, & familiam. atque ideo ne occideretur à Deo vxorem & familiam remisit in (S. August.) Madian, vti adnotauit & testatur S. August. in q. 12. in Exod. dicens: Ne ad impedimentum ministerij, quod diuinitus impositum Moyses gerebat, fœmina comitaretur. ita S. August. & constat ex c.8. Exodi, vbi vxor Moysi occurrit ipsi Moysi peragranti solitudinem illam, non ergo eum Moyse peregrinabatur.

Leuit.1. postquam filij Israël ex Ægypto exierunt, sacrificiorum ritum illis præscripsit Deus, & inter alia prohibuit offerri tibi panes fermentatos, & azymos iussit offerri; numquid non salubrior, & melior est pania fermentatus? Cur igitur ab oblationibus illum Deus exclusit? (Theod.) Theodor. q.1. in Leuit. quia (inquit) nihil habere conuenit, quod Ægyptiacam conuersationem sapiat. ita Theod. Etenim religiosum ex mundi conuersatione ad religiosam vitam transtulit Deus. Decet igitur religiosum, his quæ mundi sunt renuntiare.

(Matth.19.) Matth.19. Sic Dominus ad iuuenem saluari cupientem: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & sequere me.* Expendens locum istum S. Ambros. ser.12. hoc epi- (S. Ambros.) phonemate vsus est, vsque adeo nuda virtus apta est cœlo. ita ille. Nudam virtutem intelligit ab omnibus caducarum rerum impedimentis & curis absolutam, quam habere oportet eos qui perfectè Deo seruire, & saluari perfectè volunt.

Vnde Christus Dominus discipulis suis perfectionis viam aggressis sic Mat.10. *Nolite*, inquit, (Mat.10.) *possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, &c. Quem locum expendens S Chrysost. hom.33. in Matth. (S Chrys.) Christus, inquit, discipulos ad Angelicam (vt ita dicam) disciplinam ex humana vita traducit, ab omni curu rerum sæcularium liberos reddens. ita ille, ac si dicat: Ita Christus Apostolos suos instruxit, ac si non homines, sed Angelos instrueret; nimirum, quia Angelicam quandam vitam profitebantur. Animaduertant hoc religiosi, qui non solùm cælibem profitentur vitam angelos imitantes; verùm relictis per votum paupertatis diuitiis & possessionibus mundi, & per obedientiam propria volontate relicta eandem quærunt perfectionem. Vnde S Hieron. in c 3. Threnorum (S. Hieron.) in illa verba, *bonum est viro cum portauerit iugum*, &c. militum Christi perfectio est exutam mentem habere à cunctis terrenis negotiis & sæculi (Tim.2.) tumultu, iuxta illud Apostoli, *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, &c. ita ille.

(Leuit.2.) Leuit.2. *Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiat, nec quidquam fermenti ac mellis, adolebitur in sacrificio Domino.* S Thom.1.2.q.102. (S. Thom.) art 3. in argumento 14 in hunc locum sic argumentatur: Sacrificia corporalia exprimunt internum sacrificium cordis, in quo homo spiritum suum offert Deo: sed interiori sacrificio plus est de dulcedine, quàm repræsentet mel, quàm de mordacitate, quam repræsentat sal. Vnde dicitur Eccles 29. *Spiritus meus super mel dulcis.* Cur ergo prohibetur in sacrificiis mel reddens sacrificium dulce? & fermentatum, quod etiam facit panem sapidum, & exigitur sal quod est mordicatiuum, & thus quod est amarum? Respondet S. Thom. ibidem, quod mel non offerebatur in sacrificiis Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab iis qui Deo sacrificare intendunt; neque fermentum, ad excludendam corruptionem; sal verò exigebatur, quia impedit corruptionem putredinis, sacrificia autem Dei debent esse incorrupta, & quia in sale significabatur mortificatio carnis; thus autem offerebatur ad designandam deuotionem mentis, quæ offerentibus necessaria est, & etiam ad designandum odorem bonæ famæ; thus enim pingue & odoriferum est. ita S. Thom. Videant igitur, qui se offerunt Deo religiosi & religiosæ, quàm cauere debeant delitias & dulcedines vitæ huius, & omnem peccati corruptelam, expectantes æternam.

Sic Dominus per Moysem ad Leuitas num 8.1. (Num.8.) *Leuita radat omnes pilos carnis suæ.* Quid sibi vult ceremonia ista? Cur Læuitæ potius quàm reliqui radere debeant capillos suos? S Gregor. (S. Gregor.) 5. Mor. 24. Leuita, inquit, *assumptus* vocatur, quia assumitur à Deo ad obsequia diuina: vnde apertè

Leuitæ

Leuitæ religiosorum nostrorum figuram gerebant; hi enim sunt, qui a sæculi negotiis ad Dei cultum & obsequium ab ipso assumuntur. Pilos autem radere, quid aliud est quàm terrenas cogitationes abscindere? capilli enim superflua corporis sunt, & ideo anima nostra eos non informat. Vnde cum eos abscindimus, nullo abscin-
Idem. dimur dolore. Ait ergo Dominus, *Leuita radat omnes pilos carnis suæ*, hoc est qui assumitur à Deo ad eius obsequium, radat & expellat à se omnes superfluas curas mundi huius, vt verus sit religiosus. Ita interpretatur locum hunc S. Gregor. 5. Mor. 24. Oportet, inquit, Leuitas omnes pilos carnis radere, quia is qui in diuinis obsequiis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. ita ille.

Propositio VI.

Religiosus ad perfectionem aspirare debet.

Exod. 25. EXod. 25. *Tollant mihi primitias*, &c. In originali Hebræo sic, *tollant mihi eleuationem*. Vbi
Caiet. Caietan. quod offerebatur Deo, eleuatio appellabatur; tum ab actu eleuandi quia offerebatur eleuatis manibus; tum à dignitate, quia ea re profana eleuabatur in diuina: res enim oblata Deo in diuinum transfertur ordinem. ita Caiet. Religiosus autem eo ipso quòd vota religionis emittit, eleuatur in Deum; tunc enim fit oblatio, atque adeo semper ad diuina, ad cœlestia & perfecta aspirare debet, alioquin debitis non respondebit.

Leuit. 1. Leuit. 1. Iussit Deus animalia sibi offerenda in frusta diuidi, non tamen si sacrificium de auibus
Theod. esset. Cur discrimen istud constituit? Theodor. q. 1. in Leuit. Sicut Abraham volatilia non diuisit (Genes. 15. num. 10.) ita nec legislator ea diuidi iubet, nam qui volant Deum toto corde diligentes, non partiuntur animum, collocantes illum partim in terrenis, partim in cœlestibus: sed totum sursum ferunt. ita ille. Sic de se fatetur Apostolus & de consortibus suis, *conuersatio nostra in cælis est*, conuersatio scilicet tota.

Propositio VII.

Deus auxiliatur religiosis ad perferendos labores religionis.

TErrent nos labores virtutis & tepidis & maximè religiosis viris metum incutiunt rigores vitæ religiosæ, & ea propter multi à Deo ad religionem vocati, eam adire renuentes in sæculo manent, & alij qui religionis habitum susceperunt, resiliunt, & à religione illico recedunt: alij perseuerant quidem, sed remissè quæ perfectæ sunt religionis omittentes, tepide viuunt; alij in sæculo vitiis se tradunt, quia virtutem difficilem esse sibi mentiuntur. Hi omnes ideo errant, quia diuinæ prouidentiæ vim & consuetudinem ignorant. Deus autem qui nos iustos & sanctos esse desiderat, & posci, quæ nobis ad Christianam religionem exiguntur, amanter præstat, & difficilia facilia reddit, & possibilia, quæ impossibilia esse videbantur. Iussit Noe arcam illam construere ad diluuij periculum euadendum, fecit & introiuit in eam: at oportebat portam extrinsecus occludere & linere, non id præstare poterat, præstitit Deus, dicente scriptura: *Et inclusit eum Dominus de foris*, quod potuit quidem Noë, fecit, quod verò nequiuit, Deus suppleuit.

Præcepit Heliæ, pergere in montem Oreb Gen. 7.
viam quadraginta dierum; at pro itinere tanto, viatico indigebat, & nec pecuniam habebat ad victum emendum. At Dominus misit ad eum Angelum, qui dormientem Heliam excitauit, dicens: *Surge & comede, grandis enim tibi restat via.* Dedit autem ei, non carnem, non vinum, sed panem subcinericium & aquam: *comedit & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* ita quidem, non enim præcipit & deficit Deus, sed ad obseruationem præcepti auxilium necessarium præstat.

Voluit Deus act. 12. Petrum à vinculis per An- Actor. 12.
gelum liberari, iussit autem Angelus Petro induere se, & ipsum Angelum sequi, quod & fecit Petrus; venientes autem ambo ad portam quandam ferream quam Petrus aperire non valebat, vltro aperta est eis, & ita Herodis potestatem elusit, & euasit. Etenim induere se, & Angelum sequi poterat Petrus, aperire verò ianuam nõ poterat; fecit quod potuit, & quod nõ poterat, Dominus fecit.

Sic etiam cum Deus populum Israël per desertum ad terram promissionis duceret, plurima prouidentiæ suæ præbuit argumenta; nam vrgente Pharaone iuxta mare rubrum vt à potestate eius Israëlem tueretur, viam illi per medium maris aperuit, quam exercitui Pharaonis clausit, immo que submersit; deinde pane deficiente, manna de cœlo prouidit, & quia pariter carebat aqua, è silice eam eduxit, & aduersus hostes de cœlo pugnauit: & ne tanta prouidentia obliuioni traderetur, voluit Deus vt mansiones & euentus illius itineris conscriberentur, vti obseruauit
Theodor. dicens: vt posteriores cognoscerent Theod.
Dei prouidentiam, qui traducens Israëlem per arida loca, suppeditauit eis rerum necessariarum copiam. ita ille. Et eadem ratione vas plenum manna voluit in arca testamenti seruari. Disce in rebus diuini obsequij confidentiam in Deum habere; non enim iubet ac deficit, sed impossibilia, & difficilia nobis factibilia reddit.

Propositio VIII.

Quàm teneantur religiosi puritatem conscientiæ seruare.

LEuit. 11. à sacrificiis suis animalia immunda Leuit. 11.
Deus eliminabat, in tantum vt nec suem, nec gallinam sibi offerri permitteret, quamuis hæc appetibilia sint. Cur igitur sic ea detestabatur? S. Thomas. 1. 2 q 102. a. 3 ad 2. quia illa anima- S. Thom.
lia exigebat quæ adeo munda erant, vt etiam eorum alimentum mundum esset; quæ verò immundo alimento vescuntur, vt porcus & gallina, nolebat. ita S. Thom. Gallina quidem in pretio est, ita vt infimis tribuatur. Deus autem adeo mundus est, vt vel propter olam alicuius cibi immunditiam, auem pretio dignam à suo reiiceret sacrificio. Audiant hoc sacerdotes, audiant viri religiosi, qui se in holocaustum Domino obtulerunt, & caueant quamcumque vel paruam animæ immunditiam; si enim sacrificium animalium immundorum ita Deus abhorrebat, quanto magis detestabitur animorum immundorum holocaustum?

Propositio IX.

Quàm infestus sit diabolus religiosis.

1.Reg.18. R Eg. 18. *Inuasit spiritus Dei malus Saul, David autem psallebat manu sua, tenebatque Saul lanceam putans quod configere posset Dauid cum pariete, & declinauit David*, &c. Cur Saul sic occidere voluit eum tunc cum ab eo musicæ beneficiò frueretur, quo leniabat tormentum eius? pro quo non morte sed mercede Regia dignus
S Ambrof. erat? Respondet S. Ambrof. in octonario 2. Psalm. 118. Quis Regem Saulem excitauit contra Danidem nisi spiritus ille malus qui se dolebat à Saule excludi citharæ sono, quo mentem Regis animumque mulcebat? ita S. Ambrof. sic
Simile. enim dicitur 1. Reg. 16, *quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & recedebat ab eo spiritus malus.* Habemus adumbratam imaginem modi quo Diabolus se habet aduersus euangelij ministros: eos enim persequitur, qui animarum curam gerunt, & cithara diuini Verbi, & sani consilij à corde peccatorum eum eiiciunt.

Propositio X.

Religiosus à minimis culpis immunis esse debet.

SIc Dominus ad Ecclesiasticos Legis antiquæ,
Num. 8. Num. c. 8. *Leuita radant omnes pilos carnis suæ*, vt nullus scilicet maneat in capite capillus. Cur ita, cum capilli ornamentum capitis sint? Sanct.
S.Greg. Gregor. lib. 5. c. 23. Leuita *assumptus* vocatur, oportet Leuitas radere capillos carnis suæ, quia is qui in diuinis obsequiis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. ita ille. Pondera verba, *ante Dei oculos*: neque enim satis est, superpelliceum album nitidumque induere, & indumenta ad terram vsque inducere, hæc enim oculos hominum venantur, Deus autem interiora potius intuetur, & amat.
Simile. Etenim in Regiis Regum famuli polita cuncta amplectuntur, vt Regis oculis grati sint; religiosi autem & sacerdotes soli Deo placere contendunt, qui in spiritu vult adorari. Præterea obserua pilos seu capillos, superflus corporis esse; superflua proinde cordis signant, at hæc omnia eos radere petit à suis Deus, vt cuique illorum animæ dicere valeat, *tota pulchra es amica mea & macula non est in te*: nec nimis hoc nobis esse videatur, qui ad maxima in statu religioso & sacerdotali constituti sumus, magnificauit Dominus facere nobiscum, magnificemus & nos pro viribus & posse facere cum illo. Caue igitur tu, qui talem ac tantam sortem habuisti ne ex illis sis qui dicunt, *parum est hoc, parum refert; venialia facilè veniam assequun-*
Simile. *tur*, quia à paruis ad magna itur, *por no tener lo poco en mucho viene el loco a tener lo mucho en poco, vn pelilla de nonada en la punta de la pluma borra quanto se escribe.*

Propositio XI.

Religiosus propria voluntati valedicere debet.

MAtth 19. Sic Petrus ad Christum: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Hoc de se Matth. 19.
& aliis Apostolis dixit, qui iam religiosam vitam in domo Christi profitebantur. Pondera igitur verbum illud *omnia*, non enim ait; *reliquimus retia, naues, domos, & reliqua temporalia*, sed *omnia*. Quid
est *omnia*? S. Paschasius Abbas super c. 4. Matthæi. S.Paschas.
Ille rectè relinquit omnia, qui nec se sibi reseruat, sed & se ipsum pro Christi amore superimpendit. ita ille. Ille autem se sibi reseruat, qui voluntatem non renuntiat in manibus Christi, vt faciat Christus in ipso & de ipso quidquid placuerit ei. Sicut homo seruus alterius hominis est, quando omnino facit voluntatem domini sui: hic tam non suus est sed domini: sic qui prorsus voluntatem Dei exequitur, & non propriam, hic Dei seruus verus est, & verè reliquit omnia pro Christo.

Propositio XII.

Religiosus quàm humilis esse debeat.

LVc. 2. cum in Dei matrem eligeretur Beata Luc. 2.
Maria dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Exclamans hic S. Bern. hom. S.Bern.
4. *super missus est.* Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honori? insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat; non mediocris re vera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria humilitatem obliuisci; non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara humilitas honorata; si me miserum homuncionem meis decepta simulationibus ad aliquem honorem prouexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter peccata permittente, nonne statim oblitus qui fueram talem me sentio, qualis ab hominibus, qui cor non vident, existimatus sum? Credo sanè, conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus sed virtutes honori, eo sanctiorem quo superiorem me æstimo. Videas plerumque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos subitò intumescere, pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pecuniosos ad honores quosque Ecclesiasticos peruolare, moxq; sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione non mentium, & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo peruenere; quodque (si dicere audeo) numis adepti sunt attribuere meritis suis. Omitto autem de his quos excæcat ambitio, & honor ipse superbiendi eis materia est; sed video, quod me magis dolet, post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis magis humilisq; magistri grauiùs insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro, quàm in sæculo fuissent; quodque peruersum magis est, plerique in domo Dei non patiuntur habere contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, vt videlicet, quia vbi à pluribus honores appetuntur ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur

videantur vbi à reliquis honores contemnuntur. Quid de habitu ipso dicam in quo iam non calor sed color requiritur, magisque cultui vestium quàm virtutum insistitur? pudet dicere, vincuntur in studio suo mulierculæ; quando à religiosis pretium affectatur in vestibus non necessitas, & ornari, non amari appetunt milites Christi; nec aliunde hæc omnia mala contingunt, nisi quòd illam qua sæculum deseruimus deserentes humilitatem, dum per hoc cogimur incepta denuo sectari studia sæcularium, efficimur canes ad vomitum reuertentes. Audiamus itaque quotquot tales sumus, quid illa responderit, quæ Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliuiscebatur: *Ecce*, ait, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. ita S.Bernard.

Propositio XIII.

Martham & Mariam imitari debet religiosus.

GEnes. 32. Patriarcha Iacob in transitu fluminis Iordanis simul cũ omni familia vadum transiuit; adesse enim voluit familiæ, vt omnes à periculo fluminis liberaret. Sed traductis omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus, *& ecce*, inquit scriptura, *vir luctabatur cum eo vsque mane*, &c. vbi sic Caietanus: In transitu fluminis quodammodo manu duxit suos, & superintendit vt sua cuncta transirent, postea verò remansit solus, quia rationabile erat vt se & suos Deo commendaret. ita ille. Ita & religiosi & ånimarum ministri facere debent in periculis, & necessitatibus proximorum, sint illis præsto, & postea ad orationem cum Deo accurrant. Martha enim & Maria sorores sunt.

Caiet.

Propositio XIV.

Quòd religiosus obedientiam perfectam adhibere teneatur.

NOn quidem obstat voluntariè religiosum obedientiam promisisse; nam Deo promissa ad perfectam obligant executionem. Exod. 21. lusit Dominus perforati aurem subula illius serui, qui liberè se domini sui seruituti subdit, & hoc fieri ad ostium domus. Cur ita? Theodor. q. 45. sic respondet: Signum illud auditus organo appositum indicat, seruum obedientiam præstare debere: quod autem applicabatur ad ostium, significat, nec foras ingredi licere illi iniussu Domini. ita Theodor. Ecce quomodo non obstante libera sui traditione, seruus iste tenebatur perforatam apertam, & non clausam habere aurem ad Domini sui iussa.

Exod. 21.
S. Theod.

Propositio XV.

Quanta pace fruantur religiosi.

REfert Plutarchus in Apophthegmatibus Laconicis interrogasse quendam Leonem virum sapientem, in qua ciuitate posset tutiùs agere vitam; & respondisse Leonem, in ea in qua hi qui incolunt, neque plus, possident, neque minus, & vbi iustitia viget. ita ille. Nimirum, quia vbi talis inæqualitas reperitur, inuidiæ occasio datur minus habentibus, plus autem habentibus superbiæ & insolentiæ; & vbi iustitia deest, ibi confusio: sed vbinam ciuitas huiusmodi? Etenim in religionibus, quæ in viridi obseruantia perseuerant, hanc fælicitatem facile repericus: ibi enim propter vnum paupertatis, nihil alter altero plus habet, atque adeò inuidia illa cessat & insolentiæ occasio; iustitia quoque in religione viget, omnia enim pro ratione necessitatis religiosis administrantur. vnde nulla discordiæ ratio veris religiosis inest.

Plutarch.

Propositio XVI.

Religiosus conuiuia vitare debet.

SAnctus Hieronymus ad Nepot. epist. 2. facilè contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat; numquam petentes raro accipiamus rogati: nescio enim quomodo ipse etiam qui deprecatur vt tribuat: cum acceperis, viliorem te iudicat; & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. ita ille. Et subdit aliud consilium: Prædicator continentiæ nuptias non conciliet, qui Apostolum legit dicentem, *Qui habent vxores tanquam non habentes sint*; cur Virginem cogit vt nubat? ita S.Hieron. quod si hæc clericis iniungit, quid diceret religiosis?

S. Hieron.

Recidiuatio.

1. *Magna in Deum ingratitudo est reincidere in peccatum.*
2. *Quod non satis est pænitentiam inchoare, sed opus sit perseuerare.*
3. *Quàm frequens sit recidiuatio.*

Propositio I.

Magna in Deum ingratitudo est reincidere in peccatum.

PSalm. 6. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Hoc est, quia à Domino misericordiam consequutus sum, & veniam impetraui peccatorum meorum, ideo volo vt omnes qui operamini iniquitatem à me recedatis, ne consortio vestro iterum in peccatum cadam. Sic interpretatur locum hunc S.Basil. & S.Hieron. sed vim & fortitudinem huius consequentiæ videamus: Vnde enim locus, quia peccatorum veniam consequutus sum, nolo consortiũ vestrũ ò peccatores, quia periculosũ est, quasi consortiũ malorũ nõ semper fugiendum fuisset ante peccatum & post peccatum, & post peccati remissionem. S. Hieron. sic locum expungit, postquam misericordiam consequutus est David, cæteros exortatur vt à se abeant: non enim habere vult consortium iniquorum. Apostolus enim ait, *quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? Discedite* igitur, ait, à me, vt amplius non communicem operibus vestris iniquis. ita S. Hieronymus, Sensus

Psal. 6.
S.Basil.
S. Hieron.

Sensus igitur secundum sanctum Hieronym. est; si antequam a Deo pro peccatis suis misericordiam consequeretur cum peccatoribus consortium habebat, non verò posteà, quia hoc est veluti connaturale gratiæ diuinæ receptæ, vt fugiat ea, quæ illi contraria sunt, sicut lux tenebras fugat; bene, sed hic sensus legitimus esse videtur, vt accepisse veniam & gratiam amissam causa sit fugiendi peccata, & occasiones peccatorum, quarum vna est consortium malorum, & hoc quia Dominus exaudiuit vocem fletus pænitentis; & ratio postulat ne iterum Deum offendat, qui veniam peccatorum est assequutus ab eo, id enim ingratitudo in Deum magna est, ideoque dicit Dauid, *quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, & recepit pænitentiam meam, ideo peccatis meis non solùm vale dico, sed etiam occasionibus peccatorum; & quia societas peccantium inter occasiones illas magnum habet locum, ideo discedant à me omnes operantes iniquitatem, ne eorum verbis vel exemplis iterum peccem aduersus eum, à quo misericorditer obtinui veniam.

Propositio II.

Quòd non satis sit pænitentiam inchoare, sed opus sit perseuerare.

Genes. 1. Simile. S. Ambros. Procop.

GEnes. 21. *Ablactatus est Isaac, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Cur non in die natiuitatis eius quæ festiua solet esse, sicut constat de natiuitate Herodis Regis & aliorum? S. Ambros. sic respondet: Non quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham, sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non adhuc, vt Corinthij, lacte potandus, sed epulis fortidioribus mandatorum cœlestium mentis suæ lacertos firmans. ita S. Ambros. Mysticus est hic sensus, sed notandus pro his qui per pænitentiam Christo renascuntur; hi enim non in ipsa tantùm regeneratione celebrandi sunt, sed multò magis postquam perseuerantes iam penitus ab vberibus mundi ablactati sunt, & in bono perseuerant. Subscribit Procop. & ait: Magnum conuiuium & iucundum spectaculum est Deo; videre in Christo regeneratum relinquere infantilia alimenta, & ad perfectionem contendere. ita ille, & ita August. q. 30. in Genes.

Propositio III.

Quàm frequens sit recidiuatio.

Seneca. Simile.

SEneca lib. 1. de beneficiis cap. 1. Adeo aduersus experimenta pertinaces sumus, vt bella victi & naufragi maria repetamus. ita ille. Explica vtrumque exemplo militis, & naufragi, idem de peccatoribus dicendum, qui cum malum culpæ & pœnas eius experti sint, sæpius in eadem reincidunt peccata.

):(

Redemptio.

Propositio vnica.

Quàm excellens sit redemptionis beneficium.

Ps. 18 1. Psal. 8 4.

GRande quidem opus cœlorum, *cæli enim enarrant gloriam Dei*. Sed tamen in scriptura sacra vocatur *opus digitorum Dei* Psal. 8. *videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Cur non ait, *manuum*, sed *digitorum*? quia sicut ceræ figuræ facilè digitis fiunt, *con los dedos de cera se hazen dijes y cosas menudas*; sic quamuis cœlorum opus magni momenti respectu hominum sit, in ordine tamen ad Deum parui momenti est. Sic exponit locum hunc S. Basil. in scholijs in Psal. 8. dicens, non dixit *opera manuum tuarum*, sed *opera digitorum tuorum*, vt quæ videntur minimæ operarsonis esse ostendat. ita S. Basil. Veruntamen opificium hominis non digitorum, sed manuum dicitur esse Iob 10. *manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, &c. Ita quidem. nam illustrius opus est hominis creatio quàm cœlorum. Sed ad rem, opus incarnationis & redemptionis, non opus solum digitorum, aut manuum esse dicitur, sed brachij Dei, Luc. 1. sic Beata Maria in suo cantico, *fecit potentiam in brachio suo*, opus scilicet incarnationis, vti exponunt S. August. in expositione huius cantici, & S. Cyrill. apud S. Thomam in catena. Dicitur ergo opus redemptionis per Christum, opus brachij Dei, quia in eo maximè omnipotentiam suam manifestauit.

S. Basil. Iob. 10 8. S. Cyrill.

Gen. 8 20. Rupert.

Genes. 8. *ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Vbi Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 27. Altare quod ædificauit Noë & holocausta quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, beneficiorum memoriam recolentes, vt dignum erat. ita Rupert. ob id nempe quod à diluuio liberauerat Deus ipsum Noë, & familiam eius, & in arca aluerat eos. Quod si propter salutem corporalem ita gratus fuit Noë, & acceptum à Deo sacrificium illud gratitudinis, quantò magis nos grati Deo esse debemus, quos à diluuio peccatorum nostrorum & morte æterna Christus Dominus liberauit? & quanto ipsi gratior erit gratiarum actio propter excellentius beneficium redemptionis?

Restitutio.

Propositio vnica.

Contra eos qui debita non restituunt.

FIeri quidem potest vt qui debet, pro tempore aliquo non valeat restituere, sed tamē curare debet vt cū primum possit restituat. Gen. 13. Descenderat Abraham à terra Palæstinæ in Ægyptum tēpore famis & subdit scriptura, *reuersus est Abrahā per iter quo venerat*, &c. Quid opus erat dicere quod per idem iter potius quàm per aliud fuit reuersus? parū quidē hoc interesse videbatur; at scriptura, nihil, nec minimū,

inquam, verbum vel accentum sine causa apponit. Lyra. Lyranus igitur causam assignat, dicens: Quando Abraham in Ægyptum abiit, non habebat pecuniam pro sufficientibus expensis, & contraxerat in hospitiis nonnulla debita: sed in reditu erat diues valde, & ideo per eadem hospitia rediit ad soluendum debita illa. ita ille. tales sunt quidem iusti, iniustum enim est valde non reddere & restituere quod debes cum possis.

Remissio peccatorum.

1. *Passio Christi Domini spem remissionis peccatorum & saluationis nobis præstat.*
2. *Quàm ingens beneficium Dei sit,*
3. *Quàm procliuis sit natura diuina ad remittenda peccata pænitentis.*

Propositio I.

Passio Christi Domini spem remissionis peccatorum & saluationis nobis præstat.

Mat. 20. *Calicem quidem meum bibetis*, &c. Matth. 20. magnum eximiumque beneficium Christi in nos continent verba hæc. Pro quorum intelligentia supponamus calicem in di-
Psal. 15. 5. uinis litteris hereditatem significare, vt in Psal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi*: vel vt habet originale Hebræum, *tu sortem, seu hereditatem meã fundas.* Sic loquitur ibi Christus ad Patrem vti S. Hier. exponit; & hinc est quod Christus in ipso
Ma. 27. 34 feruore passionis in cruce constitutus Matth. 27.
Luc. 22. 17 calicem fellis & aceti non omnino hausit, sed gustauit, partem scilicet assumpsit: sed reliquum nobis reseruauit, & in vltima cœna *accepto calice gratias egit, deditque discipulis, dicens, accipite*, &c. Prius ipse bibit, quia prior est in æterna hereditate, sed dedit & nobis ex eodem calice, quia *heredes sumus Dei, cohæredes autem Christi*, vti ait Apostolus. Vnde addidit Dominus: *Ego dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater*, id est, ego vobis tribuo per hunc calicem ius ad regnum cœlorum, sicut tribuit mihi Pater. Nunc ad verba Christi ad Iacobum & Ioannem dicta redeamus, *calicem quidem meum bibetis*; tum per imitationem passionis; tum etiam per communicationem meæ passionis, quam velut hereditatem pretiosam vobis trado, per quam regnum cœlorum in æternam heredi-
S. Ambr. tatem acquiretis. excogitauit S. Ambros. lib. 5. de fide cap. 3. expositionem istam, dicens: *Calicem quidem meum bibetis*, id est passionem, quæ carnis meæ est, non negabo, ecce donaui vobis victoriam passionis, hereditatem crucis. ita S. Ambros. Hinc igitur oritur in nobis magna spei ratio, tum acquirendi regnum cœlorum, tum obtinendi à Patre veniam peccatorum: si te solicitudo saluationis cruciat, dic Domino, *Saluum me fac propter misericordiam tuam & propter passionem filij tui Domini nostri Iesu Christi*; quod si peccata præterita te ad nimium timorem vocant, dic, *Domine peccaui nimis in vita mea, sed in satisfactionem præcipuam peccatorum meorum offero tibi passionem Domini mei, cuius ipse me fecit heredem* &c. Quid times anima mea tanto pignore munita? quid negare poterit tam bonus Pater passioni tam boni filij? &c.

Propositio II.

Quàm ingens beneficium Dei sit.

MAtt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos*, &c. Matth. 11. Primò hic dubitatur, quos hic ait Dominus laborantes, & oneratos esse. respondet S. Bernard. ser. 14. super Psal. 90. & ait: S. Bern. Psal. 90. Graue onus iniquitas, sub qua sarcina gemebat, qui dicebat, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me.* ita ille. peccatores ergo vocat Christus ad pænitentiam, eis promittit refectionem, & requiem. Sed si ita est, quomodo subdit, *tollite iugum meum super vos?* hoc quidem non videtur exonerare, sed onerare. Respondet S. Bern. ibidem: Onus hoc Christi onus beneficiorum est; si adhuc quis portat peccata, onus est graue; sed si iam oneratus est à peccatis, minus quidem graue onus habet; sed si sanum sapiat, non minus grande onus inueniet hanc ipsam exonerationem peccati; onerat nos cum exonerat Deus, onerat nos beneficio cum exonerat peccato; vox enim onerati est: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* [*y asi quando el peccador se confiesa, y oye, Ego te absoluo, alli hauia de leuantar vn padron, y escriuir enel con letras de oro, aqui me perdono Dios mis peccados.*] Vnde meritò omnes cum in symbolo Missæ audimus, *& homo factus est*, genuflectimus omnes; nimirum, quia *homo factus est*, vt saluos nos faceret à peccatis nostris; adeo enim ingens beneficium est, vt quasi sub onere tanti beneficij stare non valentes, in terram cadentes gratias agamus Domino Saluatori nostro.

Cur legem suam voluit Dominus Euange- Marc. 16. lium dici? *prædicate*, inquit, *euangelium omni creaturæ.* Euangelium autem idem est, quod *nuntium bonum.* Cur ergo legem suam bonum nuntium appellauit? multa quidem sunt in ea ob quæ merito sic appellari voluit; speciatim autem sic respondet Beda in 1. c. Marci: Quod Beda. melius est nuntium agere, appropinquabit enim regnum cœlorum. ita ille. Tanta enim res est pænitentia, támque eximium bonum remissio peccatorum, vt propterea tota lex gratiæ euangelium iure nominetur. Quid enim de nobis peccatoribus actum esset, si locus pænitentiæ, & remissio peccatorum nobis deessent? Quid au- Simile. tem iucundius nuntiari potest captiuis apud Turcas quam aduenisse eis aliquem redemptorem? quanto magis nobis aduenisse Iesum?

Propositio III.

Quàm procliuis sit natura diuina ad remittenda peccata pænitentis.

IOan. 6. *omne quod dat mihi Pater, ad me ve-* Ioan. 6. *niet, & eum qui venit ad me, non eiciam foras, quia descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam* (humanam videlicet) *sed eius qui misit me*, id est diuinam. Ponderat S. August. S. August. verba

verba hæc tract. 25. in Ioannem dicens: Ideo ergo eum qui venit ad te Domine non eiicis foras, quia descendisti de cœlo, non vt faceres voluntatem tuam, sed voluntatem eius qui te misit, magnum sacramentum ! ita S. August. Magnum ergo sacramentum hoc explicemus, numquid voluntas humana Christi diuinæ opposita erat? absit. Cur igitur ait, *descendi non vt faciam voluntatem meam*, &c. Ecce sacramentum, agebat Christus Dominus de remissione peccatorum, hoc enim significat *omne quod venit ad me, non eiiciam foras*, hoc est omnem peccatorem ad me confugientem recipiam & dimittam peccata, non vt in hac peccatorum remissione, meam tantùm exerceam voluntatem humanam, altius enim principium habet peccatorum remissio; dimittam vt adimpleam voluntatem diuinam patris mei; loquitur enim Christus quatenus homo, & ostendere voluit Dei voluntatem procliuem esse ad misericordiam & remissionem peccatorum in tantum, vt ad hóc maximè fuerit à Patre missus ad nos. Sit ille in sæcula benedictus.

Inde etiam constat, quàm accepta sit Deo pænitentia, quia per eam peccator venit ad Christum.

Sic sponsa Christi ad ipsum: *Oleum effusum nomen tuum.* S. Bernardus & Christopolitanus, & Philo Episcopus hoc loco, & Ricardus heremita lib. de Elogio nominis Iesu, de ipso nomine IESV locum hunc interpretantur formaliter quatenus Saluator est. Oleum autem dicitur, quia oleum symbolum misericordiæ est notissimum. Vocatur igitur oleum nomen IESVS, hoc est Christus quatenus Saluator, quia parcere peccatori summum misericordiæ Dei opus est. Vnde & Dauid Psal. 50. cum à Deo veniam peccatorum exigeret: *Miserere mei* (inquit) *Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Cur *secundum magnam* dixit? numquid in Deo nonnulla misericordia reperitur, quæ *magna* non sit? ad cuius differentiam remissionem peccatorum *misericordiam* Dei dicat *magnam*? Manifestum quidem est in Deo vnicam esse & magnam, imò infinitam misericordiam; sed quia misericordia ordinem & relationem quandam ad miseriam dicit, est enim misericordia actualis miseriæ remedium; ideo in Deo multitudinem misericordiarum imaginamur, secundùm quod in nobis plures miseriarum species seu genera sunt; & cum inter omnes miserias, primum locum obtineat peccatum, est enim miseriarum maxima, ideo remissionem peccatorum suorum petens Dauid, ait, *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Quod autem inter omnes miserias peccatum maxima sit miseria, adeo verum est, vt si omnes mundi miserias simul coniunxeris, vnicum mortale peccatum maximam esse miseriam dicendum sit. Imò si Deus ex pœnis inferni aliquem extraheret, & peccata eius remitteret, maior in eo misericordia esset à peccatis liberari, quàm à gehenna. Rectè igitur nomen IESVS oleum nuncupatur, quia saluare à peccatis maximum opus est misericordiæ. Quod si quæsieris quàm magnificè ac liberaliter Deus peccata remittat, addit dictionem illam *effusum*, quasi dicat, effusè & diffusè vtitur Deus huiusmodi misericordia, & non restrictè, non auarè, sed magna cum liberalitate; quod enim effundimus, liberaliter mittimus. Sic remittit ergo Deus peccata effusiuè. Cui enim verè pænitenti de-

S. Bern. Christopolitanus. Philo Episcopus.

Psal. 50.

negat Deus remissionem hanc peccatorum, quantumuis peccator ille sit, nullo excepto, qui pænitens ad eum venire velit?

Quàm autem maxima misericordia hæc nobis esse debeat, & quàm propterea à nobis diligi Deus debeat, subdit ibidem sponsa dicens: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quod sic legit Philo Episcopus: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te & traxerunt te post te.* Obscura lectio, sed præclara. Quid igitur est *traxerunt te post te*? Si dixisset *traxerunt te post se*, manifestum dictum fuisset; quo autem pacto trahi potuit Deus post seipsum? & quænam sunt adolescentulæ istæ? Philo ibidem per adolescentulas animas peccatorum pænitentium intelligit, quæ cum conuertuntur, incipiunt diligere de nouo Deum. Vt autem intelligatur quo pacto cum conuertuntur, trahunt Deum post ipsum met Deum, supponamus quòd peccator peccans auertere facit faciem Dei à se, ideo Dauid Psal. 26. Domino dicebat: *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo*, hoc est vt explicat Cardinal. Bellarminus, ne sinas me in peccatum labi ne iratus à me recedas. Tergà igitur dicitur Deus ab homine vertere, cum homo mortaliter peccat; cum verò pænitentiam agit, faciem Dei ad se conuertit per misericordiam remissionis & veniæ. Ait igitur sponsa Saluatori *oleum effusum nomen tuum*, Saluatoris scilicet, quia misericorditer & liberaliter parcit peccatoribus; & *ideo adolescentulæ* seu animæ pænitentes, *dilexerunt te & traxerunt te post te*, quia tu auersus eras & per pœnitentiam conuertis faciem in eam partem ad quam conuerteras terga, secundum id quod Deus ipse promisit dicens: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, &c. In exemplum huius adducit prædictus Philo Episcopus illud Mat. 15. vbi Chananæa post Christum clamabat. Ait ergo Philo, adolescentula in fide Chananæa IESVM à tergo traxit, ita vt illius misereretur omnino. ita ille. Sed quidem melius in Magdalena hoc verificari potest Luc. 7. vbi à tergo Domini constituta lachrymis cœpit rigare pedes eius per veram pænitentiam, *& conuersus Dominus*, ait Euangelista, *ad illam dixit Simoni; Vides hanc mulierem*, &c. Et tandem ad illam: *remittuntur tibi peccata*, quæ ideo dilexit postea Christum Dominum ob tam ineffabile beneficium.

Cant. 1.

Psal. 26. 9.

Bellarm.

Philo Episcopus.

Rex.

1. *Quàm clementer erga subditos se gerere debeat.*
2. *Non debet facilè dictis fidem dare.*

Propositio I.

Quàm clementer erga subditos se gerere debeat.



Poc. 19. vidit Ioan. virum quendam super equum album, qui habebat in capite diademata multa. Etenim Rex est absque dubio iste; siquidè coronatus incedit: quid vltra? & de ore eius procedit gladius acutus? quid hoc, in ore gladium

Apoc. 19.

gerebat?

gerebat i gladius in manu vel in cingulo gestari solet, non in ore. Sed tamen si rectè perpenderis, in hoc etiam se Regem esse demonstrat: nam lingua Regis gladius est ex vtraque parte acutus. Sicut enim miles gladio ferire solet & occidere, sic etiam Rex lingua sua facile subditos occidere valet; neque enim semel id euenit, quòd Rex verbis acerbis audientem ita vulneret vt perimat; rectè enim de Rege dici solet id quod prou. 8. habetur, *mors & vita in manibus linguæ.* videat igitur clementia Regis, quid aut quomodo cum subditis agat; nam Regem loqui acerbè, idem est ac ense ferire. Meriro igitur Apocalypsis Rex gladium in ore habebat.

Simile.

Propositio II.

Non debet Rex facilè dictis fidem dare.

Brusson. REfert Brussonius lib. 5. cap. 15. dicens: Apulonius rogatus à Rege Babylonio, qua ratione regnum quiete frui posset, respondit: Si credideris paucis. ita ille.

Sacerdos.

1. *Sacerdotes non solùm proximis sed sibi prospicere debent.*
2. *Quàm eximium beneficium sacerdotum sit toties communicare, sacrum facere & sanguinem Christi seorsum accipere.*
3. *Sancti debent esse sacerdotes, quia intercedunt inter Deum & homines.*
4. *Quòd tanto sit grauior sacerdotis culpa, quanto dignitas est maior.*
5. *Quàm grauiter Deus puniat peccata sacerdotum.*
6. *Sacerdos fortis & constans debet esse in munere sacerdotali.*
7. *Sacerdotes à negotiis sæcularibus abstinere debent.*
8. *Quàm debeant amare castitatem.*
9. *Quanta puritas conscientiæ requiratur ad offerendum altaris sacrificium.*
10. *Quanto cum decore sacerdotes in sacris officiis & maximè in Missæ sacrificio ministrare debeant.*
11. *Sacerdos debet pro vniuerso populo orare.*
12. *Quòd sacerdotes exemplaria sæcularibus esse debeant.*
13. *Quàm obediens Deo esse debeat sacerdos.*
14. *Curam magnam boni nominis habere debet sacerdos.*
15. *Quanta sit dignitas sacerdotalis.*
16. *Sacerdotes amorem in Deum collocantes rerum mundi amore carere debent.*
17. *Sacerdotes delitias mundi vitare debent.*
18. *Quòd sacerdos magister animarum sæcularium esse debeat.*
19. *Quòd sacerdotes mundi opes quærere non debent.*

20. *Quanto auxilio Dei egeant ad animarum profectum sacerdotes.*
21. *Grauitatem in omnibus seruet sacerdos.*
22. *Debet sacerdos ea facere quæ docet.*
23. *Sacerdotes ad Dei patrimonium pertinent.*

Propositio I.

Sacerdotes non solum proximis, sed sibi prospicere debent.



Vi sui obliti aliis prosunt, similes sunt fabris qui ministrauerunt Noë in constructione arcæ, & ipsi tempore diluuij extra arcam manserunt, & perierunt; non enim saluari in arca illa intendebant, quando eam faciebant, sed mercedem operis sui quærebant. Sic mali Ecclesiæ ministri honorem vel quæstum, vel vtrumque in officio suo intendunt, non verò salutem animæ suæ. Simile. Gen. 6.

Similes etiam sunt sacerdotibus illis qui Magos docuerunt quo in loco erat Christus Dominus nasciturus, & ipsi non sunt illuc profecti sicut Magi. Sic mali sacerdotes aliis viam cœli demonstrant, & ipsi properant ad infernum. Denique Apost. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Cur ita? Anselm. quia in sonitu cymbali delectantur audientes, siue aliquam vtilitatem percipiunt, sibi verò nihil hoc prodest, sed potius in suo detrimento aliorum commodum operantur. Sic & prædicator, qui charitatem non habet, in eo quod loquitur, alios delectat, nesciens, & ipse detrimentum inde percipit vnde audientibus proficit. ita ille. Vel aliter, sicut cymbalum sonat, alios ad Ecclesiam vocat, & adducit, ipso extra Ecclesiam manente; sic multi Ecclesiæ ministri, docendo, monendo, absoluendo, & sacramenta ministrando, in cœlum alios ducunt & saluant, ipsis extra cœlum manentibus & pereuntibus. Simile. Matt. 2. 1. Cor. 13. Simile. S. Ansel.

Inter omnes tribus Leuitica non seorsum ab aliis tribus segregata, sed cum cæteris permixta habitabat, non à casu, sed ordinante sic Deo. Cur ita? Lyranus, ideo, ait, quia Leuitæ tenebantur docere populum de his quæ ad cultum Dei pertinebant, facilius autem populum docerent per omnes tribus dispersi, quàm in vnam congregati. ita ille.

Apoc. 4. vidit Ioannes *in medio sedis & in circuitu sedis quatuor* illa nobilissima *animalia*, quæ quidem visio primo aspectu oppositionem includere & inuoluere videtur; quomodo enim, *in medio & in circuitu* esse poterant? Ecce mysterium. Quatuor animalia hæc ministros & Doctores Ecclesiæ Christi repræsentabant, qui quidem cum saluti animarum attendere debeant, in circuitu populi & in medio pariter esse debent; in circuitu quidem, vt sicut diabolus circuit terram quærens quem deuoret, sic etiam Dei minister circumeat terram, quærens ne quem deuoret hostis, sed quem saluet Christus, sicut in medio corporis cor, quod inde spiritus vitales in omnia membra ministrat. Explicatio hæc sancti Ambrosij est dicentis: In circuitu sedis quatuor animalia stant, quia Doctores populum sibi commissum & à visibilibus & ab inuisibilibus hostibus, Apoc. 4. 6. S. Ambr.

hostibus, quanta virtute possunt defendunt; in medio sedis etiam consistunt, quia vnumquemque populi vt in virtutibus & in omnibus operibus bonis proficiant, admonere non desinunt. ita S. Ambros. Ex quo patet, ministros Ecclesiasticos Dei similitudinem gerere. Sicut enim Deus velut centrum & sphæra orbis est, interiùs & exteriùs, & denique vbique vitam & esse rebus omnibus tribuens; sic etiam minister eius esse debet patrocinium & vitam omnibus administrans.

Num. 12. 10. Murmurauerant Aaron & Maria soror eius aduersùs Moysem. Punire volens Dominus culpam hanc, percussit lepra Mariam, non Aaronem. Cur non? cum etiam Aaron murmurauerit; si pares in culpa fuerunt, cur non in pœna? Theod. Theodoret. quæst. 13. in Num. Abulensis ibidem quæst. 64. Oleaster. & Oleaster in expositione litterali duplicem rationem reddunt. Prima est, quia Maria Maiorem incurrit culpam, quod Abulensis. Abulensis colligit ex modo loquendi scripturæ, quæ ait: *loquuta est Maria & Aaron contra Moysem.* Vbi priùs nominatur soror tanquam in culpa prior & potior. & ita (inquit Abulensis) locutio præcipuè ad Mariam spectat, ad Aaronem verò tamquam ad fauentem. ita ille. Secunda ratio & ad rem, quia Aaron sacerdos erat, atque adeo populo cui assisteret pernecessarius; leprosus autem secundùm diuinam legem Leuit. 3. à consortio erat hominum separandus; ne igitur populo deesset, à pœna lepræ immunis remansit. Videat pastor, quàm à Deo admonitus sit ouibus suis præsto esse.

Isa. 3. Simile. Isaias cap. 3. renuentem recipere principatum sic loquentem introducit, *non sum medicus, nolite constituere me principem populi.* non ait, non sum diues, non sum sapiens, non sum fortis & potens, sed *non sum medicus.* Quid refert esse vel non esse medicum ad principatum obeundum? S. Bern. vel non obeundum? S. Bernard. serm. 25. in cant. sic expendit locum istum: Sciunt boni fideles præpositi languentium sibi creditam curam animarum non pompam, medicos se & non dominos agnoscentes, parant confestim aduersus phrenesim animæ non vindictam, sed medicinam. ita ille. Ecce quid sit superior medicus assistens semper subditis suis.

Ita quidem qui aliis præest, illorum vtilitati vacare debet vt vel præsens eos manu ducat, vel Ge. 32. 22. absens pro eis oret & curam gerat. Genes. 32. Iacob cum Iordanem transiret, ingenti suorum caterua sociatus flumen traiecit; nimirum, quia in transitu periculum suorum imminere videbat, post transitum verò vndarum solus remansit cum Angelo colluctaturus, & Deum oraturus pro suis. Caiet. Ita locum expendit Caietan. dicens: In transitu fluminis quodammodo manuduxit suos, & superintendit, vt omnia sua transirent; postea verò remansit solus, quia rationabile erat, vt se ac suos Deo commendaret. ita ille. Sic etiam hi, quibus aliorum cura demandata est, dum eorum postulat salus, eis adesse debent, & postea sibi Deoque pro se suisque vacare.

Hinc est, quod cum suorum salus seu saluatio in periculo versatur, vt eos à tali eximat periculo, se in periculum etiam mortis exponere debet superior seu Dei minister, cuius rei typum in eodem Patriarcha Iacob expressum habemus. Cum enim iuuenis esset, vt iram fratris, & periculum mortis euitaret, in aliam regionem fugit; Pater verò familiâs iam effectus, cum familia sua Dei nutu in patriam rediens, vbi frater, idem, qui minatus ei mortem fuerat, tunc erat, timuit quidem illum, sed non fugit, & vt ait scriptura Genes. 33. *ipse progrediens adorauit septies pronus in terram.* Gen. 33. 3. Quid hoc? iuuenis periculum fugiens declinauit & iam senior cum pugnandi animus deesse solet, periculo se opponit? Ita, quia iuuenis sibi solùm prouidebat, senior verò suis consulebat. Vide S. Chrysostom. hom. 33. in epistola ad Corin. qui ait: S. Chrys. vt timidus ille charitate suscitante leone quouis animosior euadat; velut propugnaculum enim quoddam seipsum ante cæteros locans, paratus erat ferum illum, & minas sicut suspicabatur spirantem excipere primus, & suo ipsius corpore parare vxoribus salutem, & quem domi timebat, intueri primus in acie studet. ita ille. Sic cui aliorum salus incumbit animarum, minùs præcauere debet periculum mortis suæ quàm perditionis animarum suorum.

Idem in sancto Moyse considerandum venit, qui dum priuatam gereret personam, Exod. 2. à Exod. 2. 14 conspectu Pharaonis fugit, mortem timens, sed cum iam princeps populi Israel à Deo constitutus esset, non recusauit Pharaonem adire, occasionem maioris periculi videns, ne populi saluti deesset. quod ita rectè S. Chrysost. expendit dicens: Idem. Moyses ille fugitiuus, & vnius viri minas sustinere nó valens, melle charitatis semel gustato, nemine cogente mori pro suis festinabat. ita ille. Sic se pro animabus suorum se quisque offerre Deo debet vsque ad mortem crucis, sicut Christus Dominus.

Animaduertant hoc qui præsunt in spiritualibus, & videant quàm meritò Concilium Trident. Trident. sessione 6. c. 1. & 2. & sessione 23. decreto de reformatione cap. 1. pastoribus iubeat suis in Ecclesiis residere, ne propter pastoris absentiam oues detrimentum patiantur.

PROPOSITIO II.

Quàm eximium beneficium sacerdotem sit toties communicare, sacrum facere, & sanguinem Christi seorsum accipere.

ACcipite & manducate, &c. Matt. 26. Mat. 26. 26 Beneficium hoc Eucharistiæ quamuis cunctis sit concessum Christianis, excellenti tamen modo sacerdotibus datum est, vt scilicet non solùm communicent, sed etiam sacrum facere & sanguinem seorsum accipere possint.

Gen. 44. grande conuiuium fecit Ioseph cũctis Ge. 44. 34. fratribus suis, sed potiorem partem tribuit Benjamino, dicẽte scriptura, *maior pars venit Benjamin,* ita vt quinque partibus excederet, & insuper calicem in saccũ eius, scyphum scilicet argenteũ illi concessit, quod magnũ amoris signum fuit, *mejorolo en tercio, y quinto,* nimirum frater vterinus ille solus erat, ex patre Iacob & Matre Rachel; sic etiam sacerdotibus Ecclesiæ Christi euenit in hoc conuiuio sacro, maior pars venit illis; non enim solum corpus Christi sicut cæteri sumunt, sed etiam consecrant corpus & sanguinem Christi, & secundò manibus contrectant, & tertiò benedicunt consecrata, quartò Christum offerunt Deo Patri in sacrificium, & quintò aliis conferunt sacramentum; quibus sic incongruit, vt sumant & dẽe cæteris; & denique sanguinem Domini in speciali specie bibunt. Ecce quomodo quinque partibus excedunt sæculares *van majorados en quinto.* Hoc vltimũ scyphi expendens S. Ambros. lib. de Ioseph S. Ambros.

Patriarcha. c. 15. ait, triticum multis datur, scyphus vni, qui sacerdotali munere donatur. ita ille. Quare magnas Deo gratias referre debent sacerdotes pro munere tanto, & ambobus oculis inspicere, vt omni cura & solicitudine sacrum Eucharistiæ Sacramentum debitè tractent, & celebrent Missam perfectè.

Propositio III.

Sancti debent esse sacerdotes, quia intercedunt inter Deum & homines.

Ioel. 2. Ioel. 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes, & ministri Domini dicentes: Parce Domine populo tuo.* Ecce sacerdotem orare pro populo Deum, ad hoc autē in sacerdote requiritur magna
Tim. 1. 2. puritas vitæ. Etenim Apost. 1. ad Timoth. 2. etiam de sæcularibus viris agens dixit: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.* Puras, ait
S. Chrys. S. Chrysost. id est, non aqua lotas, sed cupiditate
S. Anselm. mundas. ita ille. S. Ansel. *puras*, id est, à peccatorum sordibus mundas, ne enim confundantur manus ad Deum eleuatæ, debent, & à peccatis esse puræ, & in bonis operis exercitatæ. ita S. Ansel. Si ergo ad impetrandum à Deo requiritur tanta puritas in sæcularibus, qui pro se orant, quanto magis eadem requiretur in sacerdotibus, qui pro se & pro omni Ecclesia deprecantur?

Sanctus Dauid postquam legitima pænitentia se purificauit, & lachrymis tersit maculas cordis, sic
Ps. 118. 169 Deum orauit psal. 118. *appropinquet deprecatio mea*
S. Ambros. *in conspectu tuo Domine*, vbi S. Ambr. serm. 22. in illum psal. volare, inquit, facit orationem vita bona, & precibus dat spirituales alas. Dauid orationē suam dirigit in cœlestia, dans illi remigia deuotionis puritatisque subsidia. ita ille. Qui à Rege aliquid obtinere volūt, placere illi in omnibus nituntur; si enim illi displicerent, irritarent potius ad negandum postulata. Sic qui à Deo exaudiri cupit, non itam eius peccando prouocet, sed obsequendo disponat se ad misericordiam eius.

Propositio IV.

Quòd tanto sit grauior sacerdotis culpa, quanto dignitas est maior.

Ezech. 28. volens Propheta Ezechiel grauitatem culpæ primi Angeli augere, sic cæpit: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in delitiis paradisi fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, &c. Et subdit Dominus: *Peccasti, & eiecite de mōte Dei.* Cur relaturus peccatum Angeli à laudibus sublimitatis eius cœpit?
S. Hieron. S. Hieron. in eundem locum sic respondet: Commonetur quòd fuerit vt doleat se perdidisse quod
S. Gregor. habuit. ita ille. S. Gregor. 31 Mor. 18. Sic consideret homo quid elatus in terra mereatur, si & Prælatus Angelus Angelis in cœlo prosternitur. ita ille. Sed ad rem, doctus quidam author, vt culpa, inquit, quam sublimis illa gloria præcessit, grauior haberetur.

Patriarcha Iacob reprehensurus filium suum primogenitum Ruben propter peccatum incestus, laudes eius præmisit dicens: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei prior in donis, maior in imperio*, & subdit: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Cur sic malèdicturus, & peccatum eius dicturus priùs laudapit? Origenes hom. 17. in Genes. sic respondet: Origen.
Quod in initio laudis aliquid videtur ascribere filio Ruben: id circo fit vt grauius notetur in crimine, qui cum virtus patris haberetur, & initium filiorum, nesciuit seruare reuerentiam patri. ita ille. Et elegantiùs idē obseruauit S. Chrysost. hom. S. Chrys.
67. in Genes. dicens: Vide quanta sapientia iusti, volens enim accusationem magis intēdi, priùs dixit priuilegia ei à natura concessa & dignitatem quam tenebat, quod principium filiorum & primogenituræ honore clarus sit, & postea voluntatis peccata illius, quasi in ænea columna inscribit, monstrans quod nihil prodetunt nobis ea quæ à natura insunt, & non voluntatis bona opera sequantur. ita ille.

Sic etiam Eliphaz volens reprehendere S. Iob c. 4. iniustè sic loqui cœpit: *Ecce docuisti multos & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerūt sermones tui, & genua trementia confortasti.* ita cœpit. Sed vide quid subdat, *vbi est*, inquit, *timor tuus? fortitudo tua? patientia tua? & perfectio viarum tuarum?* etenim opposita iuxta sibi opposita magis elucescunt; sic iuxta albedinē nobilitatis, & dignitatis, vel litteratū, nigredo motū nigrior apparet.

Hinc Dauid psal. 4. *Fily hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vbi Septuaginta: *Vsquequo inclyti mei.* Aquila & Symachus, *vsquequo gloriosi mei.* Varablus, *vsquequo potentes & principes graui corde?* &c. id est, cum sitis principes regni, Dei inclyti, & gloriosi vsquequo ignominiose diligitis, & quæritis vanitatem? vbi Eusebius: Gloriosos, inquit, ad deteriora prolapsos sugillat sermo. ita ille. & ita est quidem, nam quo magis eorum extollitur dignitas, eo magis eorum exaggeratur iniquitas.

Vnde Genes. 6. de pessimis illis Gigantibus (quorum peccatis Deus diluuio mundum inundauit) ait scriptura: *Videntes fily Dei filias hominum*, &c. Cur eos filios Dei & non potius filios diaboli appellauit, siquidem tam improbi & tanti mali causa extiterunt? S. Chrysost. in psal. 4. S. Chrys.
Dei filios, inquit, vocauit eos, qui ex viris bonis nati fuerant & Dei honorem perceperant, & deinde euaserant deteriores & suum perdiderant honorem. Vt enim magis amplificaret reprehensionem, eorum honorem in memoriam reuocauit, maximum esse crimen ostendens quòd cum tales essent & ex talibus orti, ad tantam se præcipitassent improbitatem.

Sic etiam Threnor. 4. ad inclytos & illustres Israelitas Ieremias; *fily Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* vbi S. Hier. hi sunt viri inclyti Chri- S. Hier.
stianæ religionis, qui ornati sapientiæ fulgore & decore virtutum, postea emolliti carnalibus desideriis & terrenis cupiditatibus tabefacti, vasis testeis comparantur, quæ dominica virga in futuro examine conterens, franget, & ad nihilum rediget. ita ille. Quia vbi dignitas delinquentis fuerit maior, culpa erit detestabilior, & pœna seuerior.

Hinc quoque Daniel. 5. post sententiā Dei cōtra Regem Balthasar, in pariete latam sensum exprimens Regi, sic exorsus est: *O Rex, Deus altissimus, regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor Patri tuo*, &c. Quid sibi voluit Daniel his laudum præmissis sententiam mortis Balthasaris expressurus? S. Chrysostom. in Psal. S. Chrys.
95. sapientiam Danielis laudat qui non ab interpretatione scripturæ, quæ in pariete visa fuerat

fuerat sed ab increpatione cum debita præfatione honoris exordiatur. Sed tamen crediderim ego (Deo linguam Danielis gubernante) laude illa exaggerasse culpas Regis, quibus irã Dei meruit, ostendens grauiorem esse lapsum, qui ex altiori contigit loco & turpiorem culpam quam gloria præcedit.

Simile.

Leuit.4. 3.& 14. Hinc similiter Leuit.4. Iussit Deus vt ꝓ peccato vnius sacerdotis & pro peccato totius populi vnus Deo vitulus immolaretur. Ita ne peccatum vnius sacerdotis, peccatum totius populi exæquabat; vt non minori sacrificio indigeret vnus sacerdos ad veniam à Deo impetrandam? Sanct. Chrysost. in Psal. 6. pro vniuerso, inquit, populo qui peccarat tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote; quia quo maior est authoritas, eo est maius eorum qui peccant supplicium. ita ille. Est autem supplicium hoc maius, quia dignioris personæ grauius est delictum, vnde S. Bernard. lib. 2. de consideratione; fugienda, inquit, est otiositas mater nugarum & nouerca virtutum, inter sæculares nugæ nugæ sunt, sed in ore sacerdotis blasphemiæ. ita ille.

S.Chrys. S.Bern.

1.Reg.1. 1. Reg.1. de filiis summi sacerdotis existentibus in Silo, vbi erat arca Domini sic Scriptura: *Erant autem duo filij Heli Ophni & Phinees sacerdotes Domini*: non est exigua hæc laudatio filiorum Heli; est enim laus primò à genere, quod nempe essent filij illius, qui supremam dignitatem obtinebat in populo Dei; & secundo à dignitate, quia erant sacerdotes Dei nostri; & denique à loco, quia ibi degebant vbi Deus elegerat domum suoi: de quibus tamen sic postea textus diuinus cap. 2. *Porro filij Heli filij Belial nescientes Dominum, nec officium sacerdotum ad populum*, &c. Cur igitur paulò antè laudauit Spiritus sanctus sacerdotes, quos illico sic inhonorat & reprehendit amarè & vehementer? Nimirum, quia quos Deus acriùs reprehendere vult, laudat priùs, vt à dignitate personæ factorum indignitas magis denotetur.

1.Reg.2.12

Hinc ergo constat quàm turpis sit culpa grauis sacerdotia: sacerdotes enim sunt genus electum, & regale sacerdotium, & in quantum sacerdotes gens sancta, &c. Vnde Dauid Psal. 49. *congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Quinam sunt hi sancti qui congregandi sunt, & à quibus & qua de causa? respondet S. Chrysost. his verbis: Imperati Angelis primò sacerdotes malos congregare vt sententia capitalis supplicij à Deo feriantur. Deinde quærit, si mali sunt, cur sancti dicantur? Cur, inquit, quos est accusaturus & condemnaturus sanctos vocat? & respondet: Accusationem auget, sanctos eos appellans, & honorem adiicit ad maiorem significationem supplicij. ita ille. Quasi dicat: Honoris commendatio antecessit, vt accusatio augeretur, & vt grauitas culpæ pateret, status sanctitatis ac muneris præmissus est.

S.Chrys.

PROPOSITIO V.

Quàm grauiter Deus puniat peccata Sacerdotum.

S.Isidor. Docet S. Isidor. lib. 2. de summo bono c. 39. in fino: Tantò magis cognoscitur peccatum esse, quantò maior, qui peccar habetur. ita ille. Et idem docet S. Thom. 1. 2. q. 73. art. 10. dicens id fieri propter ingratitudinem; quia omne bonum quo aliqoid magnificatur, est beneficiũ Dei, cui homo ingratus fit peccando; & propterea quodlibet peccatum maioris (etiam in temporalibus) aggrauat secundùm illud Sap. 6. *potentes potenter tormenta patientur*, & quia ad plurium notitiam perueniunt, peccata magnitudinis. ita S. Tho. de quo videndus est S Gregor. 1. p. pastor. c. 2. At, inquies nemo debet ex bono quod habet incommodum reportare reportaret autem si magis puniretur ex eo quòd maior est, in dignitate, vel diuitiis, vel honore. S. Thom. ibidem art. 3. sic respondet: quòd homo magnus non reportat damnum peccando ex bonu quod habet, sed ex malo vsu illius. ita ille. nam vti ait S. Gregor. Cui plus datur, plus merito exigetur ab illo vnde maius sacrificium voluit offerri Deus pro peccato sacerdotis. De quo vide S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 3. ad vndecimum.

S.Greg. S Thom

PROPOSITIO VI.

Sacerdos fortis & constans debet esse in munere sacerdotali.

Exod.29. 25. Theodor. Exod. 29. Quærit S. Theodor. q. 63. cur statuit ibi Deus ex vnaquaque victima pro salute oblata sacerdotem sumere dextrum armum atque pectusculum? ratio verò hîc mystica quærenda est, etenim pectus vigoris animi symbolum est, *asi solemos decir hombre de pecho y de hecho*; similiter armus fortitudinis sicut asserit S. Gregor. super 1. Reg. 9. & 2. Pastoral. 3. & S. Thom. 1. 2. q. 102. ar. 3. Voluit igitur Deus pectus & armum hostiæ sacerdoti reseruari, vt innoteret se in sacerdote vigorem animi & fortitudinem in his quæ ad manus eius pertinent, desiderare, & zelum magnum quo Dei zelet honorem.

S Greg. S.Thom.

PROPOSITIO VII.

Sacerdotes à negotiis sæcularibus abstinere debent.

2. Ad Timoth. 2. sic ad discipulum suum Timotheum Apostolus Paulus: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Quod si quæras quonam pacto Dei miles laborare debeat, per negationem sic respondet; *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus vt ei placeat cui se probauit.* Dices: Sunt tamen nonnulla negotia sæcularia quæ redolent pietatem. Esto, sed negare non possumus, quin sæcularia sint, & paruitas cordis nostri non capit sæcularia & ecclestia spiritualiaque negotia. Vnde S. Ansel. hoc loco rationem reddens verborum Apostoli ait: Quia nemo potest duobus dominis seruire, Deo videlicet & sæculo. ita S. Anselmus.

S Anselm.

Exod. 4. 24. Exod. 4. Eunti Moysi in Ægyptum ad exequendam legationem Dei occurrit Angelus Dei, & euaginato gladio volebat occidere illum. Cur ita? nonne Moyses ad Dei voluntatem perficiendam pergebat? Cur ergo cum Angelus occidere volebat? eum potius mercede, quàm morte dignus videretur? S. August. ser. 86. de tempore: Ex hoc loco, inquit, possumus intelligere, quàm displicuerit Deo, quòd Moyses facturus ministeria Dei, vxoris impedimentum secum in Ægyptum ducere voluisset. ita S. August. Etenim ei non videbatur familiam suam ducere secum, sicut Abraham in peregrinatione sua. Sed tamen quia Moyses Deo

S.August.

militabat in re tanti momenti, qualis erat liberatio populi Israël à tyrãnide Pharaonis, ideo morte dignum illum Deus iudicabat, quia tamquam purè sæcularis secum vxorem duceret & familiam; atque ideo ne occideretur à Deo vxorem & familiam remisit in Madian, vti adnotauit & testatur S. August. in q. 12. in Exodum, dicens: Ne ad impedimentum ministerij, quod diuinitus impositum Moyses gerebat, fæmina comitaretur: ita S. August. & constat ex c. 8. Exodi. Vbi vxor Moysi occurrit ipsi Moysi peragranti solitudinem illam. Non ergo cum Moyse peregrinabatur. (Idem.)

(Num. 8.) Sic Dominus per Moysem ad Leuitas Num. 8. *Leuita radat omnes pilos carnis suæ.* Quid sibi vult ceremonia ista, cur Leuitæ potiùs quàm reliqui radere debebant capillos suos? (S. Greg.) S. Gregor. 5. Mo. 24. Leuita, inquit, *assumptus* vocatur, quia assumitur à Deo ad obsequia diuina. ita ille. Vnde apertè Leuitæ religiosorum nostrorum figuram gerebãt; hi enim sunt qui à sæculi negotiis ad Dei cultum & obsequium ab ipso assumuntur. Pilos autem radere, quid aliud est, quàm superfluas cogitationes abscindere? capilli enim superflua corporis sunt, & ideo anima nostra eos non informat, Vnde cum eos abscindimus, nullo afficimur dolore. Ait ergo Dominus: *Leuita radat omnes pilos carnis suæ*, hoc est, qui assumitur à Deo ad eius obsequium, radat & expellat à se omnes superfluas curas mundi huius, vt verus sit sacerdos & religiosus. (Idem.) Ita interpretatur locum hunc S. Gregor. 5. Mor. 34. Oportet, inquit, Leuitas omnes pilos carnis suæ radere, quia is qui in diuinis obsequiis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. ita ille.

Propositio VIII.

Quàm debeant amare castitatem.

QVid mirũ si à sacerdotibus Christianis perfecta castitas exigatur, cum etiam gentiles & infideles castitatẽ adeo postularent in sacerdotibus suis, vt castos eos appellarent? sic Virgil. Æneid. 6. dicens: (Virgil.)

Quique sacerdotes casti dum vita manebat.

Et Ouid. 2. Fastorum. —— *Qui casus ab arbore pura*
Casta sacerdotum tempora fronde tegit

Et 1. Fastorum; —— *Castus Iouis ædo Sacerdos.* Prçterea Romani Sacerdotes capram nec edebant, nec nominabant, vtpote animal libidinosum; & eadem ratione hederam, nec attingere, nec nominare audebant, quia apud eos lasciuiæ symbolum erat. Vide S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. S. August. serm. 3 . ad Fratres in her. Tertul. lib. de exhortatione castitatis, Michaëlem de Medina lib. de sacrorum hominum continentia c. 53. (S. Hieron. S. August.)

(S. Hieron.) S. Hieron. in c. 1. epistolæ ad Titum, exaggerare volens castitatem Episcoporum eam dicit esse debere, quæ sacerdotes decet. Ait igitur, quomodo mansuetudo, patientia, sobrietas, & inter cunctos laicos eminentia esse debeant in Episcopo, sic & castitas propria, vt ita dixerim pudicitia sacerdotalis, vt non solùm ab opere, sed etiam à tactu oculi & cogitationis errore abstineat mens Christi corpus confectura. ita S. Hieron. & meritò, nam si dignitatem Episcopalem à dignitate sacerdotali separemus, maior puritas & continentia in sacerdote requiritur ad consecrationem Corporis Christi, & Missæ celebrationem, quàm in Episcopo vt sic.

(Leuit. 22.) Leuit. 22. *Omnis homo* (inquit) *qui accesserit de stirpe vestra* (ad sacerdotes hoc ait) *ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.* Si sacerdos immundus, sic tangens oblationes illas, quæ vmbræ erant oblationis nostræ ita perit, quid de sacerdote nouæ legis immundo, qui ad sacram Eucharistiam & Missæ sacrificium accedit dicemus? Ponderatio S. Basilij est lib. 2. de Baptismo c. 5. dicentis & expendentis hunc locum, Leuit. 22. si tales minæ aduersus eos positæ sunt, qui temere accedunt ad sacra, quæ ab hominibus sacrificantur; quid dicendum est de illo qui in tantum ac tale mysterium temerarius? est ita S. Basil. qui ibidem c. 2. ait, tanto scelestiorẽ esse eum, qui nunc impurus Christi Domini corpus sacrificat, quàm illũ qui olim sanguinẽ arietum & taurorum immolabat, quanto Christi Domini corpus excellentius est quàm arietes & tauri? (S. Basil. Idem.)

Luc. 13. graues pœnas dederunt illi Galilæi malè sacrificantes, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Vbi S. Ambros. figura, inquit, quædam hæc videtur, eos tangens qui coactu diabolico non purè offerunt sacrificium. ita ille. Figuratum igitur est ibi supplicium sanguinis, quod Deus sumet de sacerdotibus nostris impuris. (S. Ambros.)

(Num. 17.) Num. 17. ad electionem Sacerdotum seu rejectionem iussit Dominus, vt vna quæque tribus virgam quandam aridam secum deferret, & ex ea tribu sacerdotes assumerentur, cuius virga virida & florida appareret. Cur quæso potius hoc signum pro electione sacerdotũ potiùs quàm aliud elegit Dominus? S. Ambros. epist. 82. sic respondet: Eo quod numquam sacerdotalis gratia marcescat, sed summa humilitate habeat in suo munere castitatis florem. ita ille. (Idem.) Quærit hîc Abulens. q. 11. vtrùm illa virga Aaronis quæ ibi floruit, & in tabernaculo seruabatur, amiserit suos illos flores aliquando? & respondet perpetuò virentem & florentem permansisse, vt perpetuum testimonium redderet illi diuinæ electioni. & hoc quidem merito: nam vti ait Orig. hom. 21. in Numeros, illius tantùm est offerre sacrificium indesinens, qui perpetuæ se deuouerit castitati. ita Origenes. (Origen.) Quod si in sacerdotibus veteris illius legis, qui sacerdotum nouæ & Euangelicæ legis vmbræ & figuræ tunc erant, tantam ac talem puritatem castitatis Deus exigebat ad sacrificia illa figuratiua offerenda, qualem ac quantam requiret à nostris sacerdotibus, qui vices Christi gerunt, & altissimum Missæ & Eucharistiæ sacrificium offerunt?

Propositio IX.

Quanta puritas conscientiæ requiratur ad offerendum altaris sacrificium. Vide *propositionem superiorem.*

(Leuit. 22.) LEuit. 22. sic Dominus ad Sacerdotes: *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.* (S. Basil.) Ponderat S. Basil locum istum lib. 2. de Bapt c. 7. dicens: Si tales minæ aduersus eos positæ sunt, qui temere ad sacra accedunt, quæ ab hominibus sacrificantur, quid dicendum est de eo, qui in tale ac tantum mysterium temeratius

ratius est? ita S. Basil. qui subdit, tanto scelestiorem esse eum qui nunc impurus Christi corpus sacrificat, quàm illum qui olim sanguinem arietum & taurorum immolabat, quanto Christi Domini corpus excellentius est quam arietes & tauri. ita S. Basil.

Tertul. Vide Tertul. in Apologetico cap. 30. aduersus illos sacerdotes infideles, qui olim diligenter expendebant, ne victima offerenda aliqua esset labe infecta, & tamen ipsi impuri & sordidi ad sacrificandum accedebant, sic scribit. Miror cum hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia victimarum potius quàm ipsorum sacrificantium examinentur. ita ille. Quasi dicat: Quid absurdius quàm pura sacrificia ab impuris sacerdotibus offerri?

Leuit. 4. *Si sacerdos qui vnctus est peccauerit, delinquere faciens populum offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino*, &c. *Pellem verò & omnes carnes cum intestinis & fimo offeret extra castra.* Cur *extra castra*, cum reliqua sacrificia non sic

Theod. extra, sed intra templum cremarentur? Theodor. q. 2. in Leuit. sic expungit. Hoc quidem indicat peccatum à sacris cancellis esse valde alienum, quia cum quoduis mortale peccatum& malum exemplum indignum Christiano homine sit, sacerdote tamen indignissimum est, cum sacerdos Deo & eius honori & gloriæ dicatus & à Deo assumptus sit, vt aliena peccata persequatur, & Dei gloriam tueatur, *es vna manera de traycion grande contra Dios.*

Leuit. 11. à sacrificiis suis animalia immunda Deus eliminabat, in tantum vt nec gallinam sibi offerri permitteret, quamuis hæc appetibilia sint.

S. Thom. Cur igitur sic ea detestabatur? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 2. quia illa animalia exigebat, quæ adeò munda erant, vt etiam eorum alimentum mundum esset; quæ verò immundo alimento vescuntur, vt porcus, & gallina, nolebat. ita Sanct. Thom. Gallina quidem in pretio est, ita vt infirmis tribuatur. Deus autem adeò mundus est, vt vel propter solam alicuius cibi immunditiam, auem pretio dignam à suo reiiceret sacrificio. Audiant hoc sacerdotes, qui se in holocaustum Domino obtulerunt, & caueant quamcumque vel paruam animæ immunditiam. Si enim sacrificium animalium mundorum ita Deus abhorrebat, quantò magis detestabitur animorum immundorum holocaustum?

Sic Dominus ad Ecclesiasticos legis antiquæ Num. cap. 8. *Leuitæ radant omnes pilos carnis suæ*, vt nullus scilicet maneat in capite capillus. Cur ita? cum capilli ornamentum capitis sint? Sanct.

S. Gregor. Gregor. lib. 5. M. cap. 13. Leuita *assumptus* vocatur. Oportet leuitas radere pilos carnis, quia is qui in diuinis obsequiis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. ita ille. Pondera verba *ante Dei oculos*; neque enim satis est superpelliceum album nitidumque induere, hæc enim oculos hominum venantur; Deus autem interiora potiùs intuetur & amat. Etenim in regiis Regum famuli polita cuncta amplectuntur, vt regiis oculis grati sint. Religiosi autem & sacerdotes Deo placere contendunt, qui in spiritu vult adorari.

Præterea obseruauit pilos seu capillos, superflua corporis esse; superflua proinde cordis figurant, & hæc omnia eos radere petit à suis Deus, vt eiusque illorum animæ dicere valeat: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Nec nimis hoc nobis esse videatur, qui ad maxima in statu religioso & sacerdotali constituti sumus. Magnificauit Dominus facere nobiscum magnificentia & nos pro viribus & posse facere cum illo. Caue igitur tu qui talem ac tantam sortem ascendisti, ne ex illis sis, qui dicunt: Parum est hoc, parũ refert, venialia facile veniam assequuntur, quia à paruis ad magna itur, *por no tener lo poco en mucho viene el loco a tener lo mucho en poco, vn pelillo de nonada en la punta de la pluma borra quanto se escribo.* Simile.

1. Reg 10. vnxit Samuel Saulem in Regem, & insuper plura signa dedit ei ibidem, quibus nosse posset, se vere a Deo in Regem electum esse. *Et hoc*, inquit, *tibi in signum, quia vnxit te Deus in Principem. Cum abieris hodie a me, inuenies duos viros*, &c. Ad quid quæso hæc signa? nonne satis erat tantum Prophetam eum vnxisse? S. Hieron. lib. de quæstionibus Hebraicis in lib. 1. Regum, dedit, inquit, illa signa, ac si diceret, his signis noscere poteris, quia te Deus Regem fore voluit, & idcirco ad omnia quæ tibi agenda sunt regaliter age. ita S. Hieron. Sic etiam de sacerdote dicendum est: Deus te in sacerdotem elegit, idcirco sacerdotaliter age; *sacerdotes*, inquit David, *induantur iustitiam.* Iustum ergo & sanctum in omnibus te debes exhibere, &c. 1. Reg. 10. S. Hieron.

Propositio X.

Quanto cum decore sacerdotes in sacris officiis & præcipuè in Missæ officio ministrare debeant.

Solet Deus etiam minimas culpas in cultu diuino non leuibus pœnis punire. Leuit 10. Nadab & Abiu igne prohibito & non sanctè sacrificantes, ignis à Deo missus absumpsit, & 2. Paralip. 26. Regem Oziam incensum offerre volentem turpis lepra deturpauit. Item Bethsamitæ dum femellis victimas immolantes, cum deberent secundùm legem Dei de maribus immolare, interprete Lyrano, ad quinquaginta millia perierunt. Præterea multi Reges populi Dei eo quod excelsa id est loca extra sanctuarium in quo tantum sacrificia fieri debebant, secundum ordinationem Dei, & tamen ipsi in illis excelsis sacrificabant, grauiter puniti sunt. Leuit. 10. 2. Paral. 26. 1. Reg. 6. Lyra.

Præterea obseruandum venit, cur Samuel pœnas non dederit propter scelera filiorum suorum, sicut dederit Heli propter peccata filiorum suorum. Respondet Theodor. in lib. 1. Regum q. 15. quia Samuëlis filij contra iustitiam peccauerunt, filij verò Heli contra religionem; peccatum autem contra religionem & cultum Dei grauiùs punitur à Deo. ita ille. Theod.

Item expende supplicium Ozæ 2. Reg 6. quia cum arca Dei super plaustrum duceretur & calcitrantibus bobus arca ruinam minaretur, Oza arcam tangere & sustinere ausus fuit, & ideo subita morte a Deo occisus est. Cur ita cum obsequium illud pietatis & religionis esse videatur? hic multi multa dicunt. Videndus est Gaspar Sanchez in hunc locum, qui tandem concl. dit vel Ozam non fuisse sacerdotem neq. Leuitam atque adeo illicitum illi fuisse tangere arcam, vel quia non ita inclinata erat arca, vt esset opus illam sustinere. Denique irreligiosè tetigit arcam, & ob eam causam a Deo est subitò peremptus, quo manifeste constat, quàm grauiter Deus puniat peccatores contra virtutem religionis & cultus diuini. 2. Reg 6. Gaspar Sanchez

Ex

Ex his ergo colligitur quanta cum reuerentia sacerdotes in diuinis officiis ministrare debeant, & in sacramentis & cultu diuino & maximè in Missæ sacrificio ne à Deo grauiter puniantur.

Propositio XI.

Sacerdos debet pro vniuerso populo orare.

Leuit. 2. Theod. LEuit. 2. Primitias sacerdotibus offerre populo Deus præcepit. Cur ita? Theod. q. 1. in Leuit. Iubet Dominus primitias sacerdotibus offerre, quoniam hi sunt, qui pro peccatis nostris preces offerunt Deo. Vnde per Prophetam Oseam de ipsis Dominus ait: *Peccata populi mei comedunt.* ita ille. Peccata autem populi comedere dicuntur sacerdotes, quia comedunt, quæ pro peccatis suis offerunt peccatores, vt sacerdotes pro eorum remissione Dominum deprecentur. Hæc est exposi-
Theophil. tio Theodor. in dicto loco & Theophylact. super Oseam, & Lyrani, & Interlinearis, & Vatabli, & aliorum. Debet enim sacerdos in pectore suo tamquam in stomacho peccata populi collocare, & ardore charitatis ea decoquere, & pro eorum remissione Deum exorare, quod Dominus Petro insinuauit Act. 10. dicens: *Occide & manduca,* scilicet serpentes & reptilia in linteo illo contenta. Nota est visio illa & explicatio eius, narra visionem.

Propositio XII.

Quòd sacerdotes exemplaria sæcularibus esse debent.

Ioel. 2. IOël. cap. 2. *conuocat populum ad orandum & plorandum pro delictis suis*, & subdit: *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo,* id est, inter duo altaria templi, incensi nempe & holocaustorum, petit Propheta vt plorent sacer-
Remigius dotes. vbi Remigius Altisiodorensis. Notandum est quòd primùm sacerdotes Domini plorare debent, ipsi enim aliis exemplo esse debent. ita ille.

Matth. 4. Matth. 4. sic de Christo Domino, abiit in totam Syriam opinio eius: *Et obtulerunt ei omnes malè habentes.* Ecce quid operata est fama bona Christi, vt scilicet offerrentur ei omnes malè habentes. Quod sic ad mores retulit S. Pascha-
Paschas. sius Abbas. Talem decebat esse Pontificum Magistrum, vt testimonium laudis egregiæ etiam ab his qui foris sunt haberet. Quia tunc ante quempiam sacerdotum infirmitates morum liberius deferuntur, & vulnera panduntur, cum fama vitæ, & curatio salutis in populo prædicatur. ita ille.

Propositio XIII.

Quàm obediens Deo esse debeat sacerdos.

Theod. THeodor. q. 8. in Leuit. quærit ad quid dexteram sacerdotis aurem vngere præcipiebat Deus? & respondet, quia auris dextera signum probatæ obedientiæ erat. ita ille. Per vnctionem igitur illam quæ sanguine & oleo fiebat, & qua sibi Deus aurem dexteram dicabat, Deus quàm perfectè obediri à sacerdotibus volebat; siue præcepta leuia sint sicut oleum, & grauia quæ per sanguinem adumbrantur.

Propositio XIV.

Curam magnam boni nominis habere debet sacerdos.

LEuit. 2. sic Dominus: *Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio; fundetque super eam oleum & ponet thus.* In huiusmodi oblatione plura mysteria continentur. Sed modò cur in ea thus adhibendum esset inquiramus. Prohibet Dominus in eodem capite mel in sacrificio, quod dulcedinem magnam habet, & exigit thus, quod amarum est. Arguit in hunc locum S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. in S.Thom.
vltimo argumento, dicens: Sacrificia corporalia exprimunt internum sacrificium cordis, quo homo spiritum suum offert Deo: sed in interiori sacrificio plus est de dulcedine, quam repræsentat mel, quàm de mordacitate, quam repræsentat sal. Vnde dicitur Eccles. 24. *spiritus meus super mel dulcis.* Cur ergo in sacrificiis prohibetur mel dulce, & exigitur sal mordicatiuum & thus amarum? Respondet S. Thom. quòd mel excluditur in sacrificiis ad excludendam omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab his, qui sacrificare Deo intendunt; & fermentum, quod est massa corrupta, ad excludendam corruptionem. Exigitur verò sal, quia impedit corruptionem, & quia in sale significatur mortificatio carnis. Thus autẽ offertur ad designandam mentis deuotionem, quæ offerentibus necessaria est, quia odoriferum est ad designandum odorem bonæ famæ, ita Sanct. Thom. Aduertant igitur hoc sacerdotes, qui supremum Eucharistiæ sacramentum offerunt Deo; si enim vitæ incorruptionem & deuotionem, & bonam vtique famam exigebat Deus in offerentibus illa vetera sacrificia, quæ vmbra erant Eucharistiæ, quantam Deus exiget puritatem, & deuotionem, & odorem bonæ famæ in sacerdotibus nostris, qui corpus Christi offerunt in sacrificio Missæ?

Propositio XV.

Quanta sit dignitas sacerdotalis.

IN diuinis litteris dignitas sacerdotalis regia dignitas nuncupatur in Psal. 121. de Leuitis sic Psal. 121.
Dauid: Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini, vbi S. Chrysost. legit: Illuc ascenderunt sceptra, sceptra Domini. sceptra vocat ibi ministros Ecclesiasticos qui ascendebant in téplum ad cõfitendum Domino, vt regiam esse denotaret dignitatem eorum, vnde Num. 18. sic Dominus ad Num. 18.
Aaron: fratres tuos de domo Leui, & sceptrum Patris tui sume tecum. In domo autem patris Aaronis nullum aliud sceptrum erat nisi sacerdotale, regiam ergo Dominus dicit esse dignitatem sacerdotalem.

***

PROPO

Propositio XVI.

Sacerdotes amorem in Deum collocantes rerum mundi amore carere debent.

S. Hieron. SAnct. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum, Clericus primo nomen suum interpretetur, & nitatur esse quod dicitur: si enim Cleros græcè sors dicitur latinè, propterea clerici sic vocantur, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse dominus sors id est pars clericorum est, qui autem vel ipse pars domini est, vel dominũ pro parte habet, talem se exhibere debet vt ipse possideat dominum & ipse à Domino possideatur. ita S. Hieron. possidet autem dominum fidelis qui in peccato mortali non est, qui enim in peccato mortali constitutus est, non dominum possidet sed diabolum; non à domino possidetur, sed ab ipso diabolo, quo quid horrendum magis sacerdotii sed vlterius amplius, quid huiusmodi sors importat,
Idem. audi S. Hieron. ibidem, qui dominum possidet, cum Propheta dicet, pars mea dominus, & nihil extra dominum habere potest, quod si aliud habuerit præter dominum pars ejus non erit dominus v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus dominus pars eius fieri non dignabitur; si autem ergo pars domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi leuita & sacerdos altari seruiens de altari viuo, & habeo victum & vestitum, his contentus ero. Ne igitur ô sacerdos lucra sæculi in Christi militia quæras, ne plus habeas quam cum clericus esse cœpisti, nonnulli enim sunt clerici & monachi ditiores quàm fuerant sæculares, ita vt Ecclesia suspiret eos diuites quos mundus tenuit ante mendicos. Ignominia sacerdotis est propriis studere diuitiis. ita S. Hieron.

Propositio XVII.

Sacerdotes delitias mundi vitare debent.

Num. 17. NVm. 17. *germinauit virga Aaron, & turgentibus gemmis eruperãt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Hoc autem factum est in electione Aaronis in sacerdotem Dei, cur igitur in amygdalas potius quàm in fi. us aut in poma, &c. S. Gregor. nissen in vita Moysi. Hoc fructu
S. Nissen. (inquit) quem Aaronis edidit virga sacerdotis vitæ monemur, aspera enim & comm..ens duraq; debet exterius esse, intus autem & in occulto suaue quoddam edulium continere. ita ille. Etenim sacerdos qui in deliciis vitam agit sacerdotii dignitate indignus est: sacerdos enim Christum Dominum repræsentat, Christus autem à delitiis longè affuit. Etenim Christus (ait Apostol.) non non sibi placuit, delitiæ verò quas sacerdos appetere debet, interiores & in anima sint oportet, in oratione scilicet, amore Dei, zelo animarum, & sanctis desideriis, à quibus exteriores delitiæ auertuntur secundum scitum illud sancti Bernar-
S. Bernard. di. Delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam.

Propositio XVIII.

Quod sacerdos magister animarum sæcularium esse debeat.

NVm. 35. sic Deus ad Iosue: *Præcipe filiis Israel vt dent leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum & suburbana earum per circuitum.* Num. 35
Vbi obserua illas vrbes cunctas fuisse leuitis non in vna solum tribu, sed in omnibus promiscuè, vti constat ex c. Iosue. 21. n. 4. Cur quæso tribus hæc non accepit sortem habitationis suæ seorsum ab aliis sicut reliquæ tribus acceperunt? Respondet Lyran. quia sacerdotalis ordo tenebatur docere populos, de his quæ ad diuinum cultum spectant; ad hoc autem opus erat vt non separatim, sed inter eos habitarent; & ideo iussit eos à sæcularibus inter quos degebant, sustentari. ita Lyranus. Lyra.

Vidit Ioannis Apoc. 9. *in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia.* Dices quo pacto poterant esse simul in medio & in circuitu? Sanct. Apoc. 9.
Ambros. in glossa huius loci per animalia hæc magistros spirituales intelligit, & respondens ait: In circuitu sedis quatuor animalia stant, quia Doctores populum sibi commissum à visibilibus & inuisibilibus hostibus, quanta possunt virtute defendunt, & in medio sedis consistunt; quia vnumquemque eorum vt virtutibus proficiant, admonere non desinunt. ita ille. At dicet aliquis sacerdotum: Ego magister seu doctor talis non sum, quia nec concinator, nec confessarius, nec curatus sum; non igitur ad me pertinet sic docere. Etenim eo ipso quod tu sacerdos es, magister pariter effectus es, & tibi demandata est cura cæteros docendi, quæ recta sunt, verbis scilicet sanctis cum se obtulerit occasio, vel saltem bonis exemplis quibus proximos ædifices, & in bonum promoueas; sic peccata populi comedent, qui ex Ecclesiæ bonis aluntur.

Num. 12. murmurauerant Aaron & Maria soror eius aduersus Moysem fratrem eorum; sed Num. 12.
cum Deus Aaron dimitteret impunitum, graui lepra Mariam puniuit, *& ecce Maria,* inquit, *apparuit lepra candens quasi nix?* Cur quæso non idem supplicium intulit Deus vtrique? siquidem eandem culpam commisit vterque? Duplicem rationem adhibent Theodor. q. 23. in Numer. & Theod.
Abul. ibidem q. 64 & Oleaster ibidem. Prima est, quia Aaron sacerdos Dei erat, sacerdotem autem magna decet munditia propter muneris sanctitatem, sicut etiam propter dignitatem officij sacerdotalis quo fungebatur, magna illi reuerentia congruebat. Secunda ratio & ad rem nostram, quia ad Aaronem tamquam ad sacerdotem curam animarum spectabat, & ideo inter homines versari oportebat. ita ille.

Fateor non æqualem omnibus sacerdotibus incumbere curam animarum, sed maiorem maioribus & prælatis. Vnde Isaiæ. 3. offerentibus cuidam principatum responsurus ait: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nolite me constituere principem populi.* Quænam obsecro inter principem & medicum connexio, vt propterea princeps esse nolit quia medicus non est? magna quidem. Tum quia sicut medicus curationi potius, quam dominationi incumbit, ita & bonus Princeps curare potius debet suorum bonos mores, quàm propriam maiestatem. vnde S. Bernar. S. Bern.

ser. 25.

ser. 25. in cantica: Sciunt, inquit, boni fideles, quòd præpositi sibi languentium animarum crediitam curam non pompam, medicos se & non dominos agnoscentes. ita ille.

Propositio XIX.

Quòd sacerdotes mundi opes quærere non debent. Vide Proposit. 16.

S. August. Cur quæso Sacerdotes & sacros ordines suscipientes clerici dicuntur? S. August. tom. 9. lib. de contemptu mundi: cur clerici à sorte dicti sunt, nisi quia Dominus sors illorum vel hereditas sit? cur saltem clericatus sui signa, quibus à laicis discernantur non perpendunt? ita S. Aug. qui acuto gladio ferit clericos, quorum vita similis est laicorum & sæcularium vitæ; ita vt dici de ipsis valeat, *sicut populus sic sacerdos*; sic enim multi loquuntur, negotiantur, iocantur, ludunt, & vtinam non sic ambiant & peccent ad mortem sicut illi! vnde subdit ibidem S. August. Non quidem sine causa capita sacerdotum raduntur, quo signo à laicorum conuersatione secernuntur; scimus enim cerebrum esse sapientiæ sedem. Vt igitur ostendamus nullum obstaculum interesse debere ad diuinam sapientiam (quæ Christus est) obtinendam, ideo in eam partem incidimus.

S. August. Hinc Moyses ait: Num. cap. 8. *Lauent radant pilos carnis suæ*, id est superfluas cogitationes cordis radere debent. Caput igitur radere, designat cogitationes terrenas & superfluas à mente resecare. ita S. August. vbi nota pilos capitis superflua esse, in capite igitur sacerdotis nulla quidem cogitatio superflua esse debet, *non hade hauer en el pensamiento del sacerdote cosa que no sea de sabiduria de Christo traeen alla los seglares lo cosas del siglo, el sacerdote dedicado a Dios de Dios y deel cielo.*

s. ad Tim. 2. Vnde Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*; imò hæc rerum sæcularium solicitudo etiam sæcularibus prohibita est, quanto magis sacerdotibus Deo dicatis?

S. August. vnde S. Aug. ibidem, fideles Christi, qui ad æternam vitam medullitus suspirant, qui mundum cum suis oblectationibus sub pedibus conculcant, & cum Apostolo dicunt; *nostra conuersatio in cælis est*, capillorum minimam partem in capitibus tenent, vt per eorum incisionem se minimam terrenorum solicitudinem habere designent. Quapropter illam paruam capillorum particulam retinent, quia dum in hoc mundo sunt, de terrenis cogitationibus vacui esse omnino non possunt. ita S. August. Quod si ita sæculares moderari oportet solicitudinem temporalium rerum, quorum est filiorum & vxorum gerere curam, quid de viris Ecclesiasticis dicemus?

S. Ambros. S. Ambros. 1. offi. 50. si in Euangelio Domini etiam populus ipse ad despicientiam opum instituitus est, quanto magis vos leuitas oportet terrenis cupiditatibus non teneri, quorum Deus portio est? Nam cum diuideretur à Moyse possessio terrena patrum populo, excepit leuitas Dominus à terrenæ possessionis consortio, quod ipse eis esset funiculus hereditatis. Denique sic appellatur leuita, id est, *ipse meus*, vel *ipse pro me*. Magnum ergo munus eius, vt de eo Dominus dicat, *ipse meus*. ita ille. vide ibi S. Ambros. hoc prosequentem.

Propositio XX.

Quàm egeant auxilio Dei ad animarum profectum sacerdotes.

Mat. 4. sic Christus ad Petrum & Andream. *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Non dixit, *& eritis piscatores hominum*, sed, *faciam vos*. Cur ita? S. Paschasius Abbas ibidem: *faciam*, inquit, quia in vacuum laborat doctor Ecclesiasticus, si non fuerit à Deo factus vt proficiat, quia neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed qui incrementum dat Deus. ita ille. Et ob hanc causam in principio concionis gratia postulatur.

Propositio XXI.

Grauitatem in omnibus seruet sacerdos.

Sanct. Ambros. 1. officiorum. 43. sæpe quod alteri decet, alteri non decet, saltauit ante arcam Domini Dauid, sed non saltauit Samuel, nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. ita ille. nimirùm quia Samuel sacerdos erat. S. Ambros.

Propositio XXII.

Debet sacerdos ea facere quæ docet.

Eo ipso quòd quis sacerdos sit, docentis munus habet; curare tamen debet ne ea quæ verbis dicat, moribus contradicat. S. Hieron. epistola 2. ad Nepotian. non confundant opera tua sermonem tuum, ne facilè quis respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre disputat de ieiunio, accusare auaritiam etiam latro potest, sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. ita ille. S. Hieron.

Propositio XXIII.

Sacerdotes ad Dei patrimonium pertinent.

Sanct. Ambros. serm. 8. super Psal. 118. Verus minister altaris Deo non sibi natus est. ita ille. Quod probat ex etymologia vocaboli Leuitarum, qui omni Ecclesiastici Dei erant. Leuita enim *assumptus a Deo siue ipse meus*: vnde exponens S. Ambros. hanc etymologiam ait, quasi dicat: Deus ipse mihi dicitur non alij tributarius, non decimarius, non de possessione munificus; ipse, ipse mihi tanquam abundans, non ob boe decimas, non fructus, non dona quæro; ipse mihi pro munere & tributo est; non inquam in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, ipse meus census, & denique ipse assumptus mihi. ita. S. Ambros. in quo videtur idem dicere sacerdotibus, quod S. Paulus 2. Corinth. 12. Chorintiis: Non quæro vestra sed vos. S. Ambr.

* *

Saluatio.

1. *Quàm pauci saluentur, & quare.*
2. *Quantum desideret Deus nostram saluationem.*
3. *Quàm ingens beneficium Dei sit saluatio nostra.*
4. *Omnia bona mundi postponenda sunt saluationi.*
5. *Requirit cooperationem nostram.*
6. *Spem saluationis ingerit nobis passio Christi.*

PROPOSITIO I.

Quàm pauci saluentur, & quare.

4.Esdr.8.1 4 ESdræ 8. sic Angelus ad Esdram: *Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos. Dicam autem coram te similitudinem Esdra. Quomodo si interrogabis terram & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis vnde fictile fiat, paruum autem puluerem vnde aurum fit; sic & actus præsentis sæculi, multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur* ita ille. Sicut ergo exigua terra illa est ex qua aurum extrahimus comparatione eius ex qua fictilia vasa conficiuntur, sic comparatione damnatorum exiguus est numerus saluandorum.

Apoc.20.12 Apoc. 20. agens Ioannes de finali iudicio ait, *vidi mortuos & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ* Ex hac igitur distinctione constat, quod libri illi in numero plurali assignati, hi sunt in quibus damnandi conscripti erāt, liber verò vitæ, vt nomine ipso patet, est ille in quo saluandi notati sunt. Cur igitur in numero multitudinis ponuntur libri damnatorum, in singulari saluandorum, nisi quia multi sunt vocati, pauci verò electi?

Nu.14.30
Ecc.46.10 Ex cap. 14. Numer. & Ecclef. 46. constat, quod sexcenta hominum millia ex Ægypto egressa fuerunt, duo verò homines ad terram promissionis peruenerunt, Iosue scilicet & S.August. Caleb, quid mysterij? S. Augustin. serm. 102. de tempore: Hoc, inquit, audiant qui ita Dominum misericordem esse volunt, vt iustum esse non credant. ita ille. Addam ego quod cum terra promissionis figura fuerit cœlestis patriæ, in illam adeo paucos & reliquos ex tot militibus illuc non peruenisse signum est, quod multi sunt vocati, pauci verò electi.

Genes.6.
S. Greg. Genes. 6. arca Noë (quæ vti asserit sanctus Gregorius hom. 38. in Euangelia Ecclesiæ typum gessit) ampla in inferioribus & angusta in superioribus fuit, ita vt cubitu vno terminaretur. Cur ita? S. Augustin. vbi suprà, quia inferiùs quadrupedia atque reptilia, superiùs verò aues & homines habuisse credendum est; quia Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritualibus angusta; & quia hi pauci sunt, in eis angustiatur, lata quippe est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui vadunt per eam, & angusta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Ad mensuram ergo vnius cubiti angustiatur in summis, quia in Ecclesia quanto sanctiores, tanto pauciores. & in area tritura pauca sunt grana, quæ seruantur horreis, & grandes aceerui palearum, qui comburantur. ita ille.

Etenim damnationis causa nos ipsi sumus, quia peccatum est ratio damnationis, peccati autem homo voluntaria causa est. Vnde sic Dominus ad Caim Genes. 4. *sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius*, id est peccati. Gen.4.
vti exponit Albinus hoc loco dicens: quasi dicat Deus, tu quia liberi es arbitrij, non habet Alcuin.
super te dominium peccatum, sed tu super illud, & in tua potestate es, siue compescere siue concupiscere illud. ita ille. & clarius Ecclef. 15. Eccl.15.14
Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata seruare conseruabunt te, scilicet ne pereas. nota *si volueris*, quia licet gratia Dei necessaria primo loco sit ad salutem æternam, facienti tamen quod in se est, Deus non denegat gratiam. vnde 4. Esdr. 8. Angelus hanc reddidit rationem, nam *ipsi accipientes libertatem, spreuerunt Altissimum, & legem eius contempserunt, & vias eius dereliquerunt*, ita ibi, num. 56.

Psalm. 16. *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum*, &c. Hoc est, separa à iustis Ps.16.14.
impios, *&c.* sed cur iustos vocat paucos (*los pocos?*) etenim quia electi & prædestinati pauci sunt. sic Hugo Cardinalis dicens: *Diuide* Hugo
eos à paucis id est ab electis, qui pauci sunt re- Card.
spectu præscitorum. ita ille. Vide igitur quàm pauci sint prædestinati, vt per periphrasim & antonomasiam pauci nominentur, sicut planetas cœli stellas paucas vocaremus, quia respectu aliarum multarum stellarum firmamenti non sunt nisi septem.

Gratias agentes Deo qui dignos nos fecit in Colo.1.12
partem sortis sanctorum in lumine. quæ & qualis est sors ista? sanctus Anselmus sic exponit S.Anselm.
hunc locum: Gratias Deo agite qui nos per suam misericordiam dignos fecit transire in partem, id est participationem sortis, hoc est hæreditatis æternæ in lumine, id est in claritate visionis, vt æternaliter radiemus splendore maiestatis Dei. ita sanct. Anselm. Cur igitur sortem & non hæreditatem dixit? quia sors inter multos iacitur, sed super paucos cadit; sic gloria cælestis licet omnibus nobis proponatur, pauci eam assequuntur; ad sortem aspirant mille homines & sperant aliquam sortem se consequuturos, & ex illis decem v. g. eam accipiunt. Sic omnes speramus beatitudinem, sed perpauci ad eam perueniunt. Ad fidem, inquit S. Gregor. multi veniunt, sed ad cæleste regnum S.Greg.
pauci perueniunt.

Dices, quid ergo remedij nobis ad salutem? Audi Saluatorem nostrum Luc. 13. vbi eum in- Luc.13.24.
terrogauit quidam: Domine *si pauci sunt qui saluantur: & Dominus non solum respiciens ad eum sed ad circunstantes*, dixit: *Contendite intrare per angustam portam.* Pondera verbum illud *contendite*, non enim simpliciter dixit *intrate per angustam portam*, sed insuper ait *contendite: forçejad y porfiad para entrar por essa puerta estrecha del cielo como los soldados quando quieren dar assalto à vna Ciudad si veen algun portillo*

nuserto y estrecho, entran forzejando por el estrecho que de entrar. Sunt enim nonnulli qui absque conatu & labore volunt in cœlum intrare. Etenim sancti martyres per angustam portam tormentorum & mortis, & sancti confessores per angustam etiam pænitentiæ portam intrauerunt, & tu tibi latam quæris portam?

Adeo quidem sunt ex Christianis pauci qui saluentur, vt multi etiam ex his qui miracula faciunt damnentur, locus manifestus ad hoc Matt. 7. vbi sic Dominus. *Multi dicent mihi in illa die,* (Iudicij nempe) *Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc dicam eis, non noui vos,* &c. At dices, loquitur ibi Christus de Prophetis malis an-
S. August. tiquæ legis. Audi S. August. serm. 49. de verbis Domini secundùm Ioann. numquid faciunt ista Iudæi in nomine Christi? certum est; manifestum est, quia de his dicit, quod nomen Christi habent. ita S. August. Quod si de his qui miracula faciunt ex Christianis multi damnantur, quid futurum est de his qui nec verbum Dei audire volunt?

Nec minus probat paucitatem saluandorum
1. Pet. 4. 18 locus ille sancti Petri Apostoli, *si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* quid ais Apostolo sancte? vix saluatur iustos, nonne certo saluatur iustus? quis ergò saluatur certo nisi iustus? cur posuisti *vix?* S. Thom. in hunc locum allegans glossam ait: *Vix saluabitur?* Glossa id est æstuando, decertando cum magno certamine, & difficultate. actor. 14. per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. ita
S. Thom. S. Thom. inde infert legitimè S. Petrus, *impius & peccator vbi parebunt?* respondet ibidem glossa, *in inferno apparebunt.* Quem non terreat quantumuis iustum sententia ista tanti Apostoli? si, inquam qui semper ieiunat, vix saluabitur; qui numquam ieiunat, sed genio indulget, vbi apparebit? si sacco indutus vix saluabitur, qui mollibus vestiuntur vbi apparebunt? si qui nullius sibi conscij criminis sunt, & tamen castigant corpus suum, & in seruitutem redigunt cum Apostolo Paolo, quid futurum est de his qui sæpe incidunt in peccatum, & nullam pænitentiam agunt? væ nobis qui talia audientibus ridere & gaudere, & in delitiis mundi viuere curamus?

Mat. 3. 12. Math. 3. Sic Ioannes Baptista agens de Christo Domino: *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam & congregabit triticum in horreum suum,* paleas autem comburet
Simile. igne inextinguibili. Hoc loco primo paucitatem saluandorum & multitudinem damnandorum attende: metaphoram enim propriam valde tetigit Baptista, videbis enim in area agricolæ aceruos magnos messium, in quibus grana mixta sunt paleis, ventilabro autem examinati ex magno quodam aceruo aceruus exiguus tritici remanet, reliquum verò palea erat, & à vento rapta; sic in populis Christianis aceruos magnos hominum videas, in quibus paleæ peccatorum cum tritico iustorum mixtæ sunt, at cum ad iudicium venerint & ventilabro diuini examinis fuerint separati, perexiguos aceruos saluandorum videbis, magnam verò valde palearum quantitatem, in æternum ignem mittendarum, væ nobis, aperite oculos mortales, & cauete ne ex magno palearum numero sitis.

Secundò aduerte in eadem metaphora, quot & quanta sint opera, quæ iudicio nostro pretiosa videantur, quæ tamen in iudicio Dei vilia & mala, & supplicio digna esse constabunt. Sicut enim in area acerui magni sunt, dum non accedit ventilabrum, postea verò tritici parua superest mensura, & quod reliquum erat palearum, ventus abstulit: sic ante iudicium, multa bona opera esse videntur, quæ tunc vana & tamquàm palea à vento rapta erunt, &c.

PROPOSITIO II.

Quantum desideret Deus saluationem nostram.

Mirantur sacri authores cur voluerit Christus Dominus cicatrices vulnerum reseruare, gloriæ quippe suæ & maiestati opposita videbantur. Inter alias igitur rationes authorum sanct. Augustin. hanc assignat serm. 33. S. August.
de verbis Domini secundum Lucam. Tali (inquit) impedimento tenebatur Apostolus Thomas, qui resurrectionem Christi, nec solis oculis credere voluit, *nisi misero* (inquit) *digitos in locum clauorum, & nisi manum meam misero in latus eius non credam,* & Dominus qui poterat sine vllo signo vulneris resurgere, seruauit cicatrices, quæ à dubitante tangerentur, & cordis vulnera sanarentur. ita S. Augustin. vide igitur quanto in pretio sit apud Deum vel vnius animæ saluatio. S. Thom.

Danielem Prophetam Deus in captiuitatem Babylonicam cum populo ire permisit, quamuis sanctissimus ille & sibi charus esset; imo redeunte populo in patriam, voluit Deus ibi remanere Danielem, vbi quàm plurimos labores perpessus fuit. Cur ita ordinauit fieri Deus? Theodor. oratione 10. in cap. 10. Danielis. Sicut, Theodor.
inquit, non propter propria peccata permisit Deus Danielem bello capi, sed prospiciens vtilitatem populi, & veluti quemdam curatorem & magistrum simul cum ipsis mittens: ita etiam redditus tempore, cum plures Hebræi in Babylone incolere (ea habitatione contenti) decreuissent, rursus diuinus Propheta cum illis degere compellitur, vt ne spirituali cura prorsus destituti in impietatem penitus labantur, ita ille. Hinc colliges quanti Deus faciat animarum salutem, cum sic dilectissimos sanctos suos sine culpa vexari & torqueri permittat propter peccatores saluandos.

Genes. 3. sic Dominus de Adam post peccatum; *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, & emisit illum de paradiso.* Cur non dixit; *ne sumat de arbore vitæ eiiciamus eum de paradiso?* imperfecta quidem videtur hæc Dei locutio, & cum posset quis interrogare si su-
mat de illa arbore quid agendum? Rupertus in Rupert.
hunc locum: Ecliptica quidem ait & defectiua loquutione pro re & tempore Deus est vsus, defecit quidem verbum, sed grauiter defecit, & subaudiri promptum est videlicet, *emittamus eum de paradiso.* Ita Rup. vbi nota illa duo verba *pro re & tempore*; noluit dicere Deus *eiiciamus eum ex paradiso*; quid est *pro re & tempore?* tempus quidem erat quando peccauit homo, res autem erat eiicere illū ex paradiso. Quia igitur tale erat tēpus, noluit dicere Deus, *eiiciamus illum ex paradiso*

dijs

diso, quia paradisus nomen & symbolum habebat cœlestis gloriæ; & ne cogitaret peccator se omnino cœlesti gloria priuari, absque vllo remedio noluit talem eiectionem exprimere. Ideo Rupert. ait *pro tempore. Prore* autem dixit sic, ne quis existimaret iam prorsus è cœlesti patria eliminari hominem, qui iam semel peccasset; vel vt breuiùs explicem, quia res erat eiicere peccatorem ex paradiso, qui figura erat paradisi cœlestis, & hoc nec voce tenus voluit exprimere bonus Dominus, qui vult omnes homines saluos fieri, *no pareze que lecabia à Dios en la voca dezir hechemos al hombre del parayso.*, quamuis paradisus ille solùm cœli figuram teneret, seu quia cœli figuram tenebat.

Propositio III.

Quàm ingens beneficium Dei sit saluatio nostra.

MAtth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos.* Primò hîc dubitatur, quos hic Dominus laborantes & oneratos vo-
S. Bern. cet? Respondet S. Bern. serm. 14. super psal. 90. & ait; Graue onus iniquitas sub qua sarcina gemebat qui dicebat: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* ita ille. Peccatores ergo vocat Christus ad pœnitentiam, & eis promittit refectionem & requiem. Sed si ita est, quomodo subdit, *tollite iugum meum super vos?* hoc quidem non videtur exonerare, sed onerare. Respondet S. Bernard. ibidem: Onus hoc Christi onus beneficiorum est; si adhuc quis portat peccata, onus est graue; sed si iam exoneratus est à peccatis, minus quidem graue onus habet: sed si sanum sapiat, non minus grande onus inueniet hanc ipsam exonerationem peccati, onerat nos cum exonerat Deus: onerat nos beneficio, cùm exonerat peccato; vox enim onerati est, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ita S. Bernard. *y assi quando el peccador se confiessa y oye, ego te absoluo, alli hauia de leuantar vn padron y escriuir en el con letras de oro, aqui me perdonò Dios mis peccados.* Vnde meritò omnes eum in symbolo Missæ audimus, *& homo factus est*, genuflectimus omnes; nimirum, quia homo factus est, vt saluos nos faceret; adeo enim ingens beneficium est, vt quasi sub onere tanti beneficij stare non valentes in terram cadentes gratias agamus Domino Saluatori nostro.

Propositio IV.

Omnia bona mundi postponenda sunt saluationi.

Iob.1. IOb 1. experiuit hostis sanctum Iob vt cribraret sicut triticum, & vt eum vinceret omnem eius substantiam dissipauit: sed eum inuictum eius animum videret ad Dominum reuersus, dixit: *pellem pro pelle & cuncta quæ possidet dabit homo pro anima sua*, hoc est, quia personam eius non vulneraui, ideo non superaui eum; vt enim à se obtineat corporis incolumitatem, patien-
Iob. 2. ter reliqua tulit. *Nunc igitur mitte manum suam & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Vbi pondera verba illa; *pellem pro pelle*, &c. quæ sic explicat S. Gregor. S. Greg.
3. Mor. 2. quia cum venire ictum contra faciem cernimus, manum opponimus palpebris. ita ille. Et ratio huius est, quia minus malum eligendum est ad vitandum maius malum, & maius bonum præferendum est minori bono. Cum igitur inter omnia mala pœnæ damnatio Simile.
sit maius malum, & inter omnia bona saluatio excellentius bonum sit, meritò quoduis malum potius eligendum est quàm damnatio, & inter omnia bona saluatio præferenda est; & ideo sicut inter omnes liquores oleum semper supernatat, & superiorem occupat locum, sic inter omnes curas superior esse debet saluationis cura, &c. Simile.

Timens Iacob occursum Esau fratris sui, di- Gen.33 2.
uisit familiam suam, & in posteriori & securiori loco, quæ sibi cariora erant collocauit, prudenter quidem; ita ergo & nos faciamus, & ea quæ ad diuinum obsequium & gloriam Dei, & ad saluationem animæ spectant, potiori prouidentia seruare curemus.

Sunt qui pro filiorum vtilitate plus quàm pro sua laborent. Optimè Seneca: nihil vtilius est, quàm sibi vtilem esse. ita Seneca lib. 11. de Seneca.
beneficiis, in quo autem quis vtilior esse potest, quàm salute æternæ vacare? proximior enim sum egomet mihi.

Propositio V.

Saluatio requirit cooperationem nostram.

MAtth. 20. *multi sunt vocati, pauci verò electi.* mirarus fuit Esdra lib. 4 cap. 8. cum ex ore Angeli hæc audiuit verba à quo hoc responsum accepit, *noli adiicere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt, nam & ipsi accipientes libertatem, & spreuerunt altissimum & legem eius contempserunt, & vias eius dereliquerunt.* quasi dicat, non hoc ex defectu prouenit diuinæ prouidentiæ, sed quia diuinæ misericordiæ non cooperantur; ad saluationem enim nostram Deus & homo simul concurrere debent. Non enim salutem æternam meretur qui se peccatis voluntariis indignum facit. Pereunt ergo multi, quia ipsi perire volunt; quid enim Deus amplius facere potuit & non fecit ex parte sua, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus vt homines faceret Deos? passus est dira vsque ad mortem, mortem autem crucis vt nos ad vitam perduceret æternam. Non ergo ex defectu misericordiæ Dei damnantur plures quàm saluentur.

Matt. 20. 16. 4. Esdr. 8. 36.

Legimus in lib. 1. Reg. c. 4. filios Israël in prælio contra Philistæos attulisse arcam Dei secum; vt eo pacto Dei opem implorarent, & per sanctitatem illius arcæ victoriam obtinerent. Optimum consilium, sed nihil profuit illis; nam victi nihilominus à Philistæis fuerùt & arca fuit ab eis capta, & veluti captiua remansit. Etenim excellens illud remedium erat, & Dominus opem illis non tulit, quia iniqui & peccatores erant, nec Dei auxilio cooperari voluerunt, atque hac de causa perierunt.

S. Ambros. 1. offic. 44. quo præstantior causa, eo S. Ambr.
debet esse attentior cura. ita ille.

S. Leo Papa serm. 2. de Epiphania, quamuis

omnium bonorum sit Deus largitor, etiam fructum nostræ quærit industriæ. ita ille. Alludere videtur ad societates mercatorum, inter quos hoc solet pactum interuenire, vt alter pecuniam, alter industriam adhibeat. Deus sanguinem & vitam exhibuit in redemptionem nostram, nostrum est industriam apponere, opera bona faciendo, sacramenta recipiendo, &c. (Simile.)

Propositio VI.

Spem saluationis ingerit nobis passio Christi.

FRequens est apud nos timor damnationis æternæ, nec mirum; res enim supremi momenti est. Sed ne in timendo excedas, audi S. Augustin. lib. de virgine, inspice vulnera eius, qui pro te in cruce pependit; inspice sanguinem illum, quem pro te effudit; inspice eos apertum ad te recipiendum; & inspice brachia eius extensa ad te amplexandum. ita S. August. Cur igitur tanto timore turbaris? time potius timorem tuum nimium quia diffidentiam quandam præ se fert, & fac vt sentias de Domino in bonitate: spera in Domino & fac bonitatem & saluus eris. Nam, vt ait S. Bernard. serm. 21. in Cantica. numquid eum quem Dominus quæsiuit & per gratiam suam vocauit, venientem eiiciet foras? ita ille. (S. August.) (S. Bern.)

Sanctus.

1. *Quàm nobis prosint sanctorum exempla & virtutes.*
2. *Quàm nobis prosint orationes sanctorum.*
3. *Quàm vtiles sint reipublicæ viri sancti.*

Propositio I.

Quàm nobis prosint sanctorum exempla & virtutes.



Ob cap. 3. de quærentibus thesauros ait, *gaudent vehementer cum inuenerint sepulchrum*, quid hoc? imo inuentio sepulchri tremoris & horroris est occasio. quomodo ergo ait de quærentibus thesauros, *gaudent vehementer cum inuenerint sepulchrum?* si venam auri vel argenti inuenissent, non mirum si gauderent; hæc enim quærunt, inuenientes autem ossa & cineres mortuorum, quomodo gaudere possunt? ita quidem, si supponimus quod super hunc locum ait S. Gregor. 5. Mor. 5. vel. 3. antiqui suos mortuos cum diuitiis obruebant. ita S. Gregor. qui ad mores hæc transferens, *ait*, veram sapientiam requirentes gaudent cum sepulchrum inuenerint; quia cum exempla defunctorum patrum perscrutantur, quasi ex sepulchro gaudium sumunt, quia mentis diuitias apud mortuos inueniunt, sepulchro ergo diues efficitur qui per exempla iustorum in contemplatione virtutis subleuatur. ita S. Gregor. (S. Greg.)

Genes. 17. sic Dominus ad Abraham, *multiplicabo te vehementer nimis, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* hic pro magno reputat Deus multiplicationem gentium ex genere Abraham. Cur ita? cum ex aliis nationibus etiam barbaris huiusmodi multiplicationem esse videamus? Procopius sic respondet, quòd multiplicans multos faciat homines Deus minimè mirandum est; nam aliæ gentes præter Hebræos populos extitere: verùm Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi fuerint Abrahami; nam ex eo plurimi prodiere sancti imitatores fidei & operum Abrahæ. ita Procop. In hoc igitur beneficium multiplicationis consistit, quod multi ex eis sancti futuri sint, qui reliquis in exemplum sanctitatis essent. Ideo ait Dominus, *multiplicabo te*, non ait solum *multiplicabo genus tuum*, sed *te*, vt scilicet per imitationem tui sint quamplurimi Abrahami.

Propositio II.

Quàm nobis prosint orationes sanctorum.

AD Hebræos 12. *nos tantam habentes impositam nubem testium*, &c. Loquitur hic Apostolus de sanctis antiquis, vt ex contextu constat. Cur igitur eos nubem vocat? est quidem metaphora sumpta ab iter agentibus, qui à radio solis percussi, nimio calore vexantur, qui si nubes aliqua interponatur, gaudet & sub eius vmbra prosequuntur ab illo solis feruore magno. Sic nos qui viatores hîc sumus & timore diuini iudicij affligimur, & tribulationibus quas pro peccatis nostris patimur, quasi radiis solis iustitiæ tribulamur, sub patrocinio sanctorum, quasi sub vmbra nubium consolationem recipimus & refrigerium. sic interpretatur locũ hunc S. Athan. q. 162. dicẽs, nubem testium vocat Apostolus sanctos, quia vmbra protectionis suæ protegunt nos. ita ille. (Hebr. 12.) (S. Athan.)

Genes. 18. reuelauit Deus Abrahæ Sodomorum euersionem. misertus Abraham & talem ac tantã cladem euitare desiderans dixit Domino, *numquid perdes iustum cum impio? quod si inuenti fuerint ibi decem viri iusti? cui Dominus, non delebo propter decem.* Ponderat locum hunc S. Ambros. c. 6. lib. de Abraham, & ait: Discimus ex hoc loco quantus murus patriæ sit vir iustus, & quemadmodum non debeamus inuidere sanctis, nec temere derogare; eorum etenim nos virtus seruat, & Sodoma quoque si decem habuisset viros iustos, potuit non perire. ita ille. (Gen. 18.) (S. Ambros.)

Amplificat veritatem istam S. Chrys. hom. 42. in Gen. dicens: sæpe solet Dominus propter paucos iustos multis dare salutem. Et quid dico propter paucos iustos? sæpe quando nec vnus inuentus est in hac vita propter defunctorũ virtutẽ viuentiũ miseretur & curã habet, vnde clamat dicẽs, *Protegã ciuitatẽ hanc propter me, & propter Dauid puerum meum:* quasi dicat: Hic author erit salutis his qui sua se perdiderunt desidia. ita S. Chrysost. (S. Chrys.) (4 Reg. 19. 32. & 4. Reg. 10. 6.)

Consonat quod Dominus ait in parabola zizaniorum Matt. 13. *sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne eradicetis simul & triticum.*

Et Ierem. 5. sic Propheta sub nomine Dei, *circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inuenias virum facientẽ iudicium, & quærentem fidẽ, & propitius ero ei, scilicet* Hierusalem. ita exponit S. Hier. vnde ait: Grandis amor iustitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ & responsionem Dei pro decẽ viris iustis Deus liberauerit ciuitatẽ; sed si vnum inne- (Iere. 5. 1.) (S. Hier.)

nerit Deus misereatur Hierusalem iam pereunte. ita S. Hieronym. & similiter Theodoret. (Theodor.) immensa, ait, est illorum impietas, tum Domini beneuolentia; illi enim tendunt vnanimiter ad iniquè agendum, Deus autem vel vnius iusti beneficio omnibus veniam pollicetur. ita Theod. Vide quanti faciat Deus iustos, quos mundus spernit, quantoque emolumento reipublicæ sint viri sancti; attendantque Reges & Reipublicæ moderatores, qui de salute & bono publico curam habent, ne in solis pecuniis, equis & armis spem suam collocent; sed iustos viros foueant. hi enim sunt muri fortiores, quàm lapidei. Vnus Moyses, condonari iniquitatem numeroso populo à Deo impetrauit, sicut expendit psalmista psalm. 105. *& dixit* (scilicet Deus) *vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* In confractione S. Augustin. (S. August.) hoc est *in plaga*, qua erant illi feriendi. vide c. 32. exodi. quomodo vnus Moyses placauerit Deum volentem iam iam disperdere populum Hebræum.

Propositio III.

Quàm vtiles sint Republicæ viri sancti.

Decreuerat Deus dare terram promissionis filiis Abrahæ, non tamen statim, sed post quadringentos annos. Cur sic distulit Dominus quod amico suo Abraham promiserat? Responsum à Domino habemus Genes. 15. *necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad tempus præsens*; quod autem illis temporibus essent viri pij, constat ex Melchisedech & Abimelech, & his qui incolebant terram Hebron, illi enim Patriarcham Abraham magnopere venerati sunt, & dixerunt illi, *Rex es tu à Deo apud nos, in electis monumentis nostris sepeli mortuum tuum.* ita Thodoret. (Theod.) quasi dicat, ideo non statim abstulit terram illam à Chananæis dando illam filiis Israël, quia degebant adhuc inter Chananæos nonnulli viri pij, qualis erat Melchisedech, & Abimelech, & alij, vt notum sit nobis quàm grati Deo sint similes viri pij, siquidem eorum causa noluerit delere Chananæos malos: etenim propter viros bonos sustinet Deus peccatores, & eorum rempublicam tuetur, quod etiam ex cap. 18. Genes. constat, vbi propter decem viros iustos si reperti fuissent in Sodoma, ei parcebat. Aduertant hoc qui queruntur abundare rempublicam Religiosis.

Scandalum, *Vide etiam in verbo* exemplum & occasio.

1. *Quanto Deus odio scandalum prosequatur.*
2. *Deus scandalum grauiter punit.*
3. *Qui proximum scandalizat, instrumentum diaboli est.*
4. *Quàm sibi noceat qui proximũ scãdalizat.*
5. *Ab omni specie mali cauere debemus propter scandalum.*
6. *Quòd scandalum præbentes cauere debeamus.*
7. *Quàm perniciosa sint Ecclesiæ, & Christo Domino inuisa scandala Christianorum.*
8. *Scandalum in proximum in Christum resultat.*
9. *Quàm graue malum sit scandalum Christianorum.*

Propositio I.

Quanto Deus odio scandalum prosequatur.

Matt. 21. maledixit Christus Dominus ficulneæ fructu carenti, dicens: *numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* (Mat. 21. 19) Cur ita Domine ficulneam maledicis? quid in te peccauit? quia *nihil*, inquit, *inuenit in ea nisi folia tantum.* At inquit Marcus, *nihil inuenit præter folia, non enim erat tempus ficorum.* (Mar. 11. 13) Cur ergo maledixit ei? Isidor. Pelusiota, (Isidor. Pelus.) à maioribus, inquit, nostris & senioribus traditũ est arborem transgressionis Adæ ficum fuisse, ex cuius etiã foliis texerit se. Illi ergo Christus maledixit, ne amplius ex se fructum peccati proferret. ita ille. At inquies, neque in paradiso peccauit ficulnea fructum prohibitũ proferens, neque modo fructũ prohibitum producit; cur igitur Isidor. fructum peccati tribuit illi? fructũ peccati vocat, quia fructus ille ad peccatum hominem prouocauit; *vidit*, inquit, *mulier quod bonum esset lignum ad vescendũ & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius, & comedit.* Ecce veluti scandalo fuit homini fructus ille, & quamuis adeo remotè, vt ostenderet Christus Dominus quemadmodum peccatum abhorreat, ficulneam tã remotè & inculpabiliter, & largo valde modo ad peccatum passiuè concurrẽtem maledixit, siccauit & peremit. Quonam igitur pacto in peccãtem hominem inuehetur, & in eũ qui actiuè scandalũ proximo præbet?

Cur ex sexcentis hominũ millibus, qui ex Ægypto in terram promissionis exierunt, duo tantùm Iosue videlicet & Caleb ad terram promissionis peruenerunt, & reliqui omnes in deserto perierunt? numquid propter infirmitates corporales? nequaquam, cum dicat psalmista ps. 104. *non erat in tribubus eorum infirmus.* Cur igitur? S. Chrys. (S. Chrys.) vt qui Palæstinam erant occupaturi, mala quæ erant in Ægypto non vidissent, & vt tantæ improbitatis nullum magistrum haberent. ita ille. Viderãt enim illi in Ægypto ritus magnos & multos Idololatriæ, & mores peruersos, & quia exẽpla mala valde animis inhærent, ne tales magistri vitiorũ filiis suis monstrarẽt mores illos pessimos Ægyptiorũ, terram illam Dei cultui dicatã prohibuit eos possidere. vnde hi solùm, qui in deserto nati fuerunt, in Palæstinam sunt ingressi, quippe qui ritus illos malos non viderant oculis suis.

Gen. 3. sic Dominus ad serpentem qui decepit Euam, (Gen. 3.) *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, &c. Cur Dominus sic serpentem maledixit & puniuit cùm serpens tamquã irrationale animal, nullũ in tẽtatione illa crimen commisit, cur tanta pœna vbi

Hugo Vict. nulla culpa? Hugo Victorinus in hunc locum: super diabolum primò sententiam tulit, quia impulerat Euam ad peccandum. ita ille. Dices, non videntur sententiæ verba congruere diabolo: non enim diabolus comedit terram, nec super suum graditur pectus: etenim conueniunt, nam diabolus cum peccatores ad suam voluntatem conuertit, terram manducat, de homine quippe dictum est à Deo, *in sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cum igitur terra sit homo, cum diabolus hominem vincit, & ad se conuertit, rectè dicitur de illo, *terram comedes*, & similiter *super pectus tuum gradieris*; hoc est super terram tu reptabis, quia pectus & cor tuum iam non super astra duces & ad cœlestia eleuabis, sed super terrestria semper attendans quomodo terreos homines seducas & perdas. Cur igitur sub nomine serpentis eum maledicens damnauit Deus? respondet subtiliter Hugo, quia si quasi fur aliquis habitum Monachi sumeret, vt alicuius monasterij bona furaretur, in furto inuentus & captus, derisoriè diceretur ei, ô Monache, laico, & hoc propter assumptas monachi vestes. Sic Deus serpentem diabolum vocat, quia serpentis habitum sumpsit ad hominem decipiendum. ita Hugo. Vide igitur causam propter quam primo loco & sententiam opprobrio plenam intulit diabolo Deus, quia scandalum maximum fuit Euæ, & ideo etiam secundo loco damnata est Eua, & priusquam Adam, & graui quidem pœna vt ex contextu patet, cum dixit ei Deus. *multiplicabo ærumnas tuas*, hoc est respectu ærumnarum Adæ, vt ait Hugo, quia scilicet scandalum præbuit viro & impulit ad peccandum.

Idem. Simile.

Hugo Vict. Addit Hugo quod ad rem quoque attinet, quia diabolus inducens prius homines ad peccandum, magis est reus factus, meruit vt liceret ei tentare cunctos homines futuros: & ad hoc ad ipsius dæmonis maius detrimentum. ita ille. Maius, inquit, detrimentum eo nempe quod damnatio eorum quos tentat pœnam quandam accidentalem ei augeat in gehenna. Denique addit Hugo. Et sicut vnus lucifer elatus est; & omnes ei consentientes ceciderunt cum eo, ita & Lucifer solus in serpente decepit mulierem; & quia omnes alij consenserunt ei, omnes susceperunt maledictionem. ita ille. Animaduertant inde qui scandalum aliis præbent, quam graue & quam inuisum Deo peccatum committant, & quàm sibi perniciosum.

Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum terram.* Cur Moyses de Angelorum creatione nullam fecit mentionem, cum inter creaturas præcipui sint ipsi, & aliarum rerum quæ adeo inferiores sunt creationem narrauerit? S. Athanas. lib. de quæstionibus q. 2. sic respondet: Cum nosset Deus Iudæos ad idola & multorum Deorum cultum propensos, eius rei gratia abscondit in genesi hanc de Angelis narrationem, ne & illos facerent Deos, qui vitulum & alia quædam deificarunt quasi illa essent Dij. ita S. Athan. Hinc discimus à Deo ipso scandala peccatorum vitare, tanta enim scandali pernicies est, vt maluerit Deus gloriam quæ ex creatione Angelorum illi crescebat, interim dissimulare, quàm quod ex tali narratione scandalum hominibus oriretur.

S. Athan.

PROPOSITIO II.

Deus scandalum grauiter punit.

Genes. 3. GEnes. 3. sic Dominus Adæ post peccatum, *maledicta terra in opere tuo*, &c. Euæ autem, *in dolore paries filios*, &c. maiorem pœnam adhibuit mulieri quam viro; nam viri pœna extrinseca fuit, mulieris autem intrinseca doloris scilicet, &c. Cur ita? minor enim debiliori adhibenda videbatur; etenim si conditionem naturalem vtriusque solum Deus attendisset, ratio hæc vim haberet, sed tamen Deus grauitatem culpæ attendit. Peccauit Adam transgrediendo præceptū, sed Eua non solùm transgressa est præceptum sed & scandalo fuit Adæ ad præcepti transgressionem. Ita quidem respondit Rabanus super cap. 3. genesis, dicens: Adæ extrinseca ponitur pœna, Euæ autem intrinseca; quia Eua seduxit Adam: ita ille. *seduxit*, hoc est scandalum ad peccandum præbuit, quod quidem non leue seductionis signum est.

Rabanus

Genes. 9. Genes. 9. Maledixit Noë Chanaam qui filius erat Cham filij ipsius Noë. Causa autem maledictionis fuit, quia Cham nuditatem patris non solùm non texit, verùm etiam eam detexit duobus fratribus suis Sem & Iaphet. Quærunt hic authores, cur propter peccatum patris maledixerit Noe filium, cum apud Ezech. scriptum sit, *filius non portabit iniquitatem Patris.* Nicolaus de Lyra sic respondet: Maledixit Noë patrem in filio vt aliqui dicunt, quia filius flagitium istud inceperat, quia primò vidit nuditatem Noë & Patri suo Cham indicauit. ita ille. Quod si tibi leuis causa videtur vidisse Cham nuditatem, & patri indicasse, inde fortius insurgit argumentum; si in ratione scandali leuis illa culpa fuit, & nihilominus tali maledictione percussus, & à Deo punitus, quanto maiori pœna talis erit qui directè & per se scandalum præbet?

Lyra.

PROPOSITIO III.

Qui proximum scandalizat, instrumentum diaboli est.

SIcut magna gloria hominis est Dei instrumentum esse, & cooperatorem in reductione animarum ad ipsum; sic ex opposito, eximium dedecus & ignominia hominis est, esse cooperatorem, & instrumentum diaboli in auersione animarum à Deo & condēnatione ipsarum; qui autem scandalizat, quid aliud est: S. Thom. 1. p. q. 114. artic. 2. proprium officium dæmonis est tentare homines, eos in peccatum præcipitando: quod si aliquando sic tentet, hoc agit in quantum est diaboli minister. ita ille. Quid ergo turpius, quid horribilius? S. Thom.

Sufficit quidem nosse in scandalo periculum contineri non mortis temporalis sed æternæ. vnde qui nos plus quàm mortali prosequitur odio, ministros aptos huic scandalo quærit. S. Leo Papa ser. 7. de Natiuitate Christi: Habet hostis antiquus multos ex eis, quos tenaciùs obligauit aptos artibus suis, quorum ad alios decipiendos & ingeniis vtatur & linguis. ita S. Leo. S. Leo.

PROPO

Propositio IV.

Quàm sibi noceat qui proximum scandalizat.

FRequent est in litteris sacris id ab aliquo factum dici, quod eius causa vel consensu ab alio factum est. Mat. 8. *Cum introisset Iesus in Capharnaum, accessit*, inquit, *ad eum centurio rogans eum*, &c. Lucas autem c. 7. ait: *Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret.* Si misit ad hoc alios, quomodo ait Matt. quòd *accesserit ipse*? respondet S. August. lib. 2. de consensu Euangel.

S. Aug. Matthæus etiam quod vulgo possit intelligi per alios facto accessu centurionis ad Dominum compendio dicere voluit, *accessit ad eum centurio.* ita ille. Exponens quoque locum hunc Abulensis

Abulensis. q. 27. in Matth. ait, eodem modo loquendi dixisse illos qui à Centurione missi fuerant, *synagogam ædificauit nobis*, id est ædificare fecit, & quod per alios facimus, per nos ipsos facere dicimur.

Item. 1. Reg. 26. ingressus Dauid in locum, vbi Saul dormiebat, dixit Dauid cuidam familiari suo: *Tolle hastam & scyphum, & abeamus*, & subdit. *Tulit igitur Dauid hastam & scyphum*, &c. non ait iussit Dauid vel monuit, sed tulit, quia idem est iubere, vel monere, ac facere; sic etiam S. Aug.

S. August. in Psal. 63. agens de occisione Christi ait: Non dicant Iudæi, *non occidemus Christum*: etenim propterea eum dederunt Pilato Iudæi, vt quasi ipsi à morte viderentur immunes, quasi Pilatus occidit, & vos ô Iudæi occidistis. ita S. August. Pondera verbum, *quasi occidit Pilatus.* hoc est comparatione vestri Pilatus quodámodo occidit, vos verò absolutè; quia qui causam damni sic absolutè dat, maiorem culpam habet propter circunstantiam scandali, quam ipse qui facit damnum. vnde rectè ibidem subdit S. August. dicebant Iudæi: Non tradatur per nos, sed per discipulum suum; non occidatur à nobis, sed à iudice Pilato; totum nos faciamus & nihil fecisse videamur; iniquitatem facinoris sui in iudicem hominem refundere volebant, sed numquid Deum iudicem fallebant? ita. S. August.

2. Reg. 12. Sic etiam occisio Vriæ 2. Reg. 12. imputatur Dauidi, dixit enim Natham propheta missus ad Dauid, *occidisti eum gladio filiorũ Ammon*, quasi diceret, gladius occidẽs Vrinã, gladius Ammonitieus erat; manus gladium gubernans, tua fuit, nimirum quia Dauid necem illam ordinauit, *el fue el que trazo camuerte*; quapropter *non recedet gladius de domo tua.* Sic grauiter & acerbè inuehitur & indignatur Dominus in eum qui causam damni dat, & scandalum præbet, maximè si causa non pœnæ sed culpæ fuerit.

E conuerso autem qui causam boni dat, meritum pro qualitate boni recipit à Deo, Daniel. 12.

Daniel. 12. *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Theodotion sic legit. *intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti, & de iustis plurimi quasi stellæ in æternum, & vltra.*

S. Hieron. vbi S Hieron. iuxta Theodotionem, dicitur, quòd docti similitudinem cœli habeant, & absque doctrina iusti stellarum fulgori comparentur, tantumque sit inter eruditam sanctitatem & sanctam rusticitatem quantum cœlum distat & stellæ. ita S. Hieron. ratio autem discriminis est, quia bonorum quæ in Dei obsequium faciunt hi qui doctrinam accipiunt, causa sunt hi qui eos facere monent; sicut enim qui scandalum præbet, magis demeretur, quàm qui non scandalizans facit: sic qui ansam bene operandi præbet; plus meriti habet quam qui simpliciter facit, cæteris paribus.

Hinc Paulus ad Philip. 4. *gaudium meum & corona mea*: sic eos discipulos vocat, qui ex doctrina eius emolumentum capiebant. Primò gaudium suum dicit; quia magno sunt gaudio magistro discipuli proficientes. Secundò coronam suam eos vocat; quia tanto magis merita coronæ cælestis accrescebant ei, quanto maiori conatu & charitate proficientes docebat. Philip. 4.

Qui peccandi ansam & occasionem alicui præbet, se quidem ipsum in culpa peccantis immiscet, & inuoluit, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Scribens Apostolus ad Rom. ad Rom. 1. cap. 1. ait: *Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*, &c. & subdit, *vt aliquem fructum habeam in vobis sicut & in cæteris gentibus.* ponderat S. Anselm. verba illa, *vt aliquem fructum habeam in vobis*, dicens: vt accepto S. Ansel. semine prædicationis aliquas fructificetis virtutes & opera bona. ita ille. Dices: Fructus iste ipsorum Romanorum erat, cur igitur ait, *vt habeam ego?* dicendum enim videbatur, *vt habeatis vos aliquem fructum*, &c. Respondet S. Anselm. quia fructum illum Apostolus reputat suum ita ille. nimirum qui causa illius erat. Sic igitur è conuerso, qui causa peccandi proximo fuerit, suum debet reputare illius peccatum: quid autem infelicius? nonne tibi satis superque sunt peccata tua, quod & aliorum peccatorum consortem facere te velis? quanto ille prudentior, qui aliorum merita sibi propria reddit?

Propositio V.

Ab omni specie mali cauere debemus propter scandalum.

EXod. 25. iussit Deus apponi mensas cum panibus propositionis in tabernaculo suo, mensam Exod. 25. autem non ponebatur directè in medio ante propitiatorium, sed ad latus. Cur ita? quid obstabat eam coram propitiatorio esse? respondet S. Thom. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. dicens, non ponebatur mensa directè in medio ante propitiatorium ad excludendum ritum Idolorum, nam gentiles in sacris lunæ proponebant mensam coram idolo lunæ; vnde dicitur Ierem. 7. *mulieres conspergunt adipem vt faciant placentas reginæ cœli.* ita Sanct. Thom Ecce quomodo ad vitandam illam speciem mali & suspicionem, cauit Dominus non eodem modo poni panes propositionis coram eo, sicut ponebantur coram luna in templis lunæ, ne species aliqua Idololatriæ in templo suo appareret, quamuis in rei veritate non esset Idololatria, sed cultus Dei.

Et eadem ratione ait ibidem Sanct. Thom. S. Thom. altare holocaustorum positum erat extra tabernaculum in atrio exteriori. Ad remouendum, inquit, cultum Idololatriæ, nam gentiles intra templa altaria constituebant ad immolandum Idolis.

Propositio VI.

Quòd scandalum præbentes cauere debeamus.

QVamuis hi qui nobis aliquid male suadent, amici valde sint & familiares, & in gratiam nostram id monere videantur, omnino reijciendi sunt. 2. Reg. 16. maledicebat Semei Dauidi, audiuit maledictiones illas Abisai minister Dauidis, & iratus dixit: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius.* Fidelis sermo videtur ille, sed quid ad illum Rex? *quid mihi & vobis filij Saruiæ? dimitte eum, maledicat,* &c. sensit Rex non expedire ob eam causam, tunc interficere illum, atque adeo, tamquam aduersarium & scandalum sibi corripuit eum. Sic etiam Christus Dominus Mat. 16. Petro dicenti, *absit à te Domine, non erit tibi hoc,* id est non oportet te à Principibus comprehendi & occidi. Respondit, *vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum,* Etenim ex magna in Christum beneuolentia, verba illa Petri procedebant, & tamen ita seuerè Christus respondit, quia scandalum illi erat in re. Docuit autem nos fortiter scandala huiusmodi vitare, quia vt S. Gregor. ait 3. M. 15. qui ad mala nos verbis vel exemplis illiciunt persecutores profectò nostri sunt, ita ille. S. Gregor.

Psalm. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quam hic cathedram pestilentiæ vocat? cathedraticos de pestilentia S. Basil. in scholiis super Psalm. pestilentes, inquit, eos dicit, qui non solùm seipsos perdunt, sed & in alios pestem suam, iuxta pestilentis morbi rationē transferunt, ita ille. nota igitur verbum. Cur scandalum tale præbentes pestilētes vocat? nimirū, vt sicut tempore pestis vnusquisque ab eo qui peste infectus est cauet; sic cum videris aliquem peccatorem scandalum tibi esse, ab eo sollicitè caueas, & fortiori certe ratione; nam si fugis pestilentem, ad euitandum periculum mortis temporalis, multo magis cauere debes periculum mortis æternæ; neque minus sed maius est periculum scandali ad mortem æternam, quàm pestis ad temporalem. S. Basil.

Ierem. 15. *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris* hæc verba Dei sunt ad Ieremiam, quid autem est, *separare pretiosum à vili?* S. Chrysost. hom 3. in Genes. explicans hunc locum ait, qui ab errore ad veritatem manu duxerit, vel à peccato ad virtutem proximum reduxerit pro virili humano me imitatur. ita ille. Is ergo qui conuertere peccatorem curat & verbis satagit proximo prodesse, quasi lingua Dei est. Vnde è conuerso, qui proximo suo scandalum præbet, suadens illi peccatum, quasi os diaboli erit; in hoc enim opponitur diabolus Deo, quod sicut Deus charitate sua nullum non lapidem mouet vt peccatores à peccatis auertat & ad virtutem inducat, sic è contra hostis malitia sua nihil non facit, vt homines à virtute deturbet, & in peccatum impellat; quare qui sic proximum scandalizat, lingua diaboli est, in oréque eius est illico degluciendus. Ierem. 15. S. Chryſ.

Aliquando fugere oportet, sicut à facie colubri, à facie scandalizantis, sicut fecit Patriarcha Ioseph, qui relicto pallio in manu sollicitantis aufugit, ne dicas, recedere non valeo in occasione peccandi nisi cum damno temporali, fuge relicto pallio, pereat pallium, pereant temporalia, ne pereat anima, ne perdas æterna.

Aliquando acribus & acerbis verbis oportet repellere malum suadentem, sicut fecit S. Iob. c. 2. cum vxori scandalizanti respondit, *sicut vna de stultis mulieribus locuta es,* in cuius in ore tanti viri tale verbum, sed prudenter dictum, quia sic oportuit redarguere impiè sic loquentem & scandalum præbentem.

Propositio VII.

Quàm perniciosa sint Ecclesiæ, & Christo Domino immissa scandala Christianorum.

ROm. 2. *qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras: nomen enim Dei propter vos blasphematur inter gentes sicut scriptum est,* &c. alludit Apostolus ad cap. Isaiæ 52. quod exponens S. Chrysost. hom. 7. in Genes. ait: Quando infideles vident aliquos viros conspicuos ex nostris huius vitæ curas & negotia contemnere, admirantur & obstupescunt, quòd cum eiusdem naturæ nobiscum sint, non concedantur eadem ipsis; sed quando vident paruum aliquod delictum nostrorum, statim linguam exacuunt simul cōtra nos omnes, & ex vnius delicto totam Christianorum gentem iudicant; sed neque hoc contenti sunt, sed statim contra Christum caput nostrum loquentes ob delicta seruorum communem Dominum blasphemare audent, & existimant velamenta errorum suorum esse delicta Christianorum. ita S. Chrysost. Ideoque Christus Dominus Mat. 5. *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Nam sicut blasphemant nomen Dei nostri ob delicta nostra, sic ex aduerso propter opera nostra bona laudant, & non sine magno fænore nostro. S. Chrysost. ibidem, magna nobis præmia Dominus concedet, eo quòd propter nos ab illis glorificatur, eos enim, ait, qui me glorificant, glorificabo. ita ille. Rom. 2. S. Chryſ.

Propositio VIII.

Scandalum in proximum in Christum resultat.
Vide supra propo. 7.

ROm. 14. *sic autem peccantes in fratres & percutientes eorum infirmam conscientiam in Christum peccatis.* quid est in Christum peccatis? Sanct. Chrysost. hom 7. super Genes. sic locum hunc expendit; Minæ istæ austeræ sunt, & magnam secum afferunt condemnationem; dicere enim vult, ne opineris quod damnum hoc ad eum qui offenditur solum pertineat, transit etiam ad Christum ipsum qui propter illum crucifixus est. ita S. Chrysost. Si quis seruum emptitium offenderet vel percuteret, non solùm offendit seruum sed etiam dominum; qui eum emit. Christus Dominus emit nos sanguine suo vt asserunt Apostoli Petrus & Paulus; ergo qui in Christianum peccat, etiam Christum Dominum valde offendit. Rom. 14. S. Chryſ.

At dices, ego rem licitam facio, si proximus inde scandalum sumit, culpa eius est. Respondet ibidem S. Chrysost. adducens id Apostoli 1. Cor. 6. *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Vide, ait S. Chrysost. apostolicam sapientiam, etiamsi liceat (inquit) S. Chryſ.

(inquit) mihi, nihilque mali inde mihi accedat, ſed quia hoc non facit ad proximi ædificationem, nequaquam hoc facere ſuſtinuerim. ita S. Chryſoſt. vide illum in id, *ab omni ſpecie mali abſtinete vos.*

PROPOSITIO IX.

Quàm graue malum ſit ſcandalum Chriſtianorum.

Matth. 18. MAtth. 18. *Qui ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Ponderat locum iſtô S. Amb. ſer. 10. dicens; Videamus cur Chriſtianis ſcandalizantibus iſta pœna ſit data. Exiſtimo enim in illa myſterium aliquod contineri, quaſi enim non ſufficeret in mare homini demergendo ſaxum quodcumque non magnum, ſed quod molæ aſinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homini pereat quoque res vſui neceſſaria? ſic expendit S. Ambroſ. & ad quæſitum ſic reſpondet: Saxi mola eſt paganorum Iupiter & Hercules lapideus circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt, nonne tibi videtur molam aſinariam voluere gentilis populus, quandiu in imperitiæ ſuæ labore verſatur? ita S. Ambroſ. Senſus ergo ſententiæ Chriſti hic eſt: Chriſtianus ſcandalizans alios grauius multo Deum offendit, quàm Gentilis & Paganus, quia Gentilis ignorat legem amoris & charitatis Chriſti, non verò Chriſtianus, atque adeo grauiùs peccat, ſciens ſcandalum contra legem charitatis & amoris Dei eſſe.

S. Ambroſ.

Senſuum cuſtodia & mortificatio.

PROPOSITIO VNICA.

Ad ſaluationem quàm neceſſaria ſit ſenſuum cuſtodia.

Luc. 10. LVc. 10. quidam ex inuitatis ad cœnam excuſauit ſe dicens: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Habe me excuſatum.* Per hanc cœnam, S. Gregor. hom. 36. cæleſte conuiuium intelligit; ſicut enim conuiuium cœnæ vltimum eſt, ſic cœleſte conuiuium vltimo loco nobis conceditur, & in æternum duraturum; excuſatur autem ab hac cœna ille propter quinque iuga boum. Sanctus Auguſtinus ſerm. 33. de verbis Domini ſecundùm Lucam: Quinque hominis ſenſus interpretatur. Sicut enim boues terram (inquit) verſant, ſic terrenis deditі, qui in quinque ſenſibus totius voluntatis ſuæ ſibi regulas ponunt. ita ille. Cum igitur per quinque ſenſus cuncta mundi oblectamenta percipiantur, innumeri autem ſint, qui ſenſibus & non ratione reguntur, innumeri etiam ſunt qui ad cæleſte conuiuium non perueniunt, & hac ratione multi ſunt vocati, pauci verò electi.

S. Gregor.

S. Auguſt.

Qui ergo hac cœna frui deſiderat, quinque mortificet ſenſus.

Seruire Deo.

1. *Quòd etiam in rebus difficilioribus Deo ſeruire debeamus.*
2. *Quàm proprium homini ſit ſeruire Deo.*

PROPOSITIO I.

Quàm etiam in rebus difficilioribus Deo ſeruire debeamus.



Pſal. 58. PSal 58. ſic ad Dominum Dauid, *fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* Quid ita? Titelm. Per fortitudinem vires omnes eius accipiuntur, quas vir ſanctus domino cuſtodire proponit, quoniam non niſi ad gloriam Dei illis vti decreuit, cuius eſſe nouit omnia quæ in ſe ſunt. ita Titelm. Non ita multi, qui fortitudinem ſuam mundo cuſtodiunt, debilitatem verò ſuam Deo, ſi diuitias habent fortitudine ſeu maiori illarum parte mundo ſeruiunt, minori verò Deo, vilia pro Deo pauperibus tribuentes, ornatui & ſupellectili maiora reſeruantes, &c. Et ſic de tempore & aliis rebus hi non Deo, ſed mundo fortitudinem cuſtodiunt.

Titelm.

Exod. 29. Exod. 29. armum hirci oblati ſibi Deus ſpeciatim offerri decreuit, armus autem in ſacris litteris fortitudinis ſymbolum eſt, vti ait S. Gregor. ſuper. 1. Reg 9. & 2. Paſtoralis c. 3. & S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 3. voluit igitur Deus ſibi offerri armum, quia ſibi voluit fortitudinem noſtram ſeruari. Sic S. Theodor. q. 61. in Exod. dicens: Statuit Deus armum dextrum hirci mactati offerendum ſibi, innuens virtutem actionum tamquam dextram & optimam eſſe offerendam Deo. ita ille.

S. Greg.

2. Cor. 6. Vnde Apoſt. Paulus 2. ad Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam,* &c. id eſt in quocumque euentu, ſiue ille facilis, ſiue difficilis ſit. Amare amatorem facile quidem eſt, ſed amare illum qui me odio habet, difficile. In hoc ergo me Dei miniſtrum verum exhibere debeo, vt etiam diligam inimicum.

PROPOSITIO II.

Quàm proprium homini ſit ſeruire Deo.

S. Auguſt. S. AVguſt. lib. 8. de Geneſi ad litteram expendit numquam Deum in operibus ſex dierum vocari Dominum; niſi poſtquam hominem creauit. Cur non ſemper cum omnium creaturarum Dominus ſit? *in principio*, inquit ſcriptura, *creauit Deus cœlum & terram.* Cur non ait *Dominus Deus,* ſed tantùm *Deus*, & eodem modo in creatione aliarum rerum vſque ad hominis creationem? S. Auguſt. ſic reſpondet: Non quòd aliarum creaturarum Dominus non eſſet, ſed ad hominem admonendum quantum ei expediat habere ſibi Dominum Deum, hoc eſt, ſub eius dominatione viuere obedienter potiùs quam licentiosè abuti propria poteſtate. Deus enim noſtra ſeruitute non indiget, nam ſi nobis indigeret, eo ipſo

to

ſo non verus Dominus eſſet, cum per nos eius adiuuaretur neceſſitas ſub qua & ipſe ſeruiret; metitoqoe dicitur in pſalmo, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; nos verò dominatione eius indigemus, vt operetur in nobis & cuſtodiat nos, & ideo verus & ſolus eſt Dominus, quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram vtilitatem ſalutemque ſeruimus ita S. Auguſt.

Pſal. 48. Pſalm. 48 *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis: laudate eum omnes Angeli eius*, &c. Inuitat Dauid omnes creaturas ad Dei laudem, ſed ordinem obſerua, prius enim inuitauit Angelos poitea creaturas inſenſibiles, poſtea ſenſibiles & irrationales, dicens: *beſtia & vniuerſa pecora*, vſque ad dracones etiam. Deinde homines inuitat, *Reges terræ*, &c. Cur prius ad Dei laudes inuitat inſenſibilia beſtias & dracones quàm homines etiam Reges terræ? Si dicas, voluiſſe gradatim à rebus minoribus ad ſuperiores aſcendere, obſtat, quòd prius inuitauerit Angelos & ſpiritus cœleſtes, deinde beſtias & inanimata. Si ergo ab inferioribus ad ſuperiora procedere voluiſſet, vltimo loco Angelos inuitare debuiſſet. Cur igitur prius, non ſolùm Angelos, ſed etiam reliquas irrationales creaturas, quàm homines ad Dei laudem inuitauit Propheta? Ratio quidem manifeſta eſt, ſed in dedecus magnum noſtrum. Inuitauit eo ordine creaturas ad Dei laudes, quo ipſæ creaturæ de facto præſtant: potiores enim in laudibus diuinis Angeli ſunt, deinde non homines poſt Angelos, ſed irrationalia cuncta; aues enim cantibus ſuis & reliqua quæ ratione carent, operibus ſibi à Deo iniunctis rectè adhibitis Deum laudant. vnde Dauid Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*, &c. Homo autem ſolus eſt, qui abuſu arbitrij ſui ſegnior & tardior eſt, imò & deficiens in obſequiis & laudibus diuinis, & qui amorem ſui amori diuino præponens, ſæpe Deum grauiter offendit. Merito ergo in infimo loco ad Deum laudandum & glorificandum eum inuitauit, cum tamen ratione vſus rationis prior eſſe deberet.

Simplicitas & ſinceritas animi.

1. *Quantum Deo placeat & duplicitas diſpliceat.*
2. *Quàm vituperabilis ſit duplicitas & fraus in homine.*

Propositio I.

Quantum Deo placeat ſimplicitas & duplicitas diſpliceat.

Exod. 12. EXod. 12. *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael.* Agitur ibi de feſto agni Paſchalis. Cur igitur hoc præcepit? quid mali habet panis fermentatus vt tantam pœnam lueret, qui fermentato pane veſceretur? Reſpondet ibi Oleaſter: Abhorruit ſemper Dominus à mixturis, & ideo præcepit non arandum in aſino & boue, Deut. 22. & non ſerendam terram ſemine (Oleaſter.) diuerſo. Deut. 22. & non geſtandam veſtem ex lana & lino textam, ibidem num. 11. Voluit enim nos ſimplices eſſe, & ſimpliciter apud proximos conuerſari. ita ille. *aborreze Dios alos hipocritas y a loſque tratan con doblez hombres redomados, que dicen vno y ſienten otro, que veſan manos, que deſean ver cortadas hombres de doſcaras.* Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum, quales illi erant qui Matth. 22. dixerunt Christo: *Magiſter ſcimus quia verax es*, &c. & tamen hoc interrogabant, vt caperent eum in ſermone. (Deut. 22. Mat. 22.)

Sopho. S. Hieron. Sophon. 1. *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* Sic locum interpretatur S. Hieron. vlciſcar in eos qui pro virtutibus impleuerunt templum corporis ſui iniquitate & dolo. ita ille. Dolo inquit, quales ſunt hi qui in corpore plures animos geſtant, & in vno ore plures perſonas agunt, & in vno homine plures homines apparét. Rupert. ad hypocriſim refert hanc veſtem peregrinam, quam qui veſtit, vnus videtur & duplex eſt.

Et hinc eſt quòd etiam punierit ſæpe Deus, qui peregrinam ſibi veſtem materialem induerunt. 3. Reg. 22. Acab mutato habitu ingreſſus bellum ſagitta vulneratus interiit. & 3. Reg. 14. Vxor Ieroboam mutata veſte abiit cõſulere Prophetam Achiam qui ei mortem filij annuntiauit. Saul etiam 1. Reg. 28. mutato habitu conſuluit Pythoniſſam, & reſponſum mortis ſuæ accepit. Diabolus ſerpentis figuram induit Geneſ. 3. & grauí à Deo in ſerpente maledictione percuſſus eſt. Tandem ſeuerè prohibuit Deus Deut. 22. ne vir fœminea veſte indueretur, vel fœmina virili, & eos qui talia agerent, tanquam abominabiles execrabatur. Quibus omnibus docere nos voluit Deus, ſe velle ſeruos ſuos ſimplices animo eſſe verbis & factis. De his Sanct. Hieron. epiſt. 4. ad Ruſticum monachum, *intus Nero, foris Cato*, totus ambiguus, vt ex contrariis naturis vnum monſtrum diceres eſſe compactum, iuxta illud Poëticum: (3. Reg. 22. 1. Reg. 18. Gen. 3. Deut. 22. S. Hieron.)

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimera.

ita ille.

3. Reg. 7. 3. Reg. 7 Quam plurima fuerunt vaſa templi Dei, argẽtea & aurea. & inſuper ærea; ſed inter tot vaſa nec vnum vitreum erat. Cur igitur non ſiquidem pulchra vaſa ex vitro conficiantur? Doctus quidam modernus ſic reſpondet; quia vitrum, quàm expers coloris eſt in ſe, tam facile recipit alienos, quibuſcumque enim coloribus imbuitur, concolor ſtatim efficitur. ita ille. Et ſubdit: ſub hoc typo voluit Deus ab obſequio ſuo eos arcere, qui non ſeruant vnicam & ſimplicem viuendi rationem. ita ille. *aborreze Dios hombres fruncidos redomados doblados fingidos y engañoſos (como y a dixe) que en la lengua tienen ſi y mel corazonno.* Hi enim ſunt de quibus Dauid Pſal. 27. *Cum operantibus iniquitatem ne perdas me, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo: mala autem in cordibus eorum.* Vbi Ianſenius exponens hunc locum ait: Hi ſunt qui verbis promittunt pacem & amicitiam proximis ſuis, cum mala eis inferre cogitẽt in cordibus ſuis, aliud lingua loquentes, aliud corde cogitantes; homines quidam peſtilentiſſimi & apertis hoſtibus magis noxij. ita Ianſen. pejore merito hoc dicens, quia ab hoſtibus notis facilius nos poſſumus expedire ac laborare, quàm ab his qui ſimiles ſunt Ioab, qui 2. Reg. 3. dum oſcularetur Amaſam, lethali vulnere eum occidit occultè, hic pacem in ore, bellũ in corde gerebat. (2. Paralip. Pſ. 27. Ianſen. 2. Reg. 6.)

Vnde

Psal. 11. Vnde Dauid Psal. 11. *Saluum me fac Domine quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum: Vana loquuti sunt, vnusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt*, &c. Nota verba, *diminutæ sunt* (inquit) *veritates. Como dineto cercenado que no tiene la plata o el oro que representa assi ay verdades cercenadas que en parte son verdades o lo parezen y en parte son falsedades.* Veritates diminutæ non integræ, indebitoque pondere constitutæ. Item *vana*, inquit, *loquuti sunt*, vanum est quod licet foris appareat plena veritas, intus tamen nihil minus; sicut nux quæ foris integra intus tamen nucleo caret. Denique *corde*, inquit, *& in corde loquuti sunt*, id est, duplex cor habent; vnum in lingua, dicentes se ita in corde sentire, in corpore verò aliud oppositum dictis sentientes. Ab his igitur, ait Dauid, *Saluum me fac Domine*, quasi dicat, ab huiusmodi hominibus falsis, quis valeat se liberare nisi à te adiutus? homo enim aperta & exteriora dignoscit, Deus autem intuetur cor: quare hi non solùm Deo, sed hominibus abominabiles sunt. Denique hi similes Iudæ sunt, contra quem sic Christus: *Iuda osculo filium hominis tradis?* q. 6. osculum signum amoris est, & tu signo amoris opera inimici mortalis facis.

Eccl. 2. Ecclesiast. 2. *Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis*, &c. vbi Lyra, *duplici corde*, id est, prætendenti bonum exterius & habenti malum interius. ita ille. Hi etiam sunt qui ingrediuntur duabus viis, & his minatur Deus dicens: *Væ illis.* Quæ quidem comminatio æternæ damnationis est, & quibus sub nomine hypocritarum septies minatur Christus Dominus Mat. 23. dicens: *Væ vobis*, &c.

PROPOSITIO II.

S. Ambros. *Quàm vituperabilis sit duplicitas & fraus in homine.*

SAnct. Ambros. lib. 3. offi. c. 11. Regula iustitiæ manifesta est, quòd à vero declinare non deceat virum bonum, nec doli annectere quidquam, fraudisve componere. ita ille. qui exemplis id confirmauit, dicens: Quid euidentius eo quod Ananias, quia defraudauit de pretio agri sui, quem ipse vendiderat, & portionem pretij tamquam summæ totius numeri ante pedes Apostolorum posuit, sicut reus fraudis interiit? licuit itaque illi nihil offerre, & hoc sine fraudis fecisset. Sed quia fraudem admiscuit non libertatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exoluit, & Dominus in Euangelio cum dolo accedentes repudiauit, dicens: *Vulpes foueas habent*, &c. quoniam in simplicitate cordis nos viuere iubet. Dauid quoque ait, *sicut nouacula acuta fecisti dolum*, nequitiæ arguens proditorem. ita S. Ambros. loquitur autem Dauid ibi de Doeg qui apud Saulem prodidit Dauidem, & Abimelech sacerdotem. In exemplo autem Ananiæ idem Petrus Apostolus causam tantæ pœnæ indicauit act. 5. dicens mentitum illum fuisse Spiritui sancto vide locum. Imitantur autem huiusmodi fraudulenti diabolum, qui primam fraudem ad primos homines perdendos adinuenit, dicens, *nequàquam moriemini*, &c. Quare meritò fraudatores & dolosi filij diaboli possunt nuncupari.

Societas amicorum.

1. *Socius malus instrumentum diaboli est ad perditionem socij.*
2. *Quàm nociua sit societas malorum.*
3. *Quàm infamis sit societas malorum & honorifica bonorum.*
4. *Quàm vtile sit communitatibus habere in se socios bonos.*
5. *Societas malorum est fugienda.*

PROPOSITIO I.

Socius malus instrumentum diaboli est ad perditionem socij.

IOb 2. sic ad Iob vxor eius: *Adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.* Itane vxor tanti viri, quam sine dubio ex consortio sancti, sanctis moribus imbutam credimus fuisse verba pessima hæc dicere ausa fuit? Etenim dæmonis astus interfuit, cuius astutia est per socios & familiares iustorum animas expugnare & deturbare. Sic locum hunc exposuit S. Gregor. 3. Mor. 5. dicens: Quia hostis sanctum virum tot damna quasi in quadam arce virtutum stare vidit inuictum, & idcirco hanc hostiles insidiæ irrumpere non valebant, quærit ab aduersario quibus in hanc munitissimam arcem ascendatur, vicina est autem viro vxor, cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam, qua ad cor viri ascendere posset, inuenit. ita S. Gregor. qui subdit: ex verbis ergo male suadentis coniugis, vigilanter aspicere debemus, quod aduersarius antiquus non solùm per semetipsum, sed etiam per eos qui nobis adhærent, satagit statum mentis nostræ inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc per linguas adhærentium repit. Hinc enim scriptum est, *à filiis tuis caue, & à domesticis tuis attende.* Hinc etiam per Prophetam Hieremiam dicitur, *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Hinc rursum scriptum est, *inimici hominis domestici eius.* Callidus namque aduersarius cum à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur acquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus ceteris amantur, vt cum vis amoris cor perforat, facile persuasionis eius gladios, ad intima rectitudinis munimina irrumpat. Sic post damna sancti Iob, post funera pignorum, post vulnera & scissuras membrorum antiquus hostis linguam mouit vxoris. ita S. Gregor. ita etiam tentauit Adam mediante Eua & vicit; magna quippe tentatio est suasio personæ familiaris, & maximè si persona fuerit dilecta. Et S. August. ait peccasse Adam ne contristaret delicias suas.

S. Greg.
Eccl. 31.
Ierem. 9.
S. Gregor.
S. August.
Gen. 3.

Genes. 3. *serpens callidior erat cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus*, elegit hostis ad decipiendam Euam consultò serpentem, quod & permisit Deus, vt hostis nostri astutiam manifestaret, qui ad decipiendos alios, homines quærit acutioris ingenij, vt acumine illo faciliùs ad se alios trahant, & seducant, & perdant. Audi Sanct. Chrysost. hom. 16. in Genes. vide, inquit, maligni

maligni dæmonis technas, inuento serpente, qui cætera animalia calliditate superabat, eo quasi instrumento vsus est, per quod Euam in deceptionem prouocaret. ita ille. Non quod serpens fuerit qui Euam per se decepit, cum animal esset ratione carens, sed Dei prouidentia non aliud assumpsit, vt Deus prædictam ostenderet astutiam diaboli. Hinc sequitur quod in eligendis amicis non illi sunt eligendi, qui altioris intellectus sunt, si prauis sint moribus affecti, quamuis ingenio magno polleant; nam hi tantò peiores amici sunt, quanto subtiliores; quia subtilitas eorum aptius ad decipiendum hominem instrumentum diaboli est. Non damno doctiores, & acutiores inter bonos eligere in amicos, sed malos eligere. Vnde melior amicus est vir simplex & bonus, quàm sapiens qui talis non sit. Hoc dixerim propter eos, qui facile ineunt amicitiam, cum his qui intelligentiores videntur, non attendentes eorum mores; naturali enim pondere his afficimur, qui ingenio vigent.

Propositio II.

Quam nociua sit societas malorum.

EX sexcentis hominum millibus qui ascenderunt ex Ægypto, duo tantùm Iosue & Caleb terram promissionis possederunt, cæteri in deserto mortui sunt; nō quidem naturali morbo qui nullus tunc erat, iuxta illud Psal. 104. *non erat in tribubus eorum infirmus*, sed morte violenta interierunt, ferro & igne. Respondet Sanct. Chrysost. in Psal. 43. vt qui Palæstinam erant occupaturi, mala quæ erant in Ægypto non vidissent, & vt tantæ improbitatis nullum magistrum haberent, ita ille. Etenim illos in Ægypto Idololatriam didicisse vituli conflatio demonstrat. Ne igitur pessima illorum societas in terra promissionis degentibus & amplexantibus cultum verum Dei noceret, eos Dominus de medio tulit.

Psal. 104.

S. Chrys.

Mat. 8. dormiente Domino in nauicula, *ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus*; & ita etiam vt discipuli excitarent Dominum dicentes, *Domine salua nos perimus*. Cur quæso sic permisit Dominus turbari tam graui tempestate & periculo nauem in qua Christus cum discipulis nauigabat? S. Ambros. hom. 11. sic respondet: Erat quidem cum domino Petrus in illa naui, sed erat pariter proditor Iudas, & quam Petri fides fundaret nauiculam, Iudæ tamen perfidia eā conturbabat. Tranquillitas est vbi solus Petrus nauigat, tempestas verò vbi adiungitur Iudas; & licet esset Petrus firmus meritis suis; perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto sanctorum merita quatiuntur. Si ergo vnius Iudæ peccato cuncti periclitantur Apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, ne per vnum omnes fluctuemus, quin etiam huiusmodi abiiciamus de nauicula nostra, vt non obdormiat, sed vigilet Dominus in nobis. ita Sanct. Ambros. & quod ille de perfidia specialiter ait, de aliis etiam peccatis dici potest; nam vti ibidem ait S. Ambros. pro actibus nostris Dominus nobis vigilat, vel dormit. ita ille. De bonis autem ait Dauid, *ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*, &c.

Mat. 8.

S. Ambr.

S. Ambros.

Ionæ 1.

Ionæ 1. præcepit Dominus Ionæ pergere in Niniuem vt prædicaret in ea conuersionem eius, qui renuit obedire; & ascendens in nauim abiit in partes alias. *Dominus autem* (ait scriptura) *misit ventū magnum in mari, & facta est tēpestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri*. Cur quæso cōtra nauim sic iratus est Dominus, videns quòd non solùm contra Ionam sic obedientem insurgeret, sed etiam aduersus nautas & alios, qui tei nequaquam erant illius inobedientiæ? S. Hieron. ibidem sic respondet: Periclitatur nauis quæ periclitantem susceperat, id est, quæ dignum tali periculo continebat; & vento maria concitantur, in tranquillitate tempestas oritur, nihil Deo aduersante securum est, non solùm peccans ipse, sed nec domus, nec ciuitas, in quibus peccatores degunt. Audite hoc Iudices terræ, audite patres, & domini familiarum.

S. Hieron.

Notanda est etiam Iosue c. 7. historia, in qua refertur delictum Achan, qui clam furatus nonnulla de anathemate Iericho propter quod multi occisi sunt ex filiis Israel, & alij terga verterunt, *hostium mal parentendo*; quid hoc? peccauit vnus, & pœnas subiit populus Dei? Sanct. August. q. 8. in Iosue respondet: Quæri solet quomodo iustè pro peccatis alterius in alios vindicetur. Respondet vt non solùm se quisque curet in populo, sed sibi inuicem adhibeant diligentiam, & tamquam vnius corporis membra, alia pro aliis sint sollicita. ita ille. hoc contra nolentes denuntiare, &c.

S. August.

Genes. 12. sic Dominus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de domo Patris tui, & vade in terram quam monstrauero tibi*; &c. Cur à patria exulare facit Dominus seruum suum? nonne optimè poterat in domo Patris sui Deum colere, & ei bene seruire? Respondet Rabi Salomon: Quia pater Abrahæ & frater eius Nachor declinauerant in idololatriam, in terra Aran, ideo Dominus Deus dixit Abrahæ, quòd recederet à Patre, & à cognatione sua. ita Rabi Salomon. Vnde constat etiam à domo parentum nos exire debere, quando inde scandalum animæ imminet, & ideo Christus ait, *non veni pacem mittere, sed gladium*, & subdens causam ait: *Inimici hominis domestici eius*. Ideo igitur, quia expediens erat Abrahæ dixit illi Dominus, *exi de terra tua*, vbi Originale hebræum habet, *vade tibi de terra tua*, quid est *vade tibi*? Lyranus, ac si dicat: Pro vtilitate tua vade longiùs à terra tua. ita ille. Melius enim est peregrinari, & incommoda grauia pati, & saluari, quàm delitiis patris, & parentum gaudere, & simul damnari. Egredere ergo de terra tua. Vbi adhuc nota quòd vti adnotauit ibi Lyranus, iam tunc Abraham erat extra patriam suam; erat enim in terra Charam. Cur ergo ait, *exi de terra tua*? Respondet idem Lyranus, quod idem est ac si diceret quamuis extra patriam tuam sis, non tamen satis longè, recede longiùs, quia ita expedit tibi, nimirum, quia non solum pericula fugere debemus, sed etiam confinia eorum.

Gen. 12.

Luc. 12.

Lyra.

Genes. 5. *ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit quia tulit eum Deus* in excellentiorem quandam regionem, vbi cum Helia & Angelus vsque in finem sæculorum degat; mirum, & peregrinum beneficium. Cur ita: Oleaster ibidem. Disce, inquit, quantum diligat Deus viros probos, vt eos auferat de medio nationis prauæ, ne malitia intellectum mutare possit. ita ille. Ecce cur dilectum Henoch sic transtulit, quia inter peccatores degebat, & quia vim malæ societatis agnouit; virum sibi charum; ne deprauaretur exemplis & verbis malorū, in paradisum detulit.

Genes. 5.

Oleaster.

Hinc

Hinc viri iusti & multi in deserta loca se recipiebant, fugientes societatem malorum, *queriendo mas estar solos que mal acompañados*, propter periculum animæ. Sicut enim pestis vnius facile sibi adhærentibus adhæret; in mortem corporis; sic etiam malum exemplum facile corrumpit alios in mortem animæ.

Et hinc colligitur fugiendum esse consortium multorum hominum, licet nesciaseos malos esse; quia moraliter loquendo impossibile est vbi sunt multi, non esse pariter vitia multa. vnde Isai. 9. *multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Cur
Idem. ita? Oleaster in c.6. Genesis, quoniam gentis copiam viria sunt sequuta. ita ille.

Iob 1. *vir erat in terra Hus nomine Iob*, &c. In
Iob.1. laudem sancti Iob scriptum fuit volumen illud. Sed ad quid, quæso, terram suam hic scriptura nominauit, cum nomine digua non esset? vnde potius in dedecus quam in honorem S.Iob fuisse vi-
S.Chrys. detur. Respondet S. Chrysost. hom. 2. de patientia Iob: vt prouinciam ex qua tantus fructus floruit vit, mireris, qualisque rosa in medio spinarum ger-
Simile. minauerit. ita S.Chrysost. Pondera similitudinem rosæ ortæ intèr spinas. Si enim quis rosam Alexandrinam pulcherrimam videret, & nesciret arbustum ex quo orta esset, audiretque inter spinas natam esse, vix crederet spineam arborem tam preciosum florem germinare potuisse. sic de Iob philosophandum est.

Simile. Item sicut pro miraculo haberetur in arida terra, & arenaria felices segetes prouenire; ita etiam in patria vitiis referta Iobum sanctum educatum ab incunabulis fuisse miraculum appatet; vel denique magnam fuisse virtutem Iob, qui sanctitate vicit improbitatem patriæ, & societatem adeo pessimam, vt dicere ipsi liceret *frater fui draconum, & socius struthionum*, Iob 30.

S. Gregor. Consonant rectè verba S.Gregor. Papæ, qui 1. Mor. 1. sic incipit exponere historiam Iobi. Hus quis nesciat, quod terra gentilium sit? gentilitas autem vitiis extitit obligata. Dicatur ergo vbi habitauerit Iob, vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit; neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis; & sicut grauioris culpæ est malum esse inter bonos, ita etiam immensi præconij est inter malos bonum extitisse. ita ille.

Qui in huius confirmationem nonnulla sacræ scripturæ annectit exempla ibidem dicens. Hinc
1.Petr.2. Beatus Petrus magnis laudibus extulit Loth, quia bonum inter reprobos inuenit, dicens; *& iustum loth oppressum à nefandorum hominum iniusta conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant*, qui nimirum cruciari non posset, nisi praua propinquorum opera audiret, & cerneret, & tamen aspectu & auditu dicitur iustus, quia iniquorum vita non delectando iusti aures atque oculos, sed feriendo tangebat. Hinc
Phil. 2. etiam Paulus discipulis suis dicebat *in medio nationis prauæ, & peruersa inter quos lucetis sicut lumi-*
Apoc. 2. *naria in mundo.* Hinc quoque Pergami Ecclesiæ dicitur, *scio vbi habitas, vbi sedes est satana, & tenes nomen meum & non negasti fidem meam* Hinc sancta Ecclesia sponsi voce laudatur, eum ei in eanrico amoris dicitur, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sic S. Iob *sicut lilium inter spinas creuit*, ita S. Gregor.

* *
*

Labata loci Mor. Tom. I.

Propositio III.

Quàm infamis sit societas malorum & honorifica bonorum.

Gen.16.18 GEn.16. fugiebat Agar ancilla Abrahæ è domo dominorum suorũ, & appatens illi Angelus dixit: *Agar ancilla Sarai vnde venis, aut quo vadis.* Cui Agar, *à facie Sarai dominæ meæ fugio.* etenim Agar non plene ad interrogata respondit, interrogario fuerat vnde veniret & quo iret; ipsa verò solum respondit vnde veniret. Cur ita? Lypomanus in catena sua sic responde: erubuit confiteri, à domo sancti viri & probatæ dominæ ad idololatras Ægyptios se redire. ita ille. Venerat enim ex Ægypto in domum Abrahæ & Saræ. Pondera verbum *erubuit*, infamis enim erat Ægyptiorum conuictus & societas, sicut è conuerso honorifica conuersatio Abrahæ domus.

Hinc Isaias c.1. ad peccatores populi Israël, *au-* Isai.1.10.
dite verbum Dei Principes Sodomorum, & percipite auribus legem Dei vestri, populus Gomorrhæ. Etenim hoc non ad ciues Sodomæ nec Gomorrhæ dictũ est, sed ad Israëlitas. Cur igitur eos Sodomitas & Gomorrheitas vocat Isaias? Nimirum, quia ita peruersi erant, ac si cum pessimis illis conuersati fuissent; corrumpunt enim mores malorum societates, sic exponit locum istum Lyranus.

Eadem ratione Ezechiel populo Hebræo de- Ezech.16.
prauato dixit c. 16. *radix tua & generatio tua de* 13.
terra Chanaan, haud quidem vti verba sonant illi Chananæi erant sed Hebræi. Cur igitur Chana-
næorum fœditate eos ferit? Theod. sic respondet: Theod.
sicut Ioannes Baptista eos qui ferini erant, & im- Luc.3.7.
probi venenatis feris comparauit dicens, *genimina viperarum*, &c. ita & hoc loco Dominus per prophetam Chananæam vocat eorum stirpem, quorum æmulati erant impietatem, quique eorum merito cognationem contraxere. ita Theod. Ita, quidem, quia Iudæi, sic fidem vetam deseruerunt, ac si non in Iudæa, sed in Idumæa nati viderẽtur.

Vnde miraculo instar est inter malos aliquem bonum esse, aut certè excelsæ virtutis indicium.

Iosue 14. Caleb vir magna virtute prædirus, in Iosue 14.
diuisione Terræ sanctæ petiit à Iosuè ciuitatem 12.& 15.
vocatam Cariath Arbe. Cur hanc speciatim potius quàm aliam? Respondet Theodor. q. 16. su- Idem.
per Iosuè, quia ciuitas illa pietate pol'ebat, cæteris omnibus an eposuit, in qua optimi Patriarchæ habitauerunt, & sepulti sunt. ita Theod. vixerant enim in illa ciuitate Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebeca, Iacob & Lya, sperabat inde Caleb, ita Deum piis oculis ciuitatem illam aspecturum propter sanctos illos Patriarchas, vt eã non fineret granibus peccatis vitiari, atque adeo optimã illi fore ad habitãdũ. Ecce quomodo sãcti viri timẽt inter sanctos habitare: vt enim ait Apostolus, *corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Propositio IV.

Quàm vtile sit communitatibus habere in se socios bonos.

Gen.15. GEn.15. promisit Dominus Abrahæ, & semini eius terrã promissionis, quã gentibus auferẽ lã asserit, nõ quidẽ statim sed post quadrigẽtos annos. Quæres cur non statim? respõdet scriptura sacra, *nondũ completa sunt iniquitates Amorrhæorũ,*

Hh qui

qui nempe à terra illa eiiciendi erant, vt filij Abrahæ eam possiderent: non autem esse completas iniquitates illorum sic interpretatur Theod. q. 64. in Genes. quia temporibus illis adhuc erant inter illos viri pij, videlicet Melchisedech & Abimelech, & alij habitantes in terra Hebron. ita Theod. vide quam vtile sit viros religiosos & iustos inter nos degere vt propter ipsos nobis benefaciat Deus. Idem. Idem.

Etenim ex c. 18. Gen idem constat, si enim inter Sodomæ & Gomorrhæ incolas decem iusti reperti fuissent, non ita infeliciter omnes periissent.

Gen. 20. *Profectus inde Abraham in terram australem*, &c. Degebat Abraham in terra Mambre prope terram Sodomorum, quam tūc Deus euerterat propter grauia eorum peccata, & abiit ad Austrum, in qua quidem calor viget: moralizat hunc locum glossa moralis dicens, bonus prælatus qui per Abraham significatur, tendere debet ad perfectionem charitatis quæ per austrum designatur, eo quod inde prouenit feruor caloris, iuxta illud Ioh 37. *nonne vestimenta tua sunt calida, cum perflata fuerit terra austro.* ita Glossa. hoc autem non ad Prælatos tantum, sed etiam ad nos omnes spectat; omnes enim Aquilonatem regionem (frigidam, inquam, societatem) fugere debemus, quia inter frigidos socios frigidi erimus; inter australes verò, hoc est, inter eos qui Dei charitate feruent, & nos etiam charitate feruebimus.

PROPOSITIO V.

Societas malorum est fugienda. Vide 4. *propositionem.*

Psal. 6. PSal. 6. postquam Dauid à peccato se liberatum cognouit, & se misericordiam postulantē exauditum esse, in vocem illam erupit ps. 6. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Veniam assecutus ne iterum in peccatum corruat, consortium peccatorum fugit. hoc enim necessarium esse prospexit ad se in officio continendum. Ponderans bonum hoc S. Basil. in scholiis in hunc psal. ait: Non contemnenda ad virtutem via est malorum fuga, fructus enim hic est pænitentiæ & lachrymarum luctum. ita ille. S. Basil.

Solicitudo.

1. *Quàm stultum est nimis quærere tēporalia.*
2. *Feruor & solicitudo spiritualis signum gratia est.*
3. *Quomodo bona temporalia absorbeant mundanos.*
4. *Quòd non humana, sed diuina sint solicitè quærenda.*
5. *Quàm indecens sit solicitè quærere temporalia.*
6. *Solicitudo nimia temporalium ex defectu spei in Deum procedit.*
7. *Christianos dedecet solicitudinem rerum temporalium habere.*
8. *Solicitudo rerum spiritualium requirit secessum à curis mundi.*
9. *Quòd solicitudo sit animæ tortor.*

PROPOSITIO I.

Quàm stultum est nimis quærere temporalia.

1. PEtr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei vt vos exaltet in tempore visitationis, omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Vbi S. Thom. sicut nauis quæ est in periculo submersionis, per anchoram firmatur & efficitur secura: sic qui totum proiicit se in Deum, firmatur in ipso. Vnde Aug. proiice te in Dcū, neq; enim adeo crudelis est, vt se subtrahat & cadere te permittat. ita S. Thom. 1. Pet. 5. S. Thom. S. August.

Ad hanc autem confidentiam in Deum proderit multum considerare quàm liberalis in hominem extiterit Deus, non solùm in spiritualibus & æternis bonis, sed etiam in corporalibus & temporalibus rebus; & animaduertere causam ob quam Deus post omnia corporalia hominem formauerit, & non priùs cum homo dignitate prior sit, cæteris corporeis rebus. Hoc considerauit Philo Hebræus in ipsa hominis creatione dicens: Qui profundiùs Scripturam sacram rimantur, dicunt, quod Deus homini tanquam familiarissimo omnia quæ mundo continentur præparauit: sicut enim conuiuatores non priùs inuitatos ad conuiuium vocant quàm structo bene conuiuio, ita etiam mundi creator tanquam conuiuator vocaturus hominem ad conuiuium, quidquid ad hoc pertinebat præparauit, vt ille mundum ingressus mox inueniret, conuiuium refertum copiis, quas terra, mare, & flumina suppeditant, ad vsum simul & voluptatem; & hæc causa est propter quam homo præpositus esse videtur. ita Philo. Phil. Heb.

At, inquies, videmus nos sæpe fructibus terræ priuari, & plurimos inopia premi; arua non afferunt cibos, & mentitur opus oliuæ, & post multos agriculturæ labores, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, inundationes, aut aquæ defectus terræ fructus absumunt. Cur igitur liberalis & magnificus Deus noster sic nobiscum agit? respondet ibidem Philo: Criminum reos necessariò sequitur inopia; quod si per temperantiam leniuntur affectus immodici, Deus, vt pote boni honestique amator, affluentiam bonorum nobis largietur. Liquet enim facilius esse prouentum rerum absque laboribus, agriculturæ largiter suppetere, quā res ipsas ex nihilo producere. ita ille. Clarè hoc Psalm. 106. *Posuit flumina in desertum & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Locum hunc paraphrasticè sic exponit Iansenius: fecit Deus, vt terra quæ priùs abundantia aquarum irrigabatur, & ob id fertilis erat, aquis destituta fieret, quasi aridum desertum & sterile, & terram frugiferam redegit in Salinas, & sterile solum, idque propter malitias eorum qui inhabitabant eam. ita ille. Cuius euidēs exemplum patet in terra Sodomæ & Gomorrhæ. Genes. 13. Psal. 106. 33.

Luc. 10. Sollicita erat Martha in cibis præparandis Christo & discipulis suis, quæ vidēs sororē intentam sermonibus Christi sic Domino interpellauit: *Domine non est tibi cura, quia soror mea reliquit me solā ministrare: dic ergo illi vt me adiuuet.* Cui Domin⁹: *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* repetitio nominis vti ait S. Aug. fuit ad captandā attentionē Marthæ tāquam rem non leuis momenti dicturus. Dixit autē reprehensionis verba, reprehēdēs scilicet solicitudinē illam ministrādi cibos, & quidem cibos Christo & eius discipulis parabat, qui illis seruire optans. Quòd si talis solicitudo reprehensione digna fuit, quāto

maiori

maiori reprehensione digna erit humana solicitudo, siue circa diuitias, siue circa honores, siue circa cibos, & ornatus, siue circa alias res tẽporales?

S.Greg. S.Greg.4.Mor.2. qui hic multiplicandis diuitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? ita ille. quasi dicat: Difficillimum est hos saluari, qui ita inhiant, & omnia solicitudine diuitias quærũt.

PROPOSITIO II.

Feruor & sollicitudo spiritualis signum gratiæ est.

Luc.1.39. LVca sic de Beata Maria post incarnationem, *ascendit*, inquit, *in montana cum festinatione.* Cur *cum festinatione* grauis, & grauida & tenera

S.Ambros. virgo, & non per plana, sed per *montana*? S.Ambr. ibidem: Quo enim iam Deo plena nisi ad superiora cum festinatione contenderet? ita S.Ambr. etenim tepidus nec per parata, hoc est per facilia spiritus incedere audet, feruens autem spiritu assumit pennas vt Aquilæ, volabit & non deficiet, *&c.* illud defectum gratiæ, hoc plenitudinem designat. Erat autem Maria Deo & gratia plena.

PROPOSITIO III.

Quomodo bona temporalia absorbeant mundanos.

Exo.15.12 Origen. EXod. 15. *extendisti manum tuam & deuorauit eos terra.* Moralizans locum istum Origen. ait: Impios etiam hodie deuorat terra qui semper de terra cogitant, terrena sapiunt, de terra loquũtur, terram desiderant, de terra litigant, in terra spem suam ponunt, ad cœlũ non respiciunt, futura non cogitant, Iudiciũ Dei non timẽt, nec promissa eius desiderant. Talẽ cum videris, dicito, quia deuorabit eũ terra; & si quẽ videris luxuriæ & voluptatibus deditũ corporis, in quo nihil animus valet, sed totum possidet libido, dicito quia deuorabit eum terra. ita ille. Ita quidem & mox deuorabit eum infernus; etenim bona temporalia sic suos deuorare solent possessores, omnem enim curam & solicitudinem cordis sibi solent vendicare.

PROPOSITIO IV.

Quòd non humana sed diuina sint sollicitè quærenda.

Cant.5. CAnt. 5. *aperi mihi soror mea*, &c. Ponderat S.Ambr. pronomen illud *mihi*, & ait, *aperi mihi*, sed extraneis claude, & claude sæculo,

S. Ambr. claude mundo. ita S.Ambr. nimirũ quia nemo potest duobus Dominis seruire. Sunt autẽ nonnulli, qui Deo & mundo seruire vellent, & cum se vtrique seruire non posse vident, relicto Deo suo, mũdo inimico capitali suo seruire malunt, & idolis eius, honori, diuitiis, & delitiis. Quam igitur à Deo retributionem expectant? audi Moysi verba Deut.32. *Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur.* O beati Dei serui, quibus sic reseruata est misericordia Dei! Sed de seruis mundi quid? audi quid? dicet illis, *vbi sunt dij eorum in quibus habebant fiducia, surgant & opitulentur vobis & in necessitate vos protegãt.* quasi dicat: Tunc non proderit mundus vobis, cui me relicto seruistis; & quia me dereliquistis, & ego derelinquam vos. attendite mundi serui.

Labata loci Mor. Tom. I.

PROPOSITIO V.

Quàm indecens sit sollicitè quærere temporalia.

ADmiratione digna sunt verba illa S. Petri Chrysol. ser. 25. Satis inuidet sibi, qui eleuatus ad summa, ipse ad humilia se deiicit & ad egena deponit. ita ille. Expendamus verba illa *satis inuidet sibi. Mucha inuidia tiene de si*, qui fieri potest, vt quis inuideat sibi? inuidere aliis, quia in re aliqua nos superant & excellunt, quotidie videmus; at sibi quo pacto quis inuidere possit, non ita cõstat. Quomodo igitur, ait S. Chrysol. satis inuidet sibi, *&c.* vt autem subtilitatem huius dicti percipiamus, quod in regum regiis euenire solet consideremus. Cum quis apud Regẽ magis quàm cæteri pollet & valet; *quando veen en la corte que vno priua mas con el Rey que los demas familiares sit yos*, id pro viribus satagunt familiares reliqui, vt Rex illum aliquo munere condecoratum aliò mittat, quo de medio illo sublato, plus ipsi apud Regem valere & posse possint, *procuran echarle de la corte con algun officio honroso para que no les estorne su priuanza.* Nunc ad rem: Si Christianus qui ad æterna & cœlestia à Deo vocatus, ad quærenda & obtinenda bona temporalia se demittit, quo se à diuinis & cœlestibus rebus abdicat, ipse inuidet sibi; facit enim ipse sibi quod inuidi in Curia faciunt, in eos qui præcedunt ipsos, quid autem miserius quàm sic inuidere sibi? S.P.Chrys. serm. 25. Idem.

PROPOSITIO VI.

Sollicitudò temporalium ex defectu spei in Deum procedit.

EXod.16. sic Moyses ad populum Israel agens de manna: *Nullus relinquat ex eo in mane, Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque manè, & scatere cœpit vermibus atque computruit, & iratus est contra eos Moyses.* Cur hi præceptum hoc non seruauerunt? Hugo de sancto Victore ibi: diffidentes, inquit, ne in crastino manna non inuenirent. ita ille. Ecce auaritiæ hominum causa, & nimiæ solicitudinis rerum temporalium, diffidentia quidem est diuinæ prouidentiæ, ex qua oritur non seruare præceptum illud Domini, *quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Imò hinc vsuræ, & simoniæ, & furta, & debitorum retentiones, & alia huiusmodi peccata iniustitiæ; si enim in prouidentia diuina confidentiam homines haberent, haud ista perpetrarent; quorum hac inter alias solent pœna puniri, vt malè parta malè pereant. Sicut de manna Hebræis euenit. Exod. 16. Hugo. Vict.

Psal. 23. Ps. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* id est, quis ille adeo fœlix, qui ascensurus est in cœlum & saluandus est? respondet, *qui non accepit in vano, animam suam.* quid est *accipere in vano animam suam?* S. Gregor. 7. Mor. 17. in vano animam suam accipit, qui sola præsentia cogitans, quæ sequuntur in perpetuum non attendit. In vano animam suam accipit, qui eius curam negligens, ei curam carnis anteponit; sed in vano non accipiunt animam suam, qui continua intentione ad eius vtilitatem referunt quidquid corporaliter operantur. ita S.Gregorius. Denique, in vanum illud est, quod non attingit finem ad quem S.Greg. Idem.

factum est; domus ad habitandum construitur, quod si nũquam habitatur, in vanum ædificata est &c. Sic de anima rationali philosophãdum est, ad quid, quæso, animam rationalem creauit Deus, nisi vt Deum cognoscat, cognitum amet, amatũ consequatur, & eo in cœlesti gloria potiatur? vti ait S. Aug. Qui ergo solum considerat temporalia eaque solùm amat & quærit, in vano accepit animã suam; ad vescendum enim vsque ad saturitatẽ, anima porci sufficiebat; ad cultum corporalẽ, anima pauonis; ad musicam & cantus, anima Philomelæ; ad dormiendũ vsque ad multum diẽ, anima lyronis; ad luxuriam, anima equi, &c. anima enim rationalis ad maiora creata est, quàm vt sit mancipium corporis sui, vt Seneca dixit.

S. August.

PROPOSITIO VII.

Christianos dedecet solicitudinem rerum temporalium habere.

Exod. 4. EXod. 4. sic Dominus ad Moysem: *Ecce ego pluã vobis panes de cælo, egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies.* Vbi nota, quòd, vti dicitur ibi, nonnulli contra mandatum Domini seruabant manna pro die sequenti, & scatere cœpit vermibus atque cõputruit, quod quidem nõ ex natura ipsius mannæ procedebat. In die enim sexta colligebant cibos duplices, pro feria scilicet sexta & die sabbati & non corrumpebatur. Ex Dei ergo voluntate & ordinatione procedebat sic corrumpi. Cur ita? quid inde Dominus intendebat? Theod. Theod. q. 31. in Exod. sic respondet: Nam docere eos volens Deus vitæ rationem à curis liberã pollicitus est illis suppeditaturum se singulis diebus escam necessariam, illi verò diffidentes portionem aliquam eius quod collegerant, in posterum diem seruauerunt, quæ ideo computruit. ita ille. Etenim quia ad obsequium suum dedicauerat populum illum, ideo à solicitudine quærendi victum eum voluit liberare. Hinc quid de nobis dicendum sit constat, nos enim populus electus eius, & oues pascuæ ipsius sumus; ad nos igitur pertinet institutio mannæ, vt scilicet inde colligamus solicitudinem omnem nostram proiiciendam esse in Deum, quoniam ipsi est cura de nobis.

PROPOSITIO VIII.

Solicitudo rerum spiritualium requirit secessum à curis mundi.

S. Gregor. SAnct. Greg 5. Mor. 22. Ad contemplanda interna mens non perducitur, nisi ab his quæ exterius implicant studiosè subtrahatur. Hinc per prophetam Dominus dicit. *Vacate & videte quoniam ego sum Dominus.* ita ille. *porque es tan grande la zarrajeria del mundo que no dexa al alma attender alas cosas diuinas.*

PROPOSITIO IX.

Quòd solicitudo sit animæ tortor.

Cicero. CIcero (vti refert Dionysius Cassius) dicebat: Longè maiorem miseriam afferunt sollicitudines animi, quàm corporis voluptates delectationem.

Solutio Debitorum,

Vide Restitutio.

Spes.

1. *Spes saluationis ex passione Christi prouenit.*
2. *Quàm Deo displiceat defectus confidentiæ in eum.*
3. *Spes firma in Deo obtinet quæ speramus ab eo.*
4. *Temporalia bona cadunt sub spe diuinæ prouidentia.*
5. *Speranda est à Deo venia peccatorum.*
6. *Quanti momenti sit spes nostra in Deum.*

PROPOSITIO I.

Spes saluationis ex passione Christi prouenit.



Oan. 20. *ostendit eis manus & latus*, &c. hoc loco disputant authores sacri quã ob causam Christus Dominus vulnerũ cicatrices retinuerit in corpore suo iam glorificato, imò eas secũ tulerit in cœlum, & ad dexterã Dei Patris sedens semper eas conseruet. Disputat quæstionem hanc S. Thom. 3. p. q. 54. art. 4. & pro dubii ãdi ratione ait, Apostolus 1 Cor. 15. inquit, quòd *mortui resurgent incorrupti*; sed cicatrices & vulnera ad quandã corruptionem & defectũ pertinent; ergo nõ fuit conueniẽs vt Christus (qui & resurrectionis author) cũ cicatricibus resurrexerit. ita S. Tho. qui ad quæstionẽ respondens inter alias rationes hanc assignat; Oportuit Christum in sua resurrectione, corpus cum cicatricibus resumere, vt patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. ita S. Thom. Ecce rationem eximiã spei salutis & saluationis nostræ, suscepit Christus vulnera pro salute nostra iubente Patre, propter quod dũ in transfiguratione vbi de passione sua agebat Christus cũ Moyse & Helia, *vox Patris intonuit: Hic est filius meus dilectus in quo mihi cõplacui.* In omnibus quidem cõplacuit Christus patri, sed in passione sua specialiter. vnde cicatrices illæ patri oblatæ, quid nõ facilẽ pro nobis obtinebunt? hinc magnam nostræ saluationis spem oportet nos concipere, quid talis Pater negabit tali filio, talem pro eius amore & obedientia & in fauorem nostrum passionem & mortem passo? vnde S. Bern. serm. 5. de natali Domini exclamat dicens: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui propter nimiam charitatẽ suam, qua dilexit nos, misit filium suum dilectum, in quo bene sibi cõplacuit, per quem reconciliati pacẽ habeamus ad eũ, & idem sit nobis recõciliationis huius mediator & obses. ita S. Bernard. Nota vltimum verbum, *obses*, id est pignus, *prenda y rehenes.* Sedet igitur ad dexterã Patris tãquam obses. Et vt omnibus notum sit quare obses, & ad quid obses, cicatrices recõciliationis nostræ reseruauit; quasi dicens nobis: Cõfidite, in tuto est ex parte mea salus vestra, & ex patris parte, & in huius confidentiæ pignus, ego cicatrices pro vobis

S. Thom.

S. Bern.

vobis offero patri;quis adeo intellectus expers,vt quamuis peccatis exigentibus gehennam timeat, qui non maiorem spem ex Christo concipiat quàm timorem ex peccatis ?

Matt. 20. *Calicem quidem meum bibetis*, &c. Matt. 20. magnum eximiúque beneficium Christi in nos continent verba hæc. Pro quorú intelligentia supponamus *calicem* in diuinis litteris *hæreditatē* significare, vt in

Ps. 15. 5. Ps. 15. *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, vel, vt habet originale Hebræum, *tu fortem seu hæreditatem meam fundas*, sic loquitur ibi Christus

S. Hieron. ad Patrem, vti S. Hier. exponit. Et hinc est quòd Christus in ipso feruore passionis in cruceque

Ma. 27. 54 Luc. 22. 17 constitutus Mat. 27. calicem fellis & aceti nō omnino hausit, sed gustauit; partē scilicet assumpsit, sed reliquum nobis reseruauit, & in vltima cœna *accepto calice gratias egit deditque discipulis suis, dicens*: Accipite, &c. Priùs ipse bibit, quia prior est in æterna hæreditate; sed dedit & nobis ex eodem calice, quia *hæredes sumus Dei, cohæredes autē Christi*, vti ait Apost. Vnde addidit Dominus : *Ego dispono vobis regnū, sicut disposuit mihi Pater*, id est, Ego vobis tribuo per hunc calicē ius ad regnú cœlorú sicut tribuit mihi Pater. Núc ad verba Christi ad Iacobū & Ioannē dicta redeamus, *calicē quidem meum bibetis*, tū per imitationem passionis, tú etiam per cōmunicationem meæ passionis, quam velut hæreditatē pretiosam vobis trado, per quam regnum cœlorū in æternam hæreditatē acquiretis.

S. Ambr. Excogitauit S. Ambr. lib. 5. de fide c. 3. expositionem istam, dicens: *Calicem quidem meū bibetis*, id est passionem quæ carnis meæ est non negabo; ecce donaui vobis victoriam passionis hæreditatē crucis. ita S. Ambr. Hinc igitur oritur in nobis magna spei ratio, tum acquirēdi regnum cœlorū, tum obtinēdi à Patre veniā peccatorum. Si te sollicitudo salutationis cruciat, dic Domino: *Saluum me fac propter misericordiā tuam, & propter passionē filij tui Domini nostri Iesu Christi*, &c. Quod si peccata præterita te ad nimiū timorē vocant, dic Domino; *Peccaui nimis in vita mea, sed in satisfactionem præcipuam peccatorum meorum offero tibi passionem Domini mei cuius ipse me fecit hæredem*, &c. Quid times anima mea tanto pignore munita? quid negare poterit tam bonus Pater passioni tam boni filij ?

S. August. Ad huius confirmationē audi S. Aug. lib. de virgine. Inspice vulnera eius qui pro te in crucē pependit; inspice sanguinē illum, quē pro te effudit; inspice cor apertū ad te recipiendū, & inspice brachia eius extensa ad te amplexandum. ita S. Aug. Cur igitur tanto timore turbaris? time potius timorē tuum nimium, quia diffidentiam quandam præsefert, & fac vt sentias de Domino in bonitate, spera in Domino & fac bonitatē & saluus eris:

S. Bern. Nā, vt ait S. Bern. ser. 21. in cantica, nunquid eū, quem Dominus quæsiuit & per gratiam suam vocauit, venientem eiiciet foras? ita ille.

S. August. Et idem S. Aug. ser. 37. de verbis Domini: Dubitas quod dabit tibi sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua ? ita ille. *en que hizo Dios mas en padezer lo que padeZio o en darnos su gloria?*

S. Bern. S. Bern. ser. 3. in natali Domini, considerans passionem Christi in remedium peccatorum, ait: Medicinæ huius æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est; verùm si diligenter obseruem præcepta medici, erit & consolationis occasio. Sicut enim grauem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina; sic ex hoc ipso non incurabile esse coniecto; neque enim pretiosissimas species

frustra insumeret medicus sapiens, imò sapientia ipsa, & frustra insumi constat, non solùm si absque eis facilis esset curatio, sed multo magis si & cum eis impossibilis sit. Animas itaque ad pœnitentiam & accendit vehementer desiderium spes concepta. ita S. Bernard.

Propositio II.

Quàm Deo displiceat defectus confidentiæ in eum.

Psal. 105. 9 PSal. 105. *irritauerunt* (scilicet Deū) *ascendentes in mare rubrum*, id est, eo tempore quo ingressuri erant Israëlitæ per viam illā maris, fugientes à facie Pharaonis. Quomodo autem irritauerint Deū, videamus. Tunc enim contra Deū & contra Moysem legimus murmurasse

Exod. 14. S. Aug. Exod. 14. timentes exercitum validum Ægyptiorum, ita exponit S. Aug. Glossa alia etiam assignat rationem, quia scilicet hæsitauerunt & dubitauerint an illis expediens esset per maris medium intrare, veriti ne fortasse fluctibus obruerentur; & nisi à tergo instarent hostes, eodē forte vestigio in littore immobiles permansissent, timidiores ad parendum Deo, quam Ægyptij ad obediendū Pharaoni, qui præcepit eis inter parietes illos aquæ ingredi mare eadem via, qua ingressi erant Hebræis & ob hanc causā irritauerunt Israëlitæ Deū. Sit hæc secunda causa, siue sit prima, siue sit vtraque, simul ratio irritationis diuinæ diffidentia fuit, hæc enim est quæ ad iram valde prouocat Deum.

Ps. 113. 2. Sicut è conuerso confidentia in Deum maximè placet illi, vti adnotauit Dauid Ps. 113. dicens: *In exitu Israël de Ægypto: domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israël potestas eius.* Ad cujus intelligentiam dicunt nonnulli Hebræi magistri, nomine Iudææ intelligi debere tribum specialē Iudææ quæ in transitu maris rubri, cū reliquæ tribus trepidarent & hæsitarēt ingredi, timētes per medias aquas sicut dictum est. Tribus Iudæa magna in Deum confidētia ingredi cœpit, quo ausu reliquæ tribus eam sequutæ fuerunt, & ideo sanctificatio Dei facta est tribus Iuda, hoc est sanctificatione diuina sanctificauit & elegit eā sibi Deus, vt esset regia tribus, ex qua Reges prodirent. Dauid, Salomon & alij Reges. Ita sentit

Lyran. Lyranus ibi, & clarius in id Cant. 6. *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, &c. vide quam Deo grata sit confidentia in eum.

Hinc oriuntur fauores & beneficia magna, quæ Deus confert confidentibus in eū. quorum vnum vel alterum refero. Primum sit ex c. 23. libri. 1. Regum, vbi Saul persequens Dauidem in monte Maon ita cum exercitu suo cinxit montem in modum coronæ, vt euadere humanitus nequiret Dauid. vnde hi qui cum eo erant dixerunt Dauidi, *transmigra in montem sicut passer, si vis liberari & effugere gladium Saulis*. quibus respondit Dauid

Ps. 10. 2. illud ps. 10. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ. Transmigra in montē sicut passer?* loquitur enim psalmus de periculis Dauidis ex persecutionibus Saulis. Sed quid inde? cū sic cingerētur Dauid & viri eius, *nuntius* (inquit) *venit ad Saul dicens: festina & veni, quoniā infuderunt se Philistimi super terra. Reuersus est ergo Saul desistēs persequi Dauid, & perrexit in occursum Philistinorum. propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem*: ita ibi. Ecce quàm accepta Deo sit confidentia nostra in eū & vtilis nobis, nec moueat quod ibi de Dauid asserit scriptura, *Dauid desperabat se posse euadere*

a facie Saul, hoc enim sic intelligi debet, desperabat euadere humanitus, sed numquam desperauit absolutè.

Habemus & aliud exemplum in sancta Susanna, quam miraculosè Dominus liberauit à morte, & infamia, vt patet Danielis cap. 13. de qua ibidem dicitur, *erat cor eius fiduciam habens in Domino.* Effectus etenim fuit huius confidentiæ illa miraculosa liberatio. vnde Psal. 90. *quoniam in me sperauit, liberabo eum, &c.*

Ps. 90. 14.

Diffidentia verò derelictionem à Deo, meretur. vnde Matth. 14. cum Petrus iubente Domino super vndas maris ambulans, *videns ventum validum timuit & cœpit mergi.* Cur mergebatur si iussu Christi sic ambulabat? vide quid Dominus tunc fecit & dixit: *Domine* (dicebat Petrus:) *saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti?* ecce causam ob quam cœperit mergi. Dubitatio scilicet illa seu diffidentia seu modica fides.

PROPOSITIO III.

Spes firma in Deo obtinet quæ speramus ab eo.

Ps. 36. 40.

PSal. 36. agens Dauid de seruis Dei qui sperant in eo, ait: *Adiuuabit eos Dominus, & liberabit; & eruet eos à peccatoribus.* Magna sunt hæc promissa, sed attende cur dentur illis, quia, inquit, *sperauerunt in eo.* Locum istum sic expendit S. Bern. serm. 9. in psal. *qui habitat*, de facilitate qua hæc possit Deus non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas Dei; planè voluntatis eius testimonia credibilia facta sunt nimis, maiorem enim hanc dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Denique quando in se sperari desit illa maiestas, quæ tam studiosè monet in se sperari, planè non derelinquit sperantes in se. De quacumque tribulatione clamauerint ad me exaudiam eos, ecce numera tribulationes, secundùm multitudinem illarum consolationes Dei lætificabunt animam tuam, dummodo ad aliud non conuertaris, dummodo clames ad eum, dummodo speres in eum; quis sperauit in eum, & confusus est? altissimum, inquit, posuisti refugium tuum. ita S. Bern.

S. Bern.

PROPOSITIO IV.

Temporalia bona cadunt sub spe diuinæ prouidentiæ.

EXod. 16. sic Moyses ad populum agens de manna: *nullus relinquat ex eo in mane; qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eo vsque mane, & scatere cœpit vermibus atque computruit.* Ponderat locum istum sanct. Ambros. serm. 7. in Quadragesima. & ait: Vsque adeo placuit Deo abstinentia filiorum Israël in deserto, vt quorumdam intemperantia notaretur, ita vt quisquam auidior duplum in manus sibi colligeret, hac iniuria feriretur, vt non tam in cibum inueniretur reseruasse quàm vermes. ita S. Ambros.

S. Ambros.

***

PROPOSITIO V.

Speranda est à Deo venia peccatorum.

LVc. 15. sic filius prodigus: *Surgam & ibo ad Patrem meum.* Quærit S. Petrus Chrysol. qua confidentia? qua spe? illa qua pater est, ego perdidi quod erat filij, ille quod Patris est nõ amisit: apud patrem non intercedit extraneus, intus est in pectore Patris ipse, qui interuenit & exorat affectus. ita ille. Ait igitur prodigus, *ibo ad Patrẽ*; non ait *ibo ad Dominum meum*, vel *ibo ad Deum meum*, vel etiam *ibo ad misericordem creatorẽ meum*, sed *ibo ad Patrem.* Quia licet peccator sit, Patrem nihilominus illum cognoscit & fatetur. At dices: hæc parabola est & dictio parabolica, & à ficto illo filio fictè dicitur Deus illius pater, verè autem ad iudicem pergit peccator, tamquam, qui iudicio dignus est. Sed tamen memento quia Deus est qui parabolam istam composuit, qui de peccatore sub nomine prodigi agens, ad patrem dicit illũ proficisci, docens quo affectu & pacto peccator ad petendam peccatorũ veniam pergere debeat. Cum pœnitentia motus ad Deum pro venia ire paras, dicito sic, *surgam & ibo ad Patrem meum.* O quãta spei nostræ ratio si pater est Deus peccatoris, quo modo miseretur Pater filij sui, imo amplius supra modum peccatoris cõuersi miserebitur Deus, verè pater, verè misericors; Pater, inquit, ibidem Chrysol. dissimulat iudicem, qui magis volt implere genitorem, & damnationem citò conuertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. ita ille.

S. Petrus Chrysol.

Idem.

PROPOSITIO VI.

Quanti momenti sit spes nostra in Deum.

AD Rom. 4. sic Paulus de Abraham, *qui* (inquit) *contra spem credidit, vt fieret Pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei, sic erit semẽ tuum, &c.* ita S. Paul. Dices quomodo potuit credere in spem cõtra spẽ? quomodo spes esse potest contraria ipsi spei? Cardinalis Toletus ibi sic respondet: Contra spẽ dicitur credidisse, quia credidit futurũ id quod naturaliter esse non poterat (scilicet se in senectute tanta filiũ habiturũ) & credere futura, quorũ nulla erat spes naturalis, est credere contra spẽ in spem. Audiens ergo Abrahã Dei promissionẽ, credidit Deo, & per fidẽ sperauit futurũ, quod prius desperauerat, & naturali ratione desperandũ erat, & sic sperauit se futurũ Patrem, sicut ei promiserat Deus. ita Tolet. alludit Apost. ad locũ illum Gen. 15. vbi Deus sic ad Abraham, *suspice cælum & numera stellas si potes, sic erit semẽ tuum, &c.* Tunc filios non habebat nec spem habẽdi, quia valde senex erat, quam autem grata fuerit Deo in ipsũ confidentia, apparet ex his quæ Apostolus subdit, *in repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo.* Repromissionẽ vocat, quia scilicet postea c. 17. & 18. Genesis promisit speciatim se daturũ illi filium ex Sara, nempe Isaac, quã etiam repromissionem veram credidit, & ita futurum sicut Deus promittebat, & simul sperans se ex Sara filiũ habiturũ; quod quidem gloriam Dei vocat Apostolus, quia tanti Deus facit fidem nostram & spem in eum, vt se inde glorificatum dicat. Et obserua quòd hac de causa tentauit Deus Abraham

S. Paul.

Genes.

Geneſ. 22. quando iuſſit offerre ſibi in holocauſtum filium Iſaac, quæ quidem tentatio fuit magna valde, tentans eo pacto fidem & ſpem Abrahæ. Cum enim Deus illi promiſiſſet in Iſaac poſteritatem magnam & benedictam Chriſti Domini, non diffidit nec dubitauit dicens: quomodo in Iſaac implebitur promiſſio Dei ſi modo eum occidam, &c. nihil tale in corde admiſit, ſed fideliter & confidenter, ad implendum Dei mandatum properauit. Audi Apoſtolum ad Heb. c. 11. (Hebr. 11.) *fide Abraham obtulit Iſaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones; ad quem dictum eſt, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen. arbitrans, quia à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Ecce ingentem fidem & confidentiam Abrahæ, ad quam recipiens Deus ſtatim dixit illi Geneſ. 22. (Gen. 22.) *Per memetipſum iuraui* (dicit Dominus) *quia feciſti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum,* &c. *& benedicentur in ſemine tuo omnes generationes.* Pondera quanti fecerit Deus hanc fidem & ſpem Abrahæ dicens, *quia feciſti hanc rem*, quaſi innominabilis eſſet confidentia illa. Sic enim & nos loquimur, cum aliquid verbis augere volumus, *Vidi quandam rem, audiui talem rem*, &c. Quaſi res illa explicari ſatis non poſſit. Deus enim in magno pretio habet veram ſpem in eum; ſic enim homo confitetur Dei bonitatem, & charitatem & miſericordiam ſuam; quod quidem glorioſum ſibi reputat Deus, & ideo tunc confirmauit promiſſionem Chriſti ex ſemine Abrahæ. Ideo igitur ſic Deus tentauit fidem & ſpem Abrahæ, hoc eſt (ait ibi Caietan.) (Caiet.) ad modum tentantis: tentare enim, non conuenit Deo propriè, quia eſt actus neſcientis, ſed metaphoricè, ſicut iraſci & pœnitere. ita Caiet. Voluit igitur in lucem proferre fidelem ſpem Abrahæ, vt in ea ſibi complaceret & glorificaretur.

Spiritus ſanctus.

1. *Spiritus ſanctus adiuuat infirmitatem noſtram.*
2. *Per merita Paſſionis Chriſti datus eſt Eccleſia Spiritus ſanctus.*
3. *Impedimenta quæ Dei obſequia impediunt tollit Spiritus ſanctus.*

PROPOSITIO I.

Spiritus ſanctus adiuuat infirmitatem noſtram.



Vanta quidem ſit infirmitas humanę naturę poſt lapſum manifeſtauit Dauid Pſal. 118. dicens: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Cur à Domino id petit? nonne facultatem naturalem habebat, ad oculos auertendos? quid opus erat à Deo auerſionem talem poſtulare? auerte tu oculos tuos, conuerte ad libitum caput. Nimirum experimento didicerat quàm difficile fuerat ei à Barſabee auertere viſum, ea propter hoc à Domino efflagitauit.

Hinc conſtat fauoris Spiritus S. neceſſitas, ipſius enim eſt animum noſtrum ſtabilire & confortare. ſic Apoſt. Rom. 8. (ad Rom 8) *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram*, ſicut enim corporis noſtri cor in ſiniſtram potius quàm in dexteram declinat, vt parti debiliori magis ſuccurrat, ſic Spiritus S. (qui cor Eccleſiæ dici poteſt, ſicut Chriſtus caput) adiuuat infirmitatem noſtram.

Quomodo autem id de facto præſtiterit Spiritus. S. in Apoſtolis conſtat, qui ante aduentum illius adeò timidi & infirmi erant, vt tempore captionis Chriſti omnes male fugerent Domino ſuo relicto in manibus inimicorum, *huieron mal parezciendo*, & qui potior ac valentior inter eos erat, à facie ancillæ Chriſtum negant. vide imbecillitatem eximiam. Adueniente autem Spiritu S. adeo fortes redditi ſunt, vt quaſi dignitatem magnam exiſtimarent, & cum gaudio ferrent pro Chriſto flagellari, act. 5. *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Ideo igitur act. 1. *præcepit Chriſtus diſcipulis ab Hieroſolymis ne diſcederent; ſed expectarent promiſſionem Patris*, aduentum ſcilicet Spiritus S. Cur ita? Theophylact. ibidem, (Theophil.) quia ſicut milites ſi multitudini obiiciendi ſunt, dux antequam ſe armauerint, ad certamen procedere non ſinit: ſic Chriſtus diſcipulos, antequam Spiritus S. ad eos deſcendiſſet, ne à multitudine capi & ſubigi poſſent, in acie conſpici nō ſinebat. ita Theoph. vnde Luc. vltimo, *ſedete*, inquit illis Chriſtus, *in ciuitate donec induamini virtute ex alto*, virtutem vocat gratiam Spiritus S. quia virtutem ad omnia pro Deo ferenda tribuit & agenda, & hac de cauſa Apoſtolus dicebat: *omnia poſſum in eo qui me confortat.* Tu igitur ſi vis omnia poſſe, inuoca, & dic, *Veni ſancte ſpiritus, imple ſuperna gratia quæ tu creaſti pectora, da robur fer auxilium*, &c.

Actor. 3. (Actor. 3.) S. Petrus claudo cuidam ſalutem dedit, & cum à Iudicibus Chriſti hoſtibus interrogaretur, in qua virtute opus illud effeciſſet, reſpondit libera voce, *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat corā vobis ſanus, hic eſt lapis, qui reprobatus à vobis ædificātibus, qui factus eſt in caput anguli* &c. Mirū profectò, quòd Petrus qui paulo ante in paſſione Chriſti tam debilis & timidus extiterat vt Chriſtum negaret, nunc omni depoſito pauore & timore ſic impauidè Chriſtum fateatur, & delictum iudicum ſic ipſis impingat, à quibus ſicut Chriſtus damnari & occidi poterat. Et ſimiliter mirum, quòd reliqui Apoſtoli pari libertate Chriſtum publicè prædicarent. Paſchaſius Abbas ſup. cap. 4. Mar. (Paſchaſ.) Cum, inquit, Spiritus S. ſuper Apoſtolos qui clauſi erant propter metum Iudæorum cælitus aduenisſet, mirè expulit eos inter medias perſecutorum acies, & fecit intrepidos decertare, qui antea velut timidi obſerati tenebantur; ſed & vniuerſi martyres eo Spiritu inflāmati, tamquam ſcintillæ in arundineto eucurrerunt per orbem, & omnia ſibi aduerſantia pugnādo pedibus ſubiecerunt. Neminem enim Spiritus S. relinquit inermem, alioquin ſine ſpiritu Dei, quiſquis ad militiam chriſtianitatis acceſſerit, & tempeſtatis impetu proſternitur, quo pulſatur & facilè diſpergitur tentationis vento, & velut palea huc illucque vacuus effertur. ita ille.

PROPOSITIO II.

Per meritum Passionis Christi datus est Ecclesiæ Spiritus sanctus.

Gen. 8. GEnes. 8. Recordatus Dominus Noë adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ, *este es el canto llano de la historia, pero es una estampa fina de la venida del Spiritu santo, despues del diluuio de la passion de Christo, hecha pues el contrapunto.* Rupert. lib. 4. in Gen. c. 22. dicens: Postquam tribulationes mortis Christi pertransierunt animam eius, adduxit Dominus super terram Spiritum sanctum in remissionem peccatorum. ita ille. Etenim statim post resurrectionem suam Christus Ioan. 20. dixit discipulis suis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. non ait *remittentur eis*, quasi post absolutionem factam à ministris Ecclesiæ differatur absolutio; statim enim cum dicit confessarius, *ego te absoluo* manet pænitens absolutus. Hoc nobis promeruit benedicta passio Christi, & rursus in die Pentecostes misit Dominus Spiritus sui sancti abundantiam in eximium totius Ecclesiæ bonum.

Rupert.

PROPOSITIO III.

Spiritus impedimenta quæ Dei obsequia impediunt tollit.

Gen. 8. GEnes. 8. cum aqua diluuij terram omnem tegeret, *Adduxit Deus Spiritum super terram, & imminuta sunt aquæ*: quisnam est spiritus iste, quem Dominus immisit ad siccandam nimietatem illam aquæ operientis terram? Alcuinus sup. Psalm. 1. ait: De illo spiritu intelligi potest, de quo dictum est Genes. 1. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: tunc ferebatur vt congregatis in suum locum aquis appareret terra; nunc adducitur vt ablatis aquis diluuij faciem terræ reuelaret. ita ille. Spiritus autem ille Dei qui ferebatur super aquas, Spiritus sanctus erat, vti explicat S. Basil. dicens hom. 2. in Gen. quod verius est & à maioribus nostris probatum, Spiritus sanctus est hic spiritus Dei dictus, qui Diuinæ trinitatis numerum complet. ita ille. Ecce igitur quid Spiritus sanctus operetur in nobis, id videlicet, quod ab initio mundi in terra operatus est. Cum enim homo ex terra formatus terra sit, in eo quod fecit in terra, depinxit quod facit in homine; tunc enim cum aquæ terram operirent, impediebant fructum terræ: spiritus autem impedimentum illud abstulit, congregans sicut in vtre aquas maris. Similiter post diluuium cum omnis terra aquis operta esset, atque adeo impedita producere fructus suos, Spiritus S. aquas superabundãtes exciccauit, & sic abstulit impedimẽtum illud. Eodem modo impedientia opera virtutum, quæ fructus rationalis creaturæ sunt, tollit Spiritus sanctus à nobis, vt debitos Deo fructus reddere valeamus. v. g. Si mundanus timor terrabit peccatorem à conuersione sua, Spiritus S. timorem illum expellit; si iniuriam passum hostis vrget, vt vindictam quærat, vano mundi honore impediente ne inimico veniam concedat, Spiritus sanctus facilem veniam reddit.

Alcuinus

S. Basil.

Superbia.

1. *Deus punit superbos anteponendo eis alios inferiores.*
2. *Superbia reddit vitia mundi ferè irremediabilia.*
3. *Mortis memoria ad superbiam frænandam conducit.*
4. *Quàm difficile sit superbiam superare.*
5. *Quàm inuisa sit Deo superbia & humilitas grata.*
6. *Quòd merito Deus à superbis auferat ea propter quæ superbiunt.*
7. *Quàm aliena à natura humana sit superbia.*
8. *Quàm facilè superbi ad vana ducantur.*
9. *Totius ruina mundi extitit prima causa superbia.*
10. *Propriam laudem cauere debemus.*
11. *Superbus in omnibus quæ facit, laudem & gloriam suam quærit.*
12. *Superbia ex nostra ignorantia Dei procedit.*
13. *Superbia eos præcipuè inuadit qui potiores virtute & sapientia sunt.*
14. *Memoria peccatorum dirimit superbiam.*

PROPOSITIO I.

Deus punit superbos anteponendo eis alios inferiores.

GEnes. 3. sic Dominus ad serpentem, seu potius ad diabolum, qui in serpente induxerat hominem ad peccandum, *quia*, (inquit) *fecisti hoc; maledictus eris inter omnia animalia & bestias terræ.* vbi Lyran. ait, Dæmoni bruta animantia Deus præponit, non quantum ad naturæ conditionem, sed quia seruauerunt statum suum, quod diabolus non fecit, & hoc est magna pœna superbo, quod inferiora & vilia ei præponantur. ita ille.

PROPOSITIO II.

Superbia reddit vitia mundi ferè irremediabilia.

FOrte quidem est vinculum vitiorum, sed tamen cum vanitas mundi ei copulatur, fortius sedditur nimis, quod in latebris Ægypti depictum videmus: præcepit enim Pharao filiis Israel, vt later bus quos faciebant superadderent paleas miscendas luto, vbi Philo Alexand. alij lateres ex humo formabant, alij vndique paleas afferebant, eo quod hæ aptæ ad solidandos lateres sint. ita ille. palea autem ob leuitatem suam vanitatis symbolum est. Sicut ergo palea quamuis leuissima

Philo Alexand.

leuiſſima res ſit, ſolidos & firmos lateres reddit; ſic etiam vanitas, quamuis iuxta nomen ſuum leuis & vana ſit, ſolidiores tamen reddit peruerſos mundi mores: quam difficilè mundanus iniurias remittit, cum id ad ſalutem animæ neceſſarium prorſus ſit? quis ornatus veſtium & ſuperfluitatem ſupellectilium corrigere valet? Obſtat enim vanitas mundi.

Propositio III.

Mortis memoria ad ſuperbiam frænandam conducit.

LEuit. 1. ſic Dominus ad Moyſem de Holocauſto auium agens: *Plumas proiiciet ſacerdos prope altare ad orientalem plagam in loco in quo cineres effundi ſolent.* Vnde huiuſmodi cura Deo de plumis, quas nos pro nihilo habemus? & cur ad Orientalem plagam plus quàm ad ſeptentrionalem vel occidentalem? & denique cur in loco cinerum? quid cineribus immundis cum plumis depictis & pulcherrimis? Iſichius in hunc locum, ad Orientem plumas proiici iubet, quia inquiſitio ſublimium rerum videretur eſſe debere in loco cinerum, propter naturam de qua Abraham dicit: *Ego ſum puluis & cinis.* Ergo per locum cinerum inflationem redarguit legiſlator, vt pote quæ digna cinere ſit: quod autem cinere dignum eſt, deorſum in terra manet, & in cœlum aſcendere non poteſt. ita ille. Plumæ quidem quibus auis ad alta volat ſuperbiæ aptum ſymbolum eſt; quare merito Deus eos in cineres mitti iubet, vt ſuperbus attendat qualis ſuperborum finis & terminus ſit. Quid igitur ſuperbit terra & cinis?

Propositio IV.

Quàm difficile ſit ſuperbiam ſuperare.

S. Thom. SAnct. Thom. 1. p. q. 114. artic. 1. quærit cur dæmones homines impugnent, cum homines quidem nihil aduerſus eos fecerint, quo eorum odium & furorem in ſe concitauerint. Reſpond. S. Thom. in corpore articuli, id ſpeciatim facere dæmones propter ſuperbiam, qua diuinæ poteſtatis ſimilitudinem ſibi vſurpare nituntur, deputando ſibi miniſtros ad hominum impugnationem, ſicut & Angeli Deo miniſtrant in determinatis officiis ad hominum ſalutem. ita S. Thom. Quis ergo non miretur dæmones vſque ad infernorum miſerias & horrenda tormenta humiliatos & damnatos tanto adhuc ſuperbiæ morbo laborare, vt quærant iterum Deo ſimiles eſſe? Etenim cum in ſublimitate primæ ſuæ conditionis ſe conſtitutos aſpicerent, in ſuperbiam incidiſſe, non adeo mirum eſt. Ezech. 28. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo*, ait Ezechiel; hoc autem mirum valdè quod ſic eleuetur cor diaboli, in dedecore ſuo & in ſuprema humiliatione & abiectione ſua, qualem damnatus iam patitur in inferno, & ibi adhuc aſpiret eſſe ſicut Deus: tanta quidem eſt vis ſuperbiæ, quod ſi hoc pacto ſ innadit humiliatos, quid faciet de honoratis.

Propositio V.

Quàm inuiſa ſit Deo ſuperbia & humilitas grata.

LVc. 18. in parabola de Phariſæo & Publicano *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo.* Publicanus ſcilicet à Phariſæo. Cur ita? cum Publicanus publicum peccatorem ibi repræſentet, Phariſæus verò hominem virtutibus præditum, illum nempè qui ieiunabat bis in ſabbato, & decimas fideliter exhibebat omnium quæ poſſidebat. S. Nilus de octo vitioſis cogitationibus: Quamquam humilitas in eo propriè ſita non ſit, vt qui peccator eſt peccatorem ſe agnoſcat, (iudicij enim æquitas, hoc eſt & propriæ infirmitatis agnitio:) verum in hoc demum vt qui iuſtitia præditus eſt, nihil præclarum de ſe ipſo exiſtimet. vndè peccator iuſtum vicit, publicanus Phariſæum; ille iuſtitiæ opera oſtendit *ieiuno bis in ſabbatho*, & reliqua; hic verò verba hæc humilitati conſentanea protulit, *Deus propitius eſto mihi peccatori*; ſermo verò huius illius opera ſuperauit, atque illum quidem tot tantiſque virtutibus ornatum ſuperbiæ ſpiritus exſufflauit, ac per ipſius linguam tamquam per feneſtram reconditas virtutis opes excuſſit; & è contrario paupertas ob humilitatem in diuitias commutata eſt. Iuſto denique potius eſt ſuperbia metuenda. Nam qui in peccatis eſt, conſcientia propria deprimit, quia numquam eum accuſare intermittit, nec caput attollere ſinit: at iuſtum niſi attentum animum habeat, virtutes attollunt. ita ille. S. Nilus

Gen. 11. Geneſ. 11. *Filij Noë in terra Sennaar ſuperbam illam turrem Babylonicam ædificarunt.* Ponderat loci huius nomen Rup. Abbas lib. 4. in Geneſ. c. 41. dicens: *Sennaar* interpretatur fœtor eorum, quia fœtorem ſuperbiæ eorum tali auſu vſque ad nares Dei emiſerunt, cui ſicut humilitas, ſacrificium eſt illi in odorem ſuauitatis; ſic è contra ſuperbia fœtor horribilis Deo eſt. ita Rupert. Pondera verbum *horribilis*, quo termino merito Rupert. vſus eſt, quia ſupra modum hoc vitium odio proſequitur Deus; ſicut è conuerſo maximè humilitatem amat. de quo vide S. Bern. in illa verba c. 1. Canticorum, *dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*; adeo enim Deo placuit maxima humilitas Beatæ Mariæ, vt propterea ſpeciatim eam elegerit in matrem. Rupert.

S. Bern. S. Bernard. ſerm. 4. de natali Domini, ponderans humilitatem Chriſti in ſtabulo nati & in præſepio collocati ait: qui fornicator ſemetipſum dehoneſtat, iniurioſus proximum moleſtat, ſuperbus quantum in ſe eſt Deum inhonorat; *gloriam meam*, Iſai. 42. Dominus ait, *alteri non dabo*; & ſuperbus inquit, *mihi eam licet non dederis vſurpabo*; neque enim placet ei Angelica diſtributio, dans gloriam Deo & hominibus pacem. Non ergo colit Deum, ſed aduerſus eum extollitur impius planè & infidelis.

Propositio VI.

Quod meritò Deus à ſuperbis auferat ea propter quæ ſuperbiunt.

DAniel 4. Rex Nabuchodonoſor in aula Babylonis deambulans, & ciuitatem illam ingentem circumſpiciens, dixit: *Nonne hæc eſt Babylon*

bylon

bylon Magna, quam ego ædificaui in domum Regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit, *tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua; fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud:* hunc locum sic expendit S. Gregor. 5. M. 8. vel 6. dum Rex Babylonis apud se hæc volueret, in animal irrationale protinus versus est, & quod factus fuerat amisit, quia noluit humiliter dissimulare quod fecit, & quia elatione cogitationis, se super homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis perdidit. ita ille. sic Deus exaltantem se humiliat in eo in quo ipse gloriatur.

S. Greg.

Propositio VII.

Quàm aliena à natura humana sit superbia.

Eccl. 10. Ecclesi. 10. *Non est creata hominibus superbia, neque ira nationi mulierum.* (*No quadra ni dize con nostro humano ser la superbia, ni con la nacion de las mugeres la ira.*) Quod supremus Angelus in superbiam inciderit, non ita mirum, erat enim excellentissima creaturarum. *Initium viarum Domini* vocat eum Ezech. erat non ex puluere terræ sicut nos, sed spiritus terræ labe carens. Erat incorporeus, & nos sicut grauitate corporis pressi & oppressi; Corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam. Erat non sicut nos mortalis, sed immortalis; erat denique alterius speciei à nostra in immensum perfectione distans, sunt enim inter nos & supremum Angelum innumerabiles perfectiones specierum Angelorum, & ille in supremo gradu erat, nos verò in infetiori. Quòd igitur ille superbierit, non ita mirum; mirum autem valde quod nos superbiamus, qui de puluere terræ eleuati sumus. *Non igitur creata est hominibus superbia.* Et nota similitudinē quā subdit, qua ostendit non solùm extraneam esse à nobis superbiam, sed vanam etiam & inutilem esse. Ira enim mulieris acris & vehemens est; sed tamen vana, quia si aduersus eum in quem irascitur insurgere velit, deficiunt illi vires; sic etiam superbia in nobis vana est, non solùm quia honor & gloria quam intendit superbus, vana est in se, verum etiam quia eam assequi nequit; nemo enim superbos glorificat nec honorificat, sed potius vili pendunt omnes & dicunt. Quid ita superbis pulvis ac cinis? exterius quidem statuam Nabuchodonosoris adorabant Babylonij sed tamen interiùs superbiam eius abominabantur. Laudem denique consequi possunt, sed non veram; filius Iouis haberi voluit Alexander magnus, sed tamen vulnus, in bello acceptum, & denique mors illum hominem mortalem esse ipsi & omnibus manifestarunt; non est creata hominibus superbia, sed humilitas & animi deiectio.

Propositio VIII.

Quàm facilè superbi ad vana ducantur.

Psal. 1. Psalm. 1. *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Comparatur hic superbi & vani homines pulueri, quia puluis leuis, & nullius ponderis est, & sic facile à vento huc illucque ducitur. Sic superbi ad vana facilè tendunt, vanitas facilè pergit ad ornatus; idem in constructione domus sumptuosæ, & in supellectili pretiosa; vbi ventus ad vana vocat, illuc, sicut puluis facile tendit.

Propositio IX.

Totius ruinæ mundi extitit prima causa superbia.

Gen. 3. Genes. 3. *sed & serpens callidior erat cunctis animantibus terræ.* sic incipit cap. 3. genesis. Coniunctio illa, &, superflua hic videtur, nihil enim dixerat ante scriptura quod sic coniongeret cum serpentis calliditate; oportebat enim ad hoc vt aliqua præcederet calliditas alicuius vt serpentis adiungeret calliditatem. Sicut si ego nunc dicerem, *sed & Iudas grauiter peccauit*, supponeret videret alium priùs peccasse. Cur igitur sic incipit scriptum, *sed & serpens*, cum nullius peccatum expressisset prius? Respondet Rupert. Abbas lib. 3. in Genes. hoc igitur intendit Scriptura S. & ad hoc trahit auditorem, vt non existimet initium peccati Adæ vel vxoris eius cœpisse ab exteriori persuasione serpentis. Prius namque intus ad eot hominis per se ipsum diabolus est loquutus vt superbiret, & Deum præceptorem habere & mandatum eius portare despectui haberet; nisi enim intus per superbiam prius tumuisset, foris tentatus non tam facilè corruisset. ita Rupert. Etenim superbia cum sit initium omnium peccatorum, non mirum si & huius parentum peccati fuerit prima origo, videlicet se nolle subiici Deo, vt ex illa arbore sicut ex cæteris non manducaret, &c. Vnde concludit Rupert. sensus ergo huius loci hic est: Per semetipsum Diabolus intus corrupit hominem, & non solùm per semetipsum, sed & per serpentem callidum circumuenit exterius. ita ille. Rupert.

Subdit Rupert. in huius loci confirmationem dicens: Vnde Luc. 18. dicitur, *homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico*, non dixit solummodo, *homo quidam incidit in latrones*, sed prius dixit, *descendebat*, & sic incidit in latrones, nisi enim descendisset non incidisset; quia videlicet si mente non superbiret, dati præcepti præuaricationem non incurrisset. ita ille. Sed dices, cur dicit de superbo *descendit*, cum superbia sit ascensio mentis ad superiora aspirans? Respondet ibidem Rupert. descendebat, quia mente tumebat, & tumore ascendere, veraciter est descendere, quia vbi mens eleuatur, ipsa eleuatione cadit, vnde Psalm. *deiecisti eos dum alleuarentur.* Luc. 18. Idem. Rupert.

Propositio X.

Propriam laudem cauere debemus.

Ioan. 1. cum Christus à Ioanne baptizatus esset, vox de cœlo ruit: *hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Audiebat populus multus hanc vocem, cui tamen conueniret, Christo an Ioanni, nesciebat; id autem opus erat vt testimonio tanto deitas Christi comprobaretur. Dicere autem Christum de se propter se factam vocem, non expediebat: dicerent quippe illi malè affecti, tu

tu testimonium perhibes de te, testimonium tuum non est verum. Quod si assereret Ioannes non propter se fuisse prolatam, existimaret populus id ex humilitate Ioannis emanasse; quapropter affuit Spiritus Domini in specie columbæ, & supra caput Christi resedit, vt videns populus diceret, *dignus Dei est hic*, assignans quem annuntiauerit vox, filium Dei esse. Theophylact. in cap. 1. Marci, operatur hoc Spiritus S. descensus, ne cum pater supernè diceret, *hic est filius meus dilectus*, putarent qui audirent hoc de Ioanne dixisse: descendit super Iesum, ostendens quòd de illo dictum esset. ita ille.

Theophil.

Hinc discamus de nobis non testimonium dare, dabit cum opus fuerit, qui dederit illud promereri, vt hoc loco effectum videmus: & similiter quando S. Ioseph. videns vxorem prægnantem voluit occultè dimittere illam, & virgo mysterium celauit, ne de se testimonium ferret dicens: Ego de Spiritu S. concepi filium Dei. Remisit negotium Deo, nec frustra; Deus enim Angelum misit, qui mysterium Iosepho aperiret in Virginis testimonium.

PROPOSITIO XI.

Superbus in omnibus quæ facit, laudem & gloriam suam quærit.

Plin.

PLin. lib. 10. cap. 21. Pauo non explicat pennas, nisi adsit, qui aspiciat, laudet, & miretur: sic vir superbus nihil gaudet facere, nisi adsit qui etiam adspiciat, laudet & miretur. Affirmauit hoc Christus Dominus Mat. 23. vbi de huiusmodi hominibus agens ait: *Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus.* Ecce fructum laborum suorum, sumptus scilicet, ornatus verborum, &c. quo quid infelicius? poterant quidem hisce operibus vitam æternam promereri, & pro futili laude tanta merita commutant. Denique hi sicut organa nihil sonant nisi aëre interuenientes; & sicut nauis quæ non mouetur in mari nisi ventus vela percutiat, sic hi fine aëre & vento mondani applausus gressum nullum faciunt, nec pedem mouent.

PROPOSITIO XII.

Superbia ex nostra ignorantia Dei procedit.

GEnes. 18. apparuit Dominus Abrahæ, & cum de subuersione Sodomæ ageret cum eo, sic ad eū Abrahā: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* Sanct. Gregor. 18. Mor. 34. nusquam legitur Abraham se puluerem & cinerem professum esse, nisi cum meruit Dei loquutionem habere? ita S. Gregor. Cur igitur tunc? Etenim tanto fauore Dei fruenti potius elatio timenda erat quàm humilitas expectanda. Respondet ibi S. Gregor. sancti quanto magis diuinitatis interna prospiciunt, tanto magis nihil esse conspiciunt. Fortasse Abraham aliquid se esse crederet, si Dei essentiam quæ super ipsum erat, non sensisset. ita S. Gregor. vnde S. August. sic frequenter orabat. *Domine nouerim te, & nouerim me*; meritò loco primo dicebat, *nouerim te*, & postea *nouerim me*: quia ex cognitione maiestatis diuinæ procedit cognitio pusillitatis nostræ.

S. Greg.

S. August.

PROPOSITIO XIII.

Superbia eos præcipuè inuadit qui potiores virtute & sapientia sunt.

SAnct. nil. de 8. vitiosis cogitat. Truculentissimus est superbiæ affectus, ac perfectos potissimùm impugnat, & eos qui ad virtutum fastigium euecti sunt, deiicere contendit. Cætera vitia ignauis & desidia languentibus insidias moliuntur, superbia tamē studiosis & industriis potiꝰ, & hac ratione Christus Dominus dicebat Luc. 17. *cū feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus.* Ac si diceret, cum bellua hæc in animos nostros subire parauerit, tunc per huiusmodi verba fores illi occludite. ita ille. Pondera verba, *cum feceritis omnia*, &c. quod perfectorum est, quasi diceret, cauete ô viri spirituales & perfecti à spiritu superbiæ, vos enim in maiori versamini periculo superbię. Cum igitur adimpleueritis Dei voluntatem, humiliantes vos, dicite, *serui inutiles sumus.*

S. Nilus

Sicut ergo diabolus cum in alto templi loco Christum Dominum vidit, dixit ei, *mitte te deorsum*; sic eum in alto virtutis & perfectionis aliquem videt, eum ad ima vanitatis deiicere conatur. vnde S. Hieron. superbia natura cælestis, superborum appetit mentes: ita ille. Vocat eam naturam cælestem, quia nata est in cœlo in Angelorum malorum mente.

Mat. 4.

Simile.

S. Hieron.

Vnde Sanct. Nilus ibidem; Sicut prædones in eam potissimùm nauem quæ mercibus onusta est, impetum faciunt; sic diabolus iustis acerrimum bellum indicit. ita ille.

S. Nilus

Simile.

PROPOSITIO XIV.

Memoria peccatorum dirimit superbiam.

SAnctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Fac tibi prioris vitæ ac veterum flagitiorum in mentem veniat, illudque tecum repetes, quonam pacto & te cum talis esses, lucis huius vsura frui te sustinuit Deus, neque eo contentus etiam aluerit & conseruarit, & tunc proculdubio humilitatem concipies, nisi sensus omnis fueris expers.

Idem.

Idem ibidem: Elationem tibi negotium exhibentem sic alloquere, recede à me, quis enim ego sum peccator, aut quid pro Christo feci? etenim sancti viri partim lapidati sunt, partim secti sunt, partim mille mortis generibus Christi causa de medio sublati sunt, ego verò quid horum pro Christo passus sum? ita ille.

Idem.

Superior.

Na

parate vxoribus salutem, & quem domi timebat, intueri primus in acie studet. ita ille. Sic cui aliorum salus incumbit animarum, minus præcauere debet periculum mortis suæ, quàm perditionis animarum suorum.

Idem. Idem in S. Moyse considerandum venit, qui dum priuatam gereret personam Exod. 2. à conspectu Pharaonis fugit, mortem timens; sed cum iam princeps populi Israël à Deo constitutus fuisset, non recusauit Pharaonem adire, occasionem maioris periculi videns, ne populi saluti deesset. Quod ita rectè S. Chrysost. expendit, dicens: Moyses ille fugitiuus & vnius viri minas sustinere non valens, melle charitatis semel gustato, nemine cogente, mori pro suis festinabat. ita ille. sic septo animabus suorum se quisque offerre Deo debet vsqua ad mortem crucis, sicut Christus Dominus.

Trident. Animaduertant hoc qui præsunt in spiritualibus, & videant quàm merito Concilium Tridentinum sessione 6. c. 1. & 2. & sessione 23. decreto de reformatione c. 1. pastoribus iubeat suis in Ecclesiis residere, ne propter pastoris absentiam, oues detrimentum patiantur.

PROPOSITIO II.

Superior ita alicui subditorum faueat, ne alios in inuidiam concitet.

IVdic. 4. pugnatura Debbora (quæ licet mulier iudicis munus exercebat in Israël) contra labim Regem Chanaan, & contra Sisaram eius ducem, decem millia hominum ex tribu Nephtalim & Zabulon elegit; committitur vtrinque bellum, & in primo statim congressu, Chananæi illi partim occiduntur; tunc Debbora carmen composuit in victoriæ laudem, in quo non solùm illas duas tribus victrices laudauit, sed etiam reliquas omnes quæ non pugnauerant. Cur ita? Cardi-

Caiet. nalis Caietan. sic respondet, consentaneum fuit vt Debbora iudex in publica laude earum tribuum, quæ militauerant & vicerant, laudes insereuerit aliarum tribuum, ne in illis inuidiam excitaret. ita ille.

Gen. 37. Vnde Genes. 37. Iacob maioris amoris ratione; quo Iosephum filium prosequebatur fecit ei tunicam polymitam, videntes autem fratres quod à Patre plus cunctis filiis amaretur, inuidebant ei, in tantum autem inuidia processit, tum ea causa, tum propter omnia quibus illis præferri videbatur, vt occidere cum vellent, *&c.* Caueant igitur Patres & superiores, ne hoc pacto scandalum inuidiæ præbeant.

PROPOSITIO III.

Amabilis sit subditis suis.

Num. 26. 54. NVm. 26. Iussit Deus filiis Israël diuidere terram promissionis inter filios Israël geometrica diuisione, seruata proportione in singulis tribubus, dicens: *Pluribus maiorem partem dabis & paucioribus minorem.* Et nihilominus præcepit, vt talis diuisio terræ per sortes fieret: *sors*, inquit, *terram tribubus diuidet*; & factum est ita, vt con-

Iosu. 18. 10 stat Iosue. 18. Quomodo, inquies, hæc duo sibi cohærent, vt in tali distributione proportio inæqualitatis seruaretur, & tamen fieret sorte, cum sors incertitudinem præseferat, & proportio illa incerta esse non possit? Lyranus & Abulensis nodum ita soluunt: Deus speciali prouidentia sortibus illis interfuit, vt proportione illa inæqualitatis seruata, pluribus plura, paucioribus pauciora contingerent. Quare verò, inquies, sortem illam Dominus miscuit, cum posset à Iosue distributio fieri modo illo à Deo præscripto? Etenim in hoc muneri superioris prouidit; si enim non æqualiter terram tribubus traderet, odium aliquarum sibi facile Iosue contraheret: videns autem Deus, quantum ad rectam gubernationem conducat superiorem à subditis suis amari, sortes adhiberi iussit, vt talem inæqualitatem non à superiore, sed à Deo emanasse omnes viderent, atque adeo non propterea minus diuisorem amarent.

PROPOSITIO IV.

Bonum exemplum prabere debet inferioribus.

GEnes. 2. *posuit Dominus Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* Numquid culturæ labore egebat paradisus ille; vt necessaria ad victum homini præberet? Equidem hoc pacto non voluptatis, sed laboris homini esset paradisus. Philo Hebræus relatus

à S. Ambros. lib. de paradiso, sic respondet: S. Ambros. Quamuis paradisus operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex posteritati futurus erat, ideo etiam in paradiso speciem laboris suscepit. ita Philo. Quid ad hoc respondere possunt nunc, qui in exilio collocati, otio vacant, vbi otium omnium vitiorum parens est? non dubium, quin huius damni aliorum capita sint, qui cum pane & sale non egeant, laborare refugiunt.

PROPOSITIO V.

Non sit inæqualis inferioribus, sed proportionaliter omnibus amoris signa præbeat.

DEus Opt. & Max. superioribus omnibus superior & exemplar eorum, hac in re exemplum præbet semper, sicut S. Dauid significauit Psal. 83. dicens: *elegi abiectus esse in domo* Ps. 83. 11. *Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* [*mas quisiera estar en la casa de Dios, aunque fuera exercitando vno de los officios humildes y vajos della, que en las palacios de los peccadores.*] Rationem huius reddens subdit, *quia misericordiam & veritatem diligit Deus*; in Originali Hebræo sic, *quia sol & scutum Deus.* [*porque Dios en su casa es para los que tiene en ella sol y escudo*] cur sol? cur scutum dixit? Genebrardus, quia Deus in Ecclesia sua est sicut sol illuminans, fouens, vegetans & alens suo calore, fœcundans, nostras vires reparans, & scutū protegens, & arcens interna & externa in commoda. ita Genebr. Sicut igitur sol Genebrar. in totum urbem suam lucem æqualiter diffundit, oriens super iustos & iniustos; sic Deus in omnes non solùm iustos sed etiam peccatores suam ostendit beneficentiam. Et sicut scutum, non vnam partem corporis tuetur vt galea caput, vt thorax pectus vt ocreæ crura, sed omnes corporis partes; sic Deus noster omnes fideles suos protegit & defendit, & sic etiam æqualitatem proportionatā seruat in suppliciis & punitionibus. Hebræis

It commi

comminatus fuit olim septuaginta annorum seruitutem, *seruient* (inquit Ierem. 25.) *Regi Babylonis septuaginta annis.* Tyriis etiam idem minatus est Isai. 23. *in obliuione*, inquit, *eris ô Tyre septuaginta annis*, quia scilicet Tyrij captiui fuerunt à Chaldæis annis 70. Cur pari puniuntur pœna fideles & infideles? Nimirum, quia eadem pœna digni fuerunt. Deus autem iudex iustus est in omnes, & pro qualitate & quantitate criminum, omnes pariter punit. sic expendit hoc Theodoret. dicens: Frænat Deus Iudæorum superbiam, nam quod tempus præfiniuit vastitati Hierosolymæ, idem præfiniuit vastitati Tyri; idem enim Iudæorum & gentium est Deus. ita Theodoret. exemplum dedit Dominus vobis ô superiores, vt & vos similiter faciatis subditis vestris. Vnde licet superior consanguineos multos habeat, si indigni sint, vel digniores viderit esse extraneos, non attendat carni & sanguini, sed meritis vniuscuiusque. Sic Moyses successorem sibi constituit non ex familia sua, imò nec ex tribu sua Leuitica, sed ex tribu Ephraim, nempe Iosue. Cur ita? Abulensis in c. 22. Matth. quæst. 115. vt significaret, inquit, principatum in populum, non sanguini deferendum esse, sed vitæ. ita ille. & S. Hieron. in cap. 1. epistolæ ad Titum, Moyses, inquit, amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus est, potuit vtique successores principatus sui filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur IESVS, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum, sed vitæ. ita S. Hieron. qui statim inuehitur in eos præsertim Ecclesiasticos, qui naturali ducti affectu, Ecclesiastica bona conferunt non digniori, sed propinquiori, dicens: At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos qui possunt plus prodesse Ecclesiæ, sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. ita ille.

Ierem. 25. 11. Isai. 23. 15. Deut. 34. 9. Num. 17. Abulensis. S. Hieron.

Adest ad hoc etiam Christi Domini exemplum, qui Ecclesiæ principatum non Ioanni dilecto & etiam consanguineo, sed Petro commisit. Cur ita, cum ille sanctissimus quoque Apostolus esset? S. Hieron. lib. 5. aduersus Iouinian. duplici ratione respondet. Prima, inquit, est, ne Ioannes adolescens progressæ ætatis hominibus præferretur. Secunda, ne, inquit, magister bonus, qui occasionem iurgij auferre à discipulis debuerat, in adolescente quem diligebat, causam præbere videretur inuidiæ. ita S. Hieronym. ne scilicet diceret aliquis ignarus, quia Ioannem tenerè diligebat, ideo in summum Pontificem & vicarium suum erexit: quasi Christus non eos magis amaret: quos nosset meliores. Vnde Ioanni & Iacobo petentibus primas sedes respondit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth. cap. 20. Si aliis, cur non illis? S. Chrysost. hom. 66. in Matth. sic in persona Christi respondet; nam si quis postea venerit martyrio & aliarum virtutum numero ita decoratus, vt non parum vos excedere videatur, nolite credere, quia vos amo & cæteris antepono; idcirco eo qui maioribus nitet operibus expulso vobis primum locum me daturum. ita S. Chrysost.

S. Hieron. S. Chrys.

* * *

PROPOSITIO VI.

Quàm debeat diligere subditos suos superior.

CHristus Dominus omnium sed præcipuè fuit prælatorum exemplar; in tantum autem Christus Ecclesiam suam dilexit, vt eam non solùm dilectam sed ipsam etiam dilectionem in abstracto vocarit, vt Cant. 2. *Adiuro vos filia Hierusalem ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Hebraicè *dilectionem.* Et de ferculo Salomonis sic cap. 3. *media charitate constrauit.* Vbi charitas ponitur pro Ecclesia sponsa Christi, & Salomon pro Christo. Quasi diceret, mediam ac præcipuam ferculi sui partem consecrauit Ecclesiæ adeo sibi charæ, vt charitatem ipsam illam nuncuparet. Denique sic Pater nos (qui Ecclesia eius sumus) dilexit, vt nobis & pro nobis tradiderit filium suum; sic enim Paul. ad Rom. 8. *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* & de ipso filio sic pro nobis ad mortem tradito. ait idem Apost. *dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & holocaustum Deo in odorem suauitatis.* Sic dilexit subditos suos Deus, & sic etiam diligit modò; sic igitur hi qui locum eius tenent, diligere subditos suos debent. Si enim locum principatus Christi tenent, cur non & amoris?

Cant. 2. 8. ad Eph. 5. 2.

PROPOSITIO VII.

Superiores non sunt detrahendi.

EXtendit Oza manum ad arcam Dei, *& tenuit eam, quoniam calcitrabant boues & declinauerunt eam, iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Etenim bona videbatur Ozæ intentio, cur ergo sic Dominus eum occidit repentina morte? S. Gregor. 5. Mor. 10. sic respondet: Nonnulli subditorum contrà eos qui præsunt, manum reprehensionis mittunt, sed à vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. ita S. Gregor. Idem igitur de detractione dicendum est cum idem sit.

2. Reg. 6. 6. S. Greg.

PROPOSITIO VIII.

Superior sit mansuetus subditis suis.

GEnes. 9. sic Dominus ad Noë & filios eius, *terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* non ait super homines, qui subditi vobis futuri sunt, sed *super animalia bruta.* Quod expendens sic explicat S. Gregorius 21. Mor. 10. & lib. 1. pastoralis. cap. 6. omnes homines natura genuit æquales, sed quia non omnis homo iter vitæ æquè graditur, alter ab altero regi debet; sancti autem viri cum præsunt, æqualitatem naturæ attendunt, nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse; & tamen necesse est vt rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehenduntur, vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant; in eo autem

S. Greg.

quid

quid meritum sibi à male viuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed bestiis dominantur ita S.Gregor.

Etenim ille superior de facto magis est, qui minus se exhibet superiorem. S. Hieron. epistola 62. ad Theophilum, non quæris monachos esse tibi subiectos, & ideo magis subiectos habes; tu offers osculum, illi colla submittunt; exhibes militem, & imperas ducem; quasi vnus in pluribus es, vt sis ex pluribus vnus; cito indignatur libertas si opprimatur, nemo plus imperat à libero quàm qui seruire non cogit. ita S. Hier.

S Hieron.

Propositio IX.

Omnem surreptionem accusantium subditos cauere debet & examinare superior.

Gen. 18 20 Genes. 18. sic Dominus ad Abraham: *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita vt sciam.* Quis non miretur hoc dixisse Deum? *videbo*, inquit, quasi non præuiderit qui præuidet omnia antequam sint; *vt sciam ait*, quasi possibile sit nescire Deum, quid est vel non est. Quid ergo sibi vult ista loquutio? S. Petrus Damianus epistolâ 4. ad Papam Leonem IX. hoc profecto ad nihil aliud dictum videtur, nisi vt humana doceretur ignorantia, non leuiter adiudicare, nec ante sententiam promere, quàm rem dubiam testimoniis approbarit. ita ille.

S. Petrus Damian.

Et in huius doctrinæ confirmationem adducit illud. 2.Reg. 16. cum Dauid qui spiritu prophetico plenus erat, dum sibi inconsultius credidit, innocentem Miphiboseth proscriptionis sententiæ addixit.

Propositio X.

Propter bonitatem superiorum bene facit Deus subditis.

Genes. 7. sic Dominus ad Noë: *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Solum Noe dicit Dominus se iustum inuenisse, non enim ait *te & tuos vidi iustos*, sed *te*. Cur ergo cum eo & alios domesticos seruauit, si illi iusti nõ erant? S. Chrys. hom. 24 in Genes. respondens ait: Nam licet illi à virtute Noe longè abfuerint, alieni tamen erant à grauioribus sui sæculi peccatis. Aliam etiam ob causam salute potiti sunt, nempe in honorem iusti Noe; consuetudo enim misericordis Dei est, honorem hunc dare seruis suis, vt propter eum saluentur & alij. Id quod & Beato Paulo concessum est, cum enim ille Romam nauigaret, orta in mari tempestate magna, ita vt multi saluti suæ timerent, nullamque bonam spem propter procellarum magnitudinem haberent, vocatis omnibus dixit, *bono animo estote viri amissio enim animæ nullius erit ex vobis, præter quam nauis, &c. astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ego sum, dicens: ne timeas Paule, dedit enim tibi Deus omnes qui tecum nauigant.* Vides quomodo virtus viri salutem illis conciliauit per misericordiam Dei, ita & hic factum est. ita ille.

S.Chryſ.

Propositio XI.

Subditi occultare debent defectus superiorum.

Genes. 9. Cham vnus ex filiis Noë, nuditatem patris non solùm non tegit, verùm etiam duobus fratribus suis detegit; at illi reuerenter patris nuditatem cooperuerunt, quod ad mores accommodans S. Gregor. vt refertur 1. quæst. 4. c. Eccle. quid est, ait, quod filij nuditatem patris superiectis dorso palliis auersi, veniendo operuerunt, nisi quia bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, vt ab illis nota occultent? ita ille. Animaduertant hoc qui facile detrahunt superioribus. S. Gregor.

Propositio XII.

Quanta requiratur in superioribus clementia maximè in Regibus.

Videndus est S. Ambros. lib. 2. de officiis cap. 7. vbi inter alia legimus (inquit) in regibus quantùm facilitas blandæ affabilitatis profecerit aut superbia, & verborum obsuerit tumor, vt regna ipsa labefactaret & solueret potestatem. ita S. Ambros. vbi duo prosequitur exempla Moysi & Dauidis, & eleganter ex eis ostendit quantam gratiam apud inferiores consequuti fuerint propter mansuetudinem & clementiam ipsorum, quantúmque illa conduxerint ad rectam gubernationem. De Dauid id præcipuè adnotauit dicens: Non mediocre istud se pro omnibus offerre morti, vt in se diuina indignatio conuerteretur cum ferienti Angelo offerens se diceret, *Ecce sum ego qui peccaui, & ego pastor malus feci, & iste grex quid fecit? fiat manus tua in me*, & ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inultus peteretur & resistens cogeretur; Senex verò ne prælio interesset, à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quàm pro omnibus illum, ita sibi gratis officiis obligauerat plebem. Summum enim esse in charitate præsidium, nemo dubitat, cum Apostolus dicat (1. Cor. 13.) *charitas numquam cadit*; ideo Dauid non cecidit, quia charus omnibus fuit, & diligi à subiectis, quàm timeri maluit, ita ille. De Moyse autem ait, idem S. Ambros. Meritò æstimatus est supra homines, vt & vultum eius non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent, quia sic sibi totius mentes plebis deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. ita S. Ambr. S. Ambroſ. Reg. 24.

Propositio XIII.

Superior minister esse debet inferiorum.

Luc. 1. cum Angelus Gabriel Virgini nuntiaret in Dei matrem electam esse, adiecit, *& ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua*, &c. Quærit hic sanctus Bernardus homil. 4. *super missus est*, dicens: S. Bern.

dicens: Quid necesse fuit huius sterilis Virgini nuntiare conceptum? numquid forte dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recentiori voluit miraculo confirmare? absit, quin potius fidem ipsius prophetante Elizabeth agnouimus laudatam, *beata*, inquit, *es quæ credidisti*. ita Sanct. Bernard. qui postquam nonnullas huius rationes assignauit subdit: Vel ideo nunciatur Mariæ conceptus Elizabeth, vt audiens cognatam vetulam & grauidam, cogitet iuuencula de obsequio. ita ille. At maius hinc dubiū insurgit, cur cum tunc à Deo in matrem eligeretur, potius ad obsequium eius esset vocanda Elizabeth quàm Maria ad ipsius Elizabeth. Sed dubitationem soluunt verba illa Christi Domini, *non veni ministrari sed ministrare*. Quod si Christus Dominus Deus noster, & Virginis filius ministrare venit, quid mirum si Beata Maria mater, quæ ex eo quod mater plus omnibus similis filio fuit, veniret quoque ministrare?

Hinc autem confusio nostra, quia cum nihil simus, nolumus ministrare sed ministrari, hinc inquam superbia nostra constat qui vocamur Christiani, & humilitatem Christi nolumus imitari, sed luciferi superbiam. vnde plerique magis luciferani quàm Christiani nuncupari merentur.

Propositio XIV.

Superior vt monitiones eius prosint faciat quæ monet.

Seneca. SEneca epist. 108. Qui aliter viuit, quàm viuendum esse præcipit, non magis mihi prodest quàm gubernator in mari nauseabundus; tenendum est gubernaculum rapiente fluctu, luctandum cum ipso mari, quid me iuuare potest gubernator attonitus & vomitans! Quanto maiore censes vitam nostram tempestate iactari, quàm vllam in mari ratem? non est tam loquendum, quàm gubernandum; omnia quæ isti dicunt, quæ turba audiente iactant, aliena sunt. Dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chrysippus, & ingens agmen tot ac talium, sed quomodo probare possint esse sua quæ docent monstrabo: faciant quæ dicunt. ita Seneca.

Simile.

Cassian. Abbas Cheremon apud Cassianum Collatione 11. cap. 4 Numquam erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis. ita ille. Sicut enim non sufficit clauum esse acutum ad penetrandum, nisi mallei vi figatur, sic nec persuasio sine exemplo.

Simile.

Propositio XV.

Ad superioris honorem pertinet subditorum virtus.

S. Leo. SAnctus Leo Papa serm. 2. de anniuersario suæ assumptionis, de profectu gregis gloriatur vita pastoralis. ita ille. Metaphora sumpta à pastoribus, quorum vigilia & cura laudatur, quando & à lupis oues seruantur, & pingues incedunt. Hinc Apostolus 1. ad Thes. 2. subditos suos coronam suam vocat.

Propositio XVI.

Superior maximè prudens esse debet, ne & ipse pereat.

SAnctus Chrysost. hom. 9. in Genes. Fluctibus se eleuantibus & exortis procellis, sæpe ob imperitiam gubernatoris demersa, simul submergitur etiam ipse. ita ille. S. Chrys.

Propositio XVII.

Profectui inferiorum assistat superior.

SAnctus Gregor. 21. M. c. 8. superior non præesse gaudeat sed prodesse. ita ille. S. Greg.

Tepiditas.

1. *Feruor conducit ad saluationem, tepiditas autem obest illi.*
2. *Quàm sit tepiditas animæ perniciosa.*
3. *Tepiditas est magnarum tentationum origo.*
4. *Quàm Deo displiceat.*

Propositio I.

Feruor conducit ad saluationem, tepiditas autem obest illi.

MAtth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quid hic significat iustitia, & fames, ac sitis eius? communis sanctorum explicatio est per iustitiam intelligi virtutem, per famem & sitim vehemens quoddam desiderium virtutis. ita S. Hieron. hic. S. Ambros. lib. 6. in Luc. S. Chrys. hom. 15. in Mat. & in imperfecto hom. 9. Sanct. Hilar. canon. 4. S. August. lib. 1. de ser. Domini in monte S. Bernard. ser. 1. de omnib. SS. & alij plures. Ait igitur Dominus, *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, quæ verba sic ponderat Sanct. August. ser. 5. de verb. Mat. Esuriunt & sitiunt & beati sunt? sed non inde beati quia esuriunt & sitiunt, sed quia saturabuntur, ibi erit beatitudo in saturitate, non in fame: sed tamen præcedat saturitatem fames ne fastidium non perueniat ad panes. ita ille. Ad hanc igitur beatitudinem saturitatis obtinendum, oportet famem, id est desiderium magnum virtutis habere. Vbi aduerte non solùm famem, sed etiam sitim dixisse Christum; maior enim vis sitis quàm famis est. Vnde diues ille damnatus, quamuis vltima fame ac siti in inferno laboraret, non de fame sed siti conquestus est; sitis enim passio vehementior multo est quàm fames, atque adeo vehementiorem quandam importat volontatem & feruentius desiderium. Ait igitur Dominus: Beati qui non solum esuriunt, sed etiam acriori quodam sitis desiderio virtutis opera ambiunt; hi enim beati quidem erunt, qui verò virtutem inquirunt, sed tepidè, in magno salutis suæ discrimine versantur. ideo ait Sanct. August. Præcedat saturitatem fames,

S. Hieron. S. Ambros. S. Chrys. S. Hil. S. August. S. Bern.

fames, ne fastidium non perueniat ad panes; vel diciro, ne fastidium virtutis perueniat ad pœnas.

PROPOSITIO II.

Quàm sit tepiditas anima perniciosa.

Leuit. 1. LEuit. 1. agitur de holocausto agni & inter alia sic scriptura, *immolabit ad latus altaris, quod respiciat ad aquilonem.* Cur potius ad aquilonem, quam ad meridiem? Viam ad intelligendum locum hunc aperuit ibidem Isichius, dicens: *Ad aquilonem* dixit, nebulosa enim pænè sæpe hæc pars est. ita ille. Addam ego, nebulosam simul ac frigidam regionem illam esse, atque adeo symbolum eorum qui frigidè seruiunt Deo; quare merito ea in parte holocaustum fieri decreuit Deus, quia maximè diuina ope hi egent, qui frigidè vel tepidè in diuino se habent obsequio.

PROPOSITIO III.

Tepiditas est magnarum tentationum origo.

Mat. 4. MArci. 4. *Cum dormiret Christus in naui, facta est procella magna venti.* Quid sibi vult somnus iste Christi Domini? nonne ipse est, de quo ait Dauid Psalm. 12. *ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*; quomodo igitur nunc dormit? Sanctus Petrus Chrysologus, S. Petrus Chryſ. serm. 21. quoties Christus dormit in nostra naui, & ignauiæ nostræ somno sopitatur in nobis, irruit procella tota confusione ventorum, sæuiunt minares vndæ, & dum spumosis fluctibus sæpius eleuantur & decidunt, amara nauigantibus naufragia gignunt. ita ille. vbi duo dicit. Primum, Christum dormire in nobis, qui corpus eius sumus, cum torpore & desidia spirituali laboramus. Secundum est, tunc graues Simile. contra nos insurgere tentationes; sicut enim muscæ licet mella & vnguenta suauia quærant, accedere ad ea non audent cum illa ex ignis calore feruent: sic etiam hostes animæ ad corda illa, quæ feruore spiritus pollent, accedere refugiunt, ad tepida verò accurrunt & tentationum turbine ea vexant, quo naufragia misera sæpius patiuntur.

PROPOSITIO IV.

Quàm Deo displiceat tepiditas.

QVi desidiosè ac tepidè opus Dei faciunt, similes sunt illis qui Domino Saluatori vinum felle mixtum propinarunt. Cum enim bonum opus edunt, vinum illi suaue porrigunt: sed cum tepido & negligenti animo id præstant, pretioso vino fel admiscent. Hilarem enim datorem diligit Deus.

* *

Templum.

PROPOSITIO VNICA.

Contra delinquentes in templo, & de eius veneratione.

EXod 3. sic Dominus ad Moysem ex rubo; *ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Cur sancta? Hugo Victorinus, Hugo Vict. *terra*, inquit *sancta est*, non propter aliud nisi propter diuinam ibi præsentiam. ita ille. hinc collige quanta cum reuerentia versari debeamus in templis vbi diuinum est Eucharistiæ sacramentum, in quo Christus Dominus verus Deus & verus homo est; & quidem in rubo Angelus quidem erat locum Dei tenens, vt constat ex capite 7. Act. Apostolorum. Quod si tantam reuerentiam requisiuit Deus à Moyse propter præsentiam Angeli, qui vices Dei gerebat, quid nos facere oportet coram ipsomet Deo in templo sic existente?

Tentatio.

1. *Fidelitatem in Deum & virtutis vim probat & examinat tentatio.*
2. *Deus tentationes moderatur.*
3. *Hostis callidè & insidianter tentat.*
4. *Quàm facilè hostes anima vincere valeamus.* Vide prop. 37.
5. *Cur permittat Deus homines tentari.*
6. *Angelos custodes nobis exhibet Deus, vt nos à dæmonum tentationibus tueantur.*
7. *Diabolus vnumquemque tentat iuxta naturalem propensionem illius.*
8. *Qui fortiter resistit dæmoni tentanti, formidinem illi iniicit, ne iterum ipsum tentet.*
9. *Quàm assiduè opportunè, & importunè diabolus nos tentet,* Vide pr. 20. & 34.
10. *Quòd acrius tentat diabolus iustos quam peccatores.*
11. *Delitiis mūdi præcipuè nos diabolus tētat.*
12. *In victoria tentationum salutis nostræ consistit.*
13. *Tentationum victoria spem salutis æternæ confirmat.*
14. *Secundùm mensuram virtutis dæmones homines vincunt aut non vincunt.*
15. *Tentationibus viriliter resistere debemus.*
16. *Quod in aduersis & tentationibus conformitatem cum voluntate diuina habere debeamus.*
17. *Cedere tentationi non ex formidine inimicorum, sed ex cæcitate mentis nostræ prouenit.*
18. *Oratio maximum remedium est ad tentationes vitandas.*
19. *Tentat sæpe diabolus tribulationib. magnis, vt nos à Deo derelictos esse censeamus.*

20. *Sæpe Diabolus importunitate tentandi vincit.* Vide suprà propos. 9.
21. *Quòd in tentatione Deus non deserit suos.*
22. *Quàm referta tentationibus sit vita nostra.*
23. *Per amicos & consanguineos nostros nos diabolus tentare solet.*
24 *In tentationibus dæmones nostram intendunt damnationem & Dei offensam.* Vide prop 31.
25. *Diabolus resistentibus debilis, & non resistentibus fortis est.*
26. *Diabolus peccatores peccare docet.*
27. *Diabolus in tantum nobis nocet, in quantum potest.*
20. *Quòd diabolus in tentationibus magis spiritualia bona quàm corporalia nitatur perdere.*
29. *Quàm profit iusto tentatio ad victoriam.*
30. *Quanta sit fortitudo resistere tentationibus.*
31. *Diabolus nos tentat in odium Dei magnū.*
32. *Ad vincendas tentationes inimicorum conducit exemplum Christi.*
33. *Tentationis initio celeriter obuiare debemus.*
34 *Non semel hostis tentat sed sæpe.* Vide prop. 9.
35. *Tentatio est valde fugienda.*
36. *Tentationes dæmonis attendere debemus.*
37. *Tentatio sola negatione consensus superatur.* Vide prop. 4.
38. *Diabolus in tentatione vtilitatē nostram præsefert, sed inde damnum intendit.*
39. *Quantum Deo & Angelis placeat victoria tentationis.*
40. *Imprudentem facile inuadit diabolus & superbum vanum.*
41. *Tantatio non nocet non consentienti, imo prodest.*
42. *Quàm vtilis & meritoria sit tentatio vincenti illam.*
43. *Tentari aduersus vanam gloriam conducit.*
44. *Tentatio nemini parcit.*

Propositio I.

Fidelitatem in Deum & virtutis vim probat & examinat tentatio.



Celebris quæstio est, cur Dominus Opt. & Max. permittat homines tentari. Et dubitationis ratio est, quia tentationum causa multi peccant & damnantur, quod Deus præcauere poterat. Cur non ergo præcauit, cum nostræ salutationis amantissimus sit, vt quæ pro ea fecit & passus est optimè testantur? huic quæstioni primò respondet S. Aug. (S. August.) dicens: Deus sic res quas condidit, administrat, vt eas proprios motus agere sinat; & ideo iustum & rationabile est, vt hominem dimittat vti libertate arbitrij sui. ita ille. quod & sacra testatur scriptura. Eccles. 15. dicens: *Deus à principio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.* Non igitur quæri potest homo, quòd permittat Deus eum à dæmone tentari, cum in mano hominis & potestate sit eius tentationi non consentire, diuinaque gratia illi fauente; tum etiam, quia si permisit hominem à malis Angelis tentari, disposuit etiam per bonos Angelos ad bonum incitari & promoueri.

Conueniens insuper fuit tentationes Dæmonum Deum permittere; quibus fideles in Deum examinarentur & probarentur; nam merito dixit S. Augus. lib. 11. de genesi ad litteram, non mihi (S. Aug.) videtur magnum, futurum fuisse hominem si propterea posset bene viuere, quia nemo male viuere suaderet, cum & in natura posse & in potestate habeat velle non consentire, adiuuante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. ita ille.

Propositio II.

Deus moderatur tentationes.

Permittit quidem Deus hominem à diabolo tentari, eo tamen moderamine, vt facilè homo tentatorem superare possit. Quod in prima hominis tentatione constat. Cum enim tentare illum hostis vellet, serpentem assumpsit; cur non in lucis Angelum se potius transfigurauit, aut saltem in aquilam seu columbam, aut animal serpente placidius & gratius intrauit? quia facilius Euæ erat à serpente cauere. ita Nicolaus de Lyra respondet dicens, quòd in serpentem intrauit, non (Lyra.) fuit ex dæmonis electione, sed magis ex diuina dispensatione, quia non permisit Deus hominem tentari per diabulum in specie gratiosa, & nobili, per quam facilius decipi posset; sed magis in specie horribili, in qua fallacia dæmonis citiùs poterat deprehendi. ita ille.

Propositio III.

Hostis callidè & insidianter tentat.

Exod. 1. sic Pharao ad suos, *ecce populus Israël multus & fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum.* Meritò hoc loco Origenes asserit Pharaonem figura diaboli habere, sicut enim Pharao sapienter, seu callidè & astutè (vt textus Hebræus habet) populū Dei persequutus est, sic etiā hostis hic seruos Dei callidè tentat & per insidias. ideo dictum est viro iusto ps. 90. *scuto circumdabit te veritas eius.* mirabile scutum hoc circundans iustum. Scutum enim nō circumdat militem, sed solam partem eius anteriorē defendit; at in militia spirituali, in qua cum dęmone pugnamus, oportet scutum habere totum hominem, circumdans eriā à tergo; imò potius à tergo, nam dęmones non facie ad faciem expugnā, semper hostes, sed potius nos à tergo inuadunt, vt sagittent in occulto immaculatum, & ita scuto indigemus, totum hominem protegente & circumdante; ideo in specie serpentis permisit Deus primos parentes à dæmone tentari, serpens enim tortuosè incedit, & non via recta, sic hostis, &c.

Iob 2. sic vxor Iob ad eum: *Adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.* Quis dubitat

dubitat ſuggeſtione dæmonis id protuliſſe? vbi obſerua hoſtis calliditatem, & quomodo gradatim damna compoſuit, minora prius, maiora deinde; ne ſi maiora priùs adhibuiſſet, minora deinde locum feriendi non haberent. Ponderatio

S. Gregor. eſt hæc S. Gregor. Papæ 3. Mor. 6. dicentis: Si ſubtiliter tentationem hoſtis perpendimus, qua ſæuiat calliditate inuenimus, mouit namque priùs damna ſubſtantiæ, quæ & extra naturam eſſent, & extra corpus; ſubtraxit filios, quod extra naturam non erat, bene tamen extra corpus; ad extremum percuſſit & corpus, ſed quia vulneribus animæ ad vulnus carnis peruenire non potuit, vxoris linguam quæſiuit. ita Sanct. Gregor. lingua autem perſonæ dilectæ potens eſt valde ad perſuadendum, vt patet in lingua Euæ; quæ ſuaſit Adæ viro ſuo edere de pomo vetito, (graue malum!) fecit quidem Adam quod vxor ſuade-

S. Auguſt. bat, ne contriſtaret delicias ſuas. vti ait S. Auguſt: tantum valet lingua perſonæ dilectæ ad ſuadendum malum. ideo igitur in vltimum locum reſeruauit hoſtis linguam vxoris Iob, quam ſicut iuſtus vxoratus diligebat. Ecce aſtutiam tentatoris.

Geneſ. 3. per ſerpentem tentauit diabolus Euam & ſuaſit ei Dei tranſgredi mandatum: cur per ſerpentem & non per leonem? v.g. Reſpõdet Ru-

Rupert. pert. Abbas lib. 3. in Geneſim, quia hoſtis non vi ſed calliditate affectum noſtræ calliditatis eſt adeptus. ita ille. & congruit, quod de ſerpente ſit ſcriptura, *ſed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ,* (*y eſſo de nota aquel torcimiento conque anda, que pareze que va a vna parte y luego buelue a otra.*) Cautè igitur & nos motus cordis noſtri attendere debemus, quia ſuggeſtiones diaboli frauduleutę ſunt, *a maga alos pies y da el golpe en la cabeza,* ideo Eccleſia orat & dicit, *ab inſidiis diaboli liberanos Domine.*

PROPOSITIO IV.

Quàm facilè hoſtes animæ vincere valeamus.

1. Petr. 5. LEonem vocat dæmonem Scriptura ſacra, *Fratres,* inquit Apoſtol. Petrus 1. Petr. 5. *ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret,* &c. Leonem propter fortitudinem eum vocat, eſt enim leo fortiſſimus beſtiarum, qui ad nullius pauebit occurſum: ſic non eſt poteſtas ſuper terram, quæ diaboli poteſtati comparetur, ſed tamen Dei gratia non adeo ferox eſt, ſicut depingitur leo; fortiores enim nos per Chriſtum illo ſumus. Exod. 1. dixit Pharao conſiliariis Regis ſuis: *Ecce populus Iſraël fortior nobis eſt, venite, ſapienter opprimamus eum.* Vbi Rupert. Rex iſte Ægypti,

Rupert. qui ſic ſollicitus eſt, qui ſic loquitur, diabolus eſt, verùm quantacumque inuidia loquutus es, ô diabole? Hoc verum dixeris & hoc ſine mendacio loquuti ſunt omnes ſatellites tui, quia fortiores vobis nos ſumus, principe belli Chriſto Filio Dei;

S. Auguſt. ita Rupert. vnde S. Auguſt. ſer. 2. in dom. 1 poſt trinitatem. Diabolus quidem multum præualet, ſed tepidis & negligentibus, & Deum non verè timentibus dominatur: alligatus autem eſt tamquam canis innexus catenis, & neminem poteſt mordere niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Iam videte Fratres quam ſtultus eſt homo, quem canis in catena poſitus mordet: tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli coniungere, & ille ad te accedere non præſumet; latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem: non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit. ita S. Auguſt. & ita S. Hier. epiſt. ad Demetriadem Virginem, etenim Saulis victoria eſt, quæ ſita eſt in voluntate noſtra, *con vn no quiero venceres à todo el infierno*: & ob hanc rationem inexcuſabilis eris ô peccator in iudicio Dei: quid enim reſpondebis iudici dicenti, cur non viciſti, vincere ſola voluntate potens?

Marc. 5. *Homo quidam dæmonium habens videns Chriſtum ad eum cucurrit dicens: Adiuro te per Deum viuum, ne me torqueas.* Hic primò conſidera quanta in nos rabies dæmonis ſit, qui tormentum reputet non torquere nos; *ne,* inquit, *me torqueas.* quid eſt *non me torqueas?* Ne me hinc eiicias, vbi hominẽ torqueo. Ecce quid tormentũ ſuũ dicat, homines videlicet non torquere, illos igitur vexare ſuam exiſtimat requiem. Interrogauit autem eum Chriſtus, *quod tibi nomen eſt? Cui hoſtis: Legio, quia multi ſumus;* legionis numerus eſt 6666. vti adnotauit Lyranus, miratur hic meritò S. Petr. Chryſol. ſer. 17. dicens: Ad vnum legio? (*para vn hombre ſeiſmil y ſeiſcientos y ſeſenta y ſeis demonios? no baſtara vno a vno vn demonio para vn hõbre?*) ad vnũ legio? euidẽs eſt deſidia militis ſi deſerat aciem, ſi greſſum retrahat, ſi cõfligere pertimeſcat, vbi vnum numeroſo hoſte fortiorem præuidet eſſe captiuum. Ad præſentiam Regis iſti quid ſunt? quid vt vnum, & nec dum tyronem caperent, toto cohortis ſuæ agmine conuenerunt? Age Chriſtiane, incede ſecurus, manus tanta & tam multa quæ ſic metuit inermem, procul fugiet ſi videat, ſi ſentiat, ſi cognoſcat Chriſtianum armatum. ita S. Petr. Chryſol.

Matth. 4. ſic diabolus Chriſto Domino, *ſi filius Dei es, mitte te deorſum,* ex pinna ubi nempe templi. Cur ſi præcipitium Chriſti optabat, non inde eum eiecit? Sanct. Hieron. ibidem: Vox diaboli eſt, *mitte te deorſum,* quia ſemper omnes nos deorſum cadere deſiderat; ſed perſuadere poteſt, præcipitare non poteſt. ita ille.

Marc. 5.

S. Petrus Chryſol.

S. Hieron.

PROPOSITIO V.

Cur permittat Deus homines tentari.

Mar. 5. MAr. 5. ſic Dæmones ad Chriſtum: *Si eiicis nos hinc, mitte nos in greges porcorum,* &c. Cur ipſi dæmones intrandi in porcos à Chriſto Domino facultatem depoſcunt? cur non liberè id præſtant? cur etiam Chriſtus talem illis facultatem concesſit? S. P. Chryſol. ſer. 16. ſic reſpon-

S. Petrus Chyſol. det: Traditur vile pecus non pro voluntate dæmonum, ſed vt tali facto innoteſcat, quomodo in homines ſæuiunt, quomodo quærunt mortes hominum, qui ſic porcos perdere quæſierunt. Dæmones autem lædere non valent niſi permiſſi. Traditur ergo vile pecus, vt liceat, nihil in homines de hominibus licere, quibus in porcos permiſſum eſt vt liceret; nos verò aut vitiis noſtris facimus, vt illi accipiant nocendi poteſtatem, aut virtutibus ſubiectis dæmonum colla Chriſto triumphante calcemus. ita ille.

S. Thom. Sanct. Thom. 1. p. q. 14. art. 1. in tertio argumento ſic arguit: Deus permittit electos ſuos impugnari propter eorum exercitium, vt ſcilicet pugnando exerceant actus virtutum, fortitudinis, patientiæ, obedientiæ, caſtitatis, fidei, ſpei, & charitatis, &c. Ad exercitium autem hominum

non sufficiebat tentatio carnis & mundi. ergo non videbatur necessarium quod à dæmonibus impugnarentur. Respondet S. Doctor, infirmitati hominis sufficeret quidem impugnatio carnis & mundi, sed malitiæ dæmonum non sufficit, quæ vtroque vtitur ad hominum impugnationem: Sed tamen ex diuina ordinatione hoc prouenit in gloriam electorum. ita ille. Etenim est magna hominis gloria demonē vincere & superare, victoria autē esse non potest sine certamine, certamen autem est tentatio ipsa; necessaria igitur est tentatio ad gloriam electorum vincentium hostes.

Hugo. Vict. Cur tentari ab hoste permisit Deus primos parentes nostros? sine eius enim permissione non poterat eos tentare. Respōdet Hugo de S. Victore super c. 3. Genes. permissus est homo tentari, alitet enim non esset illi gloriosum stare. ita ille. solet Rex candidatos suos ad militandum mittere, vt se fortes in bello exhibentes, honorea ab eo

Simile. gloriosè recipiant: Sic etiam in scholis prius quàm gradus magisterij alicui concedatur, certamen litterarium ab eo exigunt, vt examine approbatus clarior & gloriosior sit; sic homo examine tentationis victor euadens, apud Deum & cælestem curiam gloria manet condecoratus.

S. August. S. August. in lib. sententiarum Prosperi, Profectus fidelium sine tentatione non prouenit, nec sibi quisquam innotescit, nisi probationis examine, nec coronabitur nisi vicerit, neque vincet, nisi certauerit; quis autem certat nisi habens inimicum? ita ille.

Propositio VI.

Angelos custodes nobis exhibet Deus, vt nos à dæmonum tentationibus tueantur.

MAt. 4. *Accedēs tentator*, &c. tentatorē dæmonem vocat quasi ab officio; hoc enim quasi officiū propriū sibi præscribit hostis noster, tētare videlicet nos, & inde tētatoris nomē habet. Sicut eni n artifex, v. g. pictor picturas artificiosè facere curat, sic hostis pessimas tentationes. Vnde 1. ad Thessalon. 3 Paulus: *Ne forte tentauerit vos is qui tentat*, vbi glossa id est *diabolus cuius officium est*

S. Thom. *tentare*. ita Glossa. Quærit igitur Sanct. Thom. 1. p q. 114 artic. 1. cur Deus bonus qui supra modum nostram saluationem sitit, permittat potentes hos & callidos dæmones tentare nos, cum facilè illos compescere possit. Arguit ergo S. Thom. ibi in argum. 2. non est æqua conditio pugnæ, vt infirmus contra astutum, exponatur ad bellum: sed homines sunt infirmi & ignari, dæmones autem potentes & astuti, cur ergo permittit iustitiæ auctor, vt homines à dæmonibus impugnentur? Respōdet idem Sanct. Ad hoc vt non fit inæqualis pugnæ conditio inter homines & dæmones, fit ex parte hominis talis recompensatio, principaliter quidem per auxilium diuinæ gratiæ, secundariò autem per per custodiam Angelorum. vnde 4. Reg. 6. Eliseus dixit ad ministrum suum, *noli timere, plures enim nobiscum sunt quàm contra nos*; quare in diuino iudicio nulla erit excusatio peccatoria dicentis, *peccaui, quia pugnaui contra hostem fortiorem me*; sicut nihil proficit Euæ Gen. 3. cum dixit, *serpens decepit me*.

Propositio VII.

Diabolus vnumquemque tentat iuxta naturalem propensionem cuiusque.

NOn eodem pacto dæmon omnes homines tentat, hunc circa superbiam, illum circa inuidiam; hunc circa gulam, illum circa luxuriam vel iram: quia callidus hic hostis non violentia, sed suauitate trahendas esse hominum voluntates cognoscit; & quia non omnes eandem propensionem naturalem habent, priùs tentando exploret naturalem cuiusque inclinationem, & postea obiecta illa proponit, quæ tali conditioni magis conueniunt. sic docet S. Thom. 1. p. q. 119. S. Thom. art. 2. ad 2. dicens: Dæmones sciunt quæ exteriùs circa homines aguntur, sed interioris hominis conditionem solus Deus nouit, qui est spirituum ponderator, ex qua aliqui sunt magis proni ad vnum vitium quàm ad aliud, & ideo diabolus tentat, explorando interiorem hominis conditionem, vt de illo vitio tentet, ad quod homo pronior est. ita ille. *tome pues cada vno el pulso a su* Simile. *natural, y ponga alli el remedio donde el demonio busca el daño.* Sicut enim dux qui ciuitatem aliquam obsidet, circuit muros eius vt ciuitatem illam expugnet, qua parte senserit eam debiliorem, *mira que lienço flaquea paradesmanto lar el muro por alli alli asesta su artilleria*, &c. sic hostis, &c.

Genes. 3. *eritis sicut dij scientes bonum & malum*, &c. Cur huiusmodi tentatione tentauit primos parentes diabolus? supponamus quod Hugo Vi- Hug. Vict. ctor. in hoc cap. 3. Genesis asserit: Cum diabolus dixit: *aperientur oculi vestri*, diuinam cognitionem, qua Deus omnium naturas perfectè & vno intuitu comprehendit promittit. ita ille. Etenim hostis vnumquemque nostrum tentat secundùm qualitatem cuiusque, cum ad vilia videt aliquem propensum, in rebus vilibus ei laqueum parat: si verò in rebus excelsis, in his eum tentat. Cum igitur in primis parentibus animum ad excelsa eleuatum animaduerteret, erant enim in eximia Simile. perfectione à Deo constituti; idcirco simul cum gulæ tentatione appetitum diuinæ sapientiæ in escam miscuit, &c. Sic auato in diuitiis, superbo in honore, sensuali in delitiis scandalum ponit. Sicut enim piscator hamum illa esca inescat, quam gratam piscibus nouit; sic diabolus eo nos allicit bono ad quod nos videt esse propensos.

Propositio VIII.

Qui fortiter resistit dæmoni tentanti, formidinem illi inijcit, ne iterum ipsum tentet.

DOctrina est S. Thom. 1. p. q. 14. artic. 5. & S. Thom. in confirmationem adducit Sanct. Ambros. lib. 4 in Lucam, in illa verba Luc. 4. *& relinquit* S. Ambros. *eum diabolus*, &c. verba S. Ambros. sunt: Diabolus instare formidat, quia refugit frequentiùs triumphari. ita ille. Qui ergo molestias tentationum vitare desiderat, acriter tentationi resistat; ideo enim ait S. Iacobus Apostol. *resistite diabolo, & fugiet à vobis*. Non ait simpliciter *recedet*, sed *fugiet*; quare, inquies, fugit? numquid resistentiæ nostra,

nocumentum aliquod infert illi? infert quidem, confusionem scilicet magnam, quia superbus est valde; & à nobis confunditur superari; & ita quasi combustus ex resistentia, ad se confundentem refugit redire. Vnde eum sæpe redit, signum est illum ex suis tentationibus lucrum aliquod reportare. Euigilate iusti.

Sic satanas, qui tentauit Dominum, videns firmam illam resistentiam abiit, discessit, erupit,
Luc. 4. fugit, & non per exiguum tempus. S. Luc. cap. 4. ait: *Consummata omni tentatione diabolus recessit ab*
S. Thom. *illo vsque ad tempus.* S. Thom. in sua catena, *vsque ad tempus crucis.* Beda *vsque ad tempus passionis.* Denique in omni vitæ intermedio, non ausus est iterum Christum tentare; recessit enim confusione & verecundia plenus, videns Christum de ipso per validam illam resistentiam triumphantem.

Iudit. 1. Iudith. 1. misit Nabuchodonosor nuntios ad varias prouincias, vt liberè se subderent ipsi, qui omnes vno animo contradixerunt, quam ob rem indignatus Nabuchodon. aduersus illos iurauit per thronum & regnum suum, quod defenderet se ab omnibus regionibus illis: *defenderet* ait, numquid regiones illæ nocere volebant ei, vt dicat se defendere velle ab eis? Etenim superbus erat, & ideo resistentiam pro iniuria reputabat. Sic etiam diabolus, quia superbus est valde, resistentiam in opprobrium suum ducit.

PROPOSITIO IX.

Quàm assiduè opportunè & importunè diabolus non tentet.

Matt. 4. MAt. 4. *iterum assumpsit diabolus, &c. Iterum,* inquit, iam non semel tantùm, sed bis tentauerat Christum, & subdit, *iterum, &c.* quod ita Dominus permisit, vt notum nobis esset quàm frequenter & assiduè diabolus impugnet nos, vt saltem importunitate & improbitate vincat.

Quod etiam in tentationibus S. Iob patet; postquam enim plurima damna intulit diabolus illi, sigillatim & successiuè nuntios destinauit, vt quod primus nuncius efficere nequiuit, secundus vel tertius præstaret; & vt ita vulnus primum, ita eius animum vexaret, vt secundum vix ferre posset, & ad tertium ferendum vires non haberet. ita hostis mentem interpretatus est. S. Gregor. 2.
S. Greg. Mor. 15. dicens: Qui vno vulnere diaboli non prosternitur, idcirco bis tertioque percutitur, vt vsque ad intima quandoque feriatur. & ideo annuntiata de Sabæis aduersitate, nunciatur animaduersio Dei per ignem de cœlo; deinde ab hominibus camelorum raptus, & cædes puerorum, & ventus irruens concutiens domum & filios extinguens; sed cum priùs aduersa nuntiauit, tranquillo pectori quasi sanis membris vulnus inflixit. Cum verò eot percussum feriendo repetit, vt ad impatientiam compelleret, super vulnera vulnus irrogauit, & priùs parua, deinde maiora nuntiauit, & in extremo filiorum intulit mortem, ne vilia rei familiaris damna duceret pater, si illa iam orbatus filiis audiret, quia nulla esset hereditas si illos priùs subtraheret, qui seruabantur heredes. A minimis igitur incipiens in vltimum grauiora nunciauit, vt dum gradatim deteriora cognosceret, in eius corde doloris locum, omne vulnus inueniret. & tantò ardentiùs in blasphemiam accenderet, quantò multiplicibus & subitis nunciis in se angustiùs æstuaret. ita S. Gregor.

Iob 4. sic Eliphaz amicus Iob. *Tigris periit, eo* Iob. 4.
quod non haberet prædam. Notum est, tigridem animal esse variis maculis conspersum, in quo S. Gregor. 5. Mor. 17. similem ei esse dæmonem docet dicens: Tigris vocatur diabolus, modò enim sicut est perditus, se humanis sensibus obiicit, modò quasi Angelum lucis ostendit, modò stultorum mentibus blandiendo persuadet, modò ad culpam terrendo pertrahit, modò suadere vitia apertè nititur, modò in suggestionibus suis sub virtutis specie palliatur. hæc ita, quia bellua quæ tanta varietate respergitur, meritò vocatur tigris. ita Sanct. Gregor. & ob eandem causam S. Greg.
Sanct. Hieron. de diabolo, ait: Cui nomina mille, mille nocendi artes. Aduertant hoc, qui incautè degunt.

Genes. 3. sic Dominus ad serpentem antiquum: Gen 3.
Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Cur calcaneum, aggreditur hostis, & non caput, vel aliam corporis partem? Sanct. Hieron. S. Hieron.
lib. de quæstionibus Hebraicis, quia nostri gressus à colubro præpediuntur. ita ille. Omnes itaque vias attendit nostras, omnia opera nostra circunspicit, & vel impedit ea quæ recta sunt, vel detorquet intentionem peruertens, vel aliquam circunstantiam, & hoc callidè ac insidiosè. Ideo ait, *insidiaberis calcaneo*, calcaneus autem à tergo est, & ab oculis valde remotus. Id igitur significare Dominus dixit: *Insidiaberis calcaneo eius*, &c.

PROPOSITIO X.

Quòd acrius tentat diabolus iustos quàm peccatores.

PSal. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decē millia à* Psal. 90.
dextris tuis. Qui sunt isti sic cadentes? quid etiam hîc per latera ista significatur? S. Bernar. S. Bern.
in Psal. hunc ser. 7. hos cadentes dæmones esse interpretatur, latera verò ista, latera Ecclesiæ catholicæ esse ait. ad Ecclesiam igitur, ait, Spiritus S. per os Dauid, *Cadent.* &c. Per latus sic absolutè prolatum, latus sinistrum intelligit: siquidem secundo loco latus dexterum expressit, per mille autem & decem millia hostium, non numerum determinatum intelligit, sed numeri excessum; per latus autem sinistrum, homines animales seu imperfectos, per dextrum verò spirituales accepit. ait ergo Dauid Ecclesiæ Dei, à latere tuo sinistro hominum animalium mille dæmones cadent, à dextero verò spiritualium decem millia, hoc est multo plures. Quid ita? S. Bernard. quia, inquit, superba & inuidiosa malitia hoc semper agit, vt perfectiores quosque vehementiùs pulset, iuxta illud: Esca eius electa, & iterum absorbebit fluuium & nō minorabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. Hoc autem agit, sed non sine certa dispositione consilij Dei, qui nec imperfectiores supra id quod ferre possunt, tentari permittit, faciens cum tentatione prouentum, & perfectioribus non solùm gloriosiores, sed numerosiores parat ex hoste triumphos. ita S. Bernard.

Iob 40 sic Dominus ad Iob. *Ecce Behemoth, quē* Iob. 40.
feci tecum fœnum quasi bos comedet. Per Behemoth dæmonem intelligit S. Gregor. 32. Mor. 16. quem S. Greg.
cum homine factum dicit, quia vterque Angelus scilicet

scilicet & homo ad imaginem Dei factus fuerat; Sed cur ait, *fœnum quasi bos comedet?* Similem loquendi modum habet Isaias c. 11. *leo quasi bos comedet paleas*: vbi per leonem diabolum significari asserit S. Greg. loco citato; per paleas autem & fœnum (quod hic vnum & idem est) homines intelliguntur, vt constat ex illo Isai. 40. *omnis caro fœnum*: Homines igitur, non Angelos, vincere, & comedere quærit hostis, vti ait S. Petrus, *tamquam leo rugiens quærens quem deuoret*. Cor autem vtroque loco tamquam bos fœnum, seu paleas quærit comedere, & non tamquam equus, v.g. qui etiam fœno & paleis vescitur? Hanc quæstionem monet S. Gregor. ibidem. Equi namque fœnum quasi fordidum comedunt, aquam verò non nisi mundam bibunt. Boues autem aquam quamuis fordidam bibunt, sed fœno non nisi mundo vescuntur: quid est ergo quod bobus, qui mondo pabolo vescuntur, Behemoth comparatur, nisi hoc quòd de isto hoste per prophetam alium dicitur, *esca eius electa*. Fœnum ergo sicut bos comedere appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam vitam spiritualium quærit, ita S. Gregor. vbi nota, dæmon sicut bos aquam turbidam bibit, scilicet peccatores: sed quia in eis potiùs quærunt sapor quàm in potu, hostis dicitur comedere velle iustos, quia plus illi vnius iusti captura, quàm mille peccatorum damnatio placet.

Hinc etiam est quòd Christus Dominus tempore passionis suæ dixit Petro Luc. 22. *Simon, Simon, Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum*. Satanas os harepeado y desafiado delante de Dios y leba pedido faculad de tentaros porque os quiere acarandar como trigo. Cum triticum cribratur, grana tritici ad pedes cribrantis caduot. Hoc igitur intendebat hostis, vt scilicet grana illa electa ad eius pedes caderent, sicut cum Christo dixit, Matth. 4. *hæc omnia tibi dabo si cadens* (scilicet ad pedes meos) *adoraueris me*, quia vti ait Abacucc. 1. *cibus eius electus*.

Hinc est etiam quòd hostis in deserto acriori bello aggressus est: vbi notanda est doctrina Drutmari in cap. 4. Mat. nempe bostem antea sæpe Dominum tentasse, verba eius hæc sunt: Postquam Dominus iuuenis factus est, adhæsit ei diabolus tentando sicut & reliquos homines. ita ille. Quod si quæras cur Euangelistæ de sola agerunt tentatione deserti? respondet Drutmarus, quia tunc instauratis armis fortius bellum aggressus est. ita ille. *alli fue donde & demonio hecho & resto de sus ardides y estratagemas cotra Christo señor nostro*. Cur inquis *tunc magis?* quia quidem antea, communiori vita degebat secundùm communionem hominum viuendi vsum; manducabat, & bibebat, sicut & reliqui viri temperati & sancti, sicut idem Dominus dixit Mat. 11. *Venit filius hominis manducans, & bibens*: tunc verò extra hominum consuetudinem & conuersationē, vidit agere in deserto, vnde consulto S. Matth. dixit cap. 4. *& cum ieiunasset quadraginta diebus*, &c. *accessit tentator*. &c. quasi dicat: videns prodigiosum hoc ieiunium acriùs tentare illum voluit, sanctiorem enim vitam agentes audiùs tentat. Exod. 1. optabat Pharao Rex Ægypti minuere numerum Hebræorum qui tunc in Ægypto morabantur, & propterea obstetrices Ægyptias vocauit, & præcepit eis dicens: *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si femina, reseruate*. Ex hoc loco hanc similitudinem deprompsit Origenes dicens: Cum

videris homines in voluptatibus & delitiis vitam ducere, & epulis, conuiuiis, vino, & impudicitiis operam dare, in istis scias quod rex Ægypti masculos necat & fœminas reseruat; si verò aliquem videas ad Dominum conuerti, quæ æterna sunt quærere, odio delitias habere, amare continentiam, luxuriam refugere, & virtutes excolere; hunc quasi masculum, quasi virum Pharao necare cupit; hoc est, istum persequitur diabolus, & mille adoersus eum machinas pugnat. ita Origen. & S. Cyrill. de adoratione lib. 4. gratissimos est diabolo effæminatus sensus & imbellis, inimica verò ad fortitudinem alacritas. ita ille.

Matth 4. *Tunc ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo*. Habet emphasim aduerbium illud, *tunc*, scilicet quando baptizatus fuit. Cur potius *tunc* quàm in tempore alio? Paschasius Abbas ibidem, vt instrueret, inquit, vniuersos regni sui milites, quid & ipsis agendum esset contra dæmones, mox vt renati essent per baptismum. ita ille. Animaduertant hoc qui Christi Domini sunt; sicut enim in acie materiali hostes eos præcipuè inuadunt, qui fortiores & potiores in exercitu opposito sunt; sic etiam in acie spirituali eos potissimùm expetunt & aggrediuntur dæmones, qui sanctiores & meliores sunt.

Vnde Paschasius ibidem ponderans celeritatem qua Christum hostis tentauit statim post baptismum, subdit S. Euangelista volens nullum temporis spatium medium interuenire ait, *tunc ductus est Iesus*, &c. quia post baptismi gratiam nulla credentibus à tentatione vt securi sint relinquitur mora. Et hinc scriptum legimus: *Fili accedens ad seruitutem Dei, prepara animam tuam ad tentationem*. Vnde Christianus numquam debet deponere arma. ita ille.

Iob. cap. 7. *si dormiero, dicam, quando resurgam, & rursum expectabo vesperam?* verba sunt sancti Iob in sua tribulatione constituti, quæ hanc difficultatem præse ferunt, si quando in vespera iam & nocte constitutus, matutinum tempus optabat, cur iterum vespertinum expectabat? S. Gregor. 8. Mor. 6. potest vesperæ nomine peccati tentatio designari, quia nequaquam in eadem iustitia & sanctitate inconcussè manetur. Quod & Moyses spiritu liter innuit, cum facta tempora narrauit dicens: *facta est lux*, & paulo post subiecit, *factum est vespere*. Creator quippe omnium tunc ex... ressit in tempore quod nunc versatur in mente, lux quippe ad vesperum ducitur, quia lucem rectitudinis vmbra sequitur tentationis, sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox sed vespera facta perhibetur, quia tentatio sæpe in corde electorum iustitiā abscondit, sed non interimit, & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit. Electi ergo post surrectionem vesperam præstolantur, quia in ipso iustitiæ lumine positi, semper se contra illecebras tentationum parant, quas timirum non timent, sed expectant, quia vtilitati suæ rectitudinis etiam tentationes proficere non ignorant. ita S. Gregor.

Eccles. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & prepara animam tuam ad tentationem*. Cur ita? Iansenius ibidem: Tum, inquit, quod Deus eum probare velit, tum quod diabolus talem mox oppugnet. ita ille. Sed tamen aduerte, non esse standum in timore tentationis sed Dei, timendo scilicet culpam, non tentationis pænam & vexationem. Quod sapienter obseruauit S. Bernardus

Marginalia — left margin: Isai. (beside the line "quendi modum habet Isaias"); S. Gregor. (beside "stionem monet S. Gregor."); Exod. 1. (beside "enim vitam agentes"); Simile. (beside "& partus tempus aduenerit"). Right margin: Origen., S. Cyrill. (beside "adoersus eum machinas"); Mat. 4. (beside "Matth 4. Tunc ductus"); Paschas. (beside "Vnde Paschasius"); Simile. (beside "dentibus à tentatione"); Iob. 7. (beside "Iob. cap. 7."); S. Greg. (beside "bat, cur iterum vespertinum"); Simile. (beside "cit, factum est vespere"); Eccl. 2. (beside "Eccles. 2."); Iansen. (beside "ita? Iansenius"); S. Bern. (beside "& vexationem").

nard. ser. 6. in Psal. *qui habitat*, iu illa verba, *non timebit à timore nocturno.* vbi noctem interpretatur tentationem esse: Bene, inquit, dicitur non timendum à timore nocturno & noo à nocte, quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius, nam & omnes laboramus, cum tamen non omnes inde tentemur; & qui tentantur, multo magis timore futuræ pœnæ, quàm præsentis dolore læduntur. ita S. Beroard. Quare magis est timor timoris timendus, qui ex tentatione seu ex aduersitate nascitur, quàm aduersitas ipsa. Qui ergo accedit ad seruitutem Dei timere sic timeat, speret autem in Domino, qui accedentes ad seruitutem eius defendit & ideo dicitur iusto: *scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.* Psal. 90. quia scilicet Deùs protegit eum.

S. Gregor. Sanct. Gregor. 8. Mor. 6. tentatio tantò acriùs mentem lacessit, quantò & eandem mentem spiritus ad superna altius euehit, & ipsa quæ repellitur culpa, cogitationis nostræ foribus astans, vt sibi aperiatur pulsat.

Propositio XI.

Delitiis mundi præcipuè nos diabolus tentat.

ISai. 27. *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum.* Quid sibi vult visitatio ista? quisnam est iste Leuiathan, quem serpentem vectem & tortuosum vocat?

Idem. S. Gregor. 4. Mor. 13. quærendum, inquit, est nobis, cur qui serpentem dixerat & tortuosum, subiungens interposuit vectem, nisi forte, quòd in serpentis tortudine flexa mollities, in vecte autem est duritiæ rigiditas. Vt ergo dæmonem & durum significaret & mollem, vectem nominat & serpentem, durus quippe est per malitiam, & per blandimenta mollis; vectis ergo dicitur, quia vsque ad necem percutit; serpens autem, quia se per insidias molliter infundit. ita S. Gregor. vbi nota in serpente ideo blanditiem designâri, quia eius caro mollis sine ossibus est.

Propositio XII.

In victoria tentationum saluatio nostra consistit.

Exod. 17. EXod. 17. *Profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin, per mansiones suas iuxta mandatum Domini castra metati sunt in Raphidim.* Sin, Interpretatur *arma* seu *scutum.* Raphidim idem est, quod *sanitas iudicij.* Hoc supposito ex Sin iter ad Raphidim est, ea pugna & victoria nostra, quam de tentationibus reportamus, ad salutem animæ in iudicio Dei peruenire. Sic ex-

Origen. ponit locum istum Origen. hom. 11. in exodum dicens: Quem tentatio probabilem reddit, iste veniet ad sanitatem iudicij, in die enim iudicij saluus; erit in die enim iudicij sanitas in eo erit, qui in tentatione non fuerit vulneratus. ita ille. Ecce quo pacto in die iudicij fauorabilem sententiam assequi valemus vnde qui tentationibus viriliter resistit, gaudeat tanto suæ saluationis argumento & signo.

2. ad Tim. 2. S. Athan. 2. ad Timoth. 2. *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*, S. Athanas. q. 151. Quærit, quid sit legitimè certare, omnes enim in hac spirituali militia coronam desideramus; respondet idem sanctus, non quia miles bellum ingreditur, ideo coronabitur, nisi cum aduersario manum conserens vicerit eum. ita S. Athan. etenim in bello corporali legitimè certat miles, qui pro viribus pugnat ad vincendum etiam si non vincat, at in militia spirituali non certat legitimè, qui non actu vincit. In potestate enim nostra est victoria: vincimus enim resistendo. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, ait Iacobus Apostolus; *fugiet*, ait, tamquam victus; in bello corporeo non est in nostra potestate victoria, & ideo sine victoria potest quis legitimè certare, si nempe certat pro suo posse; in certamine spirituali potest homo resistere, & ita vincere, & coronam gloriæ promereri.

Propositio XIII.

Tentationum victoria spem salutis æternæ confirmat.

GEnes. 14. vicerat Abraham vernaculis suis hostes quosdam & liberauerat ab eis innocentem Loth, & statim c. 16. *Factus est sermo Domini ad Abraham, dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Expendit locum hunc glossa ordinaria, & ait, triumphata multitudine vitiorum cōfortatur spes cuiuscumque fidelis à Domino ne titubet, sed mercedem expectet. ita glossa. Etenim bonorum operum exercitium & maximè tentationum victoria, valde spem saluationis confirmat & confortat. Vide optimè S. August. ser. 217. in ea verba prouerb. vltimo, *mulierem fortem*, &c. *digiti eius apprehenderunt fusum*, &c. S. August.

Propositio XIV.

Secundùm mensuram virtutis dæmones homines vincunt aut non vincunt.

APoc. 6. S. Ioannes Apostol. *audiuit vocem de cælo dicentem sibi, veni & vide, & ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat in manu sua stateram, & audiui tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læseris.* Mira visio mirabilem significationem habens Sessorem huius equi nigri diabolum interpretantur sacri expositores, sicut ipse niger & deformis est, qui aduersus nos equitat & pugnat: *statera* autem *in manu eius*, quid aliud significat quàm diuinam iustitiam secundùm quam permittit Deus diabolum homines tentare? statera enim instrumentum est iustitiæ, euentus autem tentationum expressus est, in eo quod subdit, *bilibris tritici denario*, &c. Triticum in litteris sacris viros iustos importat, hordeum autem viros imperfectos, vinum autem viros fortes & perfectæ virtutis. vnde constat ex viris iustis qui virtutem amplectuntur, nonnullos cadere tentationibus hostium, ex imperfectis plures, ex viris autem valde perfectis nullum cadere. Ex hoc enim qui cadit, cadit, quia non est valde perfectus & fortis, misericordes verò qui virtute præditi sunt, à Deo custodiuntur ne pereant, quia misericordes veri misericordiam consequentur. Apoc. 6.

Propo

Propositio XV.

Tentationibus viriliter resistere debemus.

Etenim tentationes sentire humanum est, non enim possumus non sentire; nec enim hoc in arbitrio nostro positum est, velimus, nolimus tentationes sentire debemus, mundi, carnis, & dæmonis. Has tentationes sentire humanum inquam est, sed consentire diabolicum est. Rom. 6. *non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Sanct. August. ser. 45. de verbis Domini, id est quamdiu portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum, sed non regnet; quid est *non regnet?* id est ad obediendum delitiis eius, si cœperis obedire regnat. quid est *obedire*, nisi vt exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato? tene manus ab omni scelere, tene oculos ne male attendant, tene aures ne verba audiant mala, tene pedes ne ad illicita eant, tene totum corpus, & ita non regnabit peccatum in te. Vnde & idem Apost. ad Galat., ait: *spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* S. August. serm. eodem, non dixit Apostolus *non habebitis* sed *non perficietis*: necesse enim est vt habeamus illa; quid tibi cauendum est? hoc sine dubio, *ne perficias.* Surrexit libido damnabilis, surrexit, suggessit non audiatur. Concupiscentiæ fiunt in te? sed non perficiantur à te. ita ille. Ne consentias in corde, nec voluntate tua talem cogitationem morosa delectatione detineas, & ita non perficies concupiscentias, nec regnabit in te peccatum, imò resistendo vel fugiendo à tali cogitatione mala, meritum inuenisti.

Rom. 6.
S. August.
S. August.

Propositio XVI.

Quòd in aduersis & tentationibus conformitatem cum voluntate diuina habere debeamus.

Svnt qui aliqua graui tentatione seu tribulatione oppressi dicant, se sustinere illam non posse, eo quod supra vires humanas sit, *homo* (ait quis) *sum & ferre iam nequeo.* Obuiasse huic obiectioni videtur Scriptura S. in cap. 1. Iob. vbi grauissimas aduersitates S. Iob annumerans (notissimæ illæ sont) præmittit dicens: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob,* &c. in Originali Græco non *vir* sed *homo* dicitur, *homo erat*, & ita legunt Septuaginta Doctores Græci, vbi Origen. & al. nomine hominis significari existimant, imbecillitatem, quæ in Iob grauissimè vlcerato & malis immanissimis affecto, admirandum spectaculum patientiæ dedera Deo, & Angelis, & hominibus, hoste tartareo mirabiliter superato. Quod eleganter obseruauit S. Chrysost. in catena libri Iob dicens: communem hominis naturam scriptura indicauit, ne quis certaminis ac patientiæ spectata incredibili magnitudine, peregrina quadam & non humana prædium natura eum arbitraretur. ita S. Chrysost. sed non dissonat vulgata lectio vocans eum virum, sed consonat valde; *vir* inquit, *erat*, id est, quamuis homo Iob esset, & per consequens imbecillis naturæ, nihilominus virilem animum inter molestissimas molestias & ærumnas seruauit, & tentationibus peregrinis viriliter restitit, & tandem hostem superauit, nimirum, quia conditor noster, qui optimè nouit pusillitatem naturæ nostræ, numquam patitur nos tentari, supra vires nostras, vti Apostol. ait, gratia enim sufficiente ad superandum semper nos armat, nostrum autem est nolle cedere tentationi, sed cum Iobo dicere, *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Quomodo autem se homioem virum exhibuerit, explicauit optimè Suidas dicens: Iob verè magnus ille, & generosus veritatis pugil, aduersarium omnibus progressibus prostrauit, hic vibicibus & plagis ad ossa ipsa penetrantibus, permansit inuictus. ita ille

Origen.
S. Chrys.

Propositio XVII.

Cedere tentationi non ex formidine inimicorum, sed ex cæcitate mentis nostræ prouenit.

Psal. 12. sic Dauid Domino: *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.* Supponamus hic agere Dauidem de hoste spirituali dæmone, vti exponit S. Basil. Vt igitur à tali tantoque hoste liber euaderet Dauid, illuminari à Deo petit, non petit ergo à Deo gladium, vel hastam, sed lucem in etiam animæ, innueos eam ob causam homines à dæmonibus vinci, quia mētis cæcitatem patiuntur; qui verò à Deo illuminantur, facilè vincunt tentationes, consensum negantes impietati; vident enim lumine illo quàm malum & amarum sit peccare. Ideo dicit Dauid, *ne vnquam obdormiam in morte.* Quam mortem? (ait S. Basil.) & respondet, non communem illam humanū genus detinentem, sed peccatores perdentem; nam ea propriè est mors, quæ animam separat à Deo, ne quando inimicus videns me in mortem peccati deiectum, dicat, *præualui aduersus eum.* ita S. Basil.

Psal. 12.
S. Basil.

Propositio XVIII.

Oratio maximum remedium est ad tentationes vitandas.

Psal. 17. *Qui docet manus ad prælium*, &c. Quo nam pacto? Sanct. Basil. dum enim illas ad precandum in tentationibus extendo, inimicos vinco. ita S. Basil. Sic igitur in omnibus necessitatibus, in oratione Deus remedia collocauit, maximè verò in tentationibus ille rectè repugnabit & feliciter vincet qui ad eum confugit.

Iob. 7. *Militia est vita hominis super terram*, vel sicut ex originali Hebræo alij legunt, *tentatio est vita hominis super terram.* Ponderans verba hæc S. Bernard. ser. 5. sup. Psal. 90. *qui habitat*, &c. ait: Si tot tentationibus plena est vita nostra, vt non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari, peruigili circunspectione opus est, & oratione ne inducamur in eam. Vnde & illud est in oratione dominica: *Et ne nos inducas in tentationē.* ita S. Bern.

Et eapropter Christus Dominus tempore passionis suæ Marci 14. sic ad Apostolos: *vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Et conuersus ad Petrum Luc 22. *Ecce, inquit, Satanas expetiuit vos.* (*os ha reptado y desafiado delante de Dios*) & subdit: *ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quasi dicat: Remedium ad tentationes superandas oratio est.

Psal. 17. S. Basil.
Iob. 7.
S. Bern.

Oranti

Orantı autem auxilium & gratiam ad vincendum promisit Deus. Audi Dauidem psalm. 90. *scuto circumdabit te veritas eius, non timebis*, &c. Quodnam est scutum hoc, quod Deus promittit sperantibus in eum? Hugo Cardinalis scutum ait esse patientiæ: Glossa vero misericordiæ. S. Bernard. serm. 5. in psal. *qui habitat*, gratiæ & auxilij Dei quo protegit nos in tentationibus nostris, veritas autem sumitur hîc secundũ Cassiodorũ,

Hugo. Card.

pro Christo qui de se dixit: *ego sum veritas*. Hugo Cardinal. vbi suprà pro ipsa Dei veritate, quæ nec decipi nec decipere potest, in hoc quod affirmat Deus & promittit. Hoc igitur scuto gratiæ & protectionis suæ defendit nos verè Deus in

S.Hieron.

tentatione, vt ait S. Hieron. eodem loco dicens: Circundat nos Deus scuto suæ protectionis, ne ardentibus sagittis diaboli percutiamur. ita S. Hieron. Superest videre, cur protectio hæc diuina

S.Bern.

scuto comparetur? S. Bernard. vbi supra sic respondet: Non incongruè scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, vt caput humerosque custodiat; in inferiori verò parte strictius, vt minus oneret, maximè quod graciliores sint tibiæ, nec tam facile vulnerentur; sed nec adeo periculosum sit. Sic omnino sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est carnem, magnam (vt ita dicam) strictitatem, atque penuriam rerum temporalium donat, quia non vult nos eorum multitudine prægrauari; sed *vt victum & vestitum habentes*, vti ait Apostol. *his contenti simus*; in superioribus verò ampliorem latitudinem & abundantiam gratiæ spiritualis, sic enim habes, *primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia adiicientur vobis*. De victu vtique dixit & vestitu. vnde dixerat solicitos esse non debere. Ita S. Bernard. Constat igitur quàm necessaria sit oratio ad tentationes assiduas superandas. Sicut enim sine scuto certans expositus est valde vulneribus corporalibus: sic etiã in militia spirituali exposita est anima vulneribus spiritualib. sine auxilio Dei, quod quidẽ indubitanter, oratione consequemur.

Mat. 4.

Matt. 4. *Vidit Christus duos fratres Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius*, &c. *& vocauit eos?* Cur hos potius quàm alios ex populo illo vocauit Dominus? Omissis aliis rationibus quandam mysticam ex nominibus eorum assignat S. Paschas. in hunc locum, dicens: Iacobus *supplantator* interpretatur, Ioannes verò *Dei gratia* in latina lingua, ex Græco sonat: quia nimirum quilibet supplantator positus in agone vitiorum, non nisi per gratiam valet, quia ex acie fraterna subuertere hostẽ, & vitia cum pestis authore, nequeũt certarim absque Dei gratia superari. ita ille. Hinc cõstat necessitas orationis, ad quã spectat gratiã Dei impetrare; si enim luctari cum vitiis & concupiscentiis & dæmonibus debemus, & vires nobis nõ suppetunt sine Dei gratia, oportet nos instanter orare ne in tentationem inducamur.

PROPOSITIO XIX.

Tentat sæpe diabolus tribulationibus magnis, vt nos à Deo derelictos esse censeamus.

Iob. 1.

IOb. 1. *Ignis Dei cecidit de cælo & tactas oues puerosque consumpsit*. Cur non per Sabæos & Chaldæos oues abstulit hostis à Iob sicut camelos & alia eius bona, sed per ignem è cœlo descendentem? Gregor 2. Mor. 14. Intuendum, inquit, est quàm callidè dicitur ignis Dei, ac si apertius diceretur: Illius animaduersionem sustinea, quem tot hostiis placare voluisti; illius toleras iram, cui quotidie seruiens insudabas, vt ita se frustra Deo seruire æstimans in Dei iniuriam superbiret. ita S. Gregor. Et quidem rectè confirmant hanc expositionem sancti Gregorij verba vxoris ipsius Iob dicentis: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere*. Quæquidem verba potius hostis quàm vxoris erant; hostis quippe illi suggerebat tentationem istam, vt Iobo suaderet, nihil apud Deum valere obsequia sancta, & ideo ab eis omnino cessaret; quod & hodie contendit sæpe vt desperatione quadam animi ab oratione & operibus piis auocet iustos. Sed vide quid responderit S. Iob, *quasi vna de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non suscipiamus?* Disce tu qui sic tentaris sic respondere, vt fœlix sit exitus tentationis tuæ, sicut fuit tentationis Iobi. Permittit autem Deus tentationes huiusmodi, vt experimentum fiat fidelitatis tuæ in Deum. Accipe igitur consilium Dauidis, *expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominũ*. Cassiod. *expecta Dominum*, qui promittendo non fallit; *viriliter age*, hoc non solum viris sed & fæminis est mandatum, nam & ipsæ viriles efficiuntur cum in bono proposito mentis robore perseuerant. *Et confortetur cor tuum*, id est, ne desperes, *& sustine Dominum*, id est sustine quod pateris, & quod credis expecta. ita Cassiod. Igitur qui post multa Dei obsequia tribulationibus viderit se torqueri, memor sit S. Iob & eius vestigia sequatur, ne à diabolo deceptus corruat. Est enim Deus noster bonus sperantibus in se, sentiat ergo tentatus de Domino in bonitate, &c.

S.Greg.

Cassiod.

PROPOSITIO XX.

Sæpe Diabolus importunitate tentandi vincit.

Iob 1.

IOb. 1. non semel, sed toties multiplicauit iterationes in Iobũ, quoties nuntios multiplicauit. Cur per vnicum nuntium omnia dãna non nuntiauit? S. Greg. 2. Mor. 15. qui vno vulnere à diabolo nõ prosternitur, idcirco bis tertioque percutitur, vt vsque ad intima quandoque feriatur, & ideo annuntiata de Sabæis aduersitate, annuntiatur animaduersio Dei per ignem de cœlo; deinde ab hominibus camelorum raptus, & cædes puerorũ; & ventus irruens concutiens domos, & filios extinguens. Cum enim priùs aduersa nuntiauit, trãquillo pectori, quasi sanis mẽbris vulnus infixit; Cũ verò cor percussum feriendo reperit, vt ad impatientiam cõpelleret, super vulnera vulnus irrogauit, & ideo priùs parua, deinde maiora nuntiauit, & in extremo filiorũ intulit mortem; ne minora rei familiaris damna duceret pater, si orbatus iam filiis audiret, quia nulla esset hæreditas si illos priùs subtraheret, qui seruabantur hæredes. A minimis igitur incipiens in vltimum grauiora nuntiauit, vt in eius corde doloris locum omne vulnus inueniret. ita S. Greg.

S Greg.

Simile.

Cum exercitus aliquis obsidet ciuitatem, non semel tormentis bellicis mænia quatit, sed iterum atque iterũ, vt quod priora tormenta efficere non potuerũt, posteriora præstent: Sic hostis animã vallo circũdat & tentationibus oppugnat, vicibus repetitis, vt tandẽ molestia & importunitate

expugnet & vincat. Ideo Christum Dominum in eremo inuadens, non semel nec bis tantùm, sed tertiò molestè tenuit, vt tædio falli eio superaret.

PROPOSITIO XXI.

Quòd in tentatione Deus non deserat suos.

Iob. 1. EXpetiuit Iob à Deo Diabolus vt cribraret sicut triticum. Ad quem Deus, Iob. 2. *Ecce in manu tua est; veruntamen animam eius serua.* Cur non absolutè concessit, vel non absolutè negauit Deus
S. Greg. quod dæmon postulabat? S. Greg. ibi sic: Deus pius adiutor noster innotuit, quia tenuit, quem concessit, & dando non dedit in manu aduersarij, sanctus vir traditur sed tamen in manu Dei adiutoris sui retinetur; diuina igitur dispensatio custodiendo deserit, & deserendo custodit. ita S. Gregor.

1. Cor. 10. Hinc Apost. 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere,*
S. August. vti S. Augustin. citatus à S. Thoma lect. 3. ibidem,
S. Thom. qui, inquit, dat Diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentationis misericordiam, vt possitis sustinere, & vt non deficiatis in lucta, sed vincatis. ita S. Augustin. misericordia autem qua nobiscum Deus vtitur in tentationibus nostris, est, dare nobis patientiam & fortitudinem qua tentationes superemus, & sic etiam faciet cum tentatione prouentum; quia tali victoria gloriæ coronam promeremur, & maiores vires acquirimus ad cæ-
S. Anselm. teras tentationes superandas. vnde S. Anselm. super hunc locum Apostoli, Pia, inquit, dispensatione Deus hostem nostrum nos tentare permittit & detinet, relaxat & refrænat, vt teneremur ad profectum nostrum & non superemur ad hostis desiderium; fidelis autem est, & ideo facit vt citò cesset tentatio; aut si fuerit prolixa, det ipse virtutem tolerandi. ita S. Anselm. dicitur autem Deus fidelis sic ferēdo auxilium, quia ad fidelitatem promittentis pertinet, seruare & adimplere quod promisit: Deus autem huiusmodi auxilium
Matth. 28. promisit, cum dixit Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* vt videlicet sit semper nobiscum in omni tentatione, & non sinat nos vltra vires tentari, sed tentationem leuiget vt vincamus. ita S. Anselm. Similiter dicitur, quis fidelis amicus, v. g. qui videns amicum in aliquo periculo constitutum succurrit illi pro viribus suis; maximum omnium periculorum est tentatio, quia est periculum peccandi, atque adeo
Simile. periculum damnationis æternæ. Deus autem est fidelis amicus, quia cum videt nos in periculo peccandi, secundùm potentiam suam præbet nobis auxilium ad vincendam tentationem necessarium.

PROPOSITIO XXII.

Quàm referta tentationibus sit vita nostra.

Iob. 7. IOb. 7. *militia est vita nostra super terram*
S. Gregor. S. Gregor. in eo loco legit, *tentatio est vita nostra*, non ait, *tentationes insunt vita nostra*, sed *ipsa-*
S. Bern. *met vita est tentatio.* Cur ita? S. Bernard. serm. 51. super Psalm. *Qui habitat*, tot tentationibus plena est vita nostra, vt non immeritò tota ipsa tentatio debeas appellari. ita S. Bernard. Ita est, non solùm in aduersis, sed etiam in prosperis multæ magnæque tentationes latent, & pericula damnationis, sicut in mari non solùm periclitantur nauigantes cum tempestas ventorum & vndarum resurgit, sed etiam cum cessat omnino ventus (*quando estan en calma*) non solùm in paupertate, sed etiam in abundantia; non solùm dum salus viget, sed etiam dum infirmitas viget, *&c.* imminet periculum nobis. Simile.

Hinc infert sanctus Bernardus vbi suprà dicens: vigilate proinde vt non intretis in tentationem, siquidem vndique tentationibus circumdati estis. ita ille. quasi dicat: Ex parte nostra vigilare nos oportet & non dormire, circunspicientes laqueos occultos, quibus plenus est mundus, vti beato Antonio manifestauit Deus. Sicut enim qui perdices vel lepores venantur, laqueos tendunt in his locis in quibus ambulant illa; sic dæmones in omnibus viis & rebus nostris laqueos parant, scientes in omnibus nos posse peccare etiam in operibus, quæ secundùm se bona sunt, vitiare scilicet procurantes ipsa bona opera aliqua mala circunstantia. Idem. Simile.

Vnde etiam Dauid Psalm. 90. *scuto inquit circumdabit te veritas eius.* Quis vnquam vidit scutum circondans totum hominem? etenim cum homines contra homines pugnant, non circundant scuta, quia facie ad faciem pugnare solent, at inimici animarum nostrarum insidiosè militant, atque adeo vndique nos armari oportet, & quia, vt diximus, Dei ope indigemus, Deus suos scuto veritatis suæ protegit, & circundat nos, docens videlicet veritates, quibus hostibus resistamus; seu, veritas eius defendit nos, ait ibidem sanctus Bernardus, quia verax est qui promittit, & sic exhibet vt promittit. *Fidelis Deus,* ait Apostol. *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* ita S. Bern. Nos igitur quod ex nobis in nobis est, faciamus. facienti autem quod in se est, Deus non denegat gratiam. Psal. 90. S. Bern.

At dices: Si Deus nos ita protegit, cur sic aduersa pati permittit, aduersam scilicet valetudinem, paupertatem, iniurias, persequutiones, falsa testimonia, *&c.* Respondet S. Dauid eisdem verbis: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Cur scuto comparauit protectionem Dei? S. Bernard. ibidem: Non incongruè, inquit, comparatur gratia diuinæ protectionis scuto, quod in superiori parte amplum & latum est, vt caput pectusque custodiat, in inferiori verò strictius, vt minus oneret, maximè quod graciliores sint tibiæ, nec tam facilè vulnerentur, sed nec adeo periculosum sit in illis partibus vulnerari. Sic omnino sic militibus suis Christus, ad inferiora tuenda, id est, carnem magnam (vt ita dixerim) strictitatem atque penuriam rerum temporalium donat, nec vult eos earum multitudine prægrauari, sed *vt victum & vestitum habentes*, sicut ait Apostol. *his contenti simus*; in superioribus verò ampliorem latitudinem & abundantiam gratiæ spiritualis, sic enim habes: *quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* de victu vtique dixit & vestitu, cæterum quanto districtius hæc temporalia nobis administrat, tanto melius. ita S. Bernard. Idem.

***

PROPOSITIO XXIII.

Per amicos & consanguineos nostros nos Diabolus tentare solet.

Iob. 2. 9. QVid est quod Iobi vxor aduersus bonum & sanctum virum suum insurrexit, & ad Dei offensam incitabat animum viri magna desolatione officiens, cum quidem ipsa potius eum solari & ad patientiam exhortari debuisset? Sanct. S.Greg. Gregor. 3. Mor. 6. quia antiquus aduersarius non solùm per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum mentis nostræ satagit inclinate. ita respondet S. Gregor. non enim minori malitia vxoris vitæ pepercit hostis quàm fillos Matt. 10. 36. occidit. vnde Christus Dominus Matth. 18. Domesticos vocat hominis inimicos, *veni*, inquit, *separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam; & inimici hominis domestici* Mich. 7. 6. Eccl. 32. *eius*. idem habes Mich. 7. vnde Eccles. 32. *à filiis tuis caue, & à domesticis tuis attende*. Nimirum, quia diabolus ipsis tamquam armis suis homines debellat. Sed dices: Cur potius domesticos & amicos plus quàm alios commouet in nos? Respondet S. Gregor. vbi supra, quia callidus inimicus per eos blandiùs loquitur, qui plua cæteris amantur; vt dum vis amoris cor perforat, facile vincat. ita S. Gregor. quàm hoc verum sit in tentatione Adæ, facile constat. Noluit per se tentare illum, sed per à se valde dilectam Euam, quod & obtinuit & intentum est assequutus.

PROPOSITIO XXIV.

In tentationibus dæmones nostram damnationem intendunt.

Ephes. 6. AD Ephes. 6. *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed ad versus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in celestibus*, id est, non cum hominibus solùm gerimus bellum, sed cum dæmonibus, &c. sed quid est *in celestibus*? S. Athan. q. 145. hoc quod inquit, *in cele-* S. Athan. *stibus*, docet, quòd non propter rem parui momenti nos diabolus oppugnat, sed propter cælestia bona. Cum enim ad cæleste contendimus regnum, vehementer nobis resistit, ideoque nos semper conuenit vigilare; & cum diuina gratia illum superare. ita ille.

Simile. Videas piscatorem magna cura cibos quærentem piscibus gratos, & eos piscibus tacitè & placidè offerentè; attamen vide quid intra lumbricum & escam illam piscibus lateat, hamus scilicet & mors pisces. Ita quidem hostis quæ nobis grata & optata sunt quærit, & ea nobis tentando defert & offert, sed latet anguis sub herba, latet hamus, latet mors æterna, & multi qui se ingenio pollere mentiuntur, latentem hamum & anguem non aspiciunt, sed sine discursu honores, diuitias, delitias, & bona temporalia sibi iucunda deglutiunt & damnationem suam simul, vnde sicut pisces capiuntur à piscatore hamo, sic capiuntur illi à diabolo in tempore malo.

Iob. 4. Iob 4. amicus ille S. Iob nomine Eliphas. *Tigris*, inquit, *periit eo quod non haberet prædam, & catuli leonum dissipati sunt*. vbi Septuaginta (sicut S. Gregor. obseruauit) sic legunt: *Mirmica-* S. Greg. *leon periit eo quod non haberet prædam*. Mirmicaleon autem idem est ac *formicarum leo*, seu *formica pariter & leo*. Ratio verò nominis est, quia est animal quoddam exiguum, quod absconsum puluere formicas frumenta gestantes occidit, sed tamē auibus & aliis animantibus etiam exiguis velut formica est, quia facile ab illis superatur. vti S. Greg Mor. c. 16. & 17. affirmat, & propterea ait Idem. ibidem sanctos, figuram esse diaboli, qui hominibus pusillanimis velut leo fortis est; viris autem fortibus & viriliter ei resistentibus velut formica debilis est, *para los flacos es la virtud es vn leon fuerte mas para los fuertes que le hazen rostro es vna ormiga flaca y tan flaca que consolo mostrarle resistencia huye*, sicut ait S. Iacob. c. 4. *resistite diabolo* Iacobi 4. *& fugiet à vobis*. non ait *& non vincet vos*, sed, *fugiet*, *paque solo hazerle rostro sin amago de golpe huye que maior cobardia*. Ne igitur dicas, non mirum si diabolus homines vincit, cum homines debiles sint; debilior etenim est, qui sola vincitur resistentia, ideo inexcusabilis homo est in iudicio Dei.

Sed iam ad rem, *Mirmicaleon periit*, siue *tigris* Idem. *periit*. eo quod non haberet prædam. Tigris enim, vti ait ibidem S. Greg. symbolum diaboli est, propter multiformis astutiæ varietatem, modò enim blanditiis nos sicut Euam decipit, modò terroribus nos aggreditur, modò apertè mala suadet, modò se in Angelum lucis transformat, &c. Ideo meritò etiam Tigris nominatur. Sed inquies: Quomodo perit, eo quòd non habet prædam? præda quidem diaboli anima nostra est. Hanc enim ille venatur, hanc circuit quærens quam deuoret, tanta verò siti & fame tanta, vt si eam non assequatur, se perire censeat. Vis hoc aperte videre? Marc. 5. vidit dæmoniacus quidam Christum Dominum & exclamans diait: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos?* ita hostis. Cur autem ait venisse Christum perdere dæmones? in quo perditio ista consistit? Numquid diabolus timebat ne illum in tartara deturbaret? minimè quidem, nūquam id effecerat Dominus. Quid ergo? collige ea sequentibus Christi verbis: *obmutesce*, ait Dominus, *& exi ab eo*. Ecce quid ille timebat, perditionē suam vocabat exire ab homine quē perdere conabatur; adeo enim salutē animarum nostra ū ille abhorret, vt eam perditionē suā esse affirmet: & tu dormis? & tu insidias eius non caues, &c.

PROPOSITIO XXV.

Diabolus resistentibus debilis, & non resistentibus fortis est.

Iob. 4. IOb. 4. *Tigris periit eo quod non haberet prædam*, Septuaginta legunt *Mirmicaleon periit*. Quodnam est animal hoc? S. Greg. 5. Mor. 17. Mirmica- S. Greg. leon, inquit, paruum valde animal est, formicis aduersum: quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestātes interficit, interfectasque consumit. Mirmicaleon autem Latinè dicitur *formica & leo*, quia volatilibus est formica, formicis autem est leo; has enim sicut leo deuorat, sed ab illis quasi formica deuoratur. ita S. Greg. qui capite sequēti moraliter explicat huius animalis proprietatē, & diabolo applicans dicit: Rectè Mirmicaleo leo & formica dicitur, formicis autē leo est, volatilibus formica; quia hostis antiquus sicut cōtra consentiētes fortis est, ita cōtra resistētes debilis. ita Greg. & ita quidē verum esse constat, quia sola resistentia nostra sufficit ad eum effugādum.

Ait enim Iacobus Apostol. *resistite diabolo & fugiet à vobis.* Quid debilius? quod si quis ita debilis vt ei resistere non præualeat, fortem se exhibet ei,& rationes interiores tales administrat, vt facile ad consensum illum trahat.

Luc. 8. Luc.8. oblatus est Christo Domino energumenus quidam legionem dæmoniorum habens,legio autem est 6666. Quæri merito potest, cur tot millia dæmoniorum vnicum hominem inuaserunt, cum ad legionem hominum debellandam vnus dæmon sufficere videatur. Etenim hinc constat debilitas dæmonum in nos & quàm ignauus & iners sit diabolus; ignauorum enim est multos vnum inuadere ac confligere. vnde S. Chrysol. (S. Petrus Chrysol.) serm. 17. exponens hunc locum Lucæ ait: Age Christiane, incede securus, manus tantá & tam multa dæmonum quæ sic metuit inermem, fugiet proculdubio si videat, si sentiat, si cognoscat armatum. ita ille.

S.Aug. Subtiliter animaduertit S. Aug. lib. 11. de Gen. ad litteram c.34. differentiam modi quo peruenit ad nos præceptum Dei ab eo quo peccatum dicēs: Præceptum Domini per virum vsque ad fœminā: Peccatum autem à diabolo per fœminam vsque ad virum venit, & hæc significationibus plena sunt. ita S. Aug. significatio autem huius facti hæc est: Vir à viribus dicitur, vnde vir fortitudinem importat; fœmina autem debilitatem animi denotat, vnde eos qui debiles sunt effœminatos appellamus. Præceptum igitur & obedientia per virum introducitur, quia præcepti obseruatio animi fortitudinem requirit; transgressio verò ex cordis debilitate procedit. Quare qui præcepta Dei seruare desiderat, sicut par est illum desiderare qui saluari vult, animum oportet induat virilem; qui autem succumbit, non viri sed fœminæ appellatione dignus est, & cum effœminatis pars eius erit.

Mat. 4. Matt. 4. sic ad Christum hostis: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Cur ipse ex alto pinnaculo tēpli in quo tunc Dominus erat, illum non præcipitapit, sed Christo ipsi hoc remisit, dicens, *mitte te deorsum.* Etenim ostendere voluit Deus, quod nemo nisi à seipso lædatur. Paschasius Abbas ibi- (Paschas.) dem, in hoc satis admodum infirmitatem suam nobis hostis demonstrauit, quod nemini possit nocere, nisi se homo priùs miserit deorsum. ita ille.

PROPOSITIO XXVI.

Diabolus peccatores peccare docet.

Gen. 4. GEnes. 4. *Consurrexit* Cain *aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Quis edocuit Cain posse tunc occidere alium, cum quid mors esset aut quomodo mori posset homo ignoraret? Respondet S. Athan. lib. quæstionum q. 8. diabolus eum docuit & subministrauit modum quo S. Athan. illum occidere posset. ita S. Athan. sic dæmon magistrum se exhibet peccandi vnuicuique secundùm inclinationem cuiusque, auarum mille artes fraudum quas homo ignorat docet, & ambitionem ambitiosum,& iratum vindictam, superbum plurima honoris puncta, *que no se allen en canto llano ni encanto de organo*, latronem etiam furandi modum.

Vnde hostis contrarium Christo Domino se exhibet præceptorem. Dominus enim qualia doceat, habes Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus*, docēs te vtilia, gubernans te in via qua ambulas; diabolus verò docet non vtilia sed delectabilia. Sicut Simile. coquus differt à medico; medicus enim non respicit quid infirmo delectabile sit, sed quid ad sanitatem vtile, coquus verò quid palato placeat: sic Deus tamquam animarum medicus, medicinalia applicat ægro licet amara & molesta sint; diabolus verò delectabilia licet mortifera sint, imò quia mortifera sunt, & mortem inducant æternam.

PROPOSITIO XXVII.

Diabolus in tantum nobis nocet in quantum potest.

CVr diabolus nō solùm superbia, sed gula hominem tentauit? Respondet Rupert. Abbas Rupert. lib 3. in Gen. c. 1. vt creaturam quæ duplicē habet substantiam, videlicet hominem, qui ex anima rationali & corpore constat, ad duplicem pertraheret mortem, corporis nempe & animæ; prius namque in anima spirituali correptus est superbiæ culpa, deinde corporeo cibo contra Dei mandatum infestus est. ita ille. Sic in omnibus rebus tam corporalibus quàm spiritualibus nobis nocere optat & satagit inimicus.

Vnde S. Petrus: *fratres*, inquit, *sobrij state, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Expende verbum, *deuoret*; hoc enim est discrimen inter comedere & deuorare, quod comeditur non semper totum manducatur, sed reliqua pars reiicitur, vt in carnibus ossa, in piscibus spinæ, in fructibus peripsemata; quod autem deuoratur totum absumitur, & nihil reiicitur. Sic ergo diabolus non dicitur quærere quem manducet, sed quem *deuoret*, corpus, animam, virtutes animæ, & bona corporis, temporalia & spiritualia. Meritò proinde dicit S. Petrus: *vigilate.* non enim minus quam de salute agitur æterna.

PROPOSITIO XXVIII.

Quòd diabolus tentationibus magis spiritualia bona quàm corporalia nitatur perdere.

PSal. 90. Sic Dauid ad virum spiritualem & iu- Psal. 90. stum in bello spirituali cum diabolo: *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; à latere tuo, id est à parte sinistra, vti explicat S. Bern. S. Bern. ser. 7. in hunc psalm. quid igitur est quòd legitimè pugnante iusto cum dæmonibus, à sinistra eius victi cadunt mille hostes, à dextris verò decem millia? cur non cadunt tot à læua sicut à sinistra? num quia dextera manus fortior est quàm sinistra? S. Bernard. ibidem. per sinistram bona temporalia, per dexteram spiritualia intelligit, eo quod sicut dextera potior pars est quàm sinistra; sic bona spiritualia potiora bona sunt, quàm corporalia. vnde cum potiora bona alicui desideramus, dicere solemus, Deus optimam manum dexteram tribuat tibi. *Dios es de buena manderecha.* Idem. Ait ergo, *cadent à latere tuo mille. & decem millia à dextris tuis* S. Bernard. quia longè ampliore sollicitudine & calliditate pars aduersa hostium vulnerare in nobis dexteram satagit quàm sinistram, nec tam corporis quàm cordis laborat auferre substantiam, vtramque nimirum prosperitatem humano generi inuidere noscitur, vtraque eos felicitate priuare contendit, cœlesti videlicet & terrena, sed lōgè ampliùs rore cœli quàm pinguedine

Idem. dine terræ. ita S.Bern. & ideo vir iustus aduersùs diabolicas potestates pugnans & vincens, plures vincit à dextris quàm à sinistris. Quid igitur in S. Bern. re? S. Bernard. ibidem. illuc igitur studiosius repugnandum vbi grauior necessitas vrget, vbi totum belli imminet pondus. ita ille.

Etenim cum hostis cum Iobo pugnabat, substantiam ab eo abstulit corporalem, intentum verò eius, auferre gratiam Dei ab eo satagebat, vnde & ideo dixit, tange vniuersa, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi, id est, sine dubio maledicet tibi. Ecce eius intentum. ideo sanctus vir, iustificationem, quam expi tenere non deseram; hoc est, noui dæmonis æstum, amisi substantiam, sed iustitiam seruare curabo, &c.

Propositio XXIX.

Quàm prosit iusta tentatio ad victoriam.

MAtt. 4. tentauit tertiò Satanas Christum Dominum. Cur id Dominus tulit? Cur tentationes illas non præuenit & vitauit? imò Spiritus sanctus illum duxit in eremum velut in certaminis caueam, vt tentaretur à diabolo. Cur S. Hier. ita? S. Hier. in illa verba Matt. 4. *Tunc reliquit eum diabolus*, præcedit (inquit) tentatio, vt sequatur victoria, & Angeli ministrant vt victoris dignitas comprobetur. ita ille. Et ecce rationem ob quam Deus permittit filios suos à diabolo tentari, quia sine pugna non est victoria.. victoria autem tentationum tanti momenti est, vt Angeli eam maximè celebrent & glorificent.

Propositio XXX.

Quanta sit fortitudo resistere tentationibus.

PLuribus in locis sacræ scripturæ vir appellatur Christus Dominus, vt Zachariæ 6. *Ecce vir oriens nomen eius*, & Hierem. 3. *mulier circumdabit virum.* Et actuum 2. dixit S. Petrus de Christo Iesum Nazarenum virum approbatum à S. Greg. Deo; vir autem, vt ait S. Gregor. 1. Reg. 1. à virtute nominatur. In quo igitur ostendit Christus Dominus se virum esse, imò in quo non? Sed speciatim in tentationibus quas in eremo passus est. sicut S. Gregor. adnotauit vbi supra dicens: Dum Christus ieiunaret in eremo tentator affuit, & antiquæ victoriæ suæ tela reparauit, gulæ nempe, vanæ gloriæ & auaritiæ iacula intorsit; sed illum per omnia sibi resistentem inuenit. vir ergo clarois per victoriam, qui fortem victorem dæmo-Idem. nem superauit, ita S. Gregor. Docuit autem nos Christus Dominus in quo vera nostra fortitudo consistat, non quidem in vindicta & occisione inimicorum, sed in victoria tentationum, illi quidem qui tentatione superantur, non viri, sed fœminæ digni sunt nomine.

Præterea viri nomine gaudet Christus Dominus, quia fortiter passus est persecutiones hominum, & opprobria, & contumelias & dolores & cruciatus, & mortem acerbissimam crucis pro patris amore & nostri, & pro salute nostra, quia vt Philosophi morales docent, duo sunt rami virtutis fortitudinis. Primus est persequi hostes vsque ad occisionem & victoriam. Secundus est patienter sustinere aduersa, & hic est præcipuus fortitudinis effectus, Christus Dominus patien-

tissimè & inuicto animo *sin en y a arse ni desmaiarse* passus est, quæcumque passus est, & ob id viri nomine dignissimus fuit, & nos quoque erimus si in hoc Christi imitatores fuerimus, sin minus, effœminati & pueriles; fortior enim est qui se quam qui fortissima vincit mœnia, & melior est patiens viro forti. vide Iansenium in hæc verba Prou. 16. num. 32. Iansen.

Propositio XXXI.

Diabolus nos tentat in odium Dei magnum.

1. PEtr. 5. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Expende efficaciam qua diabolus nos tentat tamquam leo rugiens. Leo 1. Petr. 5. 8. cum fame graui torquetur rugire fortiter solet; sic diabolus tanta damnationis nostræ fame cruciatur, vt tanquam leo rugiens quærat quem deuoret. Non ait *quem manducet*, sed *quem deuoret*; quia sicut leo cum valde esurit, prædam non mãdit, sed carnem & ossa deuorat; sic hostis hominis animam & corpus quærit mittere in gehennam. Cur ita in nos? quid nos illi fecimus mali, vt ita S. Chrys. fæuiat in nos? respondet S. Chrys. in c. 3. Matthæi: Conatus omnis diaboli contra nos est, causa verò atque origo vt nos impugnet, ab odio quo in maiestatem diuinam fertur profecta est. ita ille. Hinc sequitur nos ob eandem rationem debere efficacius eius retundere tentationes, quia scilicet ex odio Dei procedunt, potius inquam, quàm ex damno nostro, in quod incurremus peccando, ac dicere hosti, *vade retro Satana, in Dei mei odium tentas me, & ego vis assentiar tentationi tuæ?*

Propositio XXXII.

Ad vincendas tentationes inimicorum conducit exemplar Christi.

MAtt. 4. sic de Christo Domino: *Cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Cur quæso *Christus Dominus* Matt. 4. *ieiunauit?* Nos quidem ieiuniis indigemus, vt carnem spiritui subiiciamus, & passiones eius moderemur, & pro peccatis satisfaciamus. At Christus Dominus cum Deus sit, & nihil horum indigeret, cur ieiunat? S. Basil. ser. 1. de ieiunio sic respõdet: S. Basil. Dominus Iesus, qui carnem humanam causa nostri assumpsit, ieiunans priùs diabolum vicit, profectò nos instruere volens, vt ieiuniis nos ad certamen cum inimicis paratos reddamus. ita ille. Christus enim non solùm verbis, sed etiam exemplis docuit, sicut in lotione pedum discipulis suis dixit, *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* vnde Dauid Psal. 143. *benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad* Ps. 143. *prælium, & digitos meos ad bellum.* Gratias ibi agit Dauid Deo, quia docuit eum pugnare & vincere Gigantem Goliath, non ait quia robur mihi dedit ad superandum viribus, sed *quia docuit* eum in funda & lapide militare, & occidere illum. Quod si tanti fecit, & tales refert gratias Deo Dauid, quia è cœlo docuit sic corporaliter militare, quales nos dignas Deo gratias reddere valemus, qui factus homo in terra, opere & exemplo suo docuit nos contra diabolum & contra mundum & carnem pugnare,

& facilè eos superare? vicit in deserto diabolum, non consentiendo tentationibus eius, & opponendo voluntati eius voluntatem Patris sui; docuit nos vincere mundum recedens ab eo in desertum; docuit nos vincere carnem ieiunio suo; restat nos eius sumere exemplum & practicam doctrinam, vt facilè & nos victores euadamus.
Idem. Concludit igitur ad rem S. Basil. ibi: Si mentem robustam ac valentem tibi esse volueris, carnem per ieiunium subiugabis. hoc enim est, quod Apostolus ait: *quantum exterior homo corrumpitur, tanto interior de die in diem renouatur*, & rursus: *quando infirmor, tunc potens sum.* ita S. Basil.

Propositio XXXIII.

Tentationis initio celeriter obuiare debemus.

Gen. 3. GEnes. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Illud pronomen *ipsa* pro Ecclesia Dei supponit, vti explicat Interlinearis, & per consequens de animo iusti rectè intelligetur dictum, *ipsa conteret caput tuum.* Quomodo autem, dices, conteritur
S. Gregor. caput serpentis? S. Gregor. t. Mor. 38. Caput, inquit, serpentis conterere, est initia suggestionis manu sollicitæ cogitationis à cordis aditu extirpare. ita ille. Hoc igitur iustorum proprium est initiis tentationum sollicitè resistere, ne tepiditas resistendi locum præbeat hosti.

Propositio XXXIV.

Non semel hostis tentat sed sæpe.

Gen. 3. GEnes. 3. *ipsa conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo eius.* pronomen illud *ipsa* supponit pro Ecclesia Dei, sicut ibi asserit interlinearis glossa, quare rectè intelligitur hic loqui Deum de anima iusti, quæ caput serpentis conterit, quia tentationem in suo initio vincit. ita ex-
S. Greg. ponit S. Gregor. 1. Mor. 38. dicens, caput serpentis conterere est initia suggestionis manu sollicitæ cogitationis à cordis aditu extirpare, qui tum ab initio deprehenditur, percutere calcaneo molitur, quia quem prima tentatione non percutit decipere in fine tendit. ita S. Gregor. Ecce quomodo serpens iste antiquus non semel sed & iterum tentat. Ne igitur quia semel illum vicisti, te inermem illi præbeas; nam victus calcaneum petit, hoc est quem aperta tentatione vincere nequiuit, occulta iterum aggreditur, & quasi à tergo (ex traiecto) ad calcaneum pergit.

Propositio XXXV.

Tentatio valde fugienda est.

MAtt. 4. *ductus est Iesus à spiritu in desertum vt tentaretur à diabolo.* Marc. cap. 1. *expulit eum spiritus in desertum*, Luc. cap. 4. *agebatur à spiritu in desertum.* Vides vbique non ab spiritu humano ductum esse Christum ad locum tentationis. Cur non à se dicitur ductus, sed à *spiritu*, imò non solum ductus sed actus, imo non solùm actus sed expulsus; quod verbum in nobis quasi per vim tendere, videtur importare, in Christo autem non resistentiam in se sed vim magnam spiritus diuini expellentem Christum importat? Cur ita? vt scilicet nos doceret non voluntariè seu sponaneè in tentationum occasiones nos ipsos immittere debere, sed Spiritus sancti ductu & impulsu illuc pergere, vbi tentationum certamina videtimus. ita Theophylact. in c. 1. Theophyl.
sancti Marci, dicens: Ducitur Christus sic ab Spiritu sancto, demonstrans nobis non temere nos in tentationes proiicere debere, sed ferre si imperamur. ita ille. sunt enim nonnulli qui de sua virtute si lences ne dicam præsumentes, se facilè in tentationes immittunt: qui si ceciderint, non interrogent quare id permiserit Deus; id enim ipsi temeritate sua promeruerunt.

Propositio XXXVI.

Tentationes dæmonis attendere debemus.

QVidam filiorum Iacob nomen habuit *Esrom*, quod idem in Hebraico est quod Latinè *iacula videns*, quod sic explicat S. Chrysost. hom. 1. imperfecti. Prouidentia Dei posita esse nomina hæc Patriarcharum credimus, maximè cum sint hi principes generis electorum. *Esrom* ergo interpretatur *iaculum videns*; sunt tentationes inimici, quas intrinsecus diabolus in animam iaculatur. ita ille. qui etiam passiones appetitus inordinatos, & tribulationes sæculi, & homines mala suadentes iacula inimici esse ait, quibus dicit Apost. ad Eph. 6. *sumentes scutum fidei in quo possitis omnia iacula maligni ignea extinguere.* Subdit igitur S. Chrysost. Vult ergo Deus omnes S. Chrys.
seruos suos videntes esse iacula super se venientia; qui enim ea non videt, quomodo potest ea declinare? Qui ergo videns iacula vigilans est contra versutias inimici, & de longè prospicit iacula eius & cauet. ita ille. hoc contra eos dictum est, qui sue salutis obliti, tentationes non animaduertunt; tu verò qui saluari desideras, pauidus & circumspectus esto, attendens ne pacem existimes vbi non est pax, sed bellum, sed tentatio, & sic eris iacula videns.

Propositio XXXVII.

Tentatio sola negatione consensus superatur.

SI in corporalibus certaminibus in nostra esset voluntate victoria, facile quidem esset cunctos vincere inimicos. facile igitur est animarum hostes superare, siquidem in voluntate nostra sita est victoria, nolendo enim superamus (*con vn no vencemos.*) Matt. 4. *ductus fuit Christus in desertum, vt tentaretur à diabolo*, &c. Locum hunc expen- Matth. 4.
dens S. Paschasius Abbas, *ductus est*, inquit, sic Deus, vt eum omnis Christianorum inspectet S. Pasch.
exercitus & vincere discat. ita ille. Videamus igitur quomodo Christus dux noster pugnauit, & quomodo vicit; vicit quidem, non consentiendo suasionibus hostis. Pondera tria responsa, & sic tibi pugnandum cense, & ita victor euades.

Luc. 4. *Consummata omni tentatione diabolus re-* Luc. 4.
cessit à Christo. Quid est *consummata omni tentatione?* S. Pasch. in c. 4. Matt.: expleta contra Christū omni arte tentandi, iam vlterius non habet tentator quid ageret, dereliquit eum. Nā cuiusque artis officium tunc expletur, cum quidquid ars ipsa

iuxta

iuxta facultatem negotij dictauerit, ad peragendum fuerit expletum, etiamsi non obtineat artifex quod intendit; sicut orator aut medicus non solùm quoties persuadet ille, aut curat hic, finis completur officij, sed etiam tunc cum quidquid ars ipsa valuerit, diligenter fuerit expletum: sic diabolus in se cernens artis suæ peritiam consummatam, continuò eum dicitur reliquisse, quia vltra quid ageret penitus non habebat. ita ille. Nunc ad rem, si quidquid potuit hostis iuxta peritiam tentandi magnam, quam habuit, adhibuit contra Christum, & Christus nolitione sola & voluntatis resistentia, nolendo, inquam, ei assentiri, eum vicit, superauit, & de ipso triumphauit; sequitur manifestè quod quamtumuis hostis sæuiat, fremat, tentet, & conetur aduersùs nos, in voluntate nostra sita sit victoria & triumphus. Quam igitur excusationem in die mortis & iudicio Dei adhibere poterimus, si vincimur in tentationibus nostris? Quam excusationem haberet miles qui sola volitione sua poterat vincere hostes, & quia noluit vincere, castellum aut vrbem Regiam in hostium manus tradi consensit? Quid & tu Domino respondebis dicenti: *potuisti in me non peccare & noluisti; potuisti vincere tentationes, & noluisti?*

Simile.

Propositio XXXVIII.

Diabolus in tentatione vtilitatem nostram præfert, sed inde damnum intendit.

Matt. 4. MAt. 4. sic diabolus Christo posito supra pinnaculum templi: *si filius Dei es, mitte te deorsum*; etenim prima facie gloriam & honorem Christi prætendere videbatur hostis, quasi dicens: filius Dei cum sis, sicut vox illa baptismi è cælo delapsa dixit: *hic est filius meus dilectus*, &c. vt omnibus constet filium te Dei esse, mitte te deorsum, vt videntes omnes, sed sine læsione id præstitisse, facilè sibi persuadeant te verè filium Dei esse. Ecce apparentiam tentationis, sed tamen in intentione, Christi lapsum intendebat, quod etiam in omni tentatione nostra intendit. Paschasius Abbas: Hæc vox bene dæmoni congruit, qui omnes alto gradu meritorum deorsum satagit præcipitare. Quid enim tam proprium illi quam vt omnes persuadendo de sublimi statu mentis deorsum mittat? ita ille. idem de tentatione Euæ dicendum est.

S. Paschas.

Propositio XXXIX.

Quantum Deo & Angelis placeat victoria tentationis.

MAtth. 4. *tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Numquid ministrabant ei, quia valde laborauerat ieiunando, aut quia victor euaserat hosti resistendo? sic quidem ita, hoc tamen certum est, voluisse Dominum ostendere nobis quantum gaudium Angeli capiant, cum vident nos tentationes superare: sic Paschasius in hunc locum, dicens: Sicut in Christi agone militia totius religionis nostræ significatur, sic & in obsequio Angelorum remuneratio seruitutis nostræ in gloria futura edocetur. ita ille. Etenim non solùm præmium

Idem.

cœli innuitur hic nobis, sed etiam gaudium, quod Angeli excipiunt ex huiusmodi victoria nostra; si enim gaudium est in cœlo magnum inter Angelos super vno peccatore pænitentiam agente, quanto maius erit super vno iusto, qui fortiter dimicauit, ne in peccatum laberetur? Cum Deo gratius nimirum sit, fortiter pugnare resistendo peccato, quàm post lapsum resurgere pænitendo; vnde non mirum si Angelus custos cui speciatim interest, nos in tentationibus victoriam reportare, post victoriam partam nobis in corde gaudens gratuletur, & gaudium & lætitiam pariter administret.

Propositio XL.

Vanum & imprudentem facilè inuadit diabolus.

SAnctus Epiphanius in physiologo de quadam aue, quæ picus nominatur, sic scribit c. 24. Picus auis est varij coloris, quæ nemoris fruteta ingreditur, & rostro arborem petit, aurem que illi admouet; quod si inanis arbor fuerit, illam exscindit exscissamque occupat; verum si solidam deprehenderit, intactam relinquens auolat, & aliam inuadit. Non aliter diabolus, qui varij coloris & versipellis est, siluam naturæ humanæ intrat, atque in arboribus considet; hominis, inquam, cor ad inhonesta traducens, ferit & attentè obseruat, cúmque hominem inualidum, atque excordem esse animaduertit, ipsum inuadit, & in eo nidum suum constituit; quod si integro ac firmo esse corde sentiat, fugit statim & ad alios accedit. ita ille. S. Epiph

Propositio XLI.

Tentatio non nocet non consentienti, imò prodest.

IOb. 3. vbi de iustis agit S. Iob, *non*, inquit, *exaudierunt* vocem exactoris. S. Gregor. 4. Mor. ad finem. Quis alius debet nomine exactoris intelligi nisi importunus ille persuasor, qui humano generi semel deceptionis nummum contulit, & adhuc quotidie expetere mortis debitum non desistit? Audimus tamen vocem exactoris, cum eius tentatione pulsamur, sed non exaudimus, si pulsanti resistimus; audit enim qui tentationem sentit, exaudit verò qui tentationi consentit. ita S. Gregor. Ideo igitur S. Iob non dixit de sanctis viris *non audierunt vocem exactoris*, sed *non exaudierunt.* Audiuit Ioseph vocem Ægyptiæ tentantis, audiuit & Susanna vocem tentantium iudicum, sed neuter exaudiuit, quia neuter consensit. Animaduertant hoc timoratæ conscientiæ, quæ inter sensum & consensum sæpe distinctionem ignorant; non nocet inimicus ostium pulsans, nisi cum ei portas aperimus, &c. imò non consentiens inde meritum suum auget. *Vide sequentem prop.* & 43. S. Greg. Idem.

Propositio XLII.

Quàm vtilis & meritoria sit tentatio vincenti illam.

IAcobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem*, &c. Pondetandum est illud verbum *suffert.* Cur nō Iacob 1.

ait, qui fugit tentationem vel vicit, sed *suffert*: S. Thom. sic exponit ibidem, *suffert*, id est, sursum fert tentationem. ita ille. Dices, quid est sursum attollere tentationem? proprietas palmarum rectè hoc explicabit. Notum est palmam onere aliquo grauatam sursum ramos cum onere illo eleuare. Sic vir iustus (vt ait Dauid) vt palma florebit, & pondus & onus tentationis vincet, eleuando ipsas tentationes ad meritum gloriæ, ita vt tentatio per quam deiicere hostis intendebat iustum, meriti sit materia. Sic igitur sursum fert tentationem, quæ iniustum opprimit & deturbat.

S. Thom. — Simile.

Propositio LXIII.

Tentari aduersus vanam gloriam conducit.

S. Gregor. Sanct. Gregor. 8. Mor. 6. iustus se præsentis vitæ aduersitatibus tentari desiderat, ne peius ex virtutum confidentia cadat: si enim semetri semelius per tentationem non cognosceret, nequaquam psalmista diceret: *Proba me Domine & tenta me.* ita ille.

Idem. Iob. 7. Rursus idem Sanct. Gregor. eodem capite expendens & exponens verba illa S. Iob. cap. 7. *cum dormiero, dicam quando resurgam, & rursum expectabo vesperam.* Per vesperam aduersitatem intelligens dicit; Cum virtutum prospera mentem eleuant, adiutrix aduersitas desideratur, vt animus cum virtutum suarum gaudio plus quam debet attollitur per contrarietatem præsentis vitæ, edito mærore solidetur. vnde non dicit *formidabo vesperam* sed *expectabo*: expectamus autem prospera, formidamus aduersa. Vir igitur sanctus vesperam expectat, quia cum exerceri cum tribulatione necesse fuerit, ipsa fit ei aduersitas prospera. ita S. Gregor.

Propositio XLIV.

Tentatio nemini parcit.

Paschas. Pasch. Abbas super cap. 4. Mat. nullus incautè viuat, quia nullus nisi inter hostes ambulat, quem enim tentare non audeat qui Dominum Christum ausus est tentare?

Timor.

1. *Quòd timori mundano timorem Dei praponere debeamus.*
2. *Quòd veritas non sit omittenda propter timorem mali pœna.*
3. *Quòd in rebus diuini obsequij omnis damni timor postponi debet.*
4. *Ad salutem animæ adhibenda est vigilantia & timor sanctus.*
5. *Timere debemus peccata quatenus sunt in Deum.*
6. *Quanta sit pœna timoris.*
7. *Timor valde ad pœnitentiam conducit.*

Timor.

Propositio I.

Quòd timori mundano timorem Dei praponere debeamus.

Eccl. 4. Exod. 4. pergenti Moysi in Ægyptum ad liberandum populum Dei à tyrannide Pharaonis, apparuit et Angelus Dei qui euaginato ense Moysem occidere minabatur. cur ita? cum Moyses Dei mandatum exequi properabat. Theodor. duas adhibet rationes q. 14. in exodum dicens: Vxor Moysi arbitrabatur ob id factum esse, quia filiorum alter non erat circumcisus secundùm legem Hebræorum. Vnde prorinus eum circumcidit. ita ille. Hæc prima ratio reddi potest, quo nobis notum sit quàm meritò dixerit Dauid Psal. 118. *tu mandasti mandata tua custodiri nimis; vtinam dirigantur viæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Si enim dilectum Moysem sic Deus occidere volebat, propter legalis cuiusdam præcepti transgressionem, quid non timere debet, qui non parua nec leuia contra naturalia seu Euangelica Dei præcepta, delicta committit?

Theod.

Secundam autem rationem subdit Theodor. dicens: verumtamen aliud quidpiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum ostentabat; siquidem Moyses (alioquin magnus) metuebat Pharaonem, quod sæpius manifestauit, modò dicens: *quis sum ego vt vadam ad Pharaonem Regem* modò dicens, *prapara tibi alium idoneum quem mittas*; & rursum, *exilis vocis & tarda linguæ sum ego.* Minabatur ergo illi pœnas Angelus, metum metu repellens, maiore videlicet minorem, ac si per hunc ensem nudatum dixisset: si Pharaonem timuisti, me multo magis timebis, qui inuisibili modo possum te vulnerare. ita Theodor. Dicam igitur & ego: si amissionem honoris times, cur non magis ô superbe amissionem æternæ gloriæ times? si paupertatem temporalem times ô auare, cur non magis æternam? si pœnas corporis times, ô sensualis, cur non magis tartareas ignis sempiterni?

Theod.

Minabatur Rex Antiochus fidelem quendam Machabæum, si contra legem Dei quod ipse præcipiebat non efficeret, cui Machabæus: *Non obedio præcepto Regis sed legis.* etenim Reges timorem magnum incutiunt non parētibus præceptis suis. Sed in hoc S. Machabæo præualuit timor Dei & merito, nam sicuti Dominus in Euangelio ait, *non sunt timendi qui occidunt corpus, & non habent amplius quid faciant, sed is timendus est, qui corpus & animam potest mittere in gehennam.* Sicut ergo clauo clauum trudimus, sic timorem humanum (quamtumuis à Rege incussum) timore diuino. Vnde S. Bernard. ser. 18. in Psal. *qui habitat*, solet, inquit, timor timore repelli, repleat nos spiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habebit in nobis. ita ille. Quid mirum si adeo in nobis timor Dei sic potens sit, cum etiam in infidelibus polleat? Præcepit Olim Rex Ægypti Pharan obstetricibus Hebræis, vt cum primum nascerentur pueri Hebræorum, interficerent eos, & subdit textus, *timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conseruabant mares*, &c. Quid inde? bene (inquit) fecit Deus obstetricibus, & quia timuerunt Deum, ædificauit eis domos. Disce ergo Christiane vel ab infidelibus timere magis Deum quàm Regem.

S. Bern.

Propo

Propositio II.

Quòd veritas non sit omittenda propter timorem mali pœnæ.

MAt. 2. sic Magi Christum quærentes in Hierusalem: vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Ponderat sic locum hunc S. Chrysost. in imperfecto, numquid nesciebant Magi quia in Hierusalem regnabat Herodes? numquid non intelligebant iustitiam legis, quia quicumque Rege viuente, alterum Regem pronuntiat & adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? sed dum considerant Regem futurum, non timent Regem præsentem. Numquid non habebant præ oculis suis periculum mortis, sed non curabant de morte? si autem curassent de morte, numquid ad hoc ausi fuissent? adhuc non viderant Christum, & iam parati erant mori pro Christo. ô beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi Regis prius quàm Christum Dominum nostrum cognoscerent, Christi sunt confessores. S.Chrys.

Propositio III.

Quòd in rebus diuini obsequij omnis damni timor postponi debet.

SVnt qui Deo seruire desiderant, sed tempore tentationis recedunt; & qui eum damni alicuius periculum imminet, honoris videlicet, vel pecuniarum, vel corporis, à timore vincuntur; similes quodam modo Nicodemo Ioan. 3. qui noctem expectabat, vt Christum Dominum conueniret. vbi S. Chrysost. imbecillitate detinebatur, ideo nocte veniebat, quia interdiu formidabat. ita S. Chrysost.

Non ita Daniel qui sciens prohibitum esse à Dario publico decreto, ne quis Deum deprecaretur, &c. Daniel. 6. ipse tamen (ait scriptura) fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, &c. vbi Theod. ponderans factum ait, non clam precabatur, sed palam; omnibusque inspectantibus, non ambitionis studio, sed impiam legem contemnens & non in plano, sed in cœnaculo, tamquam in quadam specula preces offerebat Deo, omnibus conspicuus. ita ille. Daniel. 6. Theod.

Propositio IV.

Ad salutem animæ adhibenda est vigilantia & timor sanctus.

IOan. 20. sanctus Thomas Apostol. aliis Apostolis nuntiantibus resurrectionem Christi, sic respondit: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitos meos in locum clauorum, non credam. Cur quæso defectum hunc fidei S. Thomæ euangelista non tacuit? Cur non velauit, sed sic apertè reuelauit, cum proximorum & maximè sanctorum culpas occultare debeamus? Ratio huius est, vt inde nos videamus, quantam adhibere vigilantiam & timorem debeamus, ne nos qui inferioris virtutis sumus, similiter vel peius delinquamus. Audi S. Gregor. in principio lib. 2. moralium: scriptura narrat & gesta sanctorum & ad imitationem prouocat corda infirmorum, & dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, sicque verbis illius vt minus mens in certamine trepidet, quot ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnumquam verò eorum casus innotescit, vt videamus in illorum casibus quod debeamus timere. Ecce enim Iob describitur tentatione auctus, sed Dauid tentatione prostratus, vt maiorum virtus spem nostram foueat, & maiorum casus ad cautelam nos humiliatis accingat, quatenus dum illa gaudentes subleuant, ista metuentes premant, vt its animus noster nec temeritate superbiat, nec pœna sus timore desperet. ita S. Gregor. Ioan. 20.

Vnde S. Ambros. lib. de Ioseph cap. 1. agens de fratribus Ioseph, qui quamuis ingenui & bene educati, inuidia tamen in fratrem exarserunt, monet vt inde nos inuidiam timeamus, nam si inuidia, ait S. Ambros. sanctos adussit, quanto magis cauendum est ne inflammet peccatores? ita S. Ambros. qui lib. 3. in Luc. c. 3. vbi de peccato Dauid loquutus subdit: Dauid hominem se esse cognouit, ostendens nobis neminem virtuti propriæ confidere debere. ita ille. S.Ambros. Isidor.

Casus igitur in litteris sacris sanctorum non ad imitationẽ, sed ad timorem proponuntur, sicut naufragia nauigantium narrare solemus, vt nautæ rupas illas vel pericula fugiant, in quibus alij perierunt. Quare sicut stultissimus esset nauigij gubernator, qui ideo nauigium eò dirigeret vbi alij naufragium passi sunt, quia similiter eandem viam illi tenuerunt; sic & illi qui dicerent: *Quid mirum si peccauero? & Dauid & Thomas peccauerunt*, &c. Instruant nos Patriarchæ (inquit S. Ambros. lib. 1. de Abrah. c. 6.) non solùm docentes, sed etiam errantes. ita ille. Est igitur diuina scriptura sicut hortus quidam, in quo arbores fructiferæ sunt, in quibus poma salubria & pulchra inueniuntur, inter quæ nonnulla putrida & mala quoque insunt; nonne stultus esset qui malos illos fructus colligeret: bonis prætermissis? sic ergo stultissimus reputandus esset, qui relictis sanctorum sanctis exemplis decerperet exempla mala. Contendebant Apostoli quis eorum esset maior, quid inde? Sanct. Ambros. lib. 10. in Luc. c. 22. Caueamus ergo ne aliqua inter nos de prælatione possit esse contentio; si enim contendebant Apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. ita ille. Videbis in Apostolis zelum ingentem animarum, charitatem eximiam, fortitudinem sublimem Martyrum, patientiam inuictam & alias virtutes insignes. Hæc imitare, non contentionem illam primatus; ne imiteris muscas quæ in pomo partem putridam quærunt ad vescendum, &c. Errauit Petrus & negauit: sed tamen error Petri (ait Sanct. Ambros. vbi supra cap. 22.) doctrina iustorum, & titubatio Petri, omnium petra sit. ita ille. Habes in S. Petro exempla magnæ sanctitatis, hæc sequere, illa verò fuge; hoc prudentiæ, cæterum imprudentiæ maximæ erit. Simile. S.Ambr. Simile. Idem. Simile. Idem.

Propositio V.

Timere debemus peccata quatenus sunt in Deum

PSalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas.* de quo timore hic loquitur Dauid, & quonam pacto Psal. 118.

pacto timore configendæ ſunt carnes noſtræ? S. Auguſt. ſer. 36. de diuerſis, carnes ſunt, carnales concupiſcentiæ, claui ſunt præcepta iuſtitiæ, his illas timor Dei configit. ita S. Auguſt. Senſus ergo eſt: Domine timore tuo confige affectus, & paſſiones meas ne tranſgrediar mandata tua, qualis verò ſit huiuſmodi timor, expoſuit S. Aug. dicens: Timor Dei configit, hoc eſt, non timor pœnæ temporalis, vel etiam æternæ, ſed ipſiuſmet Dei; id eſt timor offendendi Deum, quod & Dauid expreſſit dicens: *Timore tuo*, quaſi dicat, non timore mortis, vel iudicij, vel etiam inferni; timendo nempe offenſam tuam propter te, ſicut filius qui timet offendere patrem, quia pater eſt, & non ſicut ſeruus, qui timet offenſam Domini ne vapulet ab eo. S. Auguſt.

Propositio VI.

Quanta ſit timoris pœna.

Sanct. Gregor. Nazianz. orat. 2. contra Iulian. quod quis timere cœpit iam paſſus eſt. ita ille. Quod in Chriſto Domino videre licet, quando in horto cœpit pauere & tædere; timor enim ille ſudoris ſanguinei cauſa fuit, non enim flagella, non ſpinæ, non claui, ſanguinem illum extraxerunt, ſed timor ille, cui Dominus locum dignatus fuit dare. Nazianz.

Propositio VII.

Timor valde ad pœnitentiam conducit.

Tertul. lib. de pœnitentia cap. 2. vbi metus nollos, emendatio proinde nulla. ita ille.

Tribulatio.

1. *Bona temporalia occaſiones eſſe ſolent peccatorum.*
2. *Tribulatio ſignum eſt diuinæ pietatis.*
3. *Tribulatio nos ab amore mundi liberat.*
4. *Tribulatio non ſolùm patienter, ſed etiam fortiter ferenda eſt.*
5. *Quantis tribulationibus abundet vita noſtra.*
6. *Ne ſuperbiamus ſed vt humiliemur tribulatio conducit.*
7. *Quòd magna ſit Dei prouidentia tam in in rebus proſperis quàm in aduerſis & tribulationibus.*
8. *In tribulationis remedium adhibenda eſt oratio.*
9. *Tribulationes in bonum noſtrum permittuntur à Deo.*
10. *Quanti faciat Deus nos aliquid pati pro ipſo.*
11. *Tribulatio manifeſtat qualis quiſque ſit.*
12. *Deus nobis immittit tribulationes, vt æternorum tormentorum timorem incutiat.*
13. *Corda noſtra à peccatis purificat tribulatio.*
14. *Quòd Deus licet inuocetur in tribulationibus non exaudiat, niſi tempore opportuno.*
15. *In aduerſis Deus Pater propter Chriſtum adiuuat infirmitatem noſtram.*
16. *Quàm à Deo alienum eſt nos tribulationibus afficere, quatenus tribulationes ſunt.*
17. *Amor Dei leues facit labores noſtros quamuis magni ſint.*
18. *Quòd mors à miſeriis & tribulationibus nos liberet Dei pietate.*
19. *Tribulatio eſt via cœli.*
20. *Quàm communis omnium fidelium ſit tribulatio & crux.*
21. *Nulla tribulatio abſque Dei prouidentia cruciat.*
22. *Tribulatio examen eſt ſanctitatis.*
23. *Quàm vtilis nobis tribulatio ſit.*
24. *Dum tribulamur non conſentiamus peccare.*
25. *Quàm familiaris & aſsidua homini ſit.* Vide prop. 29.
26. *In tribulatione hilariter offerre debemus, quod Deus tollit à nobis, quia reddimus ei quod accepimus.*
27. *Sapientis eſt omnibus tribulationibus ſuperiorem ſe oſtendere.*
28. *Quòd ſæpe magis nobis proſit aduerſitas quàm proſperitas.*
29. *Quàm frequens & ſubitanea ſit tribulatio.* Vide prop. 25.
30. *Deus permittit tribulationes in peccati deteſtationem.*

Propositio I.

Bona temporalia occaſiones eſſe ſolent peccatorum.

4. Reg. 18. Ezechias bonus Rex populi Dei, *confregit*, inquit, *ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes.* Cur ita? nonne Deos tanti ſerpentem illum fecit, vt ad eius intuitum ſanaret homines à veris ſerpentibus lethaliter percuſſos? Danique nonne iuſſu ipſius Dei. Num. 21. factus fuit? Cur ergo eum confregit Ezechias? ibidem diuinus textus reſpondet, *ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum.* Quod exponens S. Auguſt. 10. de ciuitate Dei c. 8. ait, ſerpentem illum propter facti memoriam reſeruatum, cum poſtea populus errans tamquam Idolum colere cœpiſſet, Ezechias Rex religioſa poteſtate Deo ſeruiens, cum magna pietatis laude contriuit. ita S. Auguſt. & ob eandem cauſam vocauit Ezechias illum ſerpentem *Noheſtam. Nohestam* autem interpretatur *cuprum* ſiue *cupreum.* vnde interlinearis ait *Noheſtam* hoc eſt, *æs eorum, non Deus.* ita ibi. Nunc ad rem, ſicut ad optimum finem Deus confici & erigi ſerpentem voluit, abutentes autem filij Iſraël ſerpentem 4. Reg. 18.

pente adorabant; sic bona temporalia Deus in optimum finem producit, vt scilicet in necessitatibus nostris remedio nobis essent & decori. Simile. nos autem tanto abutentes beneficio, veloti adoramus ea, & quasi idola amamus illa. Quam ob causam sicut Ezechias serpentem æneum contriuit, ne illum adorarent Israelitæ. sic Deus à nobis bona temporalia tollit, vt à nobis indebitam hanc æstimationem & amorem nimium simul tollat, & hoc nos tribulationem & plagam vocamus? Etenim maius nobis Deus beneficium confert, cum tollit, quàm exhiberet cum conferret; est enim velut ab infirmo tollere nociuum cibum vel potum, Simile. seu potius à manu phrenetici gladium auferre, ne se perimat.

Propositio II.

Tribulatio signum est diuinæ pietatis.

SVnt qui tribulationes & labores, qui diuina prouidentia nobis eueniunt, iræ Dei tantùm & vindictæ signa esse censeant, cum tamen pietatis, pacis, & beneuolentiæ potius pignora sint. Genes. 9. sic Dominus ad Noe, *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam interficietur vltra omnis caro aquis diluuij, & hoc signum fœderis, arcum meum ponam in nubibus cæli*, &c. Quis non miretur arcum hunc in signum pacis exhiberi, cum arcus iste numquam appareat, nisi quando cœlum nubibus obductum & tectum est? hoc in signum diluuij potiùs quàm serenitatis dandum videbatur, quando vel ipsum nomen arcus ad bellum potiùs quàm ad pacem spectet. S. Ambros. S. Ambros. arcum, inquit, ponam non sagittam; arcus enim instrumentum iaculationis est sagittæ, arcus autem non vulnerat sed sagitta; & ideo Dominus in nubibus non sagittam sed arcum posuit, id est non illud quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium. ita ille. Indicium autem hoc quod videtur terroris, misericordiæ opus est & pietatis; ideo enim Deus minatur, vt caueat sibi homo ne feriatur à Dei iustitia. Præterea arcus in signum pacis datur, vt inde sciremos sagittas tribulationum non esse inimicitiæ Dei signum, sed amoris & fœderis inter Deum & iustos. Noë quippe iustus erat.

Psal. 29. Hinc intelligitur locus ille Psalm. 29. *Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius*; id est, memoriæ sanctæ & piæ eius, vti exponit Cardinalis noster Bellarminus. Sed quæ- Bellarm. nam huius laudis ratio? subdit; *quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Quid? propter iram indignationis eius in nos ad laudem inuitamur? ad timorem & terrorem potius nos mouere deberet; non inquit, *timere*, sed *laudare*; quoniam si in indignatione, hoc est in supplicio & pæna inflicta ira eius videtur apparere, intus in voluntate non mors, non perditio, sed vita consistit. hoc idem ita interpretatur Cardinalis.

Ioan. 21. interrogauit Petrum Dominus: *Petre amas me?* Ad quem Petrus: *Domine tu scis quia amo te.* Ter ita Dominus interrogauit, & ter Petrus ita respondit, & tunc ea dicit Dominus: *Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quò tu non vis.* Et subdit Ioannes, *hoc autem dicebat significans, qua morte esset clarificaturus Deum* Quid est quod post examinatum amorem in Christum Petri, mortem crucis crudelem annuntiat ei? hæccine est amoris in Deum merces? Eusebius Emissenus Eusebius ait, hic Dominum voluisse explicare verum dixisse Petrum; quasi diceret, ita est quòd amas me, sicut manifestabitur cum constanti animo pro amore meo vitam cum morte commutabis. verba Eusebij hæc sunt: Merito postquam ter Petrus se Dominum amare respondit, mortem suam ei Dominus annuntiauit, in qua quantum eum diligeret demonstrauit. ita ille. Sed magis ad rem S. Fulgent. Fulgent. lib. 9. ad Trasimondum Regem c. 24. cum illi tertiò interroganti trinũ amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendi pro se animam largitus est facultatem, dicens: *Cum autem senueris extendes manus tuas, & alius te cin-* Fulgent. *get, & ducet quò tu non vis.* ita Fulgent. Reges terræ militibus suis in præmium victoriæ diuitias & honores conferre solent, Deus autem cruces & labores, quibus coronas & gloriam æternam consequantur.

Genes. 44. Iussit Ioseph in sacco Benjamin secretò mitti calicem. Cur ita? in saccis aliorum fratrũ triticũ & nõ calicẽ, in sacco verò Benjam calicem; nimirum, quia calicem tribulationum & crucis dilectis suis maximè propinat Deus, Benjamin autem dilectior erat Iosepho, quàm cæteri fratres; S. Ambros. Sic S. Ambros. lib. de Ioseph cap. 11. Triticum multis datur, scyphus verò vni, non enim omnes.... sed propheta dicit (Psal. 115.) *calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* ita ille. Vnde Christus Iacobo & Ioanni dilectis dixit: *calicem meum bibetis.*

Mat. 27. *Inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* S. Leo Papa ser. 8. de passione Domini, non fortuitum, sed figuratiuum fuit. Sed mysterium S. Hilarius hoc aperuit S. Hilarius hoc loco, dicens: quia indignus erat Iudæus Christi crucem ferre. ita ille. vt ita innotesceret nobis ideo multis non communicare Christum crucem suam, quia digni non sunt, dare verò illam his qui propter bonitatem suam illam promerentur. Nec mireris pro meritis suis dari crucem Christi, quia secundùm Apostolum pro meritis Christi eam bonis communicat Pater, *vobis*, (inquit) *datum est pro Christo, vt non solùm in eum credatis, verum etiam pro eo patiamini.* pro Christo, inquit. vbi S. Anselm. pro Christo, id est pro meritis Christi. Quale igitur ac quantum erit donum, quod non solùm pro meritis nostris, sed etiam pro meritis Christi donatur à Deo nobis?

Propositio III.

Tribulatio nos ab amore mundi liberat.

MIraris cur Deus nos tribulari permittat, cum vere nos Deus amore prosequatur? Salutauit olim Angelus Gedeonem dicens: *Dominus tecum virorum fortissime*, Iudic. 6. cui Gedeon: *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* mala scilicet grauia & aduersa, quæ tunc patiebatur populus Israel? Si dicis tu, qui labores & dolores communes consideras, si Dominus diligit nos, quomodo permittit fideles suos & sibi fideliter seruientes affligi, cum facile possit à laboribus liberare? Responsio in promptu est, quia sic expedit nobis; expedit, inquam maximè, vt eo pacto, nos à mundi vberibus dimoueat, & ab amore illius.

Etenim

Etenim cum populus Israël in Ægypto habitaret, & terræ fertilitate gauderet, eius amore tenebatur. Qui quidem amor, non leue impedimentum erat ad proficiscendum in terram promissionis; quapropter permittit Deus à Pharaone illos grauiter vexari operibus laterum & flagellis iniustis, vt eos ab amore terræ illios compesceret. Sic author ille nomine Græcus, dicens: Deus israëlem afflictari permisit, vt alacrius ex ægypto progrederentur, quod æquo animo non fecissent, si in Ægypto victum, tranquillamque vitam habuissent. ita ille. Ita & ego de tribulationibus nostris dicam, diligimus mundum nimis, vnde nec ad cælestem patriam aspiramus. Vt igitur facile à nobis Deus amorem hunc perniciosum auellat, mundi aduersis nos affligit, vt vel hac ratione mundum contemnamus, & ad promissionis illam terram animum conuertamus; sicut mater, vt filium ablactet, absinthio vel felle vbera tingit, vt filius amaritudine exacerbatus, vbera derelinquat, & solidiori vtatur cibo.

Job 14. Iob, 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Etenim de nullo alio viuenti quamtumuis bruto sic dictum reperies nisi de homine. At cur ita Domine Deus? si hominem omnium visibilium principem constituisti? S. August. serm. 29. secundùm Lucam. Ideo fælicitatibus nostris amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non fallat. ita S. August. Non igitur mirum si Deus homines, sic mundi huius miseriis & tribulationibus vexari permittat. Sed hoc mirabile magis, quòd nihilominus mundus cum suis miseriis & aduersitatibus perditè ab hominibus diligatur. Super hoc exclamat aduersùs mundum S. August. ibid.
S.Aug. & ait. O munde immunde quem non deciperes dulcis, si sic decipis amarus? ita ille. Misericordia igitur Domini quod non sinat nos fictis mundi decipi blanditiis, ira autem eius quod permittat homines ire post concupiscentias suas. Audi quid contra Babylonios dixerit Dominus Ierem.
Iere. 51. 51. *In calore eorum ponam potum eorum & inebriabo eos vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant.* dicit Dominus, *Dexaros he ver o peccadores hijos de Babilonia, dexaros he vever de ese vino de vuestros gustos y deleites, hasta que tomados de ese vino os durmais con vn sueño tan profundo que sea sempiterno del qual nunca jamas despertois dice Dios.* Sic permittit Deus peccatores vino suarum delitiarum inebriari, & opprimi somno sempiterno damnationis foræ. Dicit Dominus. ita ergo erit. O Domine miserere nostri, quod si necesse fuerit hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.

Eos qui saluari cupiunt, ab amore mundi & vitæ huius corporeæ se compescere oportet. notum hoc. Id autem maximè tribulationes præstant, quæ facilè corda nostra ab vberibus mundi non solùm ablactant, verum etiam auellunt, sicut è conuerso prosperitates mundi adhærere tenaciter rebus mundi faciunt, & veluti cogunt.
S.Gregor. Vnde S. Gregor. lib. 4. epist. 75. Quamuis, inquit, inæstimabilis sit cælestis patriæ dulcedo, quæ nos ad cælestia trahat; multi tamen in hac vita dolores sunt, qui ad amorem eorum quotidie impellant, qui mihi in hoc vehementer placent, quòd placere in hoc mundo aliquid non permittunt. ita ille.

Hoc in diuite illo Mat. 19. facilè constat. Diuiti enim illi sic Dominus: *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* O felix & appetenda vocatio! sed quid ille? audi Euangelistam: *Cum audiuisset adolescens verbum, abiit tristis.* tristis? lætum, & gaudentem illum abire quidem oportebat ad Christi discipulatum & perfectionem sic vocatum? Cur ergo sic tristis recessit? *erat enim*, ait Euangelium, *habens multas possessiones.* Ecce quid mundi prosperitas operetur, à Deo recedere & mundo adhærere. Cum igitur nobis Deo adhærere bonum sit, bonum etiam erit mundi prosperitate carere.

Propositio IV.

Tribulatio non solùm patienter, sed etiam fortiter ferenda est.

IOan. 19. *ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* Ioan. 19.
Quod in agno paschali præfiguratum fuit Exod. 12. vbi Dominus præcepit ossa agni (qui figura Christi fuit) minimè frangi. Cur igitur noluit Christus Dominus ossa sua diuidi, cum carnem suam dilacerari permitteret flagellis & clauis? Respondet S. Thom. hoc ideo factum fuisse, quia S Thom.
ossa Christi, robur & fortitudinem Christi designabant, corporis enim robur in ossibus est; roburautem & vigorem noluit Christus in sua passione deesse. At, inquies, cæpit pauere & tædere, & tristis esse anima eius vsque ad mortem; ita quidem voluit pauorem & tristitiam admittere, vt sic passio eius acerbior esset; si enim læto animo passus esset, lætitia illa dolorem & pœnam mitigasset; sed nihilominus fortitudinem ad omnia fortiter subeunda semper retinuit, vt amorem in Patrem manifestaret, & nobis exemplum fortitudinis in aduersis præberet?

Sanct. August. de verbis secundùm Mat. ser. 18. S. August.
Bibe calicem tribulationum quibus abundat hæc vita, bibe vt viuas; & ne respondeas, non possum, non fero. prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus; quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audiuit cum Dæmones expelleret, demonium habet & in Belzebuth eiicit demonia; vnde vt ipse consularetur ægrotos, ait: Si patrem familias Beelzeboth vocauerunt, quanto magis domesticos eius? si dolores amari sunt, ligatus & flagellatus & crucifixus est; si mors amara est, etiam mortuus est; si genus mortis horrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm crucis mors; non enim frustra Christi obedientiam commendans Apostolus addidit dicens: *Fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* ita S. August.

Propositio V.

Quantis tribulationibus abundet vita nostra.

GEnes. 22. *Tentauit Deus Abraham, & ait illi: Tolle filium tuũ vnigenitum quẽ diligis Isaac;* &c. Sequitur igitur: *Abraham de nocte consurgens,* &c. Cur quæso Abrahã pro tali tãquã dilecto filio, verbum aliquod non protulit? & promissionis filiorũ ex eo in mediũ nõ adduxit, sed protinus ac si pro nihilo eius duceret vitã, filiũ immolare decreuit? Primo quidem, quia non tam parentem ipsius Isaac,

Isaac quàm parentē Deo se voluit exhibere Poterat quidē pro filij vita humiliter supplicare, sicut Ezechias Rex mortis suæ lata & audita sententia, cum lachrymis pro vita sua Deum exorauit, & quindecim vitæ annos impetrauit; sed, noluit Abraham, tum quia exorandi causas, scilicet quia vnigenitus & dilectus erat, Dominus præuenit dicens: *Tolle filiū tuum vnigenitum quē diligis Isaac*, &c. Tū secundò, quia vitam hāc adeo miseriis refertā animaduertit, vt satius esset filio quàm viuere mori. ita S. Greg. Naz. oratione consol. in funere Pulcheriæ, dicens: Haud grauatim imò libēter dilectum filium Abraham Deo pro victima offerebat, quòd sciret & haud dubitaret, quin futurum esset vt puer in meliorem & augustiorem formam transformaretur. ita ille.

S. Greg.

S. Hier.

Eadē ratione S. Hier. (vti refert Eusebius epist. de morte Hieronymi) cum iam vicinus morti esset: Verè (inquit) hic viuēs mortuus eram, & ecce viuificor iam; vita enim mundi non est vita sed mors; vita fallax, vita tristitiis onusta. ita S. Hieronym. fallax, inquit, quia læta promittit, sed tristitia confert.

Quamobrem interrogatus sapiens quidam antiquorum quid esset ciuitas, Respondit: Ciuitas est ærumnarū domicilia; mente fingebat hic sapiens labores sibi aliquando domicilia vbi degerēt quæsiuisse, & mōtes adiecisse. Cumque ibi agnos hædosque salientes & gaudentes vidissent, dixerunt: *Non locus hic miseriis & laboribus aptus est*. Ad valles ergo & fluminū ripas pergentes philomelas & canarios, aliasque aues, dulciter inter arbores & fruteta cantantes audierunt, & dixerunt: *Neq; hic conueniens nobis locus est, omnia enim læta prosperaq; sunt*. Quare ad oppida & hominum ciuitates euntes, ibi homines & mulieres plangentes & dolentes cum viderent, dixerunt: *hic nobis aptissimus locus oblatus est, hic igitur inter homines & intra eorum domos commoremur*. Sapienter igitur sapiens dixit: Ciuitas est ærumnarum domicilia.

Florētissima Ciuitas olim erat Tyrus, cuius prosperitatē variis coloribus depingit Ezechiel propheta c. 27. veruntamen triremi eam comparauit. Cur ita? quid triremi & illustrissimæ illi ciuitati? multum quidē. cum enim miseram & calamitosā vitam aliquā esse dicere volumus, triremis vitam dicimus esse, (*vida de Galeras*.) hac igitur ratione Tyrum quantumuis prosperam & fœlicem, triremi comparauit, quia tandem hominum habitaculum, & ciuitas erat: ciuitas autem quid est nisi ærumnarum domicilia?

Hac etiā de causa Philosophus quidam videns lapicidam & statuariū quendam lapides dolātem, interrogauit, quid agis? cui statuarius: Ex lapidibus homines facio. At (inquit Philosophus) satius esset ex hominibus lapides, quàm ex lapidibus homines facere; quo significare voluit tantam esse inter homines laborum & miseriarum copiam, vt ad tribulationum huiusmodi ictus proferendos, lapidū duritie & fortitudine illis opus esset. Cui rectè consonat quòd S. Iob in suis magnis laboribus constitutus, asseruit, *neque fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est*.

Eccl. 30. 17

Melior est mors quàm vita amara. Hoc ita dictū est, quatenus mors, multarum magnarū miseriarū finis est, vita autem quamplurimis miseriis referta est. vti ait Iob c. 14 *homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur miseriis*. Non ait vitam hominis in hoc exilio plenam esse miseriis, sed repletam. vbi sanctus Gregorius, 11. Mor. 26. homo,

S. Greg.

inquit, angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam. vide ibi sanctum Gregorium, qui exactè inducit & amplificat hunc locum.

Philost.

Apollonius Tyanæus (vti affirmat Philostratus in eius vita lib. 1.) cōsultus à Rege Babylonis, quo supplicio afficiendus esset reus quidam, respōdit: Nullum ô Rex supplicium maius quàm vita ipsa statui illi potest; sic enim difficilia multa & aspera plurima feret. Ita ille. Rectè consonat locus ille Gen. 4. vbi Cain à Domino correptus dixit: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me*. Cur ita? Alcuinus in qq. super Genes. in tom. 3. Bibliothecæ respondet: Desperando hoc dixit, vt velut compendio mortis vitæ suæ cruciatus euaderet. ita ille. Ad quē Dominus: *Nequaquā ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplū punietur. posuitque Dominus Cain signum vt nō interficeret eum omnis qui inuenisset eum*. Cur Domine sic vitam huius fratricidæ seruare vis? nonne occisione dignus est, qui talē fratrem occidit? Respondet S. Hier quia noluit eum Dominus compendio mortis finire cruciatus. ita S. Hier. & S Ambr. lib. 2. de Cain c. 10. ergo (inquit) ista longæ vitæ indulgētia Cain, vindicta est; & subdit: Metus quidem, & mœstitiæ, & dolores, gemitus, diuersiq; cruciatus plurimas generi humano mortes inferunt; & ideo mors ista remedium esse videtur, non pœna ita S. Ambr. Notandū est autē, quod quādo Dominus dixit Cain: *omnis qui occiderit Cain*, ibi multi authores punctū apponunt, ita vt sensus maneat suspensus, sicut illud Neptuni apud Virgil. Quos ego: sed motos præstat componere fluctus. Sic Deus: *Omnis qui occiderit Cain*, supple *multabitur à me*. Deinde quod sequitur, *septuplum punietur*, ad Cain referendum est. vbi Septuaginta legunt, *septem vindictas exoluet*, videlicet Cain. *Cain me lo pagara con las setenas*. quasi dicat Deus: Nolo eum tam citò mori, sed viuat, vt in hac etiam vita septies puniatur.

Alcuinus.

S. Hieron.

S. Ambros.

Vnde præmunitos, & præparatos nos semper esse oportet. Gen. 6. sic Dominus ad Noë: *fac tibi arcam, & bitumine eam linies intrinsecus & extrinsecus*. Cur ita? nonne arcæ illius nauta & gubernator ipse Dominus erat? quid igitur bitumine isto opus fuit? Lyranus ibi, quod arca fuerit linita intrinsecùs, fuit propter magnum impetum aquarum, & quia diu stetit in aqua ita ille. Ecce igitur duplicem causam propter quam nos præmunitos esse oportet, quia scilicet, & diu in aqua tribulationum versamur, & magnis tribulationum quatimur vndis, bitumen autem & intrinsecus & extrinsecus esse oportet, quia foris pugnæ & intus timores. Intus igitur patiētia, foris carnis mortificatione nos armari oportet. Patientia quidem nobis necessaria est intus in omni tempore, siquidem tribulatio est quoque in omni tempore; & mortificatio carnis etiam, quia qui delitiis & voluptatibus assuescunt, magna cum difficultate difficilia, & laboriosa tolerabunt.

Gen. 6.

Lyra.

Tertullianus lib. de pallio: Deus hominem de originis loco pellitum exterminat, & orbi vt metallo traditur. ita ille. ac si dicat: de paradiso Deus hominem vilibus pelliculis indutum eiecit, & huic orbi tamquam ad metalla damnatum tradidit. Misera erat supra modum seruitus illa Romanorum, cum reus ad metallorum minas damnabatur; ibi enim veluti argento viuo infectus tremens peribat. Tales, inquit, Tertullianus nos sumus in hoc mundo

Tertul.

degentes semper cum timore & tremore, in miseriis maximis conuersantes, *&c. somos como condenados à las minas del azoque.*

S. August. S. Aug. ser. 29. de verbis Domini secundùm Lucam. Time, inquit, mare etiam quando tranquillũ est. ita ille. De mundo loquitur & ad nauigantes alludit, qui non solùm tempestate torquentur, verumetiã expectatione, & periculis tẽpestatis incertæ quidem sed frequentis; sunt autem mundi tẽpestates adeo frequẽtes, vt non solùm præsentia sua sed etiã timore suo cũ non sunt, torqueãt nos. Simile.

Propositio VI.

Ne superbiamus sed vt humiliemur tribulatio conducit.

Iob 14. Etenim mirari quis poterat audiens verba S. Iob. c 14. *homo natus de muliere breui viuens tẽpore, repletur multis miseriis*, &c. Cum inter omnia animantia homo principatum teneat, cur de solo dicitur homine, quod multis miseriis repleatur? S. Basil. in id ps. 18. *minuisti eum paulominus ab Angelis*, &c. vt factum hominis deprimeret Deus, corpus nobis morbis reddidit obnoxium, & mille malis perturbatum, & vitam hanc præsentem disciplinæ fecit officinam, vt animæ nostræ temeritas castigetur. ita S. Basil. in scholiis. Et ob hanc causã in scriptura tribulatio sæpe dicitur humiliatio. *Bonũ mihi. quia humiliasti me*, id est tribulasti. ps. 118. *humiliauerunt in cõpedibus pedes eius*, &c. Scit enim Dominus nos ad superbiã procliues, & malũ esse maximum superbiã, humilitatem verò gratissimam sibi; ideo nos miseriis humiliat, *mas nos quiere Dios humildes que prosperados en el mundo.* S. Basil, Psal. 18.

Mundum condidit Deus tempore verno v.g. mense martio. cur potius hoc mense magis quàm alio? S. Ambr. lib. 1. exameron. c. 4. Decebat (inquit) principium anni, principium esse generationi rerum terræ, & ipsam generationẽ mollioribus auris foueri; neque enim possent tenera rerum exordia, aut asperioris frigoris tolerare laborem, aut æstus torrentis iniuriã sustinere. ita S. Ambr. Id etiã de nobis quod de plantis dicendũ est; etenim non erat expediẽs nobis tẽpus semper esse aut prosperitatis aut aduersitatis, sed vicissitudinis, iam scilicet tempus ridendi, & iam tẽpus flendi, quia prosperitas assidua efficeret nos desides, & effeminatos; assidua verò aduersitas animos nostros deiiceret, & in immensam proiiceret tristitiam cordis, & impatientiam. Moderator igitur rerum nostrarum, moderationẽ istam prouidit, vt per laborum patientiam vitam promereamur æternam. S. ambros.

Psal. 9. 21. Ps. 9. *Constitue Domine legislatorem super eos vt sciant gentes quoniã homines sunt.* Patiebatur olim Dauid persequutiones graues à Principibus superbis Saule nempe, & Absalon, & aliis sociis eorum. vnde & ps. 118. dicebat: *Principes persequuti sunt me gratis*, &c. Orat igitur Deũ & ait: *Constitue Domine super hos superbos legislatorẽ.* vbi S. Basil. Quid est quod dicit: *Cõstitue Domine legislatorẽ super eos?* quia vt nullo subsũt imperio, ita omnia tẽtãt. Sume itaq; de illis suppliciũ vt sciant gentes quoniã homines sunt Nam ex eo multi ipsorum quod est naturæ suæ obliti in vesaniam exorbitarunt, seipsos non cognoscentes; si namque punieris, naturam suam cognoscent. ita S. Basil. Scitum est Alexandrum magnum, ab adulatoribus vocatum fuisse Iouis filium, qui sagitta vulneratus in bello & dolore affectus dixit illis: *vos me Deum vocatis, sed sagitta hac me hominem esse manifestauit.* Sic, Psal. 118. S. Basil.

sic superbos humiliat tribulatio.

2. Macbab. 9. *superbus ille Antiochus Rex superbè* (inquit scriptura) *locutus est se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. Sed qui vniuersa conspicit Deus, percussit eũ insanabili & inuisibili plaga. Vt enim finiuit hunc sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta.* ita ibi. sed tamen nec ideo humiliari voluit, vnde addit scriptura: *Super hoc autẽ superbia repletus ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere. & graui corporis collisione membra vexari, ita vt de corpore impij vermes scaturirẽt, & fœtore exercitus grauaretur, & qui paulo ante sidera cæli se contingere arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerãtiam fœtoris portare.* ita scriptura, quia Rex superbiam aggrauauerat, Deus flagella aggrauauit, quibus superbiam deponeret. vnde subdit textus sacer. *hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga, & ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* ecce quam efficaciter flagellis Deus superbos humiliet, & faciat cognoscere hominem seipsum, & quàm miser, & miserabilis, & debilis sit.

De filio prodigo, qui superbia motus Patris subiectionẽ abhorrens, libertatẽ amãs, abiit in regionẽ longinquã, vbi prodigè substantiã omnẽ dissipauit, & in tantã miseriã deuenit (Deo sic superbiã eius curante) vt porcorũ pastor fieret, & in tantã deueniret famẽ, vt cuperet ventrẽ implere de siliquis quas porci manducabãt. quid inde? *In se* (inquit) *reuersus dixit, quanti mercenarij in domo fratris mei abundant panibus, ego autẽ hic fame pereo! surgã & ibo ad patrẽ meũ*, &c. *In se*, inquit, *reuersus* Põderat hoc S. P. Chrysol. ser. 2. dicẽs: In se redit vt rediret ad patrẽ, qui à se recesserat, cũ recessit à Patre. ita ille. Sic à se recedit superbus, existimans se aliquid esse cũ nihil sit; at Deus ad seipsũ facit illũ redire flagellis, & plagis. Caueamus igitur superbiã humilitati adhærentes, nec similiter vapulemus à Deo. S. Petrus Chrysol.

Act. 2. *Rex Herodes Agrippa vestitus*, inquit, *veste Regia sedit pro Tribunali, & concionabatur ad eos* (Tyros scilicet & Sidonios:) *populus acclamabat Dei voces & non hominis, confestim autẽ percussit eũ Angelus Domini, eo quod nõ dedisset honorẽ Deo, & consumptus à vermibus expirauit.* hæc sacra historia, ad cuius maiorẽ explicationem audi, quid asserat Ioseph. lib. 19. antiquitatũ c. 7. Herodes Agrippa die quodã in theatrũ processit amictus veste ex argẽto mirabili contexta, quæ radiis exorientis solis percussa spectatoribus honorẽ veneratione mixtũ incuteret, mox adulatores acclamãtes Deũ consalutantes rogabant vt faueret propitius; hactenus enim vt hominẽ reueritos, nũc agnoscere & fateri quiddã natura mortali sublimius: quam impiã adulationem cum nec castigasset nec repulisset, diuinam sensit vindictam: & cum grauissimis doloribus cruciaretur, conuersis in amicos adulatores oculis: *En ego ille*, inquit, *vestra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor, fatali necessitate vestrum arguente mendacium, & quem mortalem salutastis, ad mortem rapior.* ita ille. Ioseph.

S. Greg 8. Mor. 6. cum virtutum opera eleuant, adiutrix aduersitas desideratur. ita ille. quod ex illis verbis confirmat Iob. 7. *Si dormiero dicam, quãdo consurgam, & rursum expectabo vesperam.* vbi per vesperam aduersitatem intelligens ait: *nequaquam vesperam formidabo, sed expectabo*; expectamus enim prospera, formidamus aduersa, vir igitur sanctus vesperam expectat, quia S. Greg.

cum

enim exerceri hunc tribulatione necesse sit, ipsa ei sit aduersitas prospera. ita ille.

PROPOSITIO VII.

Quòd magna sit Dei prouidentia tam in rebus prosperis quàm in aduersis & tribulationibus.

Simile.

SVnt imagines quædam quas pictores eo artificio figurant, vt quocumque te verteris iotétis oculis te aspiciant & sequátur. Sic igitur Dei prævidentiam & prouidentiá imaginare; cuncta enim respicit, omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ideo Dauid ps. 138. *quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* vbi non solùm esse in Deo omnium rerum euidentiam, sed etiam prouidentiam denotatur. Ideo ait, *manus tua deducet me.*

Tertul.

Hinc Tertul. lib. de pænitentia: Deus in omnia sufficit, nec potest esse suæ perspicaciæ præuaricator. ita ille. ac si dicat: Non potest esse suæ visionis præuaricator, vt scilicet videat & nó prouideat; si enim quid facere oporteret in rerú guberoatione prospiceret, & tamen non prouideret, suæ cognitionis præuaricator iudicaretur. Ideo idẽ Tertul. lib. 2. contra Marci. ait: Bonitas Dei operata est mundum, iustitia modulata est. ita ille. hoc est quasi modos faciendi, & leges gubernatione & prouidentia sua dignas præscripsit.

Gen. 28. 12. & 13.

Gen. 28. sic scriptura sacra de Iacob: *Vidit in sõnis scalam stantem super terrã, & cacumen illius tangens cœlũ, Angelos quoque Dei ascendẽtes, & descẽdentes per eam, & Dominum innixũ scalæ.* Hebr. *& Dominus stabat iuxta eã.* Septuaginta, *& Dominus incumbebat super eam.*

Theod.

Theod. & alij plures de prouidentia Dei locum hunc interpretatur, quæ à supremis cœlorú vsq; ad inferiorem terræ partẽ pertingit, iuxta id sap 8. *sapiẽtia* (scilicet Dei) *attingit à fine vsque ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter.*

S. Bernard.

quo pacto S. Bern. lib. de gratia & libero arbitrio, *à fine vsq; ad finem,* id est à cœlis vsque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo vsque ad infimum vermiculum. Et secundò *à fine vsque ad finem,* id est ab ortu creaturæ, siue in quem vrget natura, siue quem accelerat causa, siue quem concedit gratia; attingit autem fortiter, dum nihil horum euenit, quod non prout vult, potenti præordinet prouidentia. ita S. Bernard.

Denique tanta est circa res nostras Dei prouidẽtia, vt dixerit ipse Mat. 6. *vestri capilli capitis omnes numerati sũt.* Quid capillis abiectius, quos in sterquilinú abscissos mittimus, & tamen hos numeratos habere Dominus ait? quæ auté seruare cupimus, ait S. Ambr. in numerato habemus.

Hæc igitur nobis cõsolatio sit in aduersis, quod si capillus de capite nec peribit, nec cadet sinè prouidẽtia Dei, quãto maior erit (vt more nostro loquamur) eius prouidẽtia actualis circa maiora? non peribit pecunia, nec salus, nec honor, nec vita nostra, absque speciali Dei prouidentia; hoc autem ex parte nostra prouideamus, ne prouidentia Dei ob demerita nostra in caput nostrum cedat.

Amos. 3.

Amos. 3. *Si erit malũ in ciuitate quod Dominus nõ fecerit.* quasi dicat *no succede mal que no venga registrado por la prouidencia de Dios.* S. Hier. in hũ locum, *malum,* inquit, id est pæna quæ malum videtur his qui eam sustinent. ita ille. pæna quippe, vt

S. Dionys.

ait S. Dionys. non est malum, sed fieri pæna dignum. ita ille. huiusmodi ergo malum pænæ à Deo est vel effectiuè vel permissiuè.

Hinc est quod à nobis æquo animo & patienter ferendum sit, quidquid euenerit aduersum, vel eo solum, quòd à Deo sic nobis proueniat.

Ægrotabat Rex Ezechias morbo adeo graui, vt diceret (Isai. 38.) *quasi leo sic contriuit omnia ossa mea*, id est, morbi & doloris vis, vsque ad omnia ossa mea penetrauit. Sed quonam pacto id tulerit, audi; quid dicam (inquit) cú ipse fecerit?

S. Hieron.

S. Hier. ita explicat verba ista, quid dicam? quidve causabor contra factorem meum? aut quid mihi respondebit, qui fecit ipse quod voluit? Sustinenda ergo sunt quæcumque decreuit Deus. ita ille. hæc igitur nobis magna consolatio sit vrgente pæna quantumuis graui, *porque de tan buena mano que nos puede venir que no sea buen dado:* quantumuis flagellet Pater est. ait Tertul.

Tertul.

In morbũ grauem incidisti, aut in mari magna suborta tempestate opes submersæ sunt, aut grãdine aut alia de causa fructus terræ tuæ perierũt, vel filius qui lumen oculorũ tuorũ erat mortuus est? tu oculos in cœlos mitte. & à Deo ista prouenire agnoscens, non solũ patienter sed gratiarũ actione dic cũ S. Iob. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factũ est. Sit nomen Domini benedictum.* O quàm grata Deo fuit hæc patientia Iobi! ô quàm grata erit & tua! caue, ne occasionẽ talis diuinæ laudationis amittas, vt ad prosperitatem tibi aduersitas sit, vti fuit sancto Iob.

Hinc est quòd in sacris litteris qui alios persequũtur, vocari solent virga furoris Dei: vt cõstat Isai 10. n. 5. quod ita expendit

S. August.

S. Aug. in ps. 73. dicens: facit hoc enim Deus, quod plerumque facit & homo; nam aliquando iratus homo apprehẽdit virgam in medio iacentẽ siue sarmentum, quo cędit filium suum, ac deinde proiicit sarmentum in ignem, & filio seruat hereditatem: sic aliquando Deus per malos erudit bonos. ita S. Aug.

Vnde Dauid ps. 16. sic Deum deprecabatur: *Eripe animã meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* quod ex Originali Hebræo sic vertit

S. Hieron.

S. Hier. *salua animã meam ab impio qui est gladius tuus.* & trãslatio Regia sic, *erue animã meam ab impio gladio tuo*; gladiũ Dei vocans persequutorem, quia vim & potẽtiã quã persequutor aduersus eũ adhibebat, minimè adhiberet nisi Dei permissione, & quanta etiá tolerantia huiusmodi persequutiones ideo ferret ps. 38. explicuit, dicẽs, *Opprobriũ insipienti dedisti me, obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amoue à me plagas tuas.* non dixit plagas inimici, sed Dei, eadem ratione & ideo ad Deum cucurrit pro liberatione sua. vbi S. Aug. non legit *plagas tuas,* sed *flagella tua.*

Hinc Christus Dominus ad Petrũ gladio ferientem aduersarios in horto dixit: *Calicẽ quem dedit mihi pater, non vis vt bibã illum? conuerte gladium in vaginam, &c.* Passionem suam illatam ab hostibus calicem patris vocat, quia à Patre decretum erat vt sic pateretur filius, & ideo non recusauit calicẽ perquàm amarum bibere; eo quod amantissimus Pater illũ temperasset. Et eadem ratione Ioan. 19. Pilato dicenti, *nescis quia potestatem habeo crucifigere te,* respondit, *non haberes potestatem aduersus me nisi tibi datum esset desuper.*

Eadem etiam de causa 1. Reg. diabolus qui inuasit Saulẽ dicitur spiritus Dei malus; si malus quomodo Dei? si Dei, quomodo malus? quomodo Dei & malus?

S. Greg.

S. Greg. 18. Mor. 13. sic locum hunc expungit: Spiritus malus dicitur propter nequissimã eius voluntatem, & idem ipse dicitur spiritus Dei propter acceptam à Deo potestatem. ita S. Greg.

Quare rectè expendit S. August. in Ps. 31. verba S. Iob c. 1. dicetis: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. non dixit, ait S. August. *Dominus dedit*, & *diabolus abstulit*: sic tu ad Deum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid faciet nisi permittat ille qui desuper habet potestatem. ita S. August. Dic igitur & tu cum tribularis: *calicem quem mihi dat pater meus non bibam?*

S. Aug.

Propositio VIII.

In tribulationes remedium oratio est adhibenda.

Genes. 9.

GEnes. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Deleuerat Deus aquis diluuij omnia viuentia, præter domum Noë. quo & pariter sacrificio ipsius Noë placatus Dominus, pactum pacis iniuit cum Noë, & in signum fœderis huius posuit in nubibus cœli iridem, seu arcum illum. Sed quam ob causam arcum cœli in signum istud dedit? Alcuinus in hūc locum, Arcus (datus in signum securitatis) in cœlo positus est, vt ab omnibus videri posset, & vt pro quacumque tribulatione ad eum attollamus oculos cordis, qui habitat in cœlis. ita ille. Apposuisse igitur arcum pacis in altum, idem videtur fuisse ac dicere Deum: Cum vos in aliqua tribulatione constitutos videritis, oculos in altum tollite, & à Deo pacem & auxilium postulate. Inde quippe solidum & constans remedium potiùs quàm ex creaturis expectandum est; & quidem non mirum, si sæpe multis adhibitis humanis remediis, optatis non fruamur, quia in eis spem nostram collocamus.

Propositio IX.

Tribulationes in bonum nostrum permittuntur à Deo.

GEnes. 9. *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Quis non miretur arcum signum pacis designare? arcus enim belli, & non pacis instrumentum est. S. Ambros. lib. de Noë & arca c. 17. Arcus, inquit, instrumentum iaculandæ sagittæ est, itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta, & ideo Dominus in nubibus; arcum magis quàm sagittam ponit; id est, non id quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium. ita S. Ambros. id ipsum ego de tribulationibus dicam. arcus enim sunt non sagittæ, minatur illis nos Deus, non ferit, &c. nostrum est his terroribus emendari si nolumus arcum in sagittam commutari.

S. Ambros.

Genes. 15. dum Abraham sacrificium offerret Deo, *sopor*, inquit scriptura, *irruit super Abraham & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* Vbi secundùm originale Hebræum loco illius dictionis *sopor* ponitur hæc dictio Hebræa *tardema*, id est extasis, & in extasi horror magnus ille inuasit eū. Cur ita? audi quid sequitur, dictum est ad eum: *scito prænoscens quod peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua, & subycient eos seruituti & affligent quadringentis annis* Ecce causam horroris magni Abrahæ, exitus actum probauit, & hoc quidem est quod maximè torquere nos solet, videntes filios Abrahæ, filios inquam fideles, & maximè viros iustos & sanctos maioribus aduersitatibus vexari, quàm impios & peccatores, sed vt horror & admiratio ista esset, audi quid in ista reuelatione sequatur: *veruntamen gentem cui seruituri sunt ego iudicabo*, & post hæc, *egredientur cum magna substantia.* vtrumq; probauit euentus, seruierunt hi filij Abrahæ in Ægypto Pharaoni, & afflictiones magnas sustinuerunt; sed tādem liberauit eos Dominus, & magnis diuitiis onusti exeūtes ex Ægypto in terram promissionis quæ cœlestis patriæ figura erat abierunt. Ecce diuinū symbolum & hyeroglyphicum filium Dei, in hac mundana Ægypto vexatur & tribulantur, sed tandē cum magna meritorū cœlestium substantia, in æternam gloriam pergunt. Sic locū hunc interpretatur Lyranus dicens: per hoc designabantur afflictiones & anxietates quas passuri erant filij Abrahæ, antequā obtinerent terrā promissionis, & quas oportet sustinere fideles, antequā veniant ad terrā viuentium, secundùm illud actor. 14. *per multas tribulationes oportet transire ad regnum.* ita ille. Cum igitur iusti se tribulari conspiciunt, oculos in altum tollentes, dicant: *Per varios casus, per tot discrimina rerum, Tendimus in cœlum*, &c.

Conatur hostis nobis suadere tribulationes ex ira & odio Dei nobis euenire, vt vel in desperationem aliquam incidamus, vel à Dei amore cadamus; vnde sub initium Iobi tribulationes ignis septē millia ouium quas habebat assumpsit, & statim nuntius (qui diabolus fuisse creditur) hoc ad Iobū: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues puerosq; consumpsit.* Cur ignem Dei vocauit & è cœlo venisse dixit, & nō simpliciter, *ignis oues deuorauit?* Respōdet S. Gregor. 2 Mor. 14. intuendū est quàm callidè dicitur ignis Dei, ac si apertiùs diceretur: Illius animaduersionē sustines, quem tot hostiis placare voluisti; illius toleras iram, cui quotidie seruiens insudabas, & ideo se frustra Deo seruisse æstimās, in creatoris iniuriā superbiret. ita S. Gregor. Animaduertant fraudem hanc dæmonis, qui tribulationes patiuntur, & se à Deo desertos esse verentur. Etenim à Deo, à prouidentia Dei, aduersa hæc eueniunt saltem permissiuè, sed in bonum nostrum, vt scilicet malus corrigatur, & bonus perficiatur, & altius coronetur.

S. Greg.

S. August. lib. sententiarum Prosperi, profectus fidelium sine tentatione non prouenit, nec sibi quisquam innotescit nisi probationis examine, nec coronabitur nisi vicerit: quis autem certat nisi habens inimicum? ita ille.

S. August.

Propositio X.

Quanti faciat Deus, nos aliquid pati pro ipso.

MAt. 2. *Herodes occidit omnes pueros qui erant in Bethlehē & in omnibus finibus eius.* Et hinc ortum habuit celebritas & festum sanctorum Innocentium. Pro quo consideranda est consideratio S. Bern. ser. in natali sanctor. Innocent. dicētis: Vtili dispensatione triplex solemnitas natale Domini comitatur nēpe S. Steph. S. Io. & Innocentium; siquidē aduertere est in his tribus solēnitatibus triplicē quandā speciem sanctitatis; habemus in S. Stephano martyrij simul voluntatem & opus; habemus in B. Ioanne solam martyrij voluntatem, & in beatis Innocentibus solum opus. Biberunt hi omnes calicem salutaris aut corpore simul, & spiritu; aut solo spiritu, aut corpore solo, its S. Bern. Nunc ad rem. Solent Reges cum in publicum exeunt iuxta se circumferre proceres, & maximè primarios viros se comitantes. Exiuit in in publicum Christus Dominus in die natiuitatis suæ & tanquam Dominus maiestatis, in festo natalis sui magnates comites habet S. Stephanū 1. loco, 2. verò sanctum Ioannem, 3. sanctos Innocētes; quorū festa ita solēnia sunt vt nō solū intra octauas natalis Domini celebrentur, sed etiā cum octauis.

S. Bern.

octanis. Mirum quòd ita coràs sole orto luceant, & ideo fulgeant stellæ. Cur ita? nimirù, quia, vti notauit S. Ber in his tribus eorũ celebratur festiuitas, qui pro Deo passi sunt secundùm omnẽ patiendi modũ & secundùm patiendi gradũ, amplius enim est voluntate & opere pro Deo pati, quã volũtate sola, aut opere solo, & amplius voluntate sola, quã opere solo sic pati. Quare non sine diuino cõsilio primum locũ prope Regem maiestatis sortitus est S. Stephan. secundũ verò S. Ioan. tertiũ Innocẽtes fœlices Sed hoc mirandũ magis, quod sic honorari voluerit Deus innocentes infantes, qui nullam patiendi pro Christo formalẽ habuerunt volũtatẽ, sed materiale solum opus. At in hoc resplẽdet quanti faciat Deus eos, qui pro eo aliquid patiuntur; siquidem tanti fecit materialem illam Innocentium passionem, quantum inquam apud eum valebit voluntariè difficilia pro ipso ferre. — S.Bern.

Videndus est S. Chrysost. io id ad Ephes. 4. *Ego vinctus in Domino.* vbi mirè ponderat, quàm eximia res sit pro Deo tribulationes pati. — S.Chrys.

2. Cor. 4. *momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Ponderat S. Bern. ser. 17. in ps. *qui habitat*, verba illa, *operatur in nobis*, dicens: Non dixit *remunerabitur*, sed *æternũ gloriæ pondus operatur in nobis*, in momẽto hoc latet æternitas, vt in hoc leui pondere pondus sublime & supra modũ. ita ille. Etenim qui alnearium habet, in quo abundans producitur fauus, licet aliquãdo apes eum aculeis feriant, patienter illas suffert, quia fauus dulcissimos apes operantur in alueario eius. sic si tribulatio æternũ gloriæ põdus opera ur in nobis quãtũis aculeo suo nos feriat, cur nõ patiẽter toleram? — S.Bern.

Habet autẽ duplicem sensum cõsiderationem dignũ, sententia hæc Pauli. Primus est quòd *momentaneum est & leue tribulationis nostræ*, hoc est omnis tribulatio mundi huius leuis & momentanea est, si æternis inferorũ pœnis cõparetur, & tamẽ æternum gloriæ pondus, *&c.* ita quidẽ, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriã quæ reuelabitur in nobis & nos in paucis vexati facilè deficimus, quia quidẽ pondus præmij põderate nescimus. secũdò sensus est non solũ quod graue & diuturnum est tribulationis nostræ, sed quod in ea leue ac momentaneũ est, æternũ gloriæ põdus operatur in nobis. Quod hac similitudine ostendo: Aurifex qui aurũ ponderat, attentè respicit vt lanx nullo modo magis ad vnã quàm ad aliã partem declinet; quoduis enim auri pondus magni momenti est. Sic apud Deum tanti momenti est, exigua tribulationis nostræ pars, vt quod in ea momentaneum est & leue, æternæ gloriæ pondus operetur in nobis; non igitur queri debemus cum tribulamur, sed potius quærere quomodo pro Domino tribulemur. — Simile.

S. Ambr. lib. 1. off. c. 41. de S. Laurent. agens inquit: Cum videret Xistum Pontificem summũ ad martyrium duci, flere cœpit non passionem illius, sed remansionẽ suam itaque his verbis dicere cœpit. *Quò progrederis sine filio Pater, quò sacerdos sancte sine Diacono properas, num degenerem me probasti?* Ita S. Ambr. Ponderans hæc verba S. Aug. tractatu. 27. in Ioannem ad finem addit, respõdisse S. Xistum, *noli mærere fili post triduum me sequeris*, ò consolatio (inquit S. Aug.) non ait, noli mærere fili, desinet persequutio & saluus eris: sed noli mærere, quò ego præcedo, tu sequeris; nec consequutio tua differtur, triduum solum medium erit. ita ille. Ecce quid de acerba illa passione censebat, qui desertionem suam dicebat illa carere, cũ carneis oculis ipsa passio desertio & infœlicitas esse videatur. ò verè quoque admirabilis illa cõsolatio, noli mærere, post triduum me sequeris maiora tormenta subiturus, quis vnquam cruciatus illos acerbissimos S. Laurentij consolationem existimasset? & quidem pro consolatione magna responsum illud S. Laurentius suscepit, quia pro Dei amore passurus erat; pati autem pro nomine & amore Domini felicius est, quàm totius orbis dominatione potiri. — S.Ambros. / S. August.

Propositio XI.

Tribulatio manifestat qualis quisque sit.

ECcl. 27. *vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Vbi duo notanda sũt. Primum est tribulationis ignẽ esse qui examinat homines, quod in metallis maximè constat; quia sicut ignis manifestat aurum & argentũ, an pura metalla sint, an verò mixtũ habeat peregrinũ metallum, scoriam, vel alias metallorum sordes; sic tribulatio probat an iustus quis & bonus sit, vel nõ. Secundò obserua homines in sacris litteris vasa vocari, vt hic & ad Rom. 9. cur ita? Inter alia placet dictum Plutarchi lib. de discretione adulatoris & amici, quia sicut vasa sic pulsu tribulationis solet tentari homo, quem tinnitum scilicet reddãt, facta ne an integra sint, plena aut vacua; sic tentauit Deus Iobum, & sanum hunc reddidit. *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Tentauit etiam Abraham & vas plenum obedientiæ, & charitatis in Deum ostendit pulsatione illa grauis tentationis: Genes. 22. — Eccl. 27. 6. / Rom. 9. 21 / Plutarch. / Simile.

Econuerso tactu isto mali malitiam suam produnt ps. 103. de superbis, quo eos sic Deus tangit, *qui tangit montes & fumigant*, id est tãgit superbos (qui montes sæculi huius sunt) tactu alicuius aduersitatis, *& fumigant*, id est fumũ impatientiæ & malitiæ emittunt. Sic igitur vas figuli probat fornax, an scilicet fractũ vel integrũ sit, sic homines. — Psal. 103. 32.

Propositio XII.

Deus nobis immittit tribulationes, vt æternorum tormentorum timorem incutiat.

PS. 59. agens Dauid de tribulationibus magnis, quas passi fuerũt filij Israel à Philisteis, & aliis pluribus inimicis, sic ad Deum: *Ostendisti*, inquit, *populo tuo dura, potasti nos vino compũctionis*. Quid ais Propheta sancte? *ostendisti* ais, cur non magis vexatum & grauissimis calamitatibus affectum populum dicis? Cardinalis Bellarminus sic respõdet: In verbo, *ostendisti*, insinuatur benignitas Dei, qui tribulationes nobis non tam immittit, quam ostendit, vt terreat & non vt noceat; multo enim sunt minores quàm hominibus videantur, & ideo Apost. ait 2. Cor. 4. *momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ.* ita ille. Sed ad rem, ideo *ostendisti populo tuo dura*; hoc est his temporalibus aduersitatibus ostendere nobis voluisti dura, pœnas scilicet & tormenta infernorum, vel per hæc tormenta vitæ huius quæ nobis dura videntur, & non sunt dura licet sic appareant; ostendisti tuis quam dura & intolerabilia sint æterna tormenta, ea pœna quippe quæ affligimur dum in hoc mũdo tribulamur, deuenire possumus in cognitionẽ tormẽtorum alterius mũdi. vnde illius subdit psalmista: *Dedisti metuentibus te significationẽ vt fugiant à facie arcus.* Arcũ vocat iudicium Dei, sic explicat locum — Psal. 59. / Bellarm.

Idem. locum Bellarminus dicens, cum Deus aduersis rebus purgat electos, significat illis vt à temporali sua tribulatione admoniti, intelligant quæ supplicia maneant impios, & ita piè & iustè viuentes fugiant à facie arcus diuini iudicij qui extensus nunc manet. Sed in die nouissimo tanto impetu laxabitur, vt impios in æternum perdat. ita ille. Ita S. Aug. dicens; Dedisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus, dum per tribulationes temporales significasti illis qui te metuũt S. August. Glossa ordinaria. fugere ab ira ignis sempiterni. ita S. Aug. & glossa.

S. Greg. Et optimè S. Greg. 19. Mor. 38. vbi peccatum, inquit, dies extremi iudicij designatur, sicut per psalmistam dicitur, *ostendisti populo tuo dura, dedisti metuentibus te significationem vt fugiant a facie arcus*; in arcu enim quantò longiùs trahitur corda, tãtò ex eo districtior exit sagitta. Sic nimirũ dies iudicij extremi, quantò longè differtur vt veniat, tãtò de illo cum venerit districtior sententia procedet. *Ostendisti* ergo, ait, *populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis, dedisti metuentibus te significationẽ vt fugiant*. Ac si diceret: hoc tẽpus misericordiæ est, illud iudicij erit. Per ista ergo huius tẽporis flagella significas, quomodo tunc percussurus es, quãdo non parcens iudicabis, qui sic districtè percutis quãdo parcis. ita S. Greg. Similiter si vix pati possumus momentaneas istas & leues tribulationes, quomodo pati poterimus intolerabiles illas, & sẽpiternas inferni pœnas? sic ostendit nobis dura Deus, sicque significat per hæc dura, quæ tantummodo dura sunt secundùm ostensionem & apparentiam, quam dura futura sunt æterna tormenta, vt ita ab eis fugiamus; qui enim vnius diei febrem pati non potest, quomodo ferre poterit ignem æternum inferni?

PROPOSITIO XIII.

Corda nostra à peccatis purificat tribulatio,

Osee 5.10 OSee 5. sic Dominus ad populũ suum: *Effundam sicut aquam iram meam*. Cur *sicut aquã*, &
Rupert. non sicut *grandinem* vel *ignem*? Rupertus ibi, quia sicut aqua mundare solet sordes, sic illa captiuitas (de qua ibi loquitur Oseas) mundauit populi peccata. ita Rupert. Tu quidem forte censes ignem esse comburentem tribulationem tuam, quasi te Deus perdere & consumere velit, & tamen nihil minus; aqua enim est, qua te à maculis animæ tuæ lauare intendit, & à peccatis auertere.

Et hinc est quod non solùm peccatores, sed etiã iusti sæpe tribulantur, septies in die solet cadere iustus in peccata venialia, & misericors Deus eos in hac vita punit, ne opus sit in altera vita eos
Psal. 98.8. igne purgatorij purgare. vnde Ps. 98. loquẽs Dauid de Moyse, Aarone & Samuele ait: *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eo-*
S. August. *rum*, &c. vbi S. Aug. ponderat illa duo verba, *propitius & vlciscens*: & merito; si enim Deus de eorum peccatis vltionem sumebat, quomodo ait Deum illis propitium fuisse? ait igitur S. Aug. quia etiam vindicans peccata propitius fuit eis, non solùm donans, sed etiam vindicans adinuentiones eorum. Videte fratres mei, illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. ita S. Aug.

Similiter ps. 94. vbi breuiarium Romanũ legit *quadraginta annis proximus fui generationi huic*; editio vulgata habet, *quadraginta annis offensus fui generationi illi*, &c. Quomodo, inquies, stare simul hæc duo possunt, *proximus fui & offensus fui*? ita quidem, nam offensio illa siue punitio fauorabilis & misericors fuit, vt scilicet à peccatis eos liberaret. Puniens igitur Deus populo suo appropinquabat & fauebat.

Hinc etiam Ezechiel 16. sic Deus ad Hierusalem: *Iam non irascar tibi: Zelus meus recessit à te*, Ezech. 16.
&c. vbi S. Hieron. non erudit Pater, nisi quem S. Hier.
amat; non corripit magister nisi quem ardentioris cernit ingenij; medicus, cum cessauerit curare, desperat: magna ira inest quando peccantibus non irascitur Deus. ita S. Hieron.

Vnde etiam Psal 59. *iratus est* (scilicet Deus) Ps. 59.3.
& misertus est nobis) Psal. 19. vbi Theophyl. id est, quia misertus est nobis, ita ille quasi dicat. Punitio diuina ex diuina oritur misericordia. Hine
S. Gregor. Nazian. oratione de plaga grandinis, Nazianz.
paternæ beneuolentiæ argumentum est obiurgatio: contra verò omnis anima quæ admonitionis expers fit. ita Nazianzen. Etenim omnis curatio dolorem seu amaritudinem secum affert, sed salus talem dolorem seu amaritudinem comitatur.

Ioan. 1. sic Ioannes Baptista clamabat, Christum digito demonstrans: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ponderans verba hæc S. Bern. ser. 6. de aduentu Domini ait: Non dicit qui tollit morbos corporis vel molestias carnis, sed qui tollit peccatum, quod est animæ morbus, corporis verò curã illi tempori magis reseruemus, & referamus in illum diem quo reformandi corporis gratia venturus est; sicut Apostolus meminit, dicens: Saluatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ cõfiguratũ corpori claritatis suę. ita ille.

At dices: Cur non etiã in priori aduentu reformauit Christus etiã corpus humilitatis nostræ, sicut animam reformauit? Cur sicut infirmitates & mala animę, nõ etiã abstulit mala corporis & miserias vitæ huius? nonne miseriæ istæ ex peccato prouenere? Cur igitur cessante causa, nõ cessãt effectus? nimirũ quia mala ista, quę nos hîc premũt, ad Deum ire compellunt, & remedia quędam peccatorum sunt. Sicut enim si quis ramis ex arbore procedentibus arborem ipsam combureret: sic Deus pœnis ex peccato obortis peccatum è medio tollit. Quod experientia ipsa constat, multi enim peccatores laboribus fracti vitã in melius cõmutarunt, & timorem in posterũ peccãdi cõceperũt.

Hinc illorũ insania colligi potest, qui laboribus à Deo missis vt corrigantur remedia laborum tantũ solicitè adhibere curãt, & de peccatorum sanatione nec recordantur, cum Deus labores illos in peccatorum medelam immittat, qui similes in hoc Samueli sunt, qui à Domino vocatus, ad Heli recurrebat ignorans se à Domino vocari. Vocat Dominus per flagella peccatores ad pœnitentiam, & ipsi ad remedia flagellorum accurrunt. Quod in Ægyptiis factum videmus, in sanguinem quippe aquas eorũ conuertit Deus, vt eos ad se traheret, illi verò, relicto Deo, ad remediũ aquæ se conuerterunt, fodientes per ripas fluminis, vt aquam non mixtã sanguine reperirẽt. Sic cũ in honore superbũ Deus punit, superbus ad vindictã properat, si in pecunia ad quęstũ, si in salute ad medicũ, &c. *eso es no entẽder a Dios ni saberse aprouechar de sus castigos.*

PROPOSITIO XIV.

Quod Deus licet inuocetur in tribulationibus, non exaudiat nisi tempore opportuno.

PSal. 9. *Factus est Dominus refugium pauperi, ad-* Psal. 9.10.
iutor in opportunitatibus, in tribulatione. Adueísa multa patiebatur Dauid, sciens autẽ Deũ piè inuocatũ fauere tribulatis ad eũ accurrebat, non tamen sẽper statim exaudiebatur. Fatetur tamen se tãdem exauditum

exauditū fuisse, sed quare non statim? huic tacitæ obiectioni respōdet, *adiutor est in opportunitatibus*, quid est, *in opportunitatibus*? Sanct. Basil. in scholiis: hoc est in tempore tempestiuo adiuuat; opportunitatem duplicem dicit, quod & adiuuet & in tempore. ita ille Quare si inuocatus à te moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit: sicut non tardat medicus dare aquam ægroto sitienti & postulanti eam, cum expectat febris declinationem, quia antea non erat tempus opportunum. Sic Deus Vnde meritò addit ibi Dauid: *& sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Quodnam est hoc nomen propter quod sperare in Deo debeamus? iam supra proximè dixerat, adiutor in opportunitatibus, qui talem esse Dominum nouerunt; quomodo non cum spe magna exauditionis deprecabuntur? sic Sanct. Basil. ibi, qui nouerunt, inquit, subsidium & auxilium tuum Domine, satis validam habent anchoram, spem videlicet in te fundatam. ita Sanct. Basil. Denique, ait, *non est oblitus clamorem pauperum.* vbi Sanct. Basil. significat pauperes clamasse assiduè, & non esse factos mox initio voti compotes. ita ille. non tamen ideo oblitum Deum, sed congruum expectare tempus auxilij.

S. Basil.

Simile.

Idem.

Propositio XV.

In aduersis Deus Pater propter Christum adiuuat infirmitatem nostram.

MAtth. 17. & Marci 14. Christus Dominus passioni proximus *cæpit pauere & tædere*, & ita mæstus fuit, vt diceret, *tristis est anima mea vsque ad mortem.* Miratur hîc Sanct. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone cap 6. dicens: Quid est hoc Domine, contristaris ne & verè paues? gaudium contristatur? fortitudo pauet? virtus timet? Christianæ militiæ dux, Dominus exercituum tu es, & præliari formidas? Vellem Domine pauoris huius nosse mysterium, non enim militibus tuis inferiorem te iudico, illos agnosco vicisse regna, imperia superasse, supplicia tolerasse, mortem ipsam nequaquam formidasse; illos video oblatas diuitias & honores contemnere, voluptates calcare, carceres appetere, tortores prouocare, & illatis iniuriis similiter gaudere; audiuimus, nouimus, confitemur & quidem à te Domine Iesu per tuos fideles hæc facta sunt, diuinam in sanctis tuis gratiam tuam commendamus, in te autem naturam humanam prædicamus; in martyribus miraculum, in te autem dicimus documentum. ita Sanct. Laurent. Iustin. qui vt veram in se ostenderet Christus humanitatis naturam, sic timere voluisse ait. Sed quodnam sit illud documentum, quod tetigit sanctus, prosequamur, & mysterium inquiramus.

S. Laurent. Iustin.

Sanct. Bernard. ser. 1. de Sanct. Andrea, sic inter alia: In duce belli pusillanimorum trepidationem audio, sed considero charitatem & stupeo miserationem; quid magnum fuerat Domine Iesu, si accedente hora propter quam veneras intrepidus stares, tamquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam? an non longè gloriosus fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non solùm passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret, & quos viuificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos & mæstitia lætos, & tædium alacres, & desolatio consolatos & turbatio faceret quietos. ita Sanct. Bernard. Quid intendit idem sanctus, cum ait, *faceret*, &c quo, inquies, modo Christus sua tribulatione nos fecit robustos, &c. fecit quidem meritorie; sicut enim passione sua nobis promeruit redemptionem, sic etiam tristitia sua & pauore suo meruit nobis, vt viriliter & hilariter tribulationes & persequutiones & aduersa, imò & tormenta toleremus prout in martyribus euenit sæpe, &c. Vnde Origen. hom. 4. in Iosue, in itinere viæ nostræ nos post Moysem suscipit Iesus (sicut olim Iosue) & ipse nobis efficitur itineris dux, & subdit: Tu verò tantarum taliumque virtutum Dei memor quòd tibi mare diuisum est, quòd Iordanis stetit, & conuersus ad ea dicens, *quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum?* respondebitque tibi sermo diuinus, *à facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* ita Origenes. Hinc sequitur quàm constanti animo labores & tribulationes expectare debeamus; habemus enim auxilium paratum à Deo propter merita Christi. Quod si ex conditione & fragilitate naturæ timor & tremor veniunt super nos, iure poterimus auxilium implorare diuinum, & dicere: *Domine salua nos perimus*, non secundùm peccata nostra facias nobis, sed secundùm merita Christi filij tui, & propter pauorem & mæstitiam eius adiuua nos, &c.

S. Bernard.

Idem.

Origen.

Vnde Iosue 3. *vt transire posset populus Israel Iordanē præcessit arca, & steterūt aquæ*, &c. & eo auxilio transiuit saluus Israel. in arca erat māna figura Christi, præcessit Christus in transitu torrentis passionis suæ & viam securam parauit nobis in tribulationibus nostris, &c. nobiscum enim est Christus vsque ad finem sæculi, nobiscum torrentes petransit.

Iosu. 3.

Voluit præterea Christus Dominus pauere ac tristari, vt doceret nos ad Patrem suo recurrere & orare in tribulationibus nostris, sicut ipse fecit. Explicatio est Sanct. August. super Psal. 10., dicentis: Infirmorum voluit Christus Dominus personam suscipere in passione sua, dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortē.* & iterum: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Sic docuit, quid esset dicturus infirmus, & quid facere deberet, addens, *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* ita Sanct. August. quem etiam vide epist. 120. ad Honoratum,

S. August.

Præcessit huius rei præclara figura Genes. 2. vbi cum Deus formare voluit mulierē, eam ex costa Adæ extraxit, *& repleuit carnem pro ea, quam Adæ in vxorem dedit*; etenim ad matrimonium illud, respiciens Paulus ait ad Ephes. 5 *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Cur igitur ex osse illo costæ, & non ex carne vxorem Adæ formauit? Sanct. August. tractatu 15. in Ioannem, sic respondet: De costa Adæ dormientis, facta est ei vxor; quoniam de Christo in cruce dormiente etat fienda Ecclesia. Sed quære hoc? quia infirmitas Christi nos fortes facit; potuit Deus de carne detrahere homini vnde faceret fœminam & magis videtur, quasi congruere potuisse, fiebat enim infirmior sexus, & tamen non detraxit carnem, sed os; potent quoque pro osse reddere os, sed in locum ossis caro adimpleta est; quid igitur significauit? Facta est mulier in costa tamquam fortis & factus est in carne Adam tamquam infirmus Christus & Ecclesia, illius infirmitas nostra est fortitudo? ita Sanctus Augu-

Gen. 2.

ſtinus. facta, inquit, tum ratione exempli, tum ratione meriti. vt dictum eſt.

Pſal. 92. *mirabiles*, ait Dauid, *elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* vbi Sanct. Auguſt. non ergo terreamur. quod mirabiles ſint perſequutiones, quia mirabilis in excelſis Dominus. ita ille.

Propositio XVI.

Quàm à Deo alienum eſt nos tribulationibus afficere.

GEneſ. 2. *immiſit Dominus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Quid neceſſe fuit ad tollendam coſtam immittere ſoporem illum Adæ? numquid ne dolorem aliquem ſentiret? at potuit facilè Deus abſque vllo dolore coſtam extrahere. Hugo Vict. Reſpondet Hugo Victorinus ibidem: hoc ideo factum eſt, ne ſi à vigilante auferret coſtam, videretur læſiſſe illum. Ita verò leuiter eam deſumpſit quod nec excitaret dormientem. ita ille. Vide igitur quàm à Deo alienum ſit nos tribulatione & aduerſitate vexare, vt nec apparenter voluerit dolore illo afficere Adamum.

Et quidem quotidie ſic ſe nobiſcum gerere videtur, nam cum miſericorditer punit, vel ad meritorum augmentum aduerſa mittit vel permittit; quaſi lapidem mittens manum abſcondit, dum per medias cauſas id præſtat, mediante ſole febrem inducit, caſu tegulæ illum vulnerat, alium leo interficit, alium hoſtis perſequitur, cum ſpecialis ad hæc prouidentia intercedat, &c.

Denique ſi peccatores punit, id veluti coactus facit; quia vt vulgo dicimus, *noſotros le ſacamos de ſus caſillas. Alienum* quippe eſt *hoc opus ab eo,* vti ait Eſaïas, *& peregrinum*, & *proprium ei eſt miſereri ſemper & parcere*, vt canit Eccleſia. Non denique vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat.

Gen. 19. Vnde Geneſ. 19. Iuſſit Dominus Loth cum educeret eum ex Sodoma *ne reſpiceret retro ipſe, nec vxor, nec reliqui, quicum Loth exibant.* Cur ita? quodnam inconueniens erat reſpicere retro? etenim inter alia ideo ne ſtragem illam videret, ſi ad fauorem aliquem diuinũ conuertendũ eſſet caput, non ita prohibuiſſet, quia ad ea in quibus Deus gloriatur, nos oculos conuertere gaudet; non ſic ad punitiones hominum, quia peregrinum eſt opus eius ab eo.

Propositio XVII.

Amor Dei leues facit labores noſtros quamuis magni ſint.

FAſciculus myrrha dilectus meus mihi. Hoc loco anima Iuſti Deum inferentem ſibi amaritudines laborum conſiderat. Cur igitur non *facem myrrha*, ſed *faſciculum* dicit? S. Bern. Sanct. Bernard. ſerm. 43. in cantica: Myrrha amara res, dura & aſpera tribulationum ſignificat, ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur confidens, ſe omnia viriliter ſubituram; propterea nõ faciem ſed faſciculum Myrrhæ dilectum dicit, quod pro amore ipſius ducat quidquid laboris immineat & doloris. ita ille. & in confirmatione adducit illud actor. 5. *Ibant apoſtoli gaudentes à conſpectu concily, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* non ait *patienter ferentes*, ſed *gaudentes*; quia vero & magno amore Chriſtum Dominum diligebant, ideo dicit *dilectus meus mihi.* ſic S. Bernard. id eſt, dilectus meus mihi, quem diligo, faſciculus eſt myrrhæ, & ideo dilectum nominat, monſtrans dilectionis vim omnem amaritudinem ſuperare, quia fortis eſt vt mors dilectio. ita ille. non diligenti Deum cuncta ſunt grauia. Idem.

Propositio XVIII.

Quòd mors à tribulationibus & miſeriis huius vita nos liberet Dei pietate.

GEneſ. 3. *emiſit Adam Dominus de paradiſo voluptatis vt operaretur terram.* Cur Dominus ex paradiſo eiecit hominem? peccauit, ita eſt, ſed non ſatis erat in pœnam gratiam & iuſtitiam originalem ab eo abſtuliſſe, & inſuper ad mortem eum damnaſſe? cur in aliquod ſaltem ſolatium pius Dominus non conceſſit illi in paradiſo remanere? Deus ipſe reſpondet: *Ne forte mittat manum ſuam, & de ligno vita comedat & viuat in æternum.* hoc eſt per longum tempus. Cur noluit hominem longam ducere vitam? Reſpondet optimè Rupert. Abbas in Geneſ. cap. 29. Quid Rupert. enim eſſet, ſi tunc miſer effectus Adam viueret niſi malum ei æternum? quid iam miſer factus, eſſet miſer æternus? melius quidem homini miſero eſt eſſe miſerum temporaliter: felicitatem perdidit diabolus, æternitatem verò non amiſit: & ſic eſt eius infelicitas æterna. Parcamus, ait Dominus, in hoc homini, & quia fælicitatem amiſit, æternitatem quoque præripiamus ab infelici, ne ſit eius infelicitas æterna. In magna ergo ita recordatus eſt Dominus miſericordiæ ſuæ magnæ, in hoc quod lignum vitæ non conceſſerit ei. ita Rupert. Merito quidem aſſeruit Sanct. Iob *homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis*; optimè coniunxit breuitatem vitæ cum miſeriarum repletione, tanta eſt miſeriarum noſtrarum abundantia, vt pius Dominus in hoc oſtenderit ſe pium, vt homo qui iuſtè patiebatur tot miſerias, cito vitam finiret, & cum morte à tot miſeriis & calamitatibus liberaretur.

Propositio XIX.

Tribulatio eſt via cæli.

GEneſ. 3. *collocauit Dominus ante paradiſum voluptatis Cherubin & flãmeum gladium, ad cuſtodiendam viam ligni vita.* Quænam Deum neceſſitas vrgebat ad huiuſmodi cuſtodiam? nonne facile Deo erat vel lignum vitæ tollere, ſed ſola voluntate cuſtodire viam illam? Rupert. Abbas Rupert. ſic reſpondet ſuper Geneſ. cap. 31. fide credimus & confitemur, quod per ignem tranſeuntes intraturi ſumus paradiſum. ita ille. Et rurſus ibidem: quia hoc colligimus niſi ad hoc flãmeum gladium ante paradiſum collocatum fuiſſe, vt quicumque admittendi ſunt in cœlo per examinatorium tranſeant ignem. ita ille. Pondera examinatorium ignem, ſicut Dauid aſſeruit. Pſalm. 16. *probaſti*

probasti cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Quod sic explicat Hugo de Sanct. Victore lib. sententiarum cap. 18. (Hug. Vict.) igne quippe tribulationis iustus examinatur, quia perfecta virtus aduersitate cognoscitur. ita ille. (Simile.) Sicut enim argumentis, & interrogationibus, examinantur docti in litterarum palæstra, sic virtute præditi in tribulationibus, & persequutionibus examinantur. nam sicut ait S. Gregorius (S. Greg.) pœna quippe interrogat, si quis Deum veraciter amat.

Propositio XX.

Quàm communis omnium fidelium sit tribulatio & crux.

GEnes. 6. sic Dominus ad Noe: *Fac tibi arcam, & sic facies eam, trecentum cubitorum erit longitudo arcæ.* Interlineatis & alij expositores asserunt arcam Noe Ecclesiæ Christi figuram esse: quid igitur numerus hîc trecentorum cubitorum denotat in longitudine Ecclesiæ Christi? (S. Isidor.) S. Isidor. in cap. 6. Genesis: Potest in trecentis cubitis crucis lignum ostendi, huius enim numeri littera, T. *Tau* crucis signum ostendit. ita S. Isidor. Igitur crux longitudinem occupat Ecclesiæ Christi, vt omnes sibi persuadeant Christiani vbicumque & in omni statu Ecclesiæ crucem se euitare non posse.

(Sap. 7.) Sapientis 7. sic Rex Salomon: *Et ego natus accepi communem aërem, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Habet emphasim vox illa, *Et*, quasi dicat: Et ego quamuis Rex magnus & gloriosus, statim cum natus fui, ploraui sicut cæteri homines cum nascuntur. Expendamus primò modum istum nascendi cunctorum hominum. Omnes in natiuitate sua lachrymantur & plorant. Cur ita? cum potius gaudere oporteret, eo quod ex angusto & tenebricoso carcere illo ventri matris, in lucem gratam & amplitudinem terræ oriantur. Cur ergo plorant? S. Hieronym. super c. 6. Ezechielis, Primo, inquit, vagitu laboriosa vitæ exordia testantur. ita ille. quasi dicat: Primus ille vagitus signum quoddam est futurarum vitæ miseriarum. (S. August.) Idem asserit Sanct. August. lib. 21. de ciuit. cap. 14. & S. Cyprian. lib. de de dono patientiæ, & S. Bernard. ser. 4. hebdomadæ pœnosæ, imò & Seneca lib. de consolatione ad Polibium. cap. 23. vbi ait: Nonne vides qualem vitam nobis promiserit natura, quæ primum omnem nascentium fletum esse voluit? ita ille. Quod non solùm in pauperibus & in his qui nascuntur in paleis, verum etiam in Regibus locum habet; & hoc quod Salomon Rex ait, *Et ego*, id est, & ego quoque primam vocem emisi, (Simile.) non ridens sed plorans, quamuis in Regia & inter sericeos ornatus & aureos natus sum. Vita quoque regum etiam est laboribus & aduersitatibus referta, respice coronæ Regiæ formam, multos lilij flores habet, sed inter lilium & lilium portlcum magnam videbis, *entre flor de lis y flor de lis tiene vn gran portillo, y alfin tan buenos gemidos salen del pecho cubierto de seda como del cubierto de sayal.*

Propositio XXI.

Nulla tribulatio absque Dei prouidentia cruciat.

(Amos. 3.) AMos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* quid hoc, quomodo bonus Dominus mala facere potest? Interlineatis, id est afflictio, quæ non iniusta sed patienti grauis & mala videtur. ita glossa; & Lyranus: Quod non fecerit, id est quod nõ ordinauerit Dominus fieri, vt de eius culpæ puniatur decore iustitiæ, quasi diceret, aliter non eueniret nisi Deus ita prouideret. Hinc est quòd omnes tribulationes patienter & æquo animo tolerare debeamus, tamquam à Dei prouidentia prouenientia.

(Gen. 22.) Genes. 22. Ligauit Abraham filium suum ad illum immolandum Deo, & filius non solùm non repugnauit, verum etiam postulauit à Patre ligari, ne resistere valeret etiamsi vellet; non hoc ex sacra Scriptura constat, affirmat tamen S. Chrysost. hom. 1. imperfecti dicens: (S. Chrys.) Isaac non restitit patri, cum eum occidere vellet, sed dixit: *Pater mi, liga mihi manus & pedes ne quando in impugnationem insurgam.* Quàm bonus filius, quàm parenti parens. Sic enim rem animo perpendit: Pater hic meus est bonus, iustus & diligens me, & Dei hanc esse voluntatem affirmat. Fiat igitur voluntas eius, magna quidem in Patrem fides & obedientia singularis: quod si de Patre purè humano sic confidit, non scilicet decipiendum se fore, cur nos cum à Deo, sicut dixi, tribulamur non maximè fidemus ei, & eius voluntati conformes erimus?

(Idem.) Considerat hoc loco vti supra S. Chrysost. obedientiam & conformitatem Christi Domini cum voluntate Patris dicens: Sicut Isaac parenti paruit, & non restitit cum eum occidere vellet, sic Christus non cõtradixit Patri, sed paratus respondit, *non mea, sed voluntas tua fiat.* Et sicut Isaac ligna portauit, vbi erat incendendus; sic & Christus lignum portauit vbi erat cruci figendus. ita ille. Si ergo apud te non prorsus valeat exemplum Isaac, valeat exemplum Christi Dei & Domini nostri, qui sic factus fuit Patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt sicut ille in tribulatione patris voluntati voluntatem suam conformauit, sic & tu in tribulatione tua quantumuis magna sit, tuam Deo voluntatem conformes; & sicut obstanti Petro dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum,* & iterum Mat. 19. *vade post me Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt:* tu igitur Satanam tibi reputa illum, qui executioni voluntatis Dei tibi obstaculum opponit.

Propositio XXII.

Tribulatio examen est sanctitatis.

(Matt. 8.) MAtth. 8. *Ascendẽte in nauiculã Christo sequuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Ponderat hîc S. Petrus Chrys. (S. Petrus Chrysol.) ser. 20. vehementiam huius tempestatis in nauiculam Christi, & ait: mare quod pedibus Christi tumentia terga submisit, & strauis in plano vortices suos, motus frænauit, astrinxit fluctus, & per liquentem viam soliditate saxea seruiuit; modò quid est quod vsque ad periculum nauis Christi (Simile.) sæuit? furit & contundit? & quid est quòd Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, vt instantem procellam, tempestatis horam, & tempus periculi non caueret? Hæc est ratio quam obiicit sanctus hîc. Sed respondet ipse dicens: Fratres gubernatoris peritiam non temperies serena, sed procellosa tempestas ostendit, blandiente aura nauem regit vltimus nauta: sed in confusione ventorum, primi quæritur ars magistri.

Hinc

Hinc est quod discipuli postes quam viderunt sibi industriam nauticorum deperisse, ad rerum omnium gubernatorem Christum confugiunt, dicentes: *Domine salua nos, perimus.* Denique vbi visio sola addixit mare, tolit turbines, quietem dedit, quo nauigantes ipsum esse fatentur autorem omnium rerum. ita ille. Sed iam ad rem, sicut Christus Dominos in eo se filium Dei esse manifestauit, quod tribulationem deuicit, sic se filium Dei homo demonstrat qui tribulationes superat; non quidem in eo quòd illas cessare faciat, sed in eo quòd patienter ferendo vincat, ibi dexteritatem, prudentiam, & omnimodam virtutem ostendit suam.

Propositio XXIII.

Quàm vtilis nobis tribulatio sit.

Iob.7. Sic de se S. Iob c.7. *si dormiero, dicam: Quando resurgam? & rursum expectabo vesperam.* Si optabat diei aduentum, quomodo optabat vesperam? opposita sibi hæc duo desideria videntur, etenim in sacris litteris frequens est per diem prosperitatem intelligi, per noctem verò seu vesperam tribulationem. Hoc supposito non mirum si Iob diem optabat, prosperitas enim res optabilis est: mirum verò quod vesperam, hoc est tribulationem desideraret, cum aduersitas res nociua sit nobis. Sed tamen S. Iob quia tribulationem, non vt nociuam, sed tamquam vtilem considerabat, vesperam sic optabat. Explicatio hæc Sancti Gregor. est dicentis 8. Mor.6. cum virtu-

S.Greg. tum prospera mentem eleuant, adiutrix aduersitas desideratur. Vnde *nequaquam formidabo vesperam*, dicitur, sed *expectabo*; expectamus enim prospera, formidamus aduersa: vir igitur sanctus vesperam expectabat, quia cum hunc exerceri tribulationibus necesse sit, ipsa ei sit aduersitas prospera. ita S. Gregor.

Propositio XXIV.

Dum tribulamur non consentiamus peccare,

S. Epiph. Sanct. Epiphanius in physiologo: Serpens si quando ab homine petitur, caput custodit, & & reliquum corporis exhibet. Debemus etiam nos tempore periculi, totum corpus morti concedere, caput autem custodire; hoc est Christum non deserere, sicut martyres Christi fecerunt: viri enim caput Christus est, sicut ait scriptura. ita ille. & ideo Christus Dominus eum de periculis Apostolorum ageret, sic ad eos Mat.10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes*, quasi dicat: Quis inter lupos in maximo periculo versatur, *fitis ergo prudentes sicut serpentes*; hoc est, sicut serpens omnes corporis partes periculo exponit dummodo caput seruet, quia in capite maximè vita eius consistit; sic & vos omnia proponite, vt animæ vitam seruetis, &c.

***

Propositio XXV.

Quàm familiaris & assidua homini sit tribulatio.

Matth.2. *obtulerunt Magi Domino aurū, thus, & myrrham.* Cur potius hæc quàm aliarum rerum pretiosarum dona? S.Leo Papa ser.2 Epiphaniæ: vt sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus quærunt, muneribus protestantur, thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi. ita ille. Etenim congruit Regi aurum, quia Reges ditissimi sunt; congruit etiam thus Deo, thus enim diuinis officiis dedicatum est. Sed cur Christo, quatenus homo est, offerunt myrrham? cur non argentum aut lapides pretiosos? siquidem his magis isti abundabant, Reges enim erant. Ratio in promptu est, nam myrrha species pretiosa quidem est, amara tamen valde; sic etiam homo pretiosa creatura est, amaritudinibus tamen referta. Rectè igitur ei conuenit myrrha quamuis Deus sit, cum vere homo etiam esset, quod & experientia confirmauit. S.Leo.

Propositio XXVI.

In tribulatione hilariter offerre debemus, quod Deus tollit à nobis, quia reddimus e i quod accepimus.

Genes.22. ita prompto animo Abraham offerebat Deo filium vt dixerit Origen. Abraham audito Dei mandato non deliberat, non detrectat, nec cum aliquo communicat consilium, sed statim occupat iter. ita Orig. huius autem promptitudinis rationem assignat S.August. ser.73. dicens: Deuotus pater Abraham eo voto suscepit mortem filij, quo susceperat ipsum filium: nec refert vtrùm impendat vel pendat, dum quouis modo quod acceperat Deo reddat. ita Sanct August. audiant quod aliquid à se dilectum amisit, siue filium, siue facultates, siue salutem, siue ipsam vitam; nam hæc tibi à Deo donata sunt, non absolutè, sed tamquam commodata pro tempore indeterminato, tollenda nempe à Deo quādo & quomodo voluerit ipse. Grato igitur animo illi redde omnia, sicut si gratis quis tibi domum habitandam accōmodaret pro tempore incerto, & post decem annos, v. g. eam à te repeteret, non ægre eam reddere debetes, sed gratias agens pro beneficio decem annorum; sic, &c. S. August. Simile.

Propositio XXVII.

Sapientis est in omnibus tribulationibus superiorem se ostendere.

Duo, inquit Nazianz. orat. 18. nequeunt superari, Deus nempe & animus sapientis, qui quidem in vincolis liber est, & in tribulationibus superior illis. Quod S Hieron. epist.103.c.1. in Platone obseruauit dicens: Plato dum litteras quasi toto orbe fugientes persequitur, captus à piratis & Tyranno venundatus, etiam crudelissimo Tyranno paruit; captiuus tamen seruus & vinctus, S.Hieron. Nazianz.

vinctus, quia sapiens maior emente se fuit. ita S. Hieronym.

Senec. Et Seneca epist. 105. sic de Socrate narrat: Non hilariorem quisquam, ucque tristiorem vidit, æqualis fuit in æqualitate fortunæ. ita ille. nimirum, quia inter sapientes facile princeps fuit, *que ni enmuerte le vieron trocar el color, ni en la prosperidad mas alegre que quando sin ella.* Quod si infideles humana sapientia præditi, sic fortes & constantes in tribulationibus extiterunt, quid sapientes Christianos non patienter saltem sustinere decet?

Plutarch. in morali. In magno fluctu non sistitur naois nisi pondus anchoræ retineat, alto infixæ vado; sic in magnis rerum procellis, summa ratio debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur. ita ille.

Propositio XXVIII.

Quòd sæpe magis nobis prosit aduersitas quàm prosperitas.

Omnes prosperitatem amant, salutem, diuitias, honorem, dignitatem, vitam, &c. aduersa verò abhorrent; vnde à Deo non aduersa sed prospera postulamus, & sæpe etiam nobis respondere posset Deus: *Nescitis, quid petatis, potest bibere calicem meum?*

Hinc Dauid Psal. 118. *Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque.* Quasi diceret: Scio te custodire illos, qui leges tuas custodiunt: ego statuo firmiter iustificationes, id est leges tuas custodire, tu ergo Domine non me derelinquas vsquequaque. Quid est *vsquequaque?* non ne satis erat dixisse, *tu Domine non derelinquas me?*

S. Ambrof. S. Ambros. super hunc Psalm. serm. 1. *vsquequaque* id est multum, non me derelinquas multum. Cur igitur hanc limitationem apposuit? Etenim Ps. 37. absolutè dixerat, *ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discedas à me*, cur igitur non idem modò?

Idem. S. Ambros. ser. 1. in Psal. 118. supra forte Dauid quasi adhuc imperfectus, & in magnis tribulationibus positus se derelinqui timebat. Hic autem iam fortior, non timet se relinqui ve tentetur, sed rogat ne penitus derelinquatur: plerumque enim Deus derelinquit quos vult probari, penitus autem derelinquit quos definit; dereliquit peoitus Iudam cui dixit, *quod facis, fac citius*: non autem sanctum Iob in cuius patrimonium ius tyrannidis aduersatio tribuit, & in eius corpus potestatem diabolo dedit, in animam autem non dedit. Sic ergo dereliquit Iob vt probaretur, probatus autem donaretur. Nemo igitur debet inflari, quòd numquam sit derelictus, vel doleat quòd aliquando derelinquatur. ita S. Ambr. qui ponit etiam exemplum in Christo Domino, qui in cruce dixit: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* quia scilicet tradidit eum morti, sed non dereliquit penitus, cum ipse dicat Ps. 15. *non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* ita ille.

Propositio XXIX.

Quàm frequens & subitanea sit tribulatio.

S. August. Sanctus August. ser. 19. de verbis Domini secundùm Lucam: Tunc mare tunc etiam quando tranquillum est. ita ille. notum & experientia compertum est, nullam esse in mari securitatem, nam dum tranquillitas inest, subitò grauis oboritur tempestas ingens, quæ cuncta subuertit. Talis est mundus iste, nulla est in eius pace & tranquillitate securitas, subitò oriuntur in eo ingentia mala, &c.

Propositio XXX.

Deus permittit tribulationes in peccati detestationem.

Poterat Christus Dominus passione sua tollere pœnas nostras, sicut tulit culpas nostras; noluit tamen, quia non est ablata à nobis libertas & facultas peccandi: est autem remedium optimum peccati, effectus pœnarum eius experiri. vt detestantes tales effectus, causam quoque eorum detestemur. Sicut qui comedit cibum aliquem, & grauem ex eo morbum exhaurit, horret postea cibo illo vesci: sic qui mala ex peccato psomanantia considerat, facile abhorret peccare. Vnde meritò S. Bernard. ser. 4. de altitudine cordis: Causam laboris mens cogitet in labore, vt ipsa pœna quam patitur, culpam pro qua illam patitur, ei repræsentet, & dum videt vulnerum ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur. ita ille. S. Bern.

Tribulatio iustorum.

1. *Ad perfectionem iustorum conducit tribulatio.*
2. *Deus auxiliatur iustis in tribulationibus.*
3. *Deus protegit iustos persequutiones ab aliis patientes.*
4. *Deus iustos tribulari permittit in hac vita, vt augeat æternam.*
5. *Deus iustos tribulari permittit, vt cæteri cognoscant, quàm fideles erga eum sint.*
6. *Vt non superbiat iustus ex donis Dei, tribulatio conducit.*
7. *Illustres reddit tribulatio iustos.*
8. *Ad confidentiam in Deum probandam datur iustis tribulatio.*
9. *Deus bonos laboribus afficit, vt meliores fiant.*
10. *Quàm meritoria sit cælestis gloria tribulatio iustis.* Vide prop. 17.
11. *Quàm ingens beneficium Dei sit tribulatio.*
12. *Quàm vtilis sit tribulatio.*
13. *Quòd nemo iustorum flagellum Dei euadat.*
14. *Quòd ex tribulatione iustorum colligitur pœna grauis peccatorum.*
15. *Quòd iusti non timent damna temporalia.*
16. *Quàm magna consolatio sit innocenter pati pro Deo.*
17. *Deus iustos tribulationibus afficit ad meritum*

Propositio I.

Ad perfectionem iustorum conducit tribulatio.

Simile. Cvm statuarius effigiem alicuius sancti ex ligno conficit, dolando, scindendo & secando, perficit rudem illam & crassam ligni materiam, *toma vn trozo de nogal, a sierra; corta, a zepilla y desuasta porque a si se hazen figuras de talla y talle que se pueden collocar en el retablo de vna iglesia mayor*; omnes sancti esse volumus, ita tamen vt gratis nobis constaret, & pro nihilo salui efficeremur à Deo: sed tamen qui tale quid opinatur, seipsum seducit; pluris enim sanctitas constat, laboribus, persequutionibus, pressuris efficiuntur sancti. Considera Prophetas, Apostolos, Martyres & Confessores, quis sine cruce sanctus euasit?

Adeo tamen obscura est philosophia hæc, vt aliquando etiam latuerit Apostolum Paulum, cui datus est stimulus ille qui nimis eum vrgebat: ita quidem vt pro liberatione rogauerit Dominum ter, cui tamen responsum à Deo est 2.Cor. 12. *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quid est *virtus in infirmitate perficitur*? S. Anselm. ibidem sic respondet; quasi diceret Deus: Ego noui vnde ægrotes, ego noui vnde saneris; quid tibi vtile sit, magis ego noui quàm tu. nam *virtus in infirmitate perficitur*, id est virtus ad perfectionem ducitur per infirmitatem & tentationem, cum qua legitimè certat vt coronetur. ita ille. Sed quid inde Paulus? *libenter igitur* (inquit) *gloriabor in infirmitatibus*, id est laboribus meis, *vt inhabitet in me virtus Christi*, (*algo se ha de padezer para sancto ser.*) Non solùm patienter, sed etiam glorianter Apostolus in posterum labores ferebat, &c.

Hebr. 12. Ad Hebræos 12. *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Si filius, cur flagellat? Etenim Patris est diligere filium, dilectos autem non solemus flagellare, sed placere & indulgere, &c. Cur ergo quos amat Deus filios flagellat? etenim quia amat S. Ambros. ser. 14. in Psal. 118. Asperioribus, inquit coercet Pater filium, quàm dominus vernaculum; sed dura patris non æstimantur flagella, quia vult filium meliorem esse quàm seruum. Iob iustum suum per huiusmodi exercitia probauit, vt sic faceret certamine fortiorem, & emerendo præmio digniorem. Quid igitur fuit tentatio illa nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosa virtutis, & confessio plena victoriæ? ita ille. speciatim autem iustos Deus laboribus vexari permittit, vt fortitudinem & patientiam exerceant, non solùm vt fortes & patientes ipsi sint, sed vt fortitudinis & patientiæ aliis præbeant exempla. Oraculum huius manifestum habemus à Deo Tobiæ 2. vbi de cæcitate Tobiæ ait Angelus: *Hanc autem tentationem ideo permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius sicut & sancti Iob.* Notæ sunt eximiæ tribulationes Iobi & Tobiæ. Causa non ita aspicientibus nota erat, hanc aperuit Scriptura, vt notum nobis esset non sine graui prouidentia Dei euenire iustis aduersa, & hac de causa sapiens quidam Doctor ait Iudæis olim in captiuitatem adductis aliquos sanctos viros permisisse Deum cum eis in captiuitatem abire, Isaiam videlicet, Hieremiam, Danielem, Ezechiam & Tobiam &c. vt Hebræi captiui laboribus non succumberent, exemplis patientiæ illorum roborati. — Tobiæ 2.

(Margin notes: S. Anselm.; S. Ambr.)

Propositio II.

Deus auxiliatur iustis in tribulationibus.

2. Cor. 1. a. AD Corinth. 1. sic Paulus ad Corinthios, *Nolumus vos ignorare Fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*: Magna prorsus tribulatio, quæ talem ac tantum Apostolum sic grauabat. Sed quo pacto sic supra virtutem & supra modum, & vsque ad tædium vitæ dicit se grauatum, cum ipse in priori epistola ad Corinth dixerit, *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum?* Respondet S. Thom. lect. 3. in c. 1. secundæ ad Corinth. quod pati supra virtutem potest dupliciter intelligi, vel supra virtutem naturalem, & de hac loquitur supra: Deus enim aliquando permittit suos supra virtutem naturalem tentari, sed non supra virtutem gratiæ, & de hac intelligitur illud 1. Cor. 10. *fidelis Deus*, &c. supra quam non permittit Deus aliquem tentari. ita S. Thom. vnde Apostol. hac virtute supernaturali gratiæ munitus dicebat *omnia possum in eo qui me confortat*, scilicet gratia sua. Quod autem dixit, *ita vt nos tæderet viuere*, sic exponit Cardinalis Caiet. tribulatio illa quantum est ea se erat, tædium vitæ ingerebat, sed non superabat eius animum fortem. ita ille. Cum igitur te tribulationibus obrutum videris, ne turberis, sed spera in Domino, & fac bonitatem, quia non patietur te supra vires tentari, sed faciet cum tentatione prouentum.

Rom. 8. Ad Rom. 8. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* De iustis hîc agit Apost. vt constat ex contextu. at obiicit sic S. Chrysost. ibidem dicens, quis contra nos ais Apostole? Etenim terrarum orbis contra nos, tyranni, populi, & ciues & cognati; sed tamen hi cum contra nos stent, tantum decst vt nobis incommodent, vt vel nolentes coronarum authores nobis existant, & infinitorum bonorum procuratores, ipsa Dei sapientia ipsorum insidias in nostram salutem & gloriam conuertente. Etenim hoc ipsum splendidum reddidit, quo videlicet diabolus, & vxor, & amici eius, & vulnera contra ipsum militarunt; nihil tamen contra illum effecerunt, sed omnia illi fælicem exitum attulerunt; siquidem Deus pro illo stabat. ita sanctus Chrysostom. & subdit; Si iustum morti tradideris, coronam martyrij illi texueris. ita ille loquitur de persecutione principum tyrannorum contra fideles, propterea ait Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* — S. Chrys.

(Margin note: S. Thom.)

PROPOSITIO III.

Deus protegit iustos persequutiones ab aliis patientes.

Psal. 3. PSal. 3. sic Dauid ad Deum; *Tu percussisti omnes aduersantes mihi, sine causa: dentes peccatorum contriuisti*, hoc est, liberasti me Domine ab inimicis meis: modus autē liberandi me fuit contetēdo persequutorū dentes, hoc est vires & arma quibus

S. Basil. expugnabāt me. sic interpretatur S. Basil. hūc locū in scholiis, dicēs: metaphora est de bestiis sumpta, quæ dentibus priuatæ contēptibiles redduntur. ita ille. si feroci cani aut lupo contriueris dentes, leui baculo eos effugabis: ferire enim sine dentibus nequeunt, *nó pueden hazer fuerte sin dientes.*

PROPOSITIO IV.

Deus iustos tribulari permittit in hac vita, vt augeat æternam.

Matt. 11. S. Greg. MAt. 11. *Cum esset Ioannes in vinculis*, &c. miratur valde S. Greg. Papa 3. Mor. 4. Cōsiderans tantum virū tam iniustè in vinculis constitui & crudeliter occidi, dicens: grauissima admiratione perpendo, quod ille spiritu prophetiæ intra matris vterū impletus, atq; vt ita dixerim antea renatus quā natus, ille amicus sponsi, ille quo inter natos mulierū nemo maior surrexit, ab iniquis in carcerē mittitur, & pro puellæ saltu capite trūcatur: numquid credimus aliquid in vita eius fuisse, quod mors illa tergeret? sed quādo ille vel in cibo peccauit, qui solū mel syluestre, & locustas comedit? vel de qualitate vestis, qui camelorū pilis corpus operuit? vel quid de conuersatione sua offendere potuit, qui de eremo nō recessit? vel quomodo illum silentij culpa attigit, qui ad se venientes tam vehementer increpauit, dicens: *Genimina viperarum, quis demonstrauit vos fugere à ventura ira?* adde & regi quoque ipsi facie ad faciē dixit, *non licet tibi habere vxorē fratris tui.* Quid igitur est, quòd Ioannes Dei voce laudatur, & tamen pro temulenti verbis in præmium moritur saltatricis? Quid etiam est quod Iob Dei testimonio præfertur, & tamen plagis vsque ad sterquilinium sternitur? quid est tandem quod optimus Deus, sic vehementer in hoc sæculo despicit quos sublimiter ante sæcula elegit, nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quoniam videt, quomodo remuneret in summis?

S. Greg. ita S. Greg. Meritò autem Apostolus: *non sunt condigna passiones* (inquit) *huius sæculi ad futuram gloriam*, imo & Ipsimet sancti in cœlo dicent: *lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

Gen. 15. 12. Gen. 15. dum Abraham sacrificiū offerret Deo, *sopor* (inquit scriptura) *irruit super Abraham & horror magnus & tenebrosus inuasit eum*, vbi secundùm originale Hebræum loco illius dictionis, *sopor* ponitur hæc dictio Hebræa *Tardema*, id est, ecstasis & in ecstasi horror magnus ille inuasit eum. Cur ita? audi quod sequitur. *Dictū est ad eum: Scito prænoscens quod futurū est semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Ecce horroris magni Abrahæ exitus actum promeruit, & hoc quidem est, quod maximè torquere nos solet, videntes filios Abrahæ, filios in-

quam fideles, & maximè viros iustos & sanctos maioribus aduersitatibus vexari, quàm impios & peccatores. Sed vt horror & admiratio ista cesset, audi quid in hac diuina reuelatione sequatur. *Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia.* vtrūque probauit euentus, sic euenerunt hi filij Abrahæ in Ægypto Pharaoni & afflictiones magnas sustinuerunt, sed tandem liberauit eos Dominus & magnis diuitiis onusti exeuntes ex Ægypto in terram promissionis, quæ cœlestis patriæ figura erat, abierunt. Ecce diuinum symbolum & hyeroglyphicum filiorum Dei, in hac mundana Ægypto vexantur & tribulantur, sed tandem cum magna meritorum cœlestium substantia in æternam gloriam pergunt. Sic locum hunc interpretatur Lyranus dicens: Per hoc designabantur afflictiones, & anxietates, quas passuri erant filij Abrahæ antequam obtinerent terrā promissionis, & quas oportet sustinere fideles antequā veniant ad terram viuentium, secundum illud act. 14. *per multas tribulationes oportet transire ad regnum.* ita ille. Cum igitur iusti se tribulari conspiciunt, oculos in altum tollentes, dicant: *Per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in cœlum*, &c.

4. Reg. 2. misit Dominus currum igneū Heliæ, quo transtulit eū (vt communis traditio habet) in paradisum voluptatis. mirum merito hoc cunctis sæculis visum, & tanti beneficij tantæ gloriæ causam inquirenti sic respondet S. Chrysost. hom. 3. de Helia tom. 2. Apud quosdam veteres Reges (inquit) moris erat vt si quis fortiter pro Rege fecisset in bello, & vitam periculis obiicere non timuisset, curru atque aliis regiæ dignitatis insignibus donaretur, atque ita mortales ac terreni Reges sibi obsequentes remunerare cōnsueuerunt; quanto magis optimus Deus qui Rex Regum & Dominus dominantium est, Heliam suum tota se corporis & animæ deuotione zelantem post multorum laborum sudores, post tantorum pro Deo bellorum illustres victorias, igneo curru & equis flammantibus impositum, triumphali gloria perfulgente ad sua regna voluit peruenire? ita S. Chrysost. qui similitudinem solis sic adiunxit: Hinc (ait) Poëtis atque pictores in figuranda solis imagine exempla credo sumpsisse, qui curru & equis fulgentibus ipse rutilans & radians de fluctu Occeani sublevatur inter præruptos scopulos montium euadens, quasi ad cælestia videtur ascendere: Sol enim Græco sermone *Helios* appellatur, vnde Helias, verè Helios, quoniam curru & equis fulgentibus de Occeani fluctu, id est de mundi commotione, per montium scopulos id est per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cælestia deuectus ascendit. ita S. Chrysost. ecce quo pacto Deus pro se laborantes & patientes copiosè remuneret. 4. Reg. 2. S. Chrys.

PROPOSITIO V.

Deus iustos tribulari permittit, vt cæteri cognoscant, quàm fideles erga eum sint.

GEn. 22. *tentauit Deus Abraham*, &c. Grauissimam illam tentationem fuisse nemo est qui nesciat, sed cur, inquies, animum illū patriarchā in talē tentationem induxit, sciens dolorē cordis intrinsecū, quē naturaliter passurus erat? Etenim si experiētiā fidelitatis eius fieri volebat, satis Deus ipse intus seruū suū agnoscebat, & quā verè fidelis Gen. 22.

Deo esset; cur ergo tentauit? tentauit quidem non vt ipse experimento disceret fidem eius, sed vt nobis constaret & inde nos disceremus & prouocaremur ad similem fidelitatem. ita locum hunc expendit Theod. q. 22. in Genes. dicens; Non vt disceret Deus quæ sciebat, sed vt ignorantes doceret, quàm iusta de causa diligeret Patriarcham. Hac de causa tres dies & totidem noctes, diuini amoris periculum in eo fecit; nam Patriarcha medius constitutus inter naturam & fidem, cum vtrinque prensaretur, fidei dedit victoriæ palmam. ita ille.

Theod.

Addiderim ego, non solùm velle Deum sic iustos tribulari, vt cæteri experimento norint quàm fideles sint, verùm etiam vt ipsemet iustus qualis & ipse in Deum sit agnoscat; prauum enim est cor hominis & inscrutabile, ita vt ipsemet homo quid in corde suo lateat ignoret. vnde cum Hieremias dixisset: *quis cognoscet illud?* respondet Dominus, *Ego Dominus* non ait, & ipse homo. An igitur verè Deum diligas, an non, ex tribulationum perpessione constabit. nam vti S. Gregor. ait, pœna quippe interrogat, si quis veraciter amat.

S. Gregor.

Etiam Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac*, &c. Cur quæso sic affligere & torquere voluit Deus sanctum & dilectum & fidelem seruum suum Abraham? licet enim filius erat occidendus & sacrificandus, pater tormentum in filio patiebatur, sicuti ait S. Pet. Chrysologus ser. 10. dicens, se Abraham immolabat in filio, Patris erat passio vbi filius immolabatur. ita ille. Sed cum iam Dominus immolare filium illi iussisset, cur eius dexteram detinuit, cur de facto eum sacrificare prohibuit? si sacrificium illud expediens non erat, cur præcepit? si expediens erat, cur prohibuit? S. Petrus Chrysolog. ibidem, quia, inquit, non quærebatur mors filij, sed charitas quærebatur Patris, nec expetebatur sanguis filij, vbi tota victima in Patris dilectione constabat. scriptura dicente, *nunc scio quia diligis Deum, quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*. ita ille.

S. Petrus Chrysol.

Idem.

Propositio VI.

Vt non superbiat iustus ex donis Dei, tribulatio conducit.

Gen. 32. Genes. 32. *Ecce vir luctabatur cum Iacob vsque mane.* Vir iste Angelus Dei vicem gerens fuit, vt ex contextu constat, & ex cap. 12. Oseæ. In hac autem lucta victorem euasisse Iacob ex eisdem locis constat, dubium tamen insurgit ex eo quod habet scriptura Genes. 32. *videns* (scilicet Angelus) *quod eum superare non posset, tetigit neruū femoris eius, & statim emarcuit.* Cur sic eum vulnerauit? Theodor. quæst. 91. in Genes. Angelus Iacobum fiducia roborauit, ne fratrem metueret; quapropter victoriam illi concessit, dicens, me vicisti & hominem timuisti? ne verò superbiret, quod sibi Deum superasse videretur, tactu femoris se victum voluntem esse indicauit. ita ille. Consonat Paulus 1. Corinth. 12. *ne magnitudo tribulationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet.*

Theod.

Matt. 3. Matt. 3. cum Christus Dominus ad baptismum Ioannis recipiendum accederet, *cæli aperti sunt & vox Patris intonuit dicentis: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui; & Spiritus sanctus in specie columbæ super caput eius resedit*, quasi dicens: Hic ille est, de quo modò audistis, *hic est filius meus*, &c. Mira sunt hæc, & Christo Domino gloriosa. Sed audi quid Matthæus Euangelista subdat. *tunc ductus est a spiritu in desertum vt tentaretur à Diabolo*, &c. Pondera aduerbium illud *tunc*, id est statim post fauores Dei in Christum tantos, ductus est ab eodem Spiritu sancto qui adeo Christum glorificarat, in desertum vbi ieiunaret, & graui quodam ieiunio, & vbi graues ab hoste tentationes pateretur. Itane se Deus cum filiis dilectis gerit? ita quidem. Voluit autem in Christo nobis ostendere, quo pacto erga nos se habeat; amat quidem Deus iustos, & magnis eos afficit fauoribus & beneficiis, ita tamen vt cum maiora in eos dilectionis signa ostendat, tunc maiores aduersus eos tentationes & tribulationes permittat, ne diuini fauores eos eleuent, & in præcipitium superbiæ mittant. Licet enim Christo Domino nullum inde periculum superbiæ immineret, in eo nostrum periculum & eius remedium indicatum est, *tantos humilladeros tenemos como trabajos.*

Propositio VII.

Illustres reddit iustos tribulatio.

Exod. 3. *Apparuit Moysi Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* miraculum hoc manifestum est, quid sibi velit videamus. Theodor. q. 6. in exod. Dei virtutem & humanitatem prædicat, quod ignis inextinguibilis rubum aridum non consumebat; ego verò arbitror etiam alia significari, nempe Israëlem Ægyptiorum insidiis appetitum, non esse subiugandum, sed aduersariis superiorem futurum. ita ille. Optimum iusti persequutionibus laborantis hyeroglyphicum est rubus iste ardens, & non adustus, nec in cinerem conuersus, sed solùm ignitus & relucens; talis enim est iustus in tribulatione constitutus, qui patienter sine læsione animæ patitur, & patientiæ & fortitudinis splendore lucet, & splendet. Theod.

Propositio VIII.

Ad confidentiam in Deum probandam datur iustis tribulatio.

Genes. 12. sic Dominus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi*, &c. Et illico magna illi beneficia promisit. Obediuit Abraham, & in terram promissionis perueniens, vbi se benedictiones illas Dei consequuturum sperabat, tribulationem inuenit; facta enim fuit tunc in terra illa fames valida, & coegit Abrahamum in Ægyptum pergere, vbi in grande vitæ discrimen incidit. hæ cine sunt Dei promissiones? Cur ita? Lyranus, ad hoc permisit Deus famem fieri in terra Chanaan, & maximè in ea parte in qua erat Abraham, vt ostenderetur fides eius, quia Dominus dixerat et paulo ante, quod in terra illa multiplicaret eum, & nihilominus propter famem imminentem oportebat eum exire, & tamen non est diffisus de promissione diuina. ita ille. Idem ponderauit S. Chrysost. dicens: Ecce in aduentu iusti fames valida, & non turbatur iustus, neque patitur quid humanum. ita S. Chrysost. sic igitur iustos Deus probare solet. S. Chryf.

PROPO-

PROPOSITIO IX.

Deus bonos laboribus afficit, vt meliores fiant.

Hebr. 12. HEbr. 12. *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Cur ita? filij enim à bonis parentibus beneficiis & non flagellis affici solent; bonus quidē pater Deus, *nemo bonus nisi solus Deus*, ait Christus Dominus, & iterū, *nolite vocare vobis patrem super terram, vnus est enim pater vester, qui in cælis est*, id est, adeo Pater iustorum est Deus, vt eius comparatione, genitores eorum Patrum nomine indigni esse videantur, quam igitur bonus pater bonorum Deus? cur tamen sic eos plagis vexat Deus? S. Ambr. ser. 14. in psal. 118. Asperioribus exercet Pater filium quàm Dominus vernaculum, sed flagella Patris non æstimantur dura, quia vult filium meliorem esse quàm seruulum, ita S. Ambr. Etenim experimento constat, non tam beneficiis quàm suppliciis meliores effici homines; tribulationibus quidem humiliamur; & deuotè oramus, & misericordiam imploramus diuinam, patientiam exercemus, patientia autem opus perfectum habet. Denique sic Deus ad Paulum, *virtus in infirmitate perficitur*, quod etiam patet in S. Iob de quo S. Ambros. vbi supra: Iob si non omnem amisisset pecuniam, non tantam apud Deum gratiam inuenisset.

S. Ambros. · Idem.

PROPOSITIO X.

Quàm meritoria sit cælestis gloria tribulatio iustis.

Exod. 24. CÆlum illud supra quod filiis Israël in deserto manifestauit, *erat quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cum serenum est*; in Originali Hebræo sic habetur, *quasi opus lateris sapphirini*. mirum hoc; quid enim cœlo & lateribus? *que tiene que ver cielo con adobes? como puede ser cielo de adobes?* cœlum vidit Ioannes Apostolus in Apocalypsi, pretiosis lapidibus & auro compactum, lateres autem agricolis deseruiunt, vt ex illis ædificent casulas suas, quibus vix ab inclementiis temporis se defendant. Denique quid cœlo præstantius, quid lateribus abiectius? mysterium aperuit tibi Lyranus, dicens: Ostendit illis lateritium cœlum, vt laterum figura reduceret eos ad memoriam pœnæ, quam sustinuerant faciendo lateres in Ægypto. Ita ille. Sed ad quid, inquies, memoria ista? nimirum vt videntes lateres in cœlum conuersos, scirent labores vitæ huius (quales erant quos passi fuerant in lateribus conficiēdis) in cœli gloriam conuerti, ac si diceret Deus: Ne remittatis nuntium laboribus, nec vobis duri esse videantur, ne simul valedicatis cœlo cui annexi sunt. Mementote multitudinem illam innumerabilē, quam vidit in cœlo Ioannes Apoc. 7. venisse de tribulatione magna, & palmas manibus gestantē vidisse, quia certamen passi sunt & victores fuere. Cur magis palmas, quàm aliarum arborum ramos gestabant? S. Paulinus epist. 36. Præmium gloriæ virtus capere nisi victrix non potest, non habitura victoriæ facultatem nisi priùs cum aliqua difficultate certauerit. sic ille. Hinc colligitur, cur beati palmas in manibus teneant, nimirum quia palma est victoriæ insigne, sicut S. Ambr. ait super Lucam c. 19. & omnibus notum est. Ideo ergo palmas habent, quia passi tribulationem magnam ad cœlum victores peruenerūt. Mirabitur forsan, qui Dei prouidentiam & iudicia eius ignorat, cur dilectos suos Deus sic malis afficit in hac vita? nemo enim amicos suos vexat, sed fauet eis & indulget. Caiet. super c. 22. Genesis, expendit verba illa: *Tentauit Deus Abraham*, in originali Hebræo, & ait loco illius dictionis, *Deus*, esse hanc *Elom*, quæ vox significat Deum sub ratione iudicis, *tentauit Deus Iudex Abraham*. Ait ergo Caiet. ad insinuandum vtique, quod nō crudeliter nec iniustè, sed secundùm diuini Iudicij rationem, & nō alligatam regulis pietatis humanæ, hanc tentationē Abrahæ ordinauerit: ita ille. Quod & exitus comprobauit; sæpe medici medicinas adhibent infirmis, quæ non solum insipidæ, sed etiam amaræ & ingratæ nobis sunt, sed infirmus clausis oculis eas exhaurit, quia iudicium medici suo præponit. Medicus optimus animarum nostrarum est Deus: Clausis igitur oculis mentis, quod nobis tribuerit accipiamus; ita enim Dei iudicio expedit ad meritum gloriæ.

S. Paulin. · S. Ambros. · Caiet. · Simile.

PROPOSITIO XI.

Quàm ingens beneficium Dei sit tribulatio iustorum.

ad Ph. 1. 29. AD Philipp. 1. *vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*. Duo hîc consideranda sunt. Primum est non punitionem pro culpis, nec permissionē vocasse Paulum tribulationem, quā patiebantur Philippenses, sed donum Dei cum fide coniunctum, quasi in præmiū fidelitatis suæ. Secundum est, esse adeo ingens beneficium sic pati, vt illis datō hoc sit à Deo pro Christo. Quid est *pro Christo*? pro Christo, hoc locu, idem est ac dicere, pro meritis Christi. Vtrūque asserit hic S. Anselm. dicens: Vobis à Deo donatum est quasi præmiū pro Christo quem diligitis, id est pro merito Christi, qui vsque ad mortem crucis obediuit, vt non solùm in eum credatis, sed vt etiam pro eo patiamini, ad cumulum gloriæ. Vtrumque enim ad gratiam Dei pertinet, fides nempe credentiū & tolerantia patientium, ita S. Anselm. Pondera igitur quantū bonum sit tribulatio iustorum, vt patientibus donetur à Deo in præmium meritorum Christi Domini; *que pueda dezir el Padre aeterno à Christo hijo mio en premio de lo mucho, que por mi aueis padezido hasta la cruz os dare yo en que padezer trauajos a vuestros hijos?* nonne tibi videtur rem magni momenti esse, pro Deo aduersa pati? quanta in hac re ignorantia multi laborant? pauci sunt, qui labores Dei donum esse agnoscant, & pro eis gratias agant.

S. Ansel.

PROPOSITIO XII.

Quàm vtilis sit tribulatio iustis.

Exod. 1. EXod. 1. affligebant Ægyptij filios Israel, illudentes eis, atque ad amaritudinem ducebant vitam illorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Magna quidem oppressio ista erat. Sed cur Dominus filios suos Israëlitas ita premi permittebat? nimirum, quia sic illis expediens erat vexari, aliter numquam ex Ægypto egredi noluissent; frui enim bonis Ægypti gaudebant multi eorum;

& vesci cœpis, & porris, & alliis, & carnium ollis; & certè egressi regredi voluissent, cum etiam post talem oppressionem in deserto id attentarunt. Simile. Sicut ergo chirurgus prius quàm extrahat dentem seu molarem, eam à carne circumstante separat, vt in euulsione dolor minuatur; sic Deus in Ægypto, ob amorem eius Israëlitas amouere laboribus curauit, vt facilius inde egredi tolerarent. Hinc colligitur non esse signum odij, sed amoris Dei iustorum afflictio. Sicut Ioseph quamuis fratres nonnihil afflixit, nihilominus vsque ad fletum eos diligebat. vnde S. Gregor. S. Gregor. hom. 21 in Ezech. O tormenta, inquit, misericordiæ Simile. Dei! cruciat & amat. ita ille. Tormenta misericordiæ vocat flagella iustorum, sicut talia dici possunt ferramenta chirurgi, quibus infirmi torquentur dum curantur, quale est cauterium, ignis, &c. hîc Deus cruciat & amat, imò cruciat quia amat.

Propositio XIII.

Quòd nemo iustorum flagellum Dei euadat.

Hebr. 12. 5. AD Hebræos 12. *fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Cur Domine filios tuos flagellas, si eos vehementer amas? nimirum, quia nemo ita purus à peccatis venialibus, vt non flagellis aliquando dignus sit, & expediens propterea illis magis quàm in purgatorio puniri, & etiam, quia huiusmodi labores iustorum ad iustitiam seruandam, & conseruandam, & augendam conducunt, tunc enim humiliores fiunt, & patientiam exercent, & ad orationem frequentiùs & feruentiùs recurrunt, & denique fortiores ad difficilia virtutum superanda euadunt, & ideo S. August. nemo iustorum sine flagello, &c. Rectè S. August. expendit hunc locum in ps. 31. prope finem dicens, *flagellat* (inquit Apostolus) *omnem filium quem recipit*; ne te sine flagello speres futurum, nisi forte cogites exheredari. ita ne *omnem?* vbi te abscondere à Deo volebas? omnem, & nullus est exceptus. Vis audire quàm omnem? etiam vnicus sine peccato non tamen sine flagello. ita S. August. Etenim flagella Christi ob nullam rationem ex suprà dictis fuerunt necessaria, sed tamen ideo etiam Christum sine flagellis Pater esse noluit, vt ex pluribus titulis, merita eius esse constaret, & inde sciremus nos merita nostra huiusmodi flagellis augeri.

Vnde S. Paul. ibidem n. 6. sic concludit, quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis.

Signum igitur quod aliquis filius non sit, sed notus spurius & reprobus, est non à Deo vapulare, & ob eam causam sic Deus ad quosdam pecca- Ezech. 16. 42. tores. Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* S. Bern. S. Bern. ser. 42 in Cantica perpendens verba ista; solo, inquit, auditu contremisco, ego, inquit, quos amo castigo; si ergo te zelus deseruit, & amor: neque enim eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur. ita S Bernard.

Nescio quo ductu Seneca veritatem attigerit istam, quæ etiam apud Christianos plurimos latet. Quid in medio igitur gentilitatis constitutus dixerit, refert Lactantius Firmian. lib. 5. diuinarum Lactant. institutionum. c. 23. qui ait: Sume cum Senecæ Seneca. librum cui titulus est, *quare bonis multa accidant mala, cum sit prouidentia*; Deus, inquit, homines pro liberis habet, sed viciosos luxuriosè ac delicatè patitur viuere, quia non censet emendatione sua dignos; bonos autem quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsum virtutum exercet. ita de Seneca Lactantius, quem ideo merito laudat, & miratur hominem gentilem talia protulisse digna Doctore Christiano.

Item idem Seneca lib. de prouidentia c. 4. Deus, Seneca. quos approbat, quos amat indurat, & exercet, ad suspicionem vulneris tyro pallescit, audacter veteranus cruorem suum expectat, qui scit sæpe se post sanguinem vicisse. ita Seneca & rectè. nam sicut in militia oportet militem vt fortiter se gerat arma exercuisse; sic quidem ad militiam vitæ nostræ (militia enim est vita hominis super terram) oportet laboribus hominem probari.

Propositio XIV.

Quòd ex tribulatione iustorum colligitur pœna grauis peccatorum.

2. AD Thessalon. 1. in principio Thessalonicenses magnis afficiebantur persequutionibus, 2 ad Th. 1. in principio, inquam, nascentis Ecclesiæ, quas ipsi patienter tolerabant; ne autem mirarentur illi cum fideles Deo essent, sic ad eos scripsit Paulus: *Nos ipsi in vobis gloriamur, in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide, in omnibus persequutionibus vestris, & tribulationib. quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei.* Quid sibi volunt verba ista vltima, *quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei?* S. Gregor. 5. Mor. 8. sic respondet, ac S. Greg. si diceret: Dum tot dura toleratis, qui tam recta agitis, quid aliud, quàm iusti Dei iudicij exempla datis? quia ex vestra pœna colligendum est quomodo feriat quibus irascitur: si sic vos affligi patitur, in quibus lætatur, aut quomodo illos percussurus est quibus iudicium exhibet iustum, si etiam vos sic cruciat, quos pie redarguens fouet? ita S. Gregor.

Propositio XV.

Quòd iusti non timent damna temporalia.

PRou. 14. *in timore Domini fiducia fortitudinis;* Prou. 14. qui fieri potest vt in timore inesse possit fortitudo fiducialis, cum timor debilium propriè sit? S. Gregor. 5. Mor. 13. timori Domini inesse Idem. se fiducia fortitudinis dicitur, quia mens nostra tanto valentiùs terrores rerum temporalium despicit, quanto se Deo per timorem subdit. in timore enim Domini constituta non inuenit extra eum quid metuat; fortitudo autem non nisi in aduersitate ostenditur. ita S. Gregor. Etenim qui Deum timet, timet offendere illum, timet ab eo in æternum damnari; qui autem timorem hunc assequitur, reliqua despicit timere, dicente Domino, *nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. ita ille.

* * *

Propo

Propositio XVI.

Quàm magna consolatio sit innocenter pro Deo pati.

1.Pet.4.15 1. PEt.4. Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Animaduertat hoc qui cum iniustè persequutionem patitur; queritur quòd cum innocens sit patiatur, cũ inde potius gloriari oporteret. Refert Tertull. lib. de anima c. 1. quod cum Socrates sine culpa esset ad mortem damnatus, & ad supplicium pergeret, coniugi obuiæ & muliebriter inclamanti, *iniustè damnatus est Socrates*, admirabundus imò stomachabundus respondit, *volebas tu quod iustè?* quasi diceret; Tolerabilior ne tibi videtur mora quæ nocenti, quàm quæ innocenti irrogatur? ita Tertullian. Ratio autẽ manifesta est, quia nocentis dolor stimulis & punctionibus consciẽtiæ malæ augetur, caretque bonæ conscientiæ solatio, quo fruitur insons; iustus verò si dat immeritò pœnas, ad suam bonam conuersus conscientiam, consolatricem habet illam.

Tribus modis pro Deo possumus pati. Primo, volũtate & opere. Secundo, voluntate, sed nõ opere. Tertio opere, sed non voluntate. Quouis horũ modo gloriosum adeo est pro Christo pati, vt in gloriam eorum qui sic patiuntur, tria ordinauerit Deus festa gloriosa coniuncta festo glorioso Natiuitatis suæ, nempe S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, & sanctorum Innocentium. Quis nõ miretur intra octauas tantæ solemnitatis horũ sanctorum admitti festa? Solet Ecclesia huiusmodi sanctorum solemnitates post octauas transferre; in octaua autem natiuitatis Domini admittit cum octauis suis festum sanctorum Stephani, Ioannis & Innocentium. Cur ita? nimirum, quia in tribus his festis tres illi patiendi gradus reperiuntur; in S. Stephano voluntas & opus; in S. Ioanne voluntas martyrij, sed non opus, defuit enim opus voluntati, sed non voluntas operi; in sanctis Innocentibus defuit operi voluntas, passi enim sunt martyrium ignorantes quia rationis vsu carebant. Res igitur adeo gloriosa est pro Deo pati; vt hac ratione voluerit Christus Dominus tales sanctos iuxta se celebrari, & eo quidem ordine quo amplius passi sunt. Sicut cum in publicum procedit

Simile. Rex suis magnatibus & proceribus stipatus, eos propinquiores habet, qui sibi sunt familiares magis: sic Christus Dominus tempore natiuitatis suæ in publicum exit, & tres hos gradus patiendi iuxta ducit, Primo loco S. Stephanum (nõ loquor modò de personarum dignitate & meritis, sed de gradibus ipsis passionum) ducit inquam primo loco S. Stephanum, quia opere & voluntate martyrium passus est. Secundo loco S. Ioannem, quia si non opere de facto, voluntate tamen martyrium subiit. Tertium locum occupant Innocentes, quia etsi non voluntate, opere tamen pro Christo passi

S.Bernard. sunt. Tribuamus vnicuique quod suũ est. S. Bern. est distinctio ista sermone vnico de sanctis Innocentibus: Vtili, inquit, dispensatione triplex ista solemnitas, natale Domini comitatur, vt non modò inter contiguas solemnitates deuotio ista perseueret, sed & fructus Dominicæ natiuitatis ex inde nobis velut ex quadam prosequutione, euidentius innotescat. Habemus in Beato Stephano martyrij simul opus & voluntatem; habemus in Beato Ioanne solam voluntatem, solum in beatis Innocentibus opus. ita S. Bernard. Obserua igitur quanta his sanctis gloria deferatur, vt agnoscas quàm gloriosum sit pro Domino pati. Et quidem de Innocentibus est admiratio maior, cum passio eorum pro Christo solum fuerit materialis, & non voluntaria nec scita; sed inde magis agnosces quanta sit gloria passionis pro Christo, siquidem quæ tantummodo materialis est, sic paschali gloria decoretur.

Hinc etiam intelligẽs cur in natali Christi Domini sic Angeli canunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* Quod pax hominibus deferatur ab Angelis non mirum, inde quippe manifesta est pax nostra cũ Deo, mirabile tamen est quod audimus, *gloria in excelsis Deo*, vnde nunc occasio gloriæ; in festo Transfigurationis merito dare possumus gloriã Christo, quia ibi apparuit gloriosus, in festo etiã Resurrectionis, quia tunc non solùm anima, sed etiã corpore gloriosus mãsit; in Ascensione quoque, tũc enim gloria magna in cœlis receptus est; at in Natiuitate, quid ô Angeli gloriosum in Christo inuenistis? numquid stabulum gloriosum? numquid præsepe gloriosum? numquid panni quibus inuolutus est pretiosi sunt? imò vilia omnia ista sunt, & tantæ maiestati indecora videntur; fatemur quidem in his omnibus Dei maiestatem apud nos pati, sed causã passionis attende, illa enim fuit quã Christus manifestauit proximus passioni Ioan. 14. dicens, *vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite, eamus hinc*, scilicet ad passionẽ. Vide in quo dilectionis suæ in patrẽ manifestationẽ collocauit, in tolerantia passionis suæ pro amore Patris. Hinc igitur gloriatio eius, hinc gloriam canunt Angeli in eius Natiuitate, quia pro amore Patris in stabulo, sicut in cruce patiebatur; patiebatur enim in honore, quia in vili admodum loco natus est; & in facultate, quia vix pannos habebat, quibus inuolueretur; & in corpore, quia tempore quo frigus maximè vigebat, in præsepio duro iacebat. Meritò igitur Angeli tunc canebant, *Gloria in altissimis Deo.*

Hinc etiam Apostol. ad Coloss. 2. vbi de Christi passione agens ait: *spolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* vbi S. Anselm. expoliauit dæmones auferendo ab illis animas iustorum & traduxit ab eis dæmones expellens eos & triumphauit illos. Quomodo, inquies, in cruce de hostibus triumphauit? In cœlesti gloria post ascensionem suam, quomodo triumphauerit scimus; S.Anselm. in cruce verò non apparebat triumphus, triumphus enim gloriam triumphantis dicit; in cruce verò non gloria sed ignominia est. Attende quid dicat Apostolus *in semetipso*, non in illis, aliquo supplicio vel pœna eos afficiendo, sed in semetipso passionem pro gloria Patris ferendo. Quod quidem adeo gloriosum Dominus iudicauit, vt incommoda pati triumphum gloriosum esse dixerit Paulus.

Hinc etiam est quòd Dominus in cruce titulum illum admiserit in quo scriptum erat, *Rex Iudæorum.* Etenim Ioan. c. 6. in Regem illum accipere voluerunt hi quos quinque panibus Dominus satiauerat, à quibus Dominus recessit, euasit, eripuit; imo non ab ipsis, sed ab illa Regia nominatione: quamuis enim Rex esset, noluit tamẽ Regis nomen admittere tunc, bene tamen in cruce, vbi

vbi vſque ad opprobria, vſque ad blaſphemias in eum, vſque ad ſanguinis effuſionem, vſque ad mortem, mortem autem crucis pro patris amore patiebatur; tunc, inquam, Regis nomen admiſit glorioſum, quia nihil ita gloria dignum ſicut pro Deo pati.

Hinc etiam ſancti in perſequutionibus & laboribus & cruciatibus pro Deo perpeſſis gloriabantur. Hinc etiam cum Chriſtus Dominus ad paſſionē properaret Ioan. 17. Patri dixit: *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Venit, inquit, hora paſſionis videlicet, de qua ſanctus Euangeliſta Ioannes dixerat paulo ante, *ſciens quia venit hora eius vt tranſeat*, &c. Miratur hîc Sanct. Ioannes Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. ad

S.Chryſ. Epheſ. dicens: Quid ais Domine? in crucem ageris vt execratorum mortem ſubeas, cum latronibus conſpuendus es, & colaphis cædendus, & flagellandus, & hanc vocas gloriam? *Certè*, inquit, *quia hæc patior pro his, quos diligo, & hæc nunc exiſtimo gloriam.* ita S. Chryſoſt. *pro his*, ait, *quos diligo*, primo loco pro Patre ſuo dilectiſſimo. Secundo pro nobis, vt manifeſtum ſit quàm glorioſum ſit pro Deo & proximorum ſalute pati, vt ignominiam tantam in gloriam minimam commutaret.

Sic Paul. ad Epheſ. 4. ſe pro Chriſto vinctum dici non erubeſcebat, ſed glorioſum ducebat, dicens: *Ego vinctus in Domino.* Poterat quidem dicere: Ego Apoſtolus Chriſti, ego Doctor gentium, ego Euangelij Catholicus prædicator; ſed his omnibus omiſſis, ait: *Ego vinctus in Domino.*

S.Chryſ. Cur ita? S. Chryſoſt. orat. 8. in epiſtolam ad Epheſ. vinctum, inquit, eſſe pro Chriſto præclarius eſt quàm eſſe Apoſtolum, quàm eſſe Doctorem, quàm euangeliſtam eſſe. Tunc erat carcer præclarior Regiis; quid dico Regiis? ipſo cœlo, habebat enim vinctum Chriſti. Hoc magnificentius eſt, quàm ſedere ſuper duodecim ſedes, etiam ſi res iſta nullam aliam habeat mercedem; hoc ſolum eſt merces magna pati propter eum qui amatur. Sciunt quod dico qui amant. hoc ſancti Apoſtolorum chori intellexerunt. audi enim Beatum Lucam dicentem (Actorum c. 5.) eos rediiſſe *gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*; aliis videtur ridiculum, ſi probro & contumelia eſſe affectum ſit lætari, iis autem qui ſciunt Chriſtum, hoc eſt eſſe exiſtimatum omnium beatiſſimum, nihil melius eſt quàm mala pati propter Chriſtum. Non tam beatum exiſtimo Paulum quod raptus ſit in paradiſum, quàm quod in carcerē coniectus ſit. Quamobrem non ait, obſecro vos ego qui audiui mirabilia verba in cœlo, ſed *ego vinctus in Domino*: eſt quidem mihi optabilius & eligendum magis malè pati pro Chriſto, quàm honorari à Chriſto. ô beata vincula! ô beatas manus quas ornauit catena illa! non erant adeo honorandæ manus Pauli, quæ claudum in Liſtris erexerunt (act. 14.) vt quando in vinculis erant. Admiraris Paulum, quando eius manum tetigit vipera, & nihil illi mali fecit; ne mireris, reuerita enim fuit catenam, imò & mare reuerebatur, tunc enim erat vinctus. Si ego fuiſſem temporibus illis, pupillis meis catenam illam admouiſſem, & non ceſſaſſem oſculari manus, quæ dignæ ſunt habitæ vt pro Chriſto vincirentur, & ſi quis mihi nunc daret, vt mortuos ſuſcitarem, potiùs eligerem hāc catenā. Vultis ſcire quāta res ſit catenā ferre propter Chriſtum? audite ipſum dicentē (Mat. 5.) *beati eſtis*, quando vel in quo? quando mortuos ſuſcitaueritis? nequaquam. Sed in quo? *quando opprobriis vos affecerint homines, & dixerint omne malum aduerſus vos, mentientes propter me*: ſi autem mala audire ſic beatos nos facit, quid non fecerit malè pati? Dignus quoque eſt habitus Petrus hac catena (actor. 12.) *erat enim*, inquit, *vinctus & traditus militibus, & dormiebat*; adeo gaudebat, nec alterabatur, & profundus eum tenebat ſomnus; non dormiiſſet ſi in magna ſolicitudine fuiſſet. Venit ad eum Angelus, & eius latere percuſſo eum excitauit. Si quis ergo dixerit mihi, quid malis an eſſe Angelus qui eum pupugit, an Petrus, qui ſaluus euaſit? mallem eſſe Petrus propter quem Angelus venit; illa mihi prodeſſent vincula. Reuera eſt maxima gratia & maior quàm ſolem ac lunam ſiſtere, & maior quàm expellere dæmones; non enim tunc dolent illi quando fide expelluntur à nobis, ſicut quando viderint nos pati propter Chriſtum, & non proptetea bonum eſt vinctum eſſe propter Chriſtum, quod ea res regnum conciliet, ſed quod ea fiat propter Chriſtum; non propterea beata cenſeo eſſe vincula, quòd tranſmittant in cœlum, ſed quòd ea ſint propter Dominum cœli. Vincto Paulo terræmotu concuſſus eſt carcer, & reliquorum vinctorum ſunt vincula ſoluta. Vidiſti vinculorum naturam reſoluentem vincula? quomodo enim mors Domini mortem morte affecit, ita etiam vincula Pauli vinctos ſoluerunt; carcerem concuſſerunt, portas aperuerunt: atqui non eſt hæc vinculorum natura ſed contraria, nempe vinctum in cuſtodia tenere tutum; non ei portas aperire, non, inquam, eſt hæc natura vinculorum, bene tamen vinculorum propter Chriſtum. Cuſtos carceris, hæc videns procidit ad pedes Pauli & Silæ, ſed neque hoc abſolutè vincula faciunt, vt eos qui vinxerunt ducant ad pedes vinctorum, ſed è contrario hos illi ſubiectos reddat; nūc autem qui ſolutus erat, ad pedes vincti procubuit; qui vinxerat, rogabat vinctum vt à metu ſolueretur; non tutum vinxiſti, dic mihi? non tu in tuto collocaſti pedes? quid contremiſcis? quid lachrymaris? neſciebam, inquit, virtutem tantam eſſe vinctorum Chriſti. ita S. Chryſoſtomus.

Matth. 16. agenti Domino de paſſione ſuadixit Petrus: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Cui Dominus. *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* vbi Caietan. eadem increpatione mittit Petrum, qua miſerat diabolum tentantem. ita Caiet. illic. Laudauerat paulò ante Dominus Petrum, dicens: *Beatus es Simon Bariona. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & modò eum Satanam vocat ſicut diabolum vocauit. Cur ita? nimirum, quia eodem modo tentationis tentauit eum Petrus, quo dæmon. Dæmon enim gloriam adorationis à Deo auferre ſatagebat, & Petrus gloriam paſſionis. Quare ſicut ambo gloriam à Deo auferre nitebantur (ſalua ſemper intentione S. Petri qua hoſtis carebat) ideo eadem increpatione & opprobrij verbo vtrumque percuſſit.

Propositio XVII.

Deus iuſtos tribulationibus afficit ad meritum patientiæ.

IOb. 42. *addidit Dominus omnia quæcunque fuerunt Iob duplicia.* Inquirit Tertul. lib. de patientia, cur non dedit Deus duplices etiam filios ſicut duplicia

duplicia reliqua; decem enim filios abſtulit & decem reddidit. Cur non viginti ſicut in reliquis bonis fecerat? Reſponder Tertul. ibi: ſuſtinuit Iob orbitatem illam filiorum, ne ſine aliqua vileretur patientia. ita ille. Quamuis enim decem ſicut antea filios haberat; nihilominus amor præteritorum, orbitatis & doloris memoriam illi excitabat: quod ideo voluit Deus, vt nonnulla patientiæ occaſio illi ſupereſſet.

Tertul.

Propositio XVIII.

Non ex ira, ſed amore Dei procedit iuſtorum tribulatio.

SAtagit quidem hoſtis ſeruis Dei perſuadere, tribulationes quas patiuntur non ex Dei amore, ſed ex ira & odio eius in nos emanare, vt ea ratione animo cadant & deſperatione quadam à Dei obſequiis ceſſemus, irrita & nulla apud Deum eſſe cenſeores.

Quod in tentatione S. Iob ita feciſſe conſtat; venit enim nuntius ad eum, Iob 1. (qui merito diabolum ipſum fuiſſe exiſtimatur) & dixit Iobo: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit.* Cur non ſimplicitet dixit: *ignis oues pueroſque conſumpſit*, ſed *ignis Dei de cœlo?* Eteenim quia non ſimpliciter ſed doloſè procedebat, ignem Dei & de cœlo inquit, quaſi diceret: vide quid tibi Dei obſequia proſunt, cum ſic te ira Dei corripiat; ſi Deo placita eſſent, placidiùs chariuſque ageret tecum; quid ergo fruſtra illum colis, &c. Explicatio S. Gregor. eſt. 2. Mor. 14. vbi ait: Intuendum eſt quàm callide dicitur *ignis Dei*, ac ſi apertiùs diceretur: Illius animaduerſionem ſuſtines quem tot hoſtiis placare voluiſti; illius toleras iram, cui ſeruire quotidie inſudabas, vt ira fruſtra ſe Deo ſeruire æſtimans in authoris iniuriam ſuperbiret. ita S. Gregor. Ecce quid ſibi volebat hoſtis, cum diceret, *ignis Dei cecidit de cœlo*, cum potius ignem diaboli in inferno aſcendiſſe dicere debuiſſet, *hecho el traydor la piedra y eſcondio la mano.* Quam ob cauſam rectè ibidem ſubdit S. Gregor. Pia meos cum ſe aduerſa ab hominibus perpeti conſpicit, in conſolatione diuinæ gratiæ requieſcit; vt autem verſutus hoſtis vno & eodem tempore ſancti Iob robuſtiſſimum pectus & humanis aduerſitatibus & diuina diſpenſatione concuteret, prius Sabæos irruiſſe intulit, & mox ignem Dei de cœlo cecidiſſe nuntiauit, vt omnem aditum conſolationis recluderet, vt inde ſe vndique premi videret, in contumeliam Dei tanto audaciùs, quanto deſperatius erumperet. ita S. Gregor. aut vt ſaltem hoſtis animum ſancti viri in deſperationem induceret, & perperam & in vanum ſe Deo ſeruire videns; quod etiam per os vxoris Iobo perſuadere curauit cum diaboli ſuggeſtione ſic vitum affata fuit, Iob. 2. *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua, benedic Deo & morere.* Verba iſta non tam mulieris quàm dæmonis fuerunt, in quibus expende verbum illud *adhuc*, quaſi diceret; nonne vides tuorum eaitum bonorum operum? ſeruiſti Deo ſatis, & loco remunerationis, ecce omnium bonorum tuorum amiſſionem, filiorum mortem, & tui corporis fœdam lepram, & tu adhuc pergis laudare Deum? & dicis, *ſit nomen Domini benedictum?* O quàm es mentis inops! *benedic*, id eſt maledic Deo, & morere; ecce mentem dæmonis verbis vxoris expreſſã. Qui ergo Deo ſeruire & placere ſtudet, cũ videtit ſe nihilominus oppreſſum, dicat cum ſancto Iob, *ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Etiam ſi occiderit me, ſperabo in eum, neque enim iratum in me illum cenſeo quamuis flagellet me; flagellauit enim Iobum, & Dauidem, & Tobiam, & alios ſanctos, non quia in eos offenſus erat, ſed quia tribulatio patientiam operatur, patientia verò ſpem; ſpes autem non confundit; ſeruiam Deo quamtumuis me pœnis affligat, quia non propter commoda mea obſequor ei, ſed propter ſeipſum, &c. *con eſto vendra el demonio por ſu na y voluera traſquilado.*

S. Greg.

Idem.

Idem.

Propositio XIX.

Quòd etiam iuſti in hac vita laboribus quatiantur.

REprehendit S Gregor. 5. Mor. 14. amicum quendam S. Iob nomine Eliphaz, qui cap. 5. dixerat ipſi Iobo tribulationem patienti, *recordare obſecro quis vnquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt.* Ait igitur Sanct. Gregor. ſæpe quidem hic & innocentes pereunt, & recti funditus delentur, ſed tamen ad æternam gloriam pereundo ſeruantur. Si enim nullus innocens periret, propheta non diceret, *iuſtus perit, & nemo eſt qui recogitet*; ſi rectos Deus prouidendo non raperet, nequaquam de iuſto ſapientia dixiſſet, *raptus eſt ne malitia mutaret intellectũ illius*; ſi iuſtos animaduerſio nulla perueniret, Petrus minimè dixiſſet, *Tempus eſt vt incipiat iudicium de domo Dei.* ita ille.

S. Greg.

Propositio XX.

Deus fauoribus iuſtorum tribulationes commiſcet, & quare.

GEneſ. 13. ſic ſcriptura de Abraham: *Erat autem diues valde in poſſeſſione auri & argenti.* ita ibi. Non autem ſolùm in diuitiis Deus fauorabilem Abrahæ ſe exhibuit, verum etiam in familiaritate, & reuelationibus, & promiſſis, & maximè in promiſſione Chriſti naſcituri ex genere illius: ſed tamen dulcibus his amara tribulationum admiſcuit. Rationem huius adhibuit Saluianus lib. de prouidentia Dei c. 2. dicens: Abraham à Deo vocatur, ſequitur, adducitur, collocatur, fit de paupere diues, de ignoto potens, infimus peregrinatione, excellentiſſimus dignitate. Sed tamen ne hæc quæ data à Domino fuerant, muneris tantùm viderentur fuiſſe nõ meriti, qui lætabatur proſperis, probabatur aduerſis, ſequitur quippe labor, periculum, timor, vexatur commigratione, fatigatur exilio, afficitur contumelia, vxore priuatur, immolare filium ſibi Deus iuſſit. pater obtulit, & quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolauit; multa quidem mala, ſed paria ſolatia; nam ſi à plurimis afficitur, de omnibus vindicatur. ita Saluianus. Ecce quàm ob cauſam læris iuſtorum triſtia adiungit Deus. ita enim ſuo & iuſti Deus proſpicit honori; ſuo, quia hoc pacto oſtendit ſe verè beneficere iuſtis ſic probatis; iuſti, quia in malorum tolerantia & obedientia oſtendit iuſtus ſe non indignum cui Dominus ſic benefaciat.

Saluianus

PROPOSITIO XXI.

Diabolus iustos amplius persequitur, & tribulationibus affligit.

ECcles. 2. *fili accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Cur ita? Iansenius ibidem; tum inquit, quod Deus eum probare velit, tum quod diabolus talem mox oppugnet. ita illic. Sed tamen aduerte, non esse standum in timore tentationis, sed Dei, timendo scilicet culpam, non verò tentationis pœnam, & vexationem. Quod sapienter obseruauit S. Bernard. ser. 6. in Psal *qui habitat*, in illa verba, *non timebis à timore nocturno*, vbi noctem interpretatur tentationem esse. Bene, inquit, dicitur non timendum à timore nocturno, & non à nocte, quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius. Nam, & omnes laboramus, eum tamen non omnes inde tentemur, & qui tentantur, multo magis timore futuræ pœnæ, quàm præsentis dolore læduntur. ita S. Bern. quare magis est timor timoris timendus, qui ex tentatione seu ex aduersitate nascitur, quàm aduersitas ipsa. Qui ergo accedit ad seruitutem Dei, timere sic timeat, speret autem in Domino, qui accedentes ad seruitutem eius defendit, & ideo dicitur iusto, *scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno*, Ps. 90. quia scilicet Deus protegit eum.

Iansen.

S. Bern.

PROPOSITIO XXII.

Signum & argumentum est filiorum Dei & prædestinatorum.

AD Hebræos. 12. agens Paulus de tribulatione bonorum, *tamquam filiis* (inquit) *offert se Deus, quis enim filius, quem non corripit Pater? quod si extra disciplinam estis cuius participes facti sunt*, omnes videlicet filij Dei; *ergo adulteri & non filij estis*, id est adulterini & spurij & non legitimi filij, vt constat ex originali Græco; quis enim est etiam ex factis, qui disciplina & correctione Dei non indigeat? ideo ergo punire solet Deus viros iustos, & non ita spurios; videt quis in platea ludentes pueros, rixantesq; & in vanum tempus consumentes, & inter alios filium suum, ad quem accedens alapas incutit, & capillos vellicans corripit eum, & in domum vel in scholam præcipit abire; cur non & alios punit? quia non illi filij, &c. sic Deus noster etiam si videat reprobos peccatores dissimulare solet, quia non illi sunt legitimi eius filij; quod si prædestinatum vel venialiter peccantem videat, flagellat, quia is legitimus eius filius est.

Hebr. 12.

Simile.

PROPOSITIO XXIII.

Conducit vt alij patienter ferant labores.

IMò, dicit aliquis, examinare poterit alios videntes sic iustos tribulari. Olim Persæ in bello super arma ferrea, vestem rubeam milites inducere solebant, ne sanguinem cæteri viderent, & inde timorem conciperent, vel etiam fugam meditarentur. Cum igitur debiles in virtute, & etiam peccatores vident iustos, & bonos viros à Deo tribulari & affligi, timebunt virtutis viam ingredi, ne & ipsi pariter affligantur. Sed tamen dispar est prorsus ratio, quia Persæ ob sanguinis effusionē, quam in commilitonibus videbant, timore afficiebātur, quia vulnera & mors ex illis prouenïens, tamquam sibi valde nociua erant, & nihil post talem mortem spectabant. At qui bonos imitantur, inde ad perferendos labores animos maiores capiunt, quòd videant etiam sanctos viros, similia pati, non sine paternali Dei prouidentia, ad gloriosioremque coronam promerendam.

Tribulatio peccatorum.

1. *Tribulatio peccatorum ad eorum conuersionem conducit.*
2. *Vt resipiscant & pænitendo mundentur deseruit.*
3. *Dei misericordia & charitas est peccatores punire vt conuertantur.*
4. *Quòd non debeamus propter tribulationes indignari, sed aduersùs peccata quæ causa tribulationum sunt.*
5. *Quòd Deus in bonis temporalibus peccatores punire soleat.*
6. *Peccatores in hoc mundo cruciantur, iusti verò consolatione gaudent.*
7. *Quomodo Deus aliquando peccatores in suis deserat tribulationibus.*
8. *Ex tribulatione iustorum colligitur pæna grauis peccatorum.*
9. *Ad iram Dei pertinet peccatores non punire.*
10. *Punit hic aliquando Deus peccatores, ne puniat in æternum.*
11. *Quantum conducat ad impetrandum in oratione pænitentia peccatorum, & ad hanc pænitentiam tribulatio.*
12. *Quantum sibi noceat peccator, qui tribulatus non subditur Deo.*

PROPOSITIO I.

Tribulatio peccatorum ad eorum conuersionem conducit.

CVM Patriarcha Iacob in extremis esset, filios benedixit inter quos sic ad Iudam. *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Aliqui expositores faceri sic legunt, *manus tua super dorsum inimicorum tuorum*; de victoria Iudæ, quam de hostibus reportaturus erat, agit. Cur ergo non dixit, *manus tua super inimicos tuos*, sed speciatim *supra dorsum eorum?* Supponamus ex communi Patrum sententia hic agere Iacob, non solùm de Iuda illo Iacobi filio, sed de Christo Domino qui de tribu Iuda secundùm humanitatem originem traxit. Hoc

Gen. vlt.

Hoc supposito manifestum est, quòd si quis dorsum in te habet; & vis faciem eius ad te conuertere, facile id efficies si dorsum eius percusseris: tunc enim faciem ad te naturaliter conuertet, attendens, perspiciens & dicens, quis me percussit? Sic cum peccator (qui verè inimicus Dei est) terga ad Deum vertit dum peccat. & Deus illum conuertere dignatur, flagellis dorsum eius cædit, vt hoc pacto faciem ad percutientem conuertat: Hoc ergo est quod de Christo & inimicis eius prophetat Iacob, dicens: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua super dorsum inimicorum tuorum.*

Rufinus. Rufini doctissimi est interpretatio ista lib. de benedictionibus Iudæ dicentis: In Christo hoc competenter accipitur, qui à fratribus, id est ab Apostolis (quos ipse fratres in euangelio nominauit)

Mat. 28. meritò collaudatur; inimici verò eius super quorum dorsa manus eius est, intelliguntur illi, quos Pater promisit se sub pedes eius positurum, dicēs,

Ps. 109. *donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*; sunt autem inimici dum adhuc infideles sunt (adde seu peccatores) & ideo cæduntur in tergo; omnes enim qui colebant idola, terga dabant Deo, sicut per prophetam exprobrat Deus dicens, *quia conuerterunt ad me dorsa & non faciem.* Hæc ergo

S.Hieron dorsa cædit vt conuersi aliquando terga dent idolis, & faciem erigant ad eum, & faciant quod in consequentibus scriptum est, *& adorent te filij Patris tui*; tunc enim cum adorant eum, filij Patris tui effecti fuerunt, & spiritum adoptionis acceperunt, in quo clamant *Abba Pater.* ita Rufinus. Terga igitur peccatorum flagello misericorditer percutit Deus, vt ad eum conuertantur: sit ille benedictus in æternum, qui etiam percutiendo miseretur.

Psal. 59. Psalm. 59. Dauid agens de tribulationibus populi sui, quas pro peccatis suis passurus erat nomine totius populi: *Deus* (inquit) *repulisti nos, & destruxisti nos; iratus es & misertus es nobis.* Quare sic iratus est Deus in populum suum? quare sic

Glossa ordinaria repulit, sic destruxit? Glossa ordinaria, *malè ædificatos destruxit, vt in bonum erigeret ædificium.* ita Glossa Sumpta metaphora ab ædificiis. Cum enim ædificium aliquod graue malum contraxit, destrui solet, vt melius ædificetur, *quando esta desplomado paraque vaya a plomo y que de sano y seguro*; sic Deus populum suum destruit, vt in me-

Cassiod. lius commutetur. Vnde rectè ibidem Cassiodor. hæc verba non ingratorum, sed magis gaudentium sunt; ad gratiarum enim actionem venit ista destructio, quæ sic euertit vt construat, sic deponit vt erigat, sic humiliat vt ad cælorum regna perducat; ira profectò miserentis, indignatio salutaris, captiuitas libera, aduersitas fructuosa. ita Cassiodor. Meritò igitur Dauid destructionem illam cum misericordia Dei coniungit dicens: *Deus repulisti nos,* &c.

Thren. 2. Hinc Thren. 2. sic Ierem. *Cogitauit dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum.* Quis vnquam vidit extendi funiculum ad dissipandum ædificium aliquod, ad diruendum & euertendum? quid prodest funiculus talis? ad ædificandum & construendum solet quidem deseruire, non ad dissipandum; ita est apud nos; Deus verò cum destruit, funiculum tetendit, quia Deus cum deseruit ædificat, metitur euersionem & tribuit lachrymas in mensura, ne scilicet maior sit tribulatio, quàm ad remedium peccatoris conducat.

Oseæ 2. Oseæ 2. sic Deus ad gentem Israëliticam, à se recedentem, *sepiam viam tuam spinis,* &c. ideo quidem spinis vt retrocedas, & non vltra procedas per iniquitatis viam, vigentibus spinis vbi sic S.Hieron ex quo intelligimus, quod prouidentia S. Hier. Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & variis calamitatibus sæculi huius ad Deum redire cogamur. ita Sanctus Hieronymus.

Apoc. 16. tribuit *Deus septem phialas septem* Apoc. 16. *Angelis plenas iræ Dei vt effunderent illas super peccatores.* sed aduerte phialas istas aureas esse, vt constat ex cap. 15. Apoc. num. 7. aurum autem Apoc. 15. in Sacra S. charitatis symbolum est, sicut docet S. August. & S. Gregor. & S. Hilarius. In vasis S. Greg. S. Hil. igitur aureis effunditur iracundia Dei super iniquos, quia ex charitate Dei proueniunt supplicia peccatorum: si enim solùm intenderet punire illos prout digni sunt, æterna illos pœna puniret; sed cum conuersionem velit & expectet pius nominus, qui vult omnes homines saluos fieri; ideo temporaliter punit, ne æternaliter damnet, vnde Psal. 29 sic Dauid: *psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius; quoniam ira in indignatione, & vita in voluntate*: qui fieri potest, vt simul ex ira puniat & vitam intendat? Ita quidem, dicente Propheta Abac. cap. 3. Psal 29. *Domine cum iratus fueris, misericordia recordaberis*; non est enim Deus sicut homo, qui cum irascitur est totus ira; est autem sicut pater qui in filium peccantem irascitur & punit et simul intendat eius vitam, & emolumentum. Qui igitur videret Deum iustè irascentem & punientem, intelligat eum quidem irasci: sed in intentione cum punit, peccatoris conuersionem & vitam intendit.

Quid est quòd Adam, cum esset iustitia originali armatus, & munitus facile in peccatum ruit, & postea priuatus illa originali iustitia & veluti inermis existens, non legitur in aliud peccatum cecidisse? Sanct. Gregor. 134. Mor. 5. quia ex- S. Greg. perimento didicit, quàm obediens esse deberet Dei præcepto, & quem tunc culpa duxit ad pœnam, postea pœna sua restringitur à culpa, vt tanto magis delinquere metuat, quanto maiori supplicio. & ipse quod perpetrarat accusat. ita Sanct. Gregor. ex culpa quidem prouenit pœna, quæ ipsam perimat culpam.

Actor. 9. sic de Paulo in sua conuersione *cadens* Actor. 9. *in terram,* &c. *& apertis oculis nihil videbat.* cecidit in terram, lego, *& visum tunc amisit.* ita ne Dominus Saulum iam conuersum & dicentem: *Domine, quid me vis facere?* sic excæcauit & tribulari voluit? Sanct. Ambros. ser. 5. de Quadragesima: S. Ambros. Dominus percutiendo Saulum reddidit sanum & in tantum ei profuit ista Domini percussio, vt ex Iudæo Christianum, & ex blasphemo Apostolum, & ex Saulo redderet Paulum. ita Sanct. Ambros. sic Deus percutiendo sanat. Statuarius simile. cum alicuius sancti statuam efficere vult, prius arboris partem securi scindit; & scissam variis ferramentis exscindit, & ita optimam efficit sancti effigiem. Deus sanctos fabricatur tunsionibus, & pressuris, & laboribus variis, & sanctum affabre factum educit, *a si Dios en el taller de su iglesia haze sus santos, debastandoles sus groserias, cortando y cincelandolos, para poner los en el retablo del cielo y como el lapidario labra sus diamantes y da pulimiento y lisura al jaspe y al marmol fino,* &c.

Luc. 15. sic in parabola de filio prodigo, Chri- Lucæ 15. stus: *In se reuersus* (prodigus nempe) *dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus,* P. Petrus *ego autem hic fame pereo?* vbi S. Petrus Chrysol. Chrysol. fames, reuocat, quem saturitas exularat, fames

illa

illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. ita ille. Sic igitur tribulationibus ad se reducit Dominus errantes peccatores, vel fame scilicet vel dedecore, vel infirmitate vel persequutione aliqua, nam vti ait Sanct. Gregor. S.Greg. mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.

PROPOSITIO II.

Vt resipiscant & pænitendo mundentur deseruit.

OSeæ 5. extremam captiuitatem populo suo Deus comminatus subdit: *effundam sicut aquam iram meam.* Cur non *sicut flumina*, sed *sicut aquam?* numquid propter multitudinem laborum? Rupert. Rupert. ibi respondet: Quia sicut aqua mundare solet sordes corporeas, ita captiuitas illa mundauit populi peccata. ita ille. Etenim non rarò contigit audire peccatorem aliquem conciones, & admonitiones amicorum, & nihilominus non conuerti; tactus verò aliqua tribulatione solet ad orationem & confessionem recurrere, à propria conscientia admonitus, se merito à Deo puniri propter peccata sua.

Hinc est, quòd tunc Deus maximè iratum in peccatorem se ostendat cum impunè eum peccare S. August. sinit. S. August. in Psal. 94. in illa verba num. 10. Psal. 94. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* vbi loquitur de Moyse, & Aarone, & Samuele, qui quamuis boni essent, nonnullas etiam culpas vel leues habuerant; homines quippe erant. De his inquit Dauid: *Deus tu propitius fuisti eis & vlciscens*, &c. Ait igitur ibi S. August. ignoscendo Deus propitius fuerat, propitius & vindicando, illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat, ita Sanct. August. Bene S. Hieron. consonat S. Hieron. epist. 33. ad Castrucium dicens: Magna ira Dei est, quando peccantibus non irascitur. Vnde Ezechiel. 16. loquens ad Hierusalé: *Iam*, inquit, *non irascar tibi, zelus meus recessit à te*; quem enim diligit Dominus corripit, & castigat omnem filium quem recipit; non erudit pater, nisi quem amat; non corripit magister, nisi discipulum, nisi illum quem ardentioris cernit ingenij; medicus si cessauerit curare, desperat. ita S. Hieron.

Hinc etiam Psal. 59. vbi Dauid meminit afflictionum Populi Israel, & ait: *Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es & misertus es nobis.* vbi Theophil. Theophylact. explicans vltima verba inquit, *iratus es*, quia misertus es nobis. ita ille; vbi & scriptura posuit pro *quia*, vti in aliis locis facere solet, vbi constat iram Dei in peccatores inter magnas Dei misericordias esse computandam.

Exod. 24. Exod. 24. ait scriptura ascendisse Moysem in montem ad Deum cum septuaginta senibus, *& viderunt*, inquit, *Deum Israel & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælū cum serenum est.* Oleaster. Oleaster ex originali Hebræo sic legit; *& sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini*, quis non miretur lateres sic in cœlum conuersos, seu cælum ex lateribus esse confectum? quid lateribus cum lapide pretioso sapphirino? quid luto cum cœlo? etenim ad cæli maiestatem repræsentandam potiores essent lapides pretiosi quàm lateres. Lyranus hoc loco ait: Reducebat eos Dominus in memoriam anxietatis, quam passi fuerant faciendo lateres in Ægypto. ita ille. At quid per huiusmodi memoriam Deus intendebat? Respondet Oleaster eodem loco dicens: Premebantur filij Israel in Ægypto operibus duris luti & lateris, nunc verò laterem, quo anxiè premebantur, pretiosū sub pedibus Dei.... vt discas quid labores valeant, & sudores, & mala quæcumque propter Deum perpessa; lutosa & lateritia, & immunda videbuntur his, qui terrena sapiunt, sed apud Deū pretiosi lapides sunt, quibus sedes eius decoratur; lutū laboris eorū, in sapphirū versū est, & in margaritam, & *quasi cœlum*, inquis, *cum serenum est.* Quid quæso luto immundius, & latere? quid verò mundius & pulchrius cœlo? & non satis fuit Domino lateres terræ nos in cœlestem sapphirum mutasse, sed etiam in cœlum mundum commutauit; ô beata vilitas sic in cœlum conuersa! ita ille.

PROPOSITIO III.

Dei misericordiæ & charitatis est peccatores punire vt conuertantur. Vide prop 2.

APoc. 15. *Vnum de quatuor animalibus, dedit septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum.* Apoc. 15. Quis non miretur iracundiam Dei in vasis aureis collocatam: misericordiam si dixisset, non mirum, quia pretiosa nobis est sicut aurū & amplius; iracundia verò in vase ferreo potius ponenda videbatur, quia punitio ferrea est. vnde Psalm. 2. sic Pater Christo; *reges eos in virga ferrea*, puniendo scilicet peccatores. Cur ergo hîc iracundia Dei in vasis aureis collocata est? rectè quidam Doctor respondet: Doctor quidam Quoniam Dominus has plagas immittit non cupiditate nocendi, sed charitate: vt simul & peccatores puniat, & vt corrigantur, aut certè vt minùs peccent, atque ita minus postea puniantur in inferno; notum est in litteris sacris in auro charitatem sæpe indicari. ita ille.

Deut. 32. sic Dominus: *Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo.* Deut. 32. Hoc est, occidendo viuificabo, & percutiendo sanabo: sed quomodo hoc, inquies, stare potest, vt mors vitam & vulnus sanctitatem præbeat? S. Gregor. 6. S.Greg. Mor. 14. vel in alia impressione, cap. 28. sic exponit: Occidit vt viuificet, percutit vt sanet Dominus, quia idcirco foris verbera admouet, vt intus vulnera delictorum curet, & terroris sui iaculo transfixos ad sensum rectitudinis nos reuocet. ita S. Gregor. sicut enim Medici & Chirurgi fontem Simile. in brachio infirmi aperire solent, vt nocens humor inde emanet, & infirmus à morte & dolore liberetur, & tunc vulnere vulnus curatur; sic etiam vulnere Deus vulnus sanat cùm percussione corporali vulnera tollit animæ.

Psal. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit*, Psal. 93. hoc est, Deus est, qui vlciscitur de inimicis suis liberè eo modo quo ipse vult, non sicut homo, qui licet velit se vindicare de inimicis suis, non ita liberè sicut vellet; nam sæpe non potest, & in caput suum reincidit vindicta. Deus autem ad libitum de peccatoribus vindicatur, hi enim sunt inimici eius.

Sed cur bis ait *Deus vltionum*, cum ipse plus glorietur, se Deum misericordiarum esse & totius consolationis quàm vltionum? non exiguum censeo hic latere mysterium; etenim bis hic dicitur Deus vltionum, quia, vt Cardinalis Bellarminus Bellarm. hîc ait, innumerabilibus & occultissimis modis

vltionum

vltionum caosa est, duplicem autem modum habet se vindicandi. Primus est, conterendo & perdendo eos prorsus; secundus est, puniendo eos vsquequo conuertantur à viis malis, & pœnitentiam agentes in Dei gratiam reuertantur; & hic modus diuinior & sublimior, & Dei proprior est, quo sæpe sæpius vtitur Deus.

Sic se de plebe sua vindicaturum dixit Oseæ 2. Oseæ 2. *vadam post amatores meos* (dicebat plebs illa) *qui dant panes mihi, & aquam meum, & lanam meam, & linum meum, & oleum meum, & potum meum.* hoc est, ego propter bona mea temporalia relinquam Deum; quid ergo Deus? *Propter hoc,* inquit, *ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat, tunc magis quàm nunc.* Pon- Simile. dera verbum illud *propterea*, quasi dicat; quia inimici facti sunt mihi peccatores populi Israël, propterea ego laboribus & tribulationibus tamquam spinis obstabo eis, vt sicut viator cum viam per quam incedit plenam spinis, & vepribus, & obstaculis refertam videt, aliam viam meliorem quærit: sic hi vt aduersitatibus affecti, viam peccatorum dimittant, & ad me reuertantur: sic est vltionum Dominus Deus, & in hoc se maximè vltorem ostendit, quia cum omnino perdit inimicum, eum vincit quidem inuictum tamen; at cum eum tribulatione conuertit, vincit eius intellectum & voluntatem; intellectum quidem, quia tunc peccator dicit, *melius erat mihi tunc cùm Deo seruiebam, quàm nunc, qui dæmoni peccando seruio.* ita subdit intellectum Deo. Et insuper vincit Deus eius voluntatem, & ideo dicit, *reuertar ad virum meum priorem,* id est, volo ad Deum redire. Cum igitur intellectus & voluntas altiores hominis potentiæ & partes sint, huiusmodi vindicta & victoria gloriosior & altior est.

Hinc Psal. 110. dicit: *Dominus Domino meo,* Psal. 110. (id est Deus Pater Christo filio suo) *sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; id est, crudeles in te persequutores tui fuerunt, ad crucem vsque te persequuti sunt, sed ego te de ipsis vindicabo; *sede tu à dextris* Simile. *meis, donec,* &c. expendamus verba illa, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Verba hæc vindictam præseferunt, ita est, sed vindictam Deo gloriosam nobis perutilem. Imaginare principem super stratum aureum, sub pedibus eius sericum paonum & pretiosum, qui licet sub pedibus sit, nihil propterea de pretio & æstimatione amittit sua; pedes enim principis sunt, imò tunc pulchrior videtur cum sub pedibus eius est; & Princeps honoratior, quando pedibus eum calcat. Sic Christus Dominus tunc gloriosior apparet, cum pater hostes illos sub pedibus filij ponit, & peccatores ad Christum conuersi illustriores apparent sub pedibus Christi. Ecce qualis vltio Dei est in peccatores cum tribulationibus sub filij sui pedibus ponit, &c.

Genes. 6. cum Dominus mundum propter ho- Gen. 6. minem peccata consumere vellet diluuio, *non permanebit* (inquit) *spiritus meus in homine, quia caro est.* S. Hieronym. lib. de quæstionibus Hebrai- S. Hieron. cis tom. 3. ait: In Hebræo scriptum est, *non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum quoniam non sunt,* hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos cruciatus seruabo, sed hic illis dabo quod merentur; ergo non feocitatem sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. vnde iratus Deus loquitur ad quosdam, *non visitabo filias eorum cum fuerint fornicatæ, & sponsas eorum cum adulterauerint.* & in alio loco, *visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum, verumtamen misericordiam meam non auferam ab eis.* ita S. Hieron.

Ps. 9. *Exacerbauit Dominum peccator, secundum* Psal. 9. *multitudinem iræ suæ non quæret.* Ponderans locum hunc S. August. serm. 37. de verbis Domini dicit: S. August. Magna misericordia Dei est nequitiam impunitam non relinquere: ne enim cogatur gehenna damnare, modò flagello dignatur castigare. Vis nosse nulla pœna quanta sit pœna? audi psalmistá, exacerbauit Dominum peccator Quare obsecro? quid vidisti? Qui hoc exclamauit, vidit peccatorem impune luxurianteum, bonis abundantem & malè facientem, & ideo exclamauit, *exacerbauit Dominum peccator,* quare hoc dixisti? quid vidisti? *secundum multitudinem iræ suæ non requiret,* Intelligite fratres misericordiam Dei, quando castigat mundum, non vult damnare mundum: præ magnitudine autem iræ suæ non exquirit; ideo non exquirit, quia multum irascitur: magna est ira eius cum parcendo sæuit. ita S. August. Idem.

Etiam S August. in Psal. 98. Illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat. ita ille. Sic è conuerso illius miseretur Deus quem peccantem fla- Simile. gellat. Si famulus vas aliquod pretiosũ sua culpâ amisit, & tacet, & illum non corripit, signum est, quòd in libro rationum & mercedum factum scribit, vt postea vas illud soluere faciat: si verò corripit statim eum, & pœnitentiam iniungit, signum satisfactionis est, *pierde vn repostero vna fuente de plata, que vale cinquenta escudos calla el amo y dissimula, señal es que le cargala partida en el libro de los salarios.* Sic Deus, &c.

PROPOSITIO IV.

Quòd non debeamus propter tribulationes indignari, sed propter peccata, quæ causa tribulationum sunt.

SVnt peccatores nonnulli qui cum à Deo propter peccata sua puniantur aduersitate aliqua, propterea conquerantur, & aduersùs aduersitatem inuehantur; quemadmodum cum canis latrans & mordere volens per viam transeuntem, in Simile. lapidem ab eo in canem missum canis currit: & mordet relicto eo, qui lapidem in ipsum iecit: sic peccator labore aliquo punitus ob eius peccata aduersus laborem irascitur, se infelicem dicens & miserum relicta culpa à qua prouenit labor ille.

Vt igitur peccator sciat quomodo, & aduersus quem irasci & inuehi debeat, animaduertere debet propter peccata sua sic se puniri, qui non sta puniretur si non peccaret; Deus enim ex se misereri & benefacere quærit, peccator autem est qui prouocat iram Dei.

PROPOSITIO V.

Quòd Deus in bonis temporalibus peccatores punire solet.

SApient. 5 *Pugnabit cum Domino orbis terrarum* Sap. 5. *contra insensatos.* Insensatos meritò vocat peccatores, quid enim stultum magis, quàm in Deum peccare, Dei gratiam & gloriam amittere, æterno igne

igne torreri & ex Dei filio in seruum diaboli commutari? sed quia non solùm æternis, sed etiam temporalibus solet cruciatibus à Deo puniri, ait sapiens, *pugnabit orbis terrarum contra insensatos*. Sic exponit hunc locum S. Gregor. 6. Mor. 6. orbis terrarum (inquit) cum Deo contra insensatos pugnat, quando in pœnam delinquentium & elementorum aduersitas militat. ita ille, Si ex elemētorum vi peccator hic ægrotat, ille in aquis suffocatur, ille in igne comburitur, illa in mari oborta perit tempestate, &c. quid hoc, nisi quod orbis terrarum militat contra insensatos?

S. Greg.

PROPOSITIO VI.

Peccatores in hoc mundo cruciantur, iusti verò consolatione gaudent.

Iob. 5. — IOb. 5. sic Eliphaz amicus Iobi: *homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*. Per hominem in hoc loco S. Gregor. intelligit *peccatorem*, dicens: Potest hominum appellatione carnalium vita designari, vnde & Paulus ait (1. Corinth. 3. *cum sit inter vos zelus & contentio nonne carnales estis?* quibus paulò post subiicit dicens: *nonne homines estis?* ita S. Gregor. Per *auem* autem idem sanctus intelligit *hominum iustum & virum sanctum*, qui ad cælestia vsque volare nouit. Sensum igitur sic explicat huius loci S. Gregor. 6. Mor. 7. *homo nascitur ad laborem*, quia homo carnalis, si transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit; grauis quippe labor est præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam quandoque percipere, perceptam custodire, & cum magna fatigatione apprehendere, quod diu stare non potest. vnde meritò subdit, *& auis ad volatum*, quia tanto se animus à labore subtrahit, quanto per spem sustollitur ad superna. An non quasi auis Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduersa sustinens dicebat (ad Philip. 3.) *nostra conuersatio in cælis est?* ita S. Gregor. Et rursus Apostol. ad Ephes. 2. *Conresuscitauit & consedere nos fecit in celestibus*. Ponderat hæc verba S. Gregor. 6. Mor. 10. hæc dicens: fortasse Paulum exteriùs tunc catena religabat, mente tamen in sublimibus positus erat, quia iam per spei suæ certitudinem in cœlestibus sedebat. ita S. Gregor. Et quidem constat, quòd tunc in vinculis erat Paulus, quia in eadem epist. paulò post c. 4. dixit. *Ego vinctus in Domino*, &c. attamen animo & spiritu tamquam auis suaui consolatione in cœlos euolabat.

S. Greg.

Idem.

Idem.

Vnde etiam Prou. 12. ait Salomon: Non contristabit iustum quid ei acciderit, quia (inquit S. Gregor. ibidem) rectus quisque in alto intentionis suæ vertice positus est. ita ille.

S. Greg.

PROPOSITIO VII.

Quomodo Deus aliquando peccatores in suis deserat tribulationibus.

MAt. 27. sic Christus Dominus in cruce pendens ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* relinquebat illum Pater, dum acerbos illos cruciatus, dolores ingentes, & opprobria tali ac tanto Domino indigna pati sinebat. *Quare?* inquit, quasi dicat: Nihil mihi conscius sum, non peccaui, & in amaritudinibus versatur cor meum. Cur igitur ô amantissime Pater, sic deserls amantissimum filium? Respondet S. Ambros. ser. 3. de tempore: Hæc Christus dicebat, qui secundùm Prophetam, nesciebat peccatum, vt manifestaret se propter nos derelictum esse, quorum peccata portabat, ac videntes discerenius, pro eo ipso iusto & sancto mori, eum pro nobis peccatoribus ille moreretur. ita S. Ambros. *Si Dios nos amo hasta morir a si desamparado de su Padre, que mucho que nosotros amparados de Dios lo amemos hasta morir por el?*

S. Ambros.

Ego quoque aliam ex hoc loco eliçio ecusequentiam; si propter nostra peccata, sic in suis pœnis Pater diuinus filium dereliquit; quid igitur mirum, si vilissimus peccator & obstinatus, in suis pœnis torqueri à Domino relinquatur?

PROPOSITIO VIII.

Ex tribulatione iustorum colligitur pœna grauis peccatorum.

1. AD Thessal. 1. in principio nascentis Ecclesiæ Thessalonicēses magnis afficiebantur persequutionibus quas ipsi patienter tolerabant; ne autem mirarentur illi, cum fideles Deo essent, sic ad eos scripsit Paulus: *Nos ipsi in vobis gloriamur, in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide, in omnibus persequutionib. vestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei*. Quid sibi volunt verba ista vltima, *quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei?* S. Gregor. 5. Mor. 8. sic respondet, ac si diceret; Dum tot dura roleratis, qui tam recta agitis, quid aliud, quàm iusti iudicij Dei exempla datis; quia ex vestra pœna colligendum est, quomodo feriat quibus irascitur: si sic vos affligi patitur in quib. lætatur, aut quomodo illos percussurus est, quibus indicitur exhiber iustum, si etiam vos sic cruciat quos pie redarguens fouet? ita S. Gregor.

1. Thes. 1.

S. Greg.

PROPOSITIO IX.

Ad iram Dei pertinet peccatores non punire. Vide prop. 10.

PSal. 10. *Exacerbauit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret*. Itam Dei magnam hic esse dicit Propheta peccatores in hoc sæculo non punire, quamuis peccatores inde gaudeant & exultent. Quis autem hoc non Dei clementiam tantum esse iudicaret? Vnde S. August. expendens locum istum ait: Multum irascitur Dominus dum non exquirit, dum quasi obliuiscitur, & non attendit peccata; vnde nemo gratuletur homini cuius peccatis deest vltor, id est laudator, maior hæc Domini est ira. ita S. August. ratio autem est, quia cum apud Deum nullum delictum maneat impunitum, si in hac vita non punit peccatorem, signum est quod ad æternas pœnas supplicia reseruat.

S. August.

Item S. Hieron. epist. 33. ad Castrutium: Magna quidem ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. ita ille. Et idem S. Hieron. in id Ezech. 16. *Non irascar tibi Hierusalem, zelus meus recessit à te*, &c. sic ait; non erudit Pater nisi quem amat, non corripit magister nisi quem ardentioris cernit ingenij. & medicus si cessauerit curare, desperat. ita S. Hieron. Ponderanda singula.

S. Hieron.

Item Psal. 59. *iratus & misertus est nobis*: sic explic at

Theophil. plicat hoc Theophylactus; Iratus est Deus, quia misertus est nobis; quia Deus dum iratus punit peccatores, miseretur eorum.

Nazianz. Item S. Gregor. Nazianzenus oratione in plagam grandinis: Paterna inquit beneuolentiæ est argumentum diuina obiurgatio; contra verò anima quæ obiurgationis expers est, incurabilis reputatur. ita ille.

PROPOSITIO X.

Punit hic aliquando Deus peccatores, ne puniat in æternum.

CVm peccatorem Deus temporali tribulatione punit, forte angitur, dicens: Iratus est Dominus in me, & amouit misericordiam suam à

S. August. me, ego vero huic dicam quod S. August. ait ser. 5. de verbis Matth. quid tam pium, quàm medicus ferramentum ferens? plorat secandus, & secatur;

Simile. plorat vrendus, & vritur; non est illa crudelitas, absit vt medici sæuitia dicatur, sæuit in vulnus vt homo sanetur, quia si palpetur vulnus, perditur homo. ita S. August. idem igitur de peccatoro à Deo percusso dicendum est, &c.

PROPOSITIO XI.

Quantum conducat ad impetrandum in oratione pænitentia peccatorum.

GEnes. 21. eiecit Abraham è domo sua Ismaelem cum matre sua Agar, & cum per quandam solitudinem transirent, aqua deficiente, defecerunt vires Ismael, de quo scriptura subdit; *exaudiuit autem Deus vocem pueri*, &c. Innuit scriptura orasse pro se Dominum, & Dominum exau-

Lyran. disse ac illi aquam exhibuisse. Ponderat Lyranus ibi exauditionem istam, qua indignus videbatur Ismael, ob illa peccata propter quæ è domo Abrahæ erat electus, & ait: Ismael iam erat viginti annorum, & ideo videns se in periculo mortis de malis suis doluit, & Dominum rogauit pro vita sua, & exauditus fuit. ita ille. Vide quàm prosit orationi pænitentia: vbi obiter nota quantum conducat peccatori tribulatio. Ismael inter delitias paternas peccauerat, positus autem in tribulatione prædicta pænitentiam egit, & sic exauditus à Deo mortem euasit.

PROPOSITIO XII.

Quantum sibi noceat peccator qui tribulatus non subditur Deo.

Iob. 9. IOb. 9. vers. 3. Sic de Deo sanctus Iob. *Sapiens corde est & fortis robore, quis restitit ei & pacem habuit?* Duobus modis resistere alicui possumus, sapientia scilicet & potentia; sapientia quidem, cogitata eius & consilia dissipando; potentia verò, vires eius superando: sapientiam autem & potentiam Dei infinitam quis valeat superare? Ideo subdit, *quis restitit ei, & pacem habuit?* vbi S.

S. Gregor. Greg. resistere Deo dicimur, cum repugnare eius dispositionibus conamur, ita ille. Cum igitur Deus peccatorem punit, resistere Deo dicetur, si subdi & humiliari ei recusat: ad hoc enim punit vt humiliet & conuertat; quis autem restitit ei & pacem

habuit, & requiem vllam? sæpe humana infirmitas (ait ibidem S. Greg.) contraire Deo satagit, sed ipso se gladio contradictionis frangit. ita ille. Permittere enim Deus solet, vt ex ipsa media quibus Deo contraire vult, maioris tribulationis incrementum sit homini.

Quod in Rege Pharaone pulchrè obseruauit S. Theod. q. 18. in exodum dicens, Etenim incan- Theod.
tatores Pharaonis mutabant etiam virgas suas in serpentes, sed virga Moysis illorum virgas deuorabat; mutabant aquam in sanguinem, sed aquam in pristinam naturam reducere non poterant; ranas quoque produxerunt, non tamen ab illis liberare potuerunt domos Ægyptiorum; concessit namque Deus incantatoribus vt hæc facere possent, vt Ægyptios castigarent: nam cum à Deo puniretur Pharao, præcepit incantatoribus vt poenam augere. ita ille. Ecce quomodo Pharao resistere Deo satagebat, cum illum puniebat, gloriam miraculorum Dei, quæ ad eius conuersionem edebat, euacuare concedens, sed Deus per ipsa media Pharaonis punitionem augebat. Sic cum Deus peccatorem punit, vt conuertatur, si resistit, resistendo pœnas suas auget.

Trinitas.

1. *Quàm decens sit in Ecclesia Christi de Trinitatis mysterio agere.*
2. *Quàm ingens beneficium Dei fuerit, docuisse nos hoc mysterium Trinitatis.*
3. *Quàm supra eloquentiam & intellectum nostrum sit mysterium Trinitatis.*

PROPOSITIO I.

Quàm decens sit in Ecclesia Christi, de Trinitatis mysterio agere.

SAnct. Chrys. hom. de ieiuniis, & geneseos lectione, expendens in libro genesis de elementis & corporalibus creaturis agere Moysē, & de spiritualibus minimè, subdit: Re- S. Chrys.
quiris forte cur non prius de Angelis agatur? enim ex magnitudine creaturarum conditor intelligitur, multo magis ex cælestium virtutum cognitione poterit agnosci; magnum est cœlum, sed non ita vt Angelus; decorus est sol, sed excelsior Archangelus. ita ille. Qui sic quæsito respondet: Considera qui erant quibus illa recitabantur, nonne illis qui ex Ægypto educebantur vbi Deus coli in Crocodilis haberi, & canibus, ac simiis viderant? nō ergo consequens videbatur, eos tunc per excelsiorem viā ad conditoris cognitionem adducere, & ideo illa planiore & faciliore vsus est; sed vbi paululum homines ex ea institutione profecerant, audi quomodo eos per Prophetam de supernis virtutibus docet (ps. 148.) *laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* ita S. Chrysost. Nunc ad nos veniamus, qui illuminatos oculos habemus, supra eos qui nos præteritia sæculis præcesserūt; nox enim præcessit, & dies appropinquauit; venit Christus qui fuit lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum;

6. *Vana gloria nos præmio virtutis priuat, non verò labore illius.*
7. *Multi omnia faciant vt ab hominibus laudentur.*
8. *Multorum peccatorum causa est.*
9. *Destruit valorem bonorum operum,* Vide prop. 4.
10. *Difficilè cognoscitur ab habente ipsam.*
11. *Quàm ignominiosum vitium sit.*

Propositio I.

Quàm nociua sit habenti illam.

Matth. 5. contra vanam gloriam agens Christus Dominus: *Cum facis eleemosynam,* inquit, *noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt glorificentur ab hominibus.* Mos enim erat tunc nonnullorum cum dare eleemosynam vellent buccinare priùs ad pauperes illa voce tubæ conuocandos. Cur autem voce tubæ? quid tubæ cum eleemosyna, cum tubæ clangor ad pugnam soleat deseruire? numquid non habebant aliquod aliud instrumentum suauius ad pauperes conuocandos, cimbali videlicet aut citharæ? Cur tubæ? S. Petrus Chrysol. serm. 9. Benè tuba, inquit, nam talis eleemosyna erat hostilis, non ciuilis. ita ille. Nimirum, quia non solùm non erat vtilis, sed etiam nociua danti & perniciosa hostiliter erat; melius enim erat ei, eleemosynam non exhibuisse. S. Petrus Chrysol.

Propositio II.

Etiam ex actibus humilitatis consurgere solet vana gloria.

Finxerunt olim Poëtæ Herculem fortissimum cum Antheo terræ filio luctatum, & cum Hercules Antheum in terram deiiciebat, statim vt Antheus terram tangebat, vim magnam recuperans (terra enim quæ mater eius erat, vim filio conferebat) iterum ad luctam cum Hercule redibat; quod cum iterum atque iterum euenisset, Hercules causam intelligens, in altum Antheum eleuans inter vlnas necauit. Ecce, sicut Antheus ex casu suo terram attingens nouas vires contra vincentem se recuperabat, sic qui aduersus vanam gloriam luctatur, aduertat quòd cum vicerit eam, ipse vincetur ab ea, si non cauerit sibi. solet enim sicut phœnix ex morte sua renasci, solet victa vincere, dum is qui eam vicit, de victoria sua gloriatur.

S. Isidor. S. Isidorus refert esse quendam serpentem qui vocatur, *seps,* cuius venenum adeo tabificum, & perniciosum est, vt vsque ad ossa penetrans, ea conterat & comminuat. vnde Lucanus de illo sic, *ossaque dissoluens tabificus seps.* Imò, vt refert quidam author, cum miles quidem lancea hunc serpentem penetrasset, per eam lanceam ascendisse vim veneni. & non solùm occidisse militem; verùm etiam sic eum deformasse, vt nec figura humana in eo remansisset, sed tabidus quidam carnis vultus & informis. Id ipsum de vana gloria dicere valemus, arma contra illam actus humilitatis sunt; veruntamen per eosdem actus vana gloria transcendit, & vulnerat veneno suo eum qui se humilitate satagebat, &c. Qui ergo vanam gloriam interficere vult, eam in altum eleuet, sicut Hercules Antheum, in Deum semper & humiliter referendo quod agit.

S. Leo serm. 3. in quadragesima: Superbum est de non peccandi facilitate præsumere, cum hoc ipsum præsumpsisse peccatum sit. ita ille. Etenim facile non peccare magnum bonum est, vanitas verò peccatum ita præsumere. S. Leo.

Propositio III.

Quàm vana sit vana gloria & perniciosa.

Psal. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* promissio Dei viro iusto facta; sed ad rem, quid per basiliscum hic denotatur? S. Bern. ser. 13. super ps. 90. Monstruosius cæteris venenosis animalibus basiliscus, qui solo visu hominem inficere & interficere perhibetur, & ni fallor vana gloria est. Videte, inquit Dominus, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis; ac si dicat, cauete oculos basilisci. Sed cui nocere dicitur basiliscus? ei qui non viderit prius basiliscum, alioquin si tu eum videris priùs non tibi nocebit, vt aiunt, magis moritur ipse. ita est fratres non videntes necat vana gloria; cæcos & negligentes, qui ei se ostentant, qui se exponunt & non potius inspiciunt ipsi, & non vident quàm friuola, quàm sit caduca, quàm inutilis, quàm vana; si quis hoc modo intuetur basiliscum, moritur basiliscus, nec iam occidit sed occiditur vana gloria. ita S. Bernard. rectè, nam vt dicitur prou. 1. *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum,* cæcos venatur gloria vana. Psal. 90. S. Bern.

Propositio IV.

Quod opera nostra ab oculis hominum etiam familiarium amouere debeamus.

Matth. 6. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Opera bona, opera dexteræ manus sunt, quia felicia, nihil autem proximius seu familiarius manui (vt ita dicamus) quàm altera manus. Ait igitur Dominus *cum facis* verbi gratia, *eleemosynam; nesciat sinistra quid faciat dextera tua,* hoc est cum facis bonum opus, caue oculos hominum, quantumuis illi chari sint. ita exponit sanctus Ambrosius, lib. 1. de officiis cap. 3. vbi agens de vana gloria inquit: Affectus tuus operi tuo nomen imponit, quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur, *nesciat* (inquit Dominus) *sinistra tua quid faciat dextera tua*; hoc est frater tuus, vnanimus tuus, quod facis nesciat, ne dum hic mercedem iactantiæ quæris, in cœlo fructum remunerationis amittas. ita sanct. Ambros. S. Ambros.

PROPOSITIO V.

Quàm difficilè sanetur vulnus vanæ gloriæ.

IOb.cap.36. agens de his qui vana gloria laborant,ait,*neque clamabunt cum vincti fuerint*. Obscurus locus, quem sic explicat S. Gregor. 26. Mor.8. omnis iniquus,qui cum iniquus sit, sanctus videri non appetit, in flagelli percussione deprehensus, fateri quod iniquus fuit,non erubescit; qui verò iniqua agens humana de se iudicia sub specie sanctitatis intercipit, etiam cum flagello percutitur,iniquum se prodere refugit,quia sanctus videri consueuit.ita S.Gregor.vbi veritatem quandam asserit obseruatione dignam; lætò enim cum periculum suum considerans, remedium optat adhibere, facile vulnus confessori aperit, similiter luxuriosus,& iracundus,& alij similes his; at qui gloriam hominum quærit, & bonam sui opinionem,& æstimationem alios habere censet,difficultatem magnam sentiet,tum in agenda humiliter pœnitentia, tum etiam in confessione suorum peccatorum.

S. Greg.

PROPOSITIO VI.

Quòd vana gloria nos præmio virtutis priuat, non verò labore illius.

DVo in operibus virtutis consideranda sunt, labor scilicet operationis, & præmium laboris. Is ergo vana gloria ductus opus bonum operatur, laborem quidem sustinet, mercedem tamen boni operis amittit. Quod mitè S. Gregor. hom. 32. in Euangelia expressit,in Simeone illo Cyrenense, qui Christi Domini crucem portauit dicens: Quid per Simeonem designatur, nisi abstinentes & arrogantes? qui per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiæ interius non requirunt. ita ille. Qua quæ infælicitas maior? sic laborare ieiunando vel aliter bene operando, & ingens meriti præmium perdere, *tener el trauajo del merescimiento, masno el merescimiento del trauajo.*

Idem.

Et quod animaduersione dignum est, multi vana gloria moti ad opus bonum, existimant se rectam intentionem habere, & tamen vana gloria ducuntur, quod ibidem aduertit S. Gregor. dicens:plerumque fit vt hoc quod causa Dei agi creditur,pro solis humanis fauoribus agatur. ita ille.Est enim vana gloria subtile malum, & facile decipit operantem. *es vn ayre sutil que se entra por los minimos resquicios del coraçon humano a petuoso de honray estima.*

S. Gregor.

PROPOSITIO VII.

Multi omnia faciunt, vt ab hominibus laudentur.

QVamuis organa rectè parata & temperata sint, & peritus artifex ea pulsare velit & tentet,non personabunt aëre deficiente, sic nonnulli nihil præclarum facere nituntur nisi vanæ gloriæ aër intercedat, de quibus Christus Dominus, *omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.*

Simile.

PROPOSITIO VIII.

Multorum peccatorum causa est.

PRou. 18. *ante ruinam exaltatur cor.* Cur ita? S. Chrysost. in imperfecto hom. 5. Cur, inquit, iactantiam sequatur ruina, causa est manifesta; quia omnis in se confidens securus est, qui autem securus est, non timet; qui non timet, non cauet; qui autem non cauet, quando non sperat,à diabolo supplantatur & deiicitur; humilis autem qui se nihil existimat esse, solicitus est de se; qui autem solicitus est de se,timet; qui autem timet, cauet, ne à diabolo seducatur. ita ille.

Prou. 18. S.Chrys.

PROPOSITIO IX.

Vana gloria destruit valorem bonorum operum.

LVc.18. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Ita ne Pharisæus, qui ieiunabat bis in quauis hebdomada, & qui exactè Ecclesiastica debita persoluebat, reiectus à Deo est? & Publicanus peccator, qui nec ieiunabat nec debita soluebat,sed potius aliena rapiebat, iustificatus à Deo est? Cur ita? S.Chrysost.hom.5.in Matt. vanæ gloriæ tribuit Pharisæi damnum,humilitati verò publicani fœlicem sortem, dicens: Quia Pharisæus sibi placuit, Publicano humilitati se posthabitus est; quod si in peccatore tantum valet humilitas,considera quantum poterit in iusto; si enim peccatores sumus, hoc nos arbitrando esse quod sumus, iustificamur sicut publicanus, quantò magis si cum iusti fuerimus, esse nos peccatores fateamur? Ne igitur bona tua euentiles, ne quis ea diripiat, quod Pharisæus passus est in lingua circumferens illa;inde rapuit Diabolus ea, quamuis cum gaudio illa memorabat, & ad Dominum cuncta referebat. Caueamus ergo de nobis ipsis aliquid dicere; hoc enim & nos hominibus facit inuisos, & abominabiles Deo.ita ille. Vnde Christus Dominus sic parabolam istam conclusit,*quia omnis qui se exaltat,humiliabitur;& qui se humiliat,exaltabitur.*

S.Chrys.

Seneca lib. 1.de beneficiis c.6. animus est qui parua extollit, & qui magna & in pretio habita dehonestat. ita ille. quod in operibus bonis constat; quantumuis enim exiguum sit opus viri iusti,si bono ex animo fiat, meritorium gratiæ ac gloriæ quidem est; si autem propter vanam gloriam fiat,licet supremæ virtutis opus sit, petiit,& ex virtutis opere vitium fit.

Seneca.

S.Nilus de octo vitiosis cogitationibus,omnes alij vitiosi affectus eã dumtaxat virtutẽ quæ cuique aduersatur,labefactare conantur,gula nimirũ abstinentiam,lasciuia pudicitiã, auaritia paupertatem spiritus,ita lenitatem, & denique reliqua vitia oppositas virtutes; at superbia sicut acerbissimus Tyrannus,animã prorsus euertit.ita ille.quia scilicet oppugnat abstinentiam, castitatem,patiẽtiã,obedientiã,& reliquas virtutes,dũ propter earũ actus, animam in vanam excitat gloriam, &c. Vnde idem S. Nilus ibidem: superbia, inquit, velut

S.Nilus.

velut contagiosus morbus, in totum serpit corpus, sic ipsa in animam totam. ita ille.

PROPOSITIO X.

Difficile cognoscitur ab habente ipsam.

S.Nilus SAnct. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Inanis gloriæ affectus ita subtilis est, vt non facile queat deprehendi; aliorum affectuum impetus perspicui sunt, hic autem affectus tanto difficiliùs vinci potest, quanto deprehenditur difficilius. ita ille.

Idem. Simile. Item idem ibidem: Scopulus sub aqua latens est inanis gloria, huic allisus virtutis meritum amisisti. ita ille.

PROPOSITIO XI.

Quam ignominiosum vitium sit.

S.Nilus. SAnct. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Quia afficitur gloria inani, ea interdum quæ vires superant aggressus, maximam sibi ipsi ignominiam conflat. ita ille. Quid enim ignominiosum magis, quàm pro vento humanæ æstimationis sic in rebus difficilibus vexari, amittendo merita gloriæ sempiternæ?

Verbum Dei.

1. *Quàm gratus sit concionanti profectus audientium, & quàm vtile auditori verbum Dei.*
2. *Verbum Dei vtilissimum seruanti, non seruanti damnatio.* Vide prop. 16.
3. *Humiliter, deuotè & attentè est exaudiendum.*
4. *Quòd etiam sapientes verbum Dei debeant audire.*
5. *Quòd non omnes eadem intentione sermones audiant.*
6. *Quòd in verbo Dei non sit verborum ornatus quærendus, sed veritas.*
7. *Inexcusabiles sunt peccatores nolentes verbum Dei audire.*
8. *Quàm potens sit ad conuincendum.*
9. *Dispositionem cordis requirit.*
10. *Ad nostram consolationem & vtilitatem datum est nobis verbum Dei.*
11. *Quantum conducat ad sapientiam Christianam adipiscendam.*
12. *Quòd non liceat verbo Dei profana, & vana miscere, siue rerum, siue verborum.*
13. *Quàm pauci sint qui verbum Dei operibus exequantur.*
14. *Quàm necessarium sit tam ad obseruationem diuinæ legis, quàm ad salutem anima audire verbum Dei.*
15. *Mundi voluptates & delitiæ inspirationibus diuinis obstant & verbo Dei.*
16. *Oportet audientem verbum Dei, quod audit exequutioni mandare.* Vide propos. 2.
17. *Quàm auidè audire debeat verbum Dei saluari desiderans.*
18. *Conatur hostis auertere peccatores ab auditione verbi Dei.*
19. *Qui audit verbum Dei, ex auditis aliquid impertiri debet eis qui non audierunt.*
20. *Frequenter est exaudiendum, quia alimentum est animæ.*
21. *Bona temporalia impediunt spiritualem vsum verbi Dei.*

PROPOSITIO I.

Quàm gratus sit concionanti profectus audientium, & quàm vtile auditori verbum Dei.



AD Hebræos, 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Quid est *subiacete eis*, &c. Heb.13.17

S. August. serm. 16. de verbis Domini secundùm Matth. de præpositis concionantibus locum illum exponens ait: Quando facimus ista cum gaudio? quando videmus homines proficere ex verbo Dei: quando laborat cum gaudio operarius in agro? quando attendit in arbores, & fructum videt, quando attendit segetem & in fructu areæ prospicit vbertatem, non sine causa laborauit, non sine causa dorsum curuauit, non sine causa manus attriuit, non sine causa frigus & æstus tolerauit. Et hoc est quod ait Paulus, *vt cum gaudio faciant, & non gementes*, & subdit *non enim expedit vobis*; numquid dixit, *non expedit illis*? non, sed, *non expedit vobis*; nam præpositi quando contristantur de malis vestris, expedit illis ipsa tristitia, prodest illis, sed non expedit vobis. ita S. August. S. August. Simile.

PROPOSITIO II.

Verbum Dei vtilissimum seruanti non seruanti damnatio est.

EXod. 13. cum pergeret populus Israël in terram promissionis, Dominus Deus dux eius fuit. Audi quo pacto. *Dominus*, inquit, *præcedebat eos ad ostendendam viam per diem, in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Clemens Alex. oratione ad Græcos sic locum & mysterium interpretatur: Hoc, inquit, simul est gratiæ & timoris indicium; si obedieris, lucem, si non obedieris, ignem. ita ille. qui supponit nubem hanc diuini verbi seu legis esse figuram; ideo enim, ait, *si obedieris*, &c. Qui ergo verba Dei audit & seruat, lucem eam sibi facit; qua in terram beatam pergat; qui verò minimè, per eandem legem damnabitur à iudice Deo, *como el aranzel de iusticia que en seña lo que vno deue hazer y sino lo hiziere por el mesmo arancel le condena la iusticia.* Exo.13.21 Clemens Alex. Simile.

Propositio III.

Humiliter, deuotè & attentè est exaudiendum verbum Dei.

SVnt nonnulli qui curiositate potius moti, quàm deuotione verbum Dei audiunt, & hi noo auditores vtilitatē in verbo Dei quærentes, sed iodices concionatorum sunt, vnde finita concione videbis eos stilum, phrasim, conceptusque ponderātes, iam verba, iā dicta, iā pronuntiationē laudantes, iam vituperantes, nonne hos potius iudices quàm auditores dices? *no son oyentes sino oydores*; quære fructum in his, & non inuenies; si ambitiosi ingressi sunt audituri cōcionem, ambitiosi exeunt; si auari, auari; si lasciui, lasciui; denique si in peccato, in peccato, Deo sic permittente, quia non humiliter audiunt verba Dei.

Luc. 10. Luc. 10. sic de Maria Magdalena, *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Ponderat S. August. serm. 27. in Euang. secundùm Lucam sessionem hanc Magdalenæ, dicens: Maria sedebat ad pedes capitis nostri, & quanto humiliùs sedebat, tantò ampliùs capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem cōnuallis, denatat de tumoribus collis. ita ille. Qui ergo à Deo doceri desiderat, humiliter ea quæ in concione dicuntur, audiat, vt mores suos componat; finis enim concionis est, vel peccatoris conuersio, vel iusti profectus, *hazer de malos buenos, y de buenos mejores.*

S. August.

Simile.

Etiam Martha ad Mariam sedentem secus pedes Domini: *Domine non est tibi cura*, &c. Cur Magdalena nihil respondit sic à sorore accusata? neque enim quid responderet, illi deerat. S. August. serm. 26. de verbis Domini secundùm Lucam: Maria causam suam iudici committere maluit; si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. ita ille. Noluit igitur nec tantisper responsione breui auditum auertere à verbo Dei; nimirum, quia nouerat iam quantum sibi conducebat illud attentè & deuotè, sine intermissione audire. Qui talem vtilitatem ignorant, facilè ab audiendo etiam cessant.

S. August.

Propositio IV.

Quòd etiam sapientes verbum Dei debeant audire.

AD Rom. 1. *sapientibus & insipientibus debitor sum.* Loquitur hic Apostolus de verbi Dei prædicatione, & ait, se debere & muneris sui esse, prædicare non solùm idiotis & ignorantibus, verumetiam doctis & sapientibus viris; etenim vir sapiens secum tacitè cogitare potest; Ego satis quæ facere debeam, scio, & forte magis id noui quàm ipse concionator: Non igitur mihi opus est ipsū audire. Hanc autem hostis tentationem esse, ex his Apostoli verbis constat. Sapientes me docere oportet; si enim eos docere oportet, ergo & sapientes verbum Dei audire quoque oportet. alioquin nec talibus debitor esset concionator si sapientes inquam non egerent audire. Nec mirum cum Deus sit qui per os concionatoris loquatur, vnde Apostolus, *an experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Quis autem adeo sapiens, ne dicam superbus est qui dicere audeat: Ego audire Christum non indigeo? sæpe sapientes videmus in multis deficere, egent ergo correctione & ampliori quam habent luce seu prudentia: hæc verò in auditione Dei communicari solet. Audiant ergo etiam quantumuis sapientes, nam vti ait Salomon Prouerb. 1. *Audiens sapientior erit*, addo, & cautior & sanctior erit. Sapientissimus erat Dauid, & ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Quod quidem experimento didicit, cum ad eum Deus Nathan prophetam misit; tunc verba illa salutifera emisit: *Peccaui Domino*, quibus subsequuta verba Nathan: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Ecce quid quantùmque prosit sapientibus audire Verbum Dei.

Propositio V.

Quòd non omnes eadem intentione sermones audiant.

Matt. 8. MAtth. 8. *Cum descendisset Iesus de monte, sequuta sunt eum turbæ multæ.* Cur *turbæ multæ?* Glossa ordinaria, alij propter doctrinam, alij propter curationem, alij propter admirationem. ita glossa. Et ita vsque hodie quidam sana intentione, diuina mysteria & ad suum profectum, & saluationem conducentia percipiunt; alij verò conciones propter concionantis eloquentiam, & verba vrbana, & composita, & vt sic ornatè dicere discant. vnde sæpe sæpius nullam ex sermone compunctionem, nullum animæ profectum eliciunt, sed paleas verborum & non veritatum grana, & ideo audiunt, & audiunt, & numquam proficiunt.

Glossa ordinaria.

Propositio VI.

Quòd in verbo Dei non sit verborum ornatus quærendus, sed veritas.

SEmen est verbum Dei, Luc. 8. In semine non est quærenda pulchritudo sicut in floribus & foliis, sed virtus & emolumentum intus latens. Audi eloquentissimi S. Chrysologi verba serm. 18. si quid spiritualis intelligentiæ in verbis euangelij lateat, scire volumus, verborum flosculos nō quæramus; qui maturitatis fructum quærit, despicit amæna camporum. Violæ, rosæ, lilia, narcissus, grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus; quod dat panis vitæ, hoc veritas dat saluti: supponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando sapientiæ deposcitur fortitudo. ita S. Petrus Chrysol.

S. Chrys.

Propositio VII.

Inexcusabiles sunt peccatores nolentes verbum Dei audire.

MAt. 8. sic de Magis: *Stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Cur Deus non ingitet concessit stellam Magis, sed cum appropinquarent Hierusalem abscondit ductum stellæ, & non apparuit eis nisi post exitum ex Hierusalem? Cur, inquam, à principio itineris ad finem vsque sine intermissione non eam Deus lucem dedit Magis? S. Chrys. hom. 2. in Matth. in imperfecto sic respondet: Abscondita est à Magis stella

ſtella aliquantulum cum eos adduxiſſet prope Hieruſalem, vt relicti à ſtella cogerentur in Hieruſalem interrogare de Chriſto, & manifeſtare de illo. ita ille. Quod ſi interrogeſ cur Deus voluit Magos in Hieruſalem aduentum Saluatoris annuntiare? Reſpondet S. Chryſoſt. ad confuſionem vtique Iudæorum, quoniam quidem gentiles ſtellæ tantummodo viſione confirmati Chriſtum per alienas etiam prouincias requirebant, & Iudæi ab infantia prophetias de Chriſto legentes, in ſuis finibus natum non ſuſceperunt. ita ille. Quaſi diceret: Vt inexcuſabiles redderet Iudæos ne dicerēt Gentilibus, Chriſtus natiuitatē ſuā & natiuitatis locū manifeſtauit, non verò ita nobis: *Iuſtifico Dios coneſò la cōdenacion de los iudicios*; vidētes enim Magos Reges ab Oriente ſtella duce veniſſe, & ſe ipſos illis docuiſſe locum natiuitatis, debuerant ipſi rem tantam examinare, & ſimul videre an ita ſe res haberet: nonne negligentia inexcuſabilis eorum fuit? nonne Deus ſatis iuſtificauit cauſam ſuam? Sic igitur in damnatione peccatorum iuſtificat ſe ſatis ſuperque in eos, in vitæ decurſu eos monet per prædicatores ſuos, qui tamquam ſtellæ à Deo miſſi, docent omnes, quonam pacto teneant cœli viam.

S.Chryſ.

PROPOSITIO VIII.

Quàm potens ſit ad conuincendum verbum Dei.

CVm philoſophus quidam vicum quendam tranſiret, acceſſit ad eum homo quidam, & tenuit pallium eius, & violenter detinuit, illum. Ad quem Philoſophus, *vir ſapiens non pallio, ſed aure detinendus eſt.* ita ille. Senſit ſapiens hîc quàm magna ſit vis rationis & veritas ad non ſolùm vincendum, ſed etiam ad conuincendum hominem prudentem. Cum igitur verbum Dei in veritate & ratione (vel fide quæ rationem ſuperat) conſiſtat, facile virum prudentem conuincet, &c.

Ioſu. 6. Præcepit Dominus Ioſue vt arcam fæderis viri bellatores armati præcederent, ſacerdos autem ſeptem buccinis clangerent, & ſic per ſeptem dies mœnia Iericho circuirent, & ita ſeptimo die dum vociferatio populi tubis clangentibus admiſceretur, Iericho protinus mœnia à fundamento collapſa ſubuertuntur. Ponderemus hoc pugnandi genus, & hanc victoriam; non enim ad hanc vrbem ſic capiendam educitur gladius, non tela vibrantur, non iaculum mittitur, non acies militaris cunei ad irruptionis murorum impetum conſtipatur, ſed tubis tantùm ſacerdotum clangitur & ſic victoria obtinetur. Quis myſterium aliquod diuinum hîc non odoratur? etenim deliramentum hoc fuiſſe gentes iudicarent, ſi non vidiſſent victoriam ſubſequutam. Myſterium facti huius explicuit Sanctus Petrus Damianus ſerm. 57. dicens, per *Iericho*, quæ dicitur *Luna*, non incongruè *Mundus* ſignificatur, qui per momenta temporum labentium, tamquam per menſtrua detrimenta finitur. Arca autem Eccleſia ſancta erat, tubæ autem Apoſtoli ſunt, vel quinque Doctores Eccleſiæ, quorum admonitionibus ſemper contra illecebras carnis & hoſtis inſidias pugnamus, & velut tubarum clangoribus incitamur; quæ nimirum tubæ ſeptem fuiſſe referuntur, quia prædicatores ſancti ſeptiformis ſpiritus gratia ſunt repleti, ſeptem

S. Petrus Damian.

quippe dierum viciſſitudine tempus noſtræ mortalitatis euoluitur. Vrbem ergo Iericho ſacerdotes arcam ferentes & clangentes ſeptem diebus circumeunt, & muri eius per arcæ præſentiam & tubarum ſonitum caduut; quia in huius mortali vitæ decurſu, dum circumquaque per orbem ſancta dilatatur Eccleſia per ſanctæ prædicationis inſtantiam, omnis elati mundi ſuperbia, & cuncta peccatorum obſtacula ſubruuntur. ita S. Petrus Damian.

Vbi aduertit non ab hoc genere militiæ ſæculares excludi, dicens. Notandum eſt quòd armati milites cum ſacerdotibus ire iubentur, vt hi qui non prædicant, contra occulti hoſtis inſidias, armati nihilominus & circumſpecti ſemper incedant. ita ille. Non enim ſufficit eis audire verbum Dei, niſi auditum executioni mandent; beati enim qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Sicut enim in corporali militia non ſufficiūt exhortationes optimæ Ducum, niſi milites viriliter pugnent ad victoriam obtinendam: ſic etiam non ſufficiunt concionatorum documenta ad victoriam ſpiritualem, ſi auditores audita non exequantur, & exequutioni mandent. Simile.

Mat. 26. *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Ponderat Origenes verbum *tradetur*, & ait, imperſonaliter poſuit verbū *tradetur*; tradit enim Deus Pater ex miſericordia, Iudas ex auaritia, Sacerdotes ex inuidia, diabolus ex timore, ne per eius doctrinam amitteret genus humanum. ita Origen. quanta ſit verbi Dei vis ad animarum conuerſionem, vt propterea maximè conatus fuerit diabolus Chriſtum crucifigi, ne ſcilicet ampliùs prædicaret, & quæ prædicauerat contemptui darentur. Matth 26. Origen.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, &c. quid regno Dei cum grano ſinapis? quid altius regno Dei? quid vilius & abiectius grano ſinapis? quid maius regno Dei? quid exiguum magis quàm granum ſinapis? Cur ergo grano ſinapis comparat Chriſtus regnum Dei? Videamus quid hoc loco intelligat Chriſtus per regnum Dei. S. Thom. ibi & Sanct. Ambroſ. ſer. 1. Per granum ſinapis prædicationem verbi Dei & chriſtianæ fidei eſſe dicunt; quænam igitur eſt ſimilitudo inter verbum fidei prædicatum & ſinapim? S. Ambroſ. ſer. 1. Si diligenter intendamus, inueniemus à Domino rectè hanc ſimilitudinem comparatam; ſicut enim granum ſinapis prima fronte ſpecie paruum eſt, vile, ac deſpectum, non ſaporem præſtans, nec odorem habens, at verò ſi teri cœperit, ſtatim acrimonia ſua odorem exhibet, & tanto caloris feruore ſuccenditur, vt mirum ſit in tam friuolis granis tantum ignem fuiſſe concluſum: Sic Chriſtiana fides (prædicata nempe) prima fronte videtur eſſe parua; at vbi cœperit teri, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, & ardorem. ita ille. vnde Ammon & Cleophas, dum cum ipſis poſt paſſionem Dominus loqueretur, *nonne*, dicebant, *cor noſtrum ardens erat in via, dum aperiret nobis ſcripturas Dominus Ieſus?* ita S. Ambroſ. Audiſti verba Dei? confere interiori meditatione vel collatione cum aliis auditis verba, & vim magnam huius diuinæ ſinapis facile percipies, & frigiditatem cordis à te abiicies. Experientia enim conſtat, eos qui audiunt deuotè & ſincerè verbum Dei, fieri ſpiritu feruentes; qui verò non audiunt, tepidos eſſe valde in obſequio Dei, & cura ſaluationis ſuæ. Vnde enim indoctas mulieres, & incrudi-

S.Thom.

S.Ambroſ.

sos viros, qui vel legere nesciunt, sanctitate pollere videmus, nisi quia audiunt conciones & audita meditantur. hæc, inquam, est communis ratio sanctitatis huiusmodi personarum.

Dices, bene quidem, sed audientes verbum videmus sæpe inde turbari, & amaritudinem quandam intus sentire; nec mirum, quia frequenter verbum Dei, de pænitentia, de mortificatione, & de sui abnegatione, & cruce agit; & hoc quidem est, quod peccatores terret, & ab eius auditione eos sæpe arcet, vti patet in Pharisæis qui Ioan. 9. dicebant cæco: *Tu discipulus eius sis*; acre enim sentiebat verbum Christi & triste; sed mæror iste est ad salutem, & ideo quidem grano sinapis doctrinam Euangelicam Christus comparauit, sicuti idem sanctus Ambros. ser. S. Ambros. 5. testatur dicens: quia sicut cum sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, & ad lachrymas promouemur, ipsam salubritatem corporis cum austeritate accipimus, sed tunc magis efficimur sani cum amplius deploramus; ita etiam cum fidei Christianæ mandata percipimus, animo contristamur, ad lachrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum Simile. quodam fletu ac mærore consequimur. ita Sanct. Ambros. fælix labor qui causa est salutis animæ nostræ, *mas vale llorando ir al cielo que riendo al infierno*. Etenim dolemus videntes delirantem hominem, & ad mortem properantem ridere, & nolentem pharmacum sibi necessarium recipere. Sic dolere debemus, super peccatore nolente audire verbum Dei, vel nolente audita recipere, *porque es la palabra de Dios un recipe de salud*, &c.

Propositio IX.

Dispositionem cordis requirit verbum Dei.

Guarri. Abbas. GVarricus Abbas ser. 5. de purificatione Virginis, hanc protulit sententiam: Dicit lectio, sed non discit nisi dilectio, ita ille. Idem de concione verbi Dei dicere valemus, Dicit sermo, sed non discit, nisi recta in Deum dispositione cordis. Si enim peccato nimis affectum est cor, eueniet audienti quod Christus Dominus dixit de audientibus verbum Dei Luc. 8. vbi *aliud*, inquit, *cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem*. Beda. Quod sic exponit Beda ibidem. Petram hîc dicit durum & indomitum cor, ac nullo veræ fidei vomere penetratum; hoc est autem humor ad radicem seminis, quod iuxta aliam parabolam oleum ad lampades Virginum nutriendas, id est amor & perseuerantia virtutis. ita ille. Rectè igitur Guarricus Abbas: Dicit lectio, sed non discit perfectè nisi dilectio; quia vt quis perfectè vt par est discat, oportet, & audita executioni mandare, & perseueranter audita custodire ac seruare.

Propositio X.

Ad nostram consolationem & vtilitatem datum est nobis verbum Dei.

GEnes. 8. obtulit Noe sacrificium Deo offerens illi nonnulla ex animalibus, quæ secum seruauerat in arca, *& odoratus*, inquit, *est Dominus odorē suauitatis*. Vnde suauitas hæc? nūquid ex nidore carnis combustæ? absit. S. Chrysost. 27. in Genes. infirmitatis nostræ habetur ratio, quia homines à vero Dei cultu defecturi erant, & proprios Deos affecturi, quibus sacrificia immolarent, priùs voluit, vt sacrificia sibi offerrentur, quo vel sic depelleret; à pernicioso errore eos quibus inde periculum imminebat. ita ille Hinc deducimus hanc esse Domini adinuentionem, mutare scilicet intentionem malam, non mutando eius materiam, saltem in genere, ad quæ homines sunt propensi. Vnde cum homines ad indagenda subtilia procliues sint, omnis enim homo naturaliter scire desiderat, scientiam nociuam rerum vanarum mutauit in scientiam rerum diuinarum, & lectionem librorum prophanorum in lectionem librorum spiritualium, fabulas comædiarum in veritates concionum, &c. Et sicut olim homines sacrificia idolis immolabant; sic modo reliquas Dei ad inuentiones peruertunt, multi tamen veritate rerum comperta, vana dimittentes, vera complectuntur.

Propositio XI.

Quantum conducat ad sapientiam Christianam adipiscendam verbum Dei.

ECcles. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem*. Varias habet locus hic explicationes, inter quas hanc adhibet (sub dubio tamen) Sanct. Hieron. dicens: Forte hoc intelligendum hîc est, S. Hieron. quod sapiens vir doleat tam in abdito quàm in profundo latere sapientiam, nec ita se mentibus præbere, vt lumen visui, sed per laborem, iugi meditatione & studio prouenire. ita S. Hieron. Etenim in die iudicij non erit Christiano sufficiens excusatio: Nesciui, ignoraui, non existi- Simile. maui me ad hoc illudve teneri; tenetur enim scire quæ ad saluationem animæ spectant: & quia hæc non ita peruia & perspicua sunt, oportet meditatione, oratione, auditione verbi Dei, & interrogationibus nosse. Sicut enim qui Romam petit, viam ignorans, à scientibus eam percipere debet, alioquin si errauerit sibi imputari debet; sic qui ad æternitatem pergit, viam discat, ne cum se in cœlum pergere censet, se tandem in infernum peruenisse doleat: *que como qui en lengua tiene a Roma va, a si qui en lengua tiene al cielo va*. Si verò illuc peruenire desiderat, maximè eum ex litteris sacris per meditationes, & conciones, & sacras lectiones quo modò perfectè saluemur, discere valeamus; rectè S. Chrys. hom. 3. in Genes. S. Petrus Chrys. Meritò confertur lectio diuinarum scripturarum thesauro: nam sicut ex illo quisquis vel paruum fructum capere valet, multas sibi parat diuitias; Simile. ita & in Scriptura S. etiam in breui dictione variam sententiarum vim, & indicibiles diuitias inuenire licet. ita ille.

Propositio XII.

Quòd non liceat verbo Dei profana & vana miscere, siue rerum, siue verborum.

LVc. 2. *omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, & nihil fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*. Leuit. 2. Quòd à suis sacrificiis excludat Dominus fermentum, non mirum, quia fermentum corruptum, quid est; at mel, dulcissimus

Isichius. mus cibus, à sacrificio sancto excluditur? Isichius hoc symbolum esse eloquentiæ mundanæ affirmat, propter suauitatem verborum & dulcedinem eloquij, ideo ergo à sacrificiis Dominus mel excludit. Videant qui ad sacrificia pænitentiæ & mortificationis fideles vrgent, ne rhetoricorum profanorum mel adhibeant, sed castè & moderatè rhetoricis præceptis vtantur.

At dices, De sponsa in canticis canticorum c. 4. ait sponsus: *mel & lac sub lingua tua.* Isichius vbi suprà sic respondet: Non dixit, *in lingua tua*, sed *sub lingua tua*; vt ostenderet quia paganorum sapientia linguæ Ecclesiæ, id est doctrinæ subiecta est: ergo bonum non vult integram doctrinam offerri Deo. ita ille. Vbi pondera verba illa, *integram doctrinam*; nam moderatè vti rhetoricis documentis vtile quidem est, ars enim rhetoricæ ad suadendum, sicut & dialectica vtilis est; sed verborum lenociniis & coloribus nimium insistere, profanum est. Vnde ibidem ait Dominus: *primitias horum tantùm offeretis ac munera.* Quod sic

Idem. exponit idem Isichius: Præcepit hic Dominus ex parte illius sapientiæ primitias offerri, non autem ea vti plenè; sed sicut Paulus, qui cum apud Athenienses concionaretur dixit *sicut quidam poeta ve-*

ad Tit. 1. *ster dixit: huius & genus sumus.* Inueniens ergo verbum exterius ad occasionem scientiæ Dei aptum, non quidem respuit, nec tamen addidit, neque enim inde vltra testimonia alia multiplicauit. Quare? quia *placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes* (sicut ipse Apostolus ait)

1. Cor. 1. *vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*: ita ille. Propter eandem causam iussit ibidem Deus offerri sibi sal in sacrificio: *In omni oblatione tua offeres sal.* ita ne salis amicus est Deus plusquam mellis, vt in omni oblatione exigat sal. Isichius ibidem: Sal quidem Apostolicam significat sapientiam; vnde Apostolis dixit Christus, *vos estis sal terræ.* Propterea verò Apostolicam sapientiam appellauit sal; quia sicut cibus ad nutriendũ aptus sale conditur, ita omnis sermo vtilis ad iuuandũ, Apostolicæ sapientiæ debet habere condimentum; ideo in oblatione sal offerri voluit Deus, vt quodcumque docueris, quodcumque correxeris, in quacumque virtute fueris conuersatus, ad Apostolicam imitationem operis, & memor sis Pauli dicentis, *imitatores mei estote; sicut & ego Christi.* & rursus, *superædificati estis supra fundamentum Apostolorum.* ita ille.

Propositio XIII.

Quàm pauci sint qui verbum Dei operibus exequantur.

GEnes. 11. sic Dominus de ædificantibus turrim Babylonicam ait: *Confundamus linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* vbi interlinearis, vocem scilicet solitam. Explicat confusionem hanc Lyranus dicens: Quando vnus lapides petebat, alter cementũ portabat, vel aliquid simile, & sic credebat vnus ab alio derideri, propter quod mota est inter eos rixa & contẽtio, & ab ædificando cessarunt, & ideo vocatum

Lyra. est nomen loci illius *Babel*, id est, *confusio.* ita Lyranus. Hoc ferè ipsum modò inter verbi Dei cõcionatores & populum mihi euenire videtur; nam agentem de virtutibus & morum reformatione concionatorem non percipiunt peccatores; ait enim concionator, *nolite inebriari vino in quo est luxuria*; at hi audientes nec à vino, nec à luxuria sibi cauent. Fugite, ait ille, auaritiam, superbiam, gulam, superfluum ornatum; at illi nihil minus. Simile.

Agite, ait ille, pænitentiam; at illi voluptates & delitias quærunt. Visus est enim eis quasi ludens loqui, vel potius sicut ædificatores Babylonis non percipiunt mente quod audiunt, & ideo oppositum operantur.

Ad hoc enim exhibetur, etenim meritò à labore prædicãdi abstineret concionator, si auditores videret ab exequutione abstinere, sicut à seminatione agricola si terram videret ingratam. S. Chrys. Simile. S. Chrys.

vtor similitudine, hom. 2. in Mat. dicentis: Neque enim terræ quæ semina priora corruperit, curam adhibere delectabit agricolam; nos etiam si hæc quæ discimus respueritis, erimus ad cætera pigriores. ita ille.

Propositio XIV.

Quàm necessarium sit tam ad obseruationem diuinæ legis, quàm ad salutem animæ, audire verbum Dei.

PSal. 26. *Dominus illuminatio mea; & salus mea: quem timebo?* Obserua quomodo lucem & salutem (vtique animæ) coniunxerit Propheta: Ps. 26.

hæc enim duo simul concurrunt. vnde Isaiæ 49. Isaiæ 49.

de Christo Domino, *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*; non ait, *dedi te in lucẽ, vt sis illuminatio mea*, sed, *vt salus mea*, vt qualis sit huius lucis effectus demonstraret. Vnde etiam Apostolus filios lucis iustos appellat dicens: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate*, hoc est, velut iusti propter lucem verbi Dei quam percepistis. Et denique Dauid Psal. 42. *Emitte lucem tuam & ve-* Psal. 42.

ritatem tuam (quapropter) *ipsum deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.* Ecce causam & ecce effectum, &c.

Exod. 25. præcepit Dominus Moysi arcam testamenti inter duos Cherubim constituere. Cur, Exod. 25.

inquies, inter Cherubim, potius quàm inter Archangelos, verbi gratia, vel inter Potestates & Principatus? Etenim in arca illa lux Dei in duabus tabulis conscripta continebatur; quare non immeritò inter Cherubim posita fuit Dei iussu;

Cherubim enim vti Beda dicit, idem est quod scientiæ plenitudo; obseruatio autem legis inter eos solùm inuenitur, in quibus plenitudo scientiæ reperitur: qui enim Dei legem transgrediuntur insipientes sunt. Audi Dominum per Hieremiam c. 4. sic de his loquentem: *stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt, & vecordes; sapientes sunt, vt faciant mala, bene autem facere nescierũt.* Insipientes & vecordes vocat Dominus eos, qui legem Dei non obseruant; sapientes verò qui eam custodiunt, Prou. 28. *qui custodit legem, filius sapiẽs est.* Meritò igitur lux in arca custodita inter Cherubim, id est, inter eos qui pleni scientia sunt collocatur. Beda.

Hinc colligitur quàm necessarium populo sit verbum Dei audire, hoc enim sapientes fiunt qui indocti sunt. Est enim concio sacra, lectio quædam sapientiæ; quam quidem audiens etiam sapiens sapientior fiet; si verò non audiunt, quid mirum si fuerint ignorantes, cum nec scholas adierint, nec sacram nouerint scripturam?

Seneca de Magistro Philosophiæ ep. 108. qui ad Philosophorum scholas venit; semper aliquid boni secum ferat, quo sanior domum redeat Seneca.

aut.

aut sanabilior, redibit autem; ea enim philosophiæ vis est, vt non solum studentes sed etiam cōuersantes iuuet; qui in solē venerit, licet in hoc nō venerit, colorabitur; qui in vnguentaria taberna cōsederunt, & paulo diutius cōmorati sunt, odorē loci secum ferunt. Sic qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod etiam negligentibus prosit. ita ille.

Similé.

S. Chrys. Sanct. Chrysost. hom. 10. in Genes. sicut corpus sensibili & quotidiano cibo, ita & anima indiget quotidiana spiritualium ciborum refocillatione, vt roborata aduersus inimicorum insultus, & cōtinuum bellum quo vrgemur resistere possit. ita ille. At dices; satis multa audiui; non ergo ita plura rursus audire opus est. Dicam ego tibi, satis plura comedisti, abstine iam in posterum. Non, inquies, satis est comedisse, quia debilitas quotidiana vrget: sic etiam animæ debilitas quotidiana instat. Audiui, dices, sæpe eadem: comedisti etiā eadem seu eiusdem generis cibos. Sic quoque si ecce audita reaudieris, ad animæ vires confirmandas id conducet.

Simile.

S. Bern. S. Bernard. ser. 5. de aduentu: Si verbum Dei obseruaueris, haud dubium quin ab illo seruetis. ita ille. Sicut muri seruari à ciuibus ciues ipsos seruant. Vnde Christus Dominus Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

15. *Mundi voluptates & diuitiæ inspirationibus diuinis obstant.*

Propositio XV.

Anton. de Padua. SAnct. Anton. de Padua in quodam sermone de iudicio, inquirit rationem cur metus iudicij & inferni nihil in hominibus multis operetur; & concludit, delitias mundi in causa huius esse. Sicut enim (ait) in locis vbi sericum fit, si tonare & fulgurare contigerit, ne vermes deterriti moriantur, tympana & alia musicæ instrumenta pulsantur, quo vermes distrahantur, ne aliquam impressionem tonitrui recipiant; sic diabolus cum tonitrua diuinorum iudiciorum & pœnarum inferni intus vel exterius in auribus peccatorum sonant, ne aliquam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel aliquid simile peccatoribus proponit, ne inde terreantur & conuertantur.

Propositio XVI.

Oportet audientem verbum Dei, quod audit, executioni mandare.

SI manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis; & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit
Ioan. 8. 31. *vos.* Ioan. 8. quid est *manere in verbo Dei?* Sanct.
S. August. August. ser. 48. de verbis Domini secundùm Ioannem tom. 10. sic respondit: Non ait Dominus, *si audieritis*, aut, *laudaueritis verbum meum*; sed *si manseritis in verbo meo*, quid est manere in verbo Dei, nisi nullis tentationibus cedere? ita S. Aug. Audiuisti v. g. Dominum dicentem *serua mandata?* non tibi satis est ad salutem audiuisse, sed opus est tibi opere seruare mandata; & quia seruare mandata ad tempus tantùm non est satis, ideo dicit, *si manseritis in verbo meo.*

S. August. At dices: Hoc opus, hic labor est? audi August. ibidem: Manere in verbo Dei labor est? an non? si labor non est, gratis accipis præmiū, si labor est, attende magnum præmium. ita ille. Si ergo labor est facere quod audisti, & perseuerare in eo, graue tibi videtur, compara hoc ipsum cum præmio, & videbis quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Propositio XVII.

Quàm auidè audire debeat verbum Dei saluari desiderans.

LVc. 5. *Cum turba irruerent in Iesum, vt audirent verbum*, &c. *Cum turba*, inquit, *irruerent*, non ait, *venirent*, sed *irruerent*; irruere autem idem est quod cum impetu & acceleratione pergere & accedere. Cur ita? cur non lentè & pedetentim? S. Ambros. serm. 11. Tanta per Christum S. Ambr. in populum beneficia collata fuerunt, vt prouocatæ hominum turbæ ad audiendum eum magis irruerent, quàm rogarent, & medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis iniuriam; ita vt irruentes turbas à Domino Iesu non desertum separaret, non reuerentia diuinitatis Domini arceret. Hæc est enim consuetudo infirmantium, vt dum sperant suis ægritudinibus medicinam ab importuna petitione nec loco prohibeantur, nec tempore. ita S. Ambr. vnde constat parum illos de saluatione sua curare, qui velociùs & libentiùs ad comœdias, & tragœdias sæculares pergūt, quàm ad sermones diuinos.

Sed dices: Scio ego satis ea quæ ad salutem meam necessaria sunt. Vtinam scias! sed hoc ego scio, neminem adeo sapientem esse, vt verbi Dei ope & auxilio non indigeat; vrgent enim spiritus etiam sapientis verba Dei quantumuis repetita.

Propositio XVIII.

Conatur hostis auertere peccatores ab auditione verbi Dei.

IErem. 17. *Perdix fouet quæ non peperit; fecit diuitias & non in iudicio: in dimidio dierum suorū derelinquet eas.* Hoc in loco mira quadam simili- Iere. 17.
tudine præ oculis nobis propheta proponit, & verbi Dei vtilitatem & hostis nostri diligentiam, qua satagit peccatores ab auditione verbi Dei auertere. Vt enim S. Hieron. hoc in loco ait, & S. Hieron.
& multi celebres Philosophi tradunt: Perdix alienas oua furari solet, eisque incubare, fætusque educit: sed postea cum pulli veri parentis pulli vo- Simile.
cem audiunt, matrem naturali instinctu agnoscentes, alienam deserentes, veram sequuntur. Hoc quidem hominibus euenit; furatur plurimorum animas dæmon, & eas in peccatis fouet: sed ea est naturalis animæ nostræ ratio, vt cum veritatis verique Dei sui vocem percipiunt, Deo fauente diabolum iniquum educatorem deserant, & ad Deum suum reuertantur. Quid quæso perdix si saperet, efficeret? etenim fætus illos longiùs duceret, vbi matris propriæ vocem audire nequirent. Hoc igitur est quod diabolus conatur, occasiones quærit quibus ab auditione verbi Dei peccatores elonget, ne ad Deum reuertantur.

Propo

PROPOSITIO XIX.

Qui audit verbum Dei, ex auditis aliquid impertiri debet eis qui non audierunt.

S.Chrys. SANct. Chrysost. hom. 10. in Genes. sic auditoribus suis. Hoc germanæ charitatis argumentum est, vt absentes à vobis discant, ea quæ à nobis dicta sunt; nam si inter magna charitatis indicia habent quæ ita de sensibilibus eduliis hoc faciunt, multo magis in spiritualibus hoc agendo magnam vobis laudē paratis, & ad vos ipsos vtilitas redit; nam cuius studiū est docere proximū, is non tam illi benefacit quàm sibi ipsi magnam mercedem parat, duplicique angetur lucro, dum maiorem à Deo retributionem assequitur, & dum fratrem docere aggreditur; docendo interim, memoriam reuocat eorum quæ audiuit: ita illc. Vbi nota pulchram ex conuiuio similitudinem sumptam; amicitiæ enim non lene iudicium est, si ex cibo aliquo pretioso in conuiuio apposito partem alteri miseris: sic, &c.

PROPOSITIO XX.

Verbum Dei frequenter est audiendum, quia alimentum est animæ.

S. August. SAnct. August. ser. 36. de tempore: Certissimè scitote fratres, quòd qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima quæ assiduè non pascitur verbo Dei; & sicut caro per inopiam & famem tenuis & sicca & velut quoddā efficitur simulachrum, talis etiam est anima quæ non pascitur cibo verbi Dei; arida enim ad opera bona inuenitur. Considerate hoc fratres, si horrea & cellaria nostra, singulis annis replemus, vnde cibum habet caro nostra anno toto, quantum debemus recondere vt in æternū anima nostra sustētur? Plus ergo de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus, quia in anima facti sumus ad imaginem Dei, in carne autem facti sumus de limo terræ. Videte igitur si iustū est, vt caro nostra de terra formata bis in die capiat cibū, & anima in qua imago Dei est, vix post plures dies accipiat verbi Dei alimentum. ita illc.

Simile.

PROPOSITIO XXI.

Bona temporalia impediunt spiritualem fructum verbi Dei.

S. Ambr. CVr pauciores multo sunt, qui sacramenta frequenter suscipiunt, & qui audiunt verbū Dei? S. Ambr. ser. 4. de tempore, rationem huius sic reddit: Patrimoniorum suorum compedibus sunt detenti, & terreno quodam obligati sunt vinculo, vt in domum Domini eis venire non liceat; & dum sollicitudinem patrimoniis suis exhibent, animarum medelam penitus non requirunt. ita S. Ambros.

At dicet aliquis: Tempus non suppetit mihi, & necessitas negociorum vrget. Audi quid ipsemet sanctus respondeat ibidem: Quid enim difficultatem temporis obiicis? quid necessitatem ingeris repentinam? si cor habes, intellige, quia omni necessitate maior necessitas est salutis, & vtilior est causa priùs curare vitam, & postea peculij damna sarcire; ne dum patrimonij augmentum quæris, sentias animæ detrimentum. Vereor enim ne dum quæritis diuitias mundi, inueniatis diuitias peccatorum, & repertis thesauris sæculi thesauros cælestes amittatis. ita S. Ambros.

Vigilantia.

1. *Vigilanter circumspiciendum est, ne in rebus non solum merè corporalibus, sed etiam spiritualibus peccemus.*
2. *Quàm necessaria sit ad tentationes superandas vigilantia.*
3. *Vitanda est nimia securitas animæ, & vigilantia, & timor sanctus adhibendus.*

PROPOSITIO I.

Vigilanter circumspiciendum est, ne in rebus non solùm merè corporalibus, sed etiam spiritualibus peccemus.

PSal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Quid est *iustitias iudicabo?* Quidam sic exponunt: Cum accepero tempus præfixum ad iudicandum, iustissimè iudicabo. Hugo Card. sic: Terribile (inquit) verbum, quod non tantùm peccata iudicabit, sed etiam iustitias, bona scilicet opera examinabit. ita Hugo. Psal. 94. Hugo Card.

Vnde Mat. 10. sic Christus Dominus: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te; & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde illam, & proiice abs te,* &c. Quid ibi vult parabola ista? cur de oculo dextero & de manu dextra, potius quàm de oculo sinistro & manu sinistra hoc dixit? S. Hieron. in hunc locum. Cauendum est igitur, ait, ne quod in nobis optimum est, labatur in vitium; si enim oculus dexter & manus dextera scandalizant, quanto magis ea quæ in nobis sinistra sunt? ita Sanct. Hieron. v. g. quia eleemosyna, & oratio, & confessio, & communio, &c. vanitatis periculo exposita sunt, &c. idem in muneribus spiritualibus & officiis reipublicæ; hæc omnia bona sunt, ad dexteram pertinent, sed propter defectum bonæ intentionis, vel alterius debitæ circumstantiæ, ita maculari possunt, vt ex bonis sinistra reddantur; ideo igitur Dominus ait: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Vigilate iusti. S. Hieron.

PROPOSITIO II.

Quàm necessaria sit vigilantia ad tentationes superandas.

S. Chrys. IN nominibus Patriarcharū magna exquisiuit & inuenit mysteria S. Chrysost. in imperfect. hom. 1. quorum vnum fuit *Efrom,* de quo idem Sanct. ibi ait. *Efrom,* sicut Hebræorum nominum interpretes dicunt, interpretatur *iaculum videns;* iacula autē inimici sunt omnes passiones, quas intrinsecùs diabolus iaculatur in animam; & omnes aduersitates, quæ extrinsecus fidelibus proueniunt diabolo iaculante, & omnes homines iniqui, quos cōtra veritatē, vel cōtra seruos Dei excitat inimicus, de

de qoibos omnibus ait Apoſtol. *in omnibus accipientes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*; qui eſt igitur iaculum videns, vigilans eſt contra verſutias inimici, & de longè iacula proſpicit eius & cauet, aut ſcuto fidei retorquet. Vult ergo Dominus omnes ſeruos ſuos eſſe videntes iacula venientia ſuper ſe: qui autem ea non videt, quomodo ea declinabit? ita ille. Etenim pauci ſunt, qui ita ſint iacula videntes & prouidentes, atque adeò nec ſunt prouidentes; neque enim de his curam habent, vigilant enim circa bonorum temporalium acquiſitionem, & conſeruationem; ac in rebus animæ & Dei altè dormiunt. Tu verò qui ſaluus eſſe deſideras, vigila, & cum videris periculum peccandi, ſume ſcutum fidei, vti ait Apoſt. quod tunc præſtabis cum vel pœnas æternas (quas peccatoribus eſſe paratas affirmat fides) vel gloriam ſempiternam, quam eadem proponit fides, mente conceperis, dicente Apoſtolo Petro: *Aduerſarius, veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.*

Propositio III.

Vitanda eſt nimia ſecuritas animæ & vigilantia, & timor ſanctus adhibendus.

Ioan. 20. IOan. 20. ſanctus Thomas Apoſtol. aliis Apoſtolis nuntiantibus reſurrectionem Chriſti, ſic reſpondit: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum; & mittam digitos meos in locum clauorum, non credam.* Cur quæſo defectum hunc fidei S. Thomæ euangeliſta non tacuit? Cur non velauit, ſed ſic apertè reuelauit, cum proximorum & maximè ſanctorum culpas occultare debeamus? Ratio huius eſt, vt inde nos videamus, quantam adhibere vigilantiam & timorem debeamus, ne nos qui inferioris virtutis ſumus, ſimiliter vel peius delinquamus. Audi S. Gregor. in

S. Gregor. principio lib. 2. moral. Scriptura S. narrat & geſta ſanctorum & ad imitationem prouocat corda infirmorum, & dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia noſtra confirmat, ſitque verbis illius vt minus mens in certamine trepidet, quod ante ſe poſitos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnumquam verò eorum caſus innoteſcit, vt videamus in illorum caſibus quòd debeamus timere. Ecce enim Iob deſcribitur tentatione auctus, ſed Dauid tentatione proſtratus, vt maiorum virtus ſpem noſtram foueat; & maiorum caſus ad cautelam nos humilitatis accingat, quatenus dum illa gaudentes ſubleuant, iſta metuentes premant, vt ita animus noſter nec temeritate ſuperbiat, nec preſſus timore deſperet. ita S. Gregor.

S. Ambroſ. Vnde S. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 1. agens de fratribus Ioſeph, qui quamuis ingenui & bene educati, inuidia tamen in fratrem exarſerunt, monet vt inde nos inuidiam timeamus; nam ſi inuidia, ait S. Ambroſ. ſanctos adußit, quanto magis cauendum eſt ne inflammet peccatores? ita S. Ambroſ. qui lib. 3. in Luc. c. 3. vbi de peccato Dauid loquutus ſubdit: Dauid hominem ſe eſſe cognouit, oſtendens nobis neminem virtuti propriæ confidere debere. ita ille.

Caſus igitur ſanctorum in litteris ſacris non ad imitationē, ſed ad timorem proponuntur, ſicut

Simile. naufragia nauigantium narrare ſolemus, vt nautæ rupes illas vel pericula fugiant, in quibus alij perierunt. Quare ſicut ſtultiſſimus eſſet nauigij gubernator, qui ideo nauigium eò dirigeret vbi alij naufragium paßi ſunt, quia ſimiliter eandem viam illi tenuerunt; ſic & illi qui dicerent: *Quid mirum ſi peccauero? & Dauid & Thomas peccauerunt*, &c. Inſtruant nos Patriarchæ (inquit S.

S. Ambr. Ambroſ. lib. 1. de Abrah. c. 6.) non ſolùm docentes, ſed etiam errantes. ita ille. Eſt igitur diuina ſcriptura ſicut hortus quidam, in quo arbores fructiferæ ſunt, in quibus poma ſalubria & pulchra

Simile. inueniuntur, inter quæ nonnulla putrida & mala quoque inſunt; nonne ſtultus eſſet qui malos illos fructus colligeret bonis prætermiſſis? ſic ergo ſtultiſſimus reputandus eſſet, qui relictis ſanctorum ſanctis exemplis decerperet exempla mala. Contendebant Apoſtoli quis eorum eſſet maior, quid inde? Sanct. Ambroſ. lib. 10. in Luc. c. 22. Caueamus ergo ne aliqua inter nos de prælatione poſſit eſſe contentio; ſi enim contendebant Apoſtoli, non excuſationi obtenditur, ſed cautioni proponitur. ita ille. Videbis in Apoſtolis ze-

Simile. lum ingentem animarum, charitatem eximiam, fortitudinem ſublimem Martyrum, patientiam inuictam & alias virtutes inſignes. Hæc imitare, non contentionem illam primatus; ne imiteris muſcas quæ in pomo partem putridam quærunt ad veſcendum, &c. Errauit Petrus & negauit: ſed tamen error Petri (ait Sanct. Ambroſ. vbi ſupra cap. 22.) doctrina iuſtorum, & titubatio Petri, omnium petra ſit. ita ille. Habes in S. Petro exempla magnæ ſanctitatis, hæc ſequere, illa verò fuge; hoc prudentiæ, cæterum imprudentiæ maximæ erit. Titubationem Petri vocat quando timuit ambulare ſuper mare, vti explicat ibidem S. Ambroſ. dicens: Titubatio Petri ſuper aquas noſtra eſt firmitudo.

Virtus.

1. *Facile eſt virtutis opus.*
2. *Sola virtus & Dei gratia nos magnos & amabiles apud Deum facit.*
3. *Verùm gaudium in ſola virtute reperitur.*
4. *Vera nobilitas non in genere, ſed in virtute conſiſtit.*
5. *In arduo ſita eſt virtus.*
6. *Quàm nos virtute & perfectione præditos Deus velit.*
7. *Virtutis opera aßidua nos Dei filios eſſe annuntiant.*
8. *Quàm diligenter Deus conſulat bonæ æſtimationi bonorum.*
9. *Quanta apud omnes ſit excellentia & amabilitas virtutis.*
10. *Virtute prædito, & amanti Deum, facile eſt quidquid præcipitur.*
11. *Quòd virtus doctrinæ anteponenda ſit.*
12. *Quàm homini expediat Deo ſeruire & obedire.*
13. *Ad virtutem & opera bona creauit hominem Deus.*
14. *Viuere ſecundùm virtutem, viuere proprium hominis eſt.*
15. *Quanti æſtimet Deus ſeculares virtute præditos.*

16. *Inſti*

16. *Iusti in diuinis donis priores & potiores sunt.*
17. *Delectabilis est virtus.*
18. *Virilem animum requirit.*
19. *Quàm parum prosit bonus intellectus sine voluntate & virtute.*
20. *Ex virtute oritur requies cordis & pax:*
21. *Virtus nostra in Dei gloriam cedit.*
22. *Quòd peccatum puerorum sit, virtus verò virorum.*
23. *Quàm puerile sit virtutis aspera timere.*
24. *Qui virtute praditus esse cupit, amara virtutis & legis diuina amplecti debet.*
25. *Virtus & sancti mores ad bonam famam & sanctum nomen conducunt.*
26. *Quantum valeant viri virtute praditi ad rempublicam tuendam.*
27. *Virtus sola est qua hominem bonum facit.*
28. *Sola virtus & bona spiritualia sunt bona nostra.*

Propositio I.

Facile est virtutis opus.



Matt. 11. MAtth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Verba Christi Domini sunt qui subdit: *Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quid hoc? nonne & Apostolus 2. Ti. 3. 12. ait 2. ad Timot. 3. *omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur?* imò & ipse Christus Dominus Matth. 20. quos vacantes inuenit ad laborandum in vineam conduxit; quasi diceret: Venite vos qui vacatis vt laboretis. Quomodo ergo hîc ait, *venite qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos?* & tandem nonne Christus dixit Matth. 7. *arcta est via qua ducit ad vitam?* &c. Via autem quæ ducit ad vitam, virtutis via est. Si ergo Christus quos vocat per viam arctam, id est, difficilem, ducit, si ad laborandum in vinea, hoc est in Ecclesia sua, vocat, quomodo vocatis requiem promittit?

2. Co. 4. 17 Audi Apostolum quæstionis huius nodum facile dissoluentem 2. Cor. 4. id est, *quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Pondera dicentis personam; qui enim hoc ait, Apostolus ille est, qui dicebat 2. ad Corinthios 6. *in omnibus commendantes nosmetipsos in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis & plagis,* &c. Et in 2. ad Cor. 11. *à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci,* & reliqua quæ etiam numerare laboriosum est, quanto amplius pati? & tamen ipse ait, *quod leue est tribulationis nostræ.* Hoc S. August. né leue est? Respondet sanctus Augustinus serm. 9. de verbis Domini secundùm Matth. leuem tribulationem dicit, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit æterna vita, & non pati æternos impiorum labores & cruciatus, & æterna perfrui fælicitate iustorum. ita S. August.

Qui ergo vitam æternam desiderat, & amat, cuncta difficilia quæ ad illam assequendam conducunt, facilia æstimabit; quod eloquenti inductione ostendit S. Augustin. ibidem dicens: Omnia sæua & immania, facilia prorsus & prope nulla facit amor; secari se homines & vri patiuntur, vt dolores non æterni sed temporales acriorum dolorum pretio redimantur. Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus quàm otio quieturus, quibus tempestatibus & procellis, quàm tremenda sæuitia cœli & maris impleti sunt mercatores, vt diuitias peresuras acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt periculis & adnecessitatibus plenas? quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores, vt bestiam capiant, & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis necessariæ, & si aper vel ceruus capiatur, magis suauis sit venantis animo, quàm palato comedentis, quia edictus est; quanto ergo certiùs ac faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit? quàm facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pæna vitetur, & æterna requies comparetur? non immerito vas ille electionis cum ingenti lætitia dixit, *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam qua reuelabitur in nobis.* Ecce vnde iugum Christi suaue est, & onus eius leue. ita sanctus August. Idem.

Quæ secundùm rectam rationem sunt, homini secundùm rationem viuenti facilia sunt; quod si ratione corporis corruptibilis aliquam in legis Dei & virtutis via difficultatem senserimus, non ideo à virtute & obseruatione legis recedere debemus. Rectè S. Leo Papa serm. 5. de S. Leo. Epiphan. Non dormientibus prouenit regnum cœlorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur, sed sicut ait Apostolus, *si compatimur, & glorificabimur.* ita ille.

Propositio II.

Sola virtus & Dei gratia nos magnos & amabiles apud Deum facit.

APud homines quidem illi magni sunt, qui vel genere nobiles vel diuitiis abundantes, vel litteris sapientes, vel viribus fortes, vel ingenio præditi sunt; apud Deum verò non hi si virtute carent; si verò virtute præditi sunt licet pauperes, & ignobiles, & idiotæ, & debiles sint, pro magnis habentur, &c. Vnde Dauid ps. 5. *nõ habitabit iuxta te malignus neq; permanebũt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Quasi dicat: *no viuen de vnas puertas à dentro Dios y el peccador, no son para en vno, ni los peccadores tienen ojos señor (si bien se conoZen) para ponerse delante de vos porque es muy cierto que aborreces à los obradores de maldad.* Ita interpretatur hoc S. Basil. in scholiis: Odium, inquit, hîc notat psalmista, quo Deus malitiam detestatur, vt nequeas illi vicinus fieri nisi dignus sis, siue seruus, siue liber, etiam si Rex vel quisquis fueris alius; non enim dignitatibus sed virtute Deus amicos suos solet æstimare. ita ille.

Psal. 38. Psal. 38. *mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*,&c. Quos quæso Dauid hîc amicos Dei vocat? quis tanto nomine dignus homo, vel Angelus, vel seraph ille supremus sit? S. Gregor. S. Gregor. hom. 27. in Euangelia sic respondet: Electos Dei à mundi huius amore separatos psalmista prospexit. ita ille. Viros itaque iustos amicos Dei esse ait propheta Dauid, quanta verò sit excellentia hominum amicos Dei esse, expendamos. Etenim Paulus Apostolus in principio epistolæ ad Romanos sic incipit: *Paulus seruus Iesu Christi*: Seruus, inquit; nomen autem serui in mundo vile reputatur. Cur igitur illud sibi Paulus qui tantus Apostolus erat, sibi assumpsit? & similiter Apostolus Iacobus in principio Epistolæ suæ ad duodecim tribus ait: Iacobus Dei *& Domini nostri Iesu Christi seruus*. Cur non ait, *Apostolus*, sed *seruus*? Respondet Didimus Alexandrinus in hunc locum Didim. Alexand. Iacobi: Quoniam sicut homines mortalem gloriam appetentes in suis conscriptionibus dignitates suas apponunt; ita sancti viri in Epistolis suis seruos Domini nostri Iesu Christi se professi runt, æstimantes hanc appellationem supra regna totius orbis consistere. ita ille.

Rex quidem erat Dauid, & tamen non gloriabatur nomine Regis sed serui Dei. Psal. 115. *O Domine ego seruus tuus*, & quasi non illi satis esset semel se Dei seruum appellare, iterum subdit, *ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, ter simul se seruum Dei esse gloriabatur. Rectè, nam pro magno debet esse alicui, magno Regi & mundi Imperatori serui appellatio. Imò imperatorum omnium caput, summus videlicet Pontifex, quasi indignum se reputans nomine serui Dei, sic de se, *seruus* (inquit) *seruorum Dei*; quasi dicat: Tanta res est Dei seruum esse, vt summo orbis Principi satis superque sit seruorum Dei seruum esse.

Sed quid mirum cum Beatissima Dei Mater, accepta dignitate Matris Dei dixerit: *Ecce ancilla Domini*; nec pœnitens in cantico suo repetat dicens, *respexit humilitatem ancillæ suæ*. Tanta enim res est seruum seu ancillam Dei esse; quanta igitur erit amicum Dei nominari & esse?

Propositio III.

Verum gaudium in sola virtute reperitur.

Psal. 5. 13. PSal. 5. *Lætentur omnes qui sperant in te*, &c. *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*. De iustis, vt constat, hic agit propheta, & omnes illos affirmat absolutè affici lætitia; nimirum quia etsi peccatores sæpe lætentur cum malefecerint, sed lætitia talis falsa est, super fundamentum falsum fundata. Peccatum enim remorsum conscientiæ, terrum timorem, & cruciatus parit: virtus verò, cordis pacem & internum gaudium, imo & gloriam animi quandam. Ideo subdit Dauid, *& gloriabuntur in te*, nimirum quia gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, *vna buena consciencia es vn cielo portatil que comienza aqui, y se perpetua y eterniza en el cielo:* Sic exponit locum hunc S. Basil in scholiis dicens: S. Basil. Etenim hæc est constans lætitia, & numquam desinens. ideo subdit, *& inhabitabis in eis*, ita vt reliqua gaudia non melius sint comparata, quàm fluuiorum fluxibus, eo quod velocissimè diffluant; iustis ergo potissimùm solis competit, vt lætentur & glorientur, ita vt hi qui se se in rebus temporariis iactant, nihil ab illis differant, qui in somnis deliciantur. ita S. Basil. Vbi Simile. nota similitudinem somniantis, quæ læta, & gloriosa sunt somniat, esuriens conuiuium regium, & dum somniat gaudet; sed sicut conuiuium imaginarium & vanum est, ita & gaudium.

Matth. 2. Matt. 2. de Magis cum secundò eis apparuit stella dicit Euangelista: *Gauisi sunt gaudio magno valde*; non simpliciter *gauisi sunt*, sed addit *gaudio magno*, &c. Cur ita? S. Anselm. in hunc locũ: S. Anselm. Gaudio gaudet qui propter Deũ gaudet, qui est verum gaudiũ, sicut vita viuit, qui in virtutibus viuit, & morte moritur, qui in peccatis est: addit & *magno*, quia de magna re, & *valde*, quia nihil ipso maius. ita ille. Gaudium autem mundi nec magnum, nec valde esse potest; quia in rebus nullius penè momenti, vel in prauis fundatur, vnde falsum & caducum illud esse oportet.

Seneca. Seneca epist. 23. volo tibi lætitiam domi nasci; nascitur, si intra te sit, cæteræ hilaritates non implent pectus, leues sunt, nisi forte tu iudices illum gaudere qui ridet, hilari oculo mortem videre, paupertati domum aperire, voluptates tenere sub fræno, meditari dolorum patientiam, hæc qui apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando. Vulgus perfunctoriam habet voluptatem & fundamento carentem. ita Seneca.

Propositio IV.

Vera nobilitas non in genere, sed in virtute consistit.

Isai. 1. ISai 1. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ*, &c. Cur populum Israël populum Sodomorum, & Gomorrhæorum vocat, dum hi infidelium populi sint? Procopius in Procop. hunc locum. Corporalem generis splendorem, tamquam qui de Abrahæ semine essent Israëlitæ iactabant: sed Isaias eos semen nequam, & principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ vocat, vt animi instituto & vita nobilitatem & contra parari doceat. ita ille.

Non est damnanda, nec contemnenda nobilitas generis: sed tamen hoc nobiles animaduertere debent, quòd maior incompatabiliter sit virtutis quàm generis nobilitas; quare nobilitas sine virtute parum, virtus verò etiam sine generis splendore multum valet: nobilitas autem simul cum virtute eminens quidem bonum est. Præterea vitium super generis nobilitatem cadens, plus illud dehonestat, quàm si nobilis ille non esset, sicut olei macula super sericum & pretiosum vestimentum, peius illud deformat quàm si super vile caderet indumentum. *mas campea la mancha de azeyte en la seda, que en el sayal, realza la mancha el caer en buen paño.* Promisit Moyses narraturum se esse genealogiam Noë dicens: *hæ sunt generationes Noë*, & illico subdit: *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Cur non statim parentum & auorum Noë nobilitatem enarrauit, sed solùm mores & virtutes Noë? Rectè ponderauit sanctus Chrysostom. hoc homil. 23. in Genes. dicens: S. Chrys. Scriptura autes nostras spe quadam impleuit, quasi genus Noë narratura, quo relicto, *Noë*, inquit,

inquit, *vir iustus atque perfectus*, &c.ita S.Chrys. qui respondens obiectioni ait: Quæ enim vtilitas ex claris parẽtibus originem ducere, te autem bonorũ morum expertem esse? aut quod damnum fuerit, si parẽtes & progenitores fuerint ignobiles, ipse autẽ virtutibus floreas? ita S.Chrys. Etenim in iudicio Dei non interrogaberis cuius generis fueris, sed cuius vitæ, nisi forte ad maiorem cumulum culpæ. ita ille. & Horatius *dedecorant bene nata culpa*. ita ille. non ait, non prodest genus si adest culpa, sed culpa dedecorat genus.

Luc. 1. 6. Luc. 1. sic sanctus Lucas de Parentibus S.Ioannis Baptistæ: *Erant*, inquit, *iusti ambo, ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela*. Cur aŭtem S.Baptista ista præmisit? S.Ambr. ibidem, quæ, inquit, alia intentio S.Euangelistæ, nisi vt Ioannes Baptista nobilitetur parentibus? sic etiam sancti Samuelis Mater Anna laudatur, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit quam posteris dereliquit. ita S. Ambr. agenti ergo de vera nobilitate Baptistæ attinebat virtutes præmittere parentum, vt ostenderet ea hac potissimùm ratione nobilitatem veram desumendam esse. (S.Ambr.)

S.Chrys. Miratur S.Chrysost. In 1. Matthæi quàm apertè in genealogia Christi exposuerit Euangelista infames illas mulieres Rahab scilicet, Bersabe & Thamar, & viros etiam peccatores; abhorreret enim homines huiusmodi maculas in genealogiis suis. Respondet S. Chrysost. ibi. hom. 2. dicens: Vt nemo propter genus in superbiam eleuetur, sed considerans progenitores Domini, omnem inflationem expectoret, & ob egregia facinora sibi placeat. nemo enim est ex vitio aut virtute parentum paruus aut magnus, obscurus aut clarus; ita vt quod incredibile videtur dicamus. Nescio quo modo magis resplendet is qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, ipse tamen fuerit bonus vir. ita ille. (Idem.)

Sæpe in Euangelio Christus Dominus se filium hominis appellat. Cur non filium Dei, siquidem talis erat? Quod si quia Deus tunc absconditus consulto erat, cur non se filium Dauid nominabat? cum id notum omnibus esset, vnde & multi eum filium Dauid vocabant? S.Chrysost. hom. 3. In Matth. ad reprimendum Iudæorum tumorem, qui nimiùm insolenter de stirpe Abrahæ gloriabantur, rati virtutem parentum defensionem esse vitiorum suorum. ita ille. Vt igitur animaduerterent etiam Regum genus sine virtute, quàm exigui momenti esse; cum iure se filium Dauid vocare posset, noluit, sed hominis filium solum. (S.Chrys.)

Cur deinde non solum claros progenitores dissimulabat, sed etiam obscuros in sua genealogia admisit, imò & ab Euangelistis captimi, cum omnes pro gloria sua ducant, ex virtute prædi-tis trahere genus? Respondet S. Chrysost. vbi suprà. Per ista docens quod si quis propria virtute decoretur, parentum suorum opprobriis non decolorari. ita ille. (Idem.)

P**ROPOSITIO** V.

In arduo sita est virtus.

Sic poëta:
——*Facilis descensus Auerni.*
Sed reuocare gradus, superásq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Labatæ loci Mor. Tom. I.

Sed numquid hac de causa virtutis & perfectionis viam relinquere debemus? absit. At facilius erit, in posterum hanc arripere viam: etenim qui hoc arbitratur, similis mihi esse videtur rustico illi qui numquam fluuium viderat, & eum aliquando ad ripam cuiusdam fluuij perueniret, quem transuadari oportebat, prope aquam sedit, expectans donec omnis fluuij aqua pertransiret: de quo sic Horatius: ——*Sapere aude*, (Horatius.)

Incipe viuendi qui rectè peragat horam,
Rusticus expectat dum defluat amnis: at ille
Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

At si dicat: Ineuitabilis in virtute difficultas, at à virtute abstinere non licet. Ita quidem, nam æterna salus in ea consistit. Merito igitur ait Horatius. *Sapere aude. Audaces* enim *fortuna iuuat timidosque repellit*, muta fortunæ nomen, in Dei nomen, *porque mas haze vn hombre con aliento, que ciento.*

In arduo quidem sita est virtus, sed non in impossibili, & Deus auxilia confert, quando imbecillitas nostra obstat. Gen. 7. præcepit Dominus Noë vt in arcam ingrederetur, erat autem arca tota bituminata. Solum ostium à parte exteriori nõ, quia clausus intus Noë, quod à foris erat bituminata nequibat, sed hoc diuina præstitit prouidentia, dicente scriptura ibidem, *& inclusit eum Dominus de foris*. Vbi Nicolaus de Lyra: Noë quippe intra arcam existens non potuit extra ostium bituminare, & ideo Dominus suppleuit quod homo non potuit. Vnde & Hebraica littera habet, *& clausit Dominus pro eo*, ita Lyrao. & Gloss. interlin. ibidem ait: *Quod homo facere non poterat ne aque introirent, Deus exterius bituminauit*. ita glossa. Quare cum aliquod virtutis opus intercesserit, quod difficultatem præseferat, non ideo animum deponamus, sed diuinum auxilium implotemus: facienti enim, quod est in se, Deus non denegat gratiam. (Lyra.) (Gloss. interlin.)

P**ROPOSITIO** VI.

Quàm nos virtute & perfectione praditos Deus velit.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem Dei. Genes. 1. Quo nam pacto homo est ad imaginem & similitudinem Dei, cum homo res finita, Deus res infinita sit, finiti autem ad infinitum nulla sit proportio, vti Philosophus ait? Si autem homo imago Dei est & similitudinem Dei habet, proportio erit inter Deum infinitum, & hominem finitum. S.Chrysost. hom 9. in Genes. sic respondet: Sicut imaginem dixit ratione principatus, ita & similitudinem, vt pro viribus humanis similes fiamus Deo, mansuetudine scilicet, & lenitate, & virtutibus Deo similes efficiamur: quod & Christus dicit, *estote perfecti sicut pater vester perfectus est*. ita S.Chrysost. At dices, qui fieri potest vt homunculus ad malum procliuis perfectus sicut Deus fit? Qui pueros scribere docet, formulam quandam perfectæ litteraturæ tradit eis, vt formam illam litterarum imitentur, non quidem vt pueruli ita perfectè litteras forment sicut magister, sed vt quàm fieri ab eis possit, litteras magistri imitentur. Sic Deus se nobis tamquam perfectionis normam proponit, non vt eius perfectionem attingamus, id enim impossibile nobis est: sed vt pro viribus secundùm possibilitatem nostram illum imitemur. (Gen. 1.) (Aristot.) (S.Chrys.) (Simile.)

Propositio VII.

Virtutis opera assidua nos Dei filios esse annuntiant.

1. IOan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Tanta quidem res est Dei filium sic esse, vt Apostolus Ioannes indicibilem & inexplicabilem esse his verbis ostendat; neque enim hic explicat quanta sit, sed videndam seu considerandam nobis remisit, dicens, *videte*, &c.
S.Leo. Vnde S.Leo Papa serm. 6. de natiuitate Domini. Magnum, inquit, est dilectissimi, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem: Si autem ad humanam pertinet laudem vt patrum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est ex Deo natos, in authoria sui imaginem refulgere? ita S. Leo. Dices,
S.Leo. in quo igitur quis hoc ostendet? S. Leo ibidem sic ait: Non est animus filiorum Dei ea placere, quæ displicent Deo, & his delectari quibus nouit illum offendi; genus electum & regium generationis suæ respondeat dignitati, diligat quod diligit pater, & in nullo ab authore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus: *filios genui, & ex-*
Isai.1. *altaui, ipsi verò spreuerunt me.* Ostendant in se quod dicit Dominus, *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* ita S. Leo, vbi nota tunc nos Deum tamquam Patrem glorificare, cùm lucida & Deo digna opera exhibemus, non enim ait *vt glorificent Deum vestrum*, sed *patrem vestrum qui in cælis est.*

Propositio VIII.

Quàm diligenter Deus consulat bonæ æstimationi bonorum.

SOlet Deus bonæ famæ & opinioni suorum consulere, eo maximè tempore, quo illa periclitatur amplius. Quod ex variis scripturæ locis constat Luc. 1. *Voluit Deus matrem suam nubere.*
S.Ambros. Cur itacum ea virgine decreuisset nasci? S.Ambr. ne matre, inquit, non desponsata, temeratæ virginitatis adureretur infamia, & maluit Dominus aliquos de suo ortu quàm de matris pudore dubitare. ita ille.

Præterea malam de S. Iob opinionem eius tres amici conceperant, eo quod tot eum tribulationibus quati videbant, quam vt Dominus resarciret, eos vocauit & dixit; *Iratus est furor meus, quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut seruus*
Iob.42.7. *meus Iob.* & subdit: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia.* Vbi nota quàm ægrè Deus ferat persequutionem suorum, siquidem hi tres per ignorantiam peccauerunt, iudicantes propter peccata ipsius Iob ita puniri, & forte intendebant amico animo eum ad pœnitentiam prouocare: quanto igitur magis irascetur in eos, qui viros iustos ma-
Olymp. litiosè persequuntur? Item aduertit hic Olympiodorus in catena Græca, Voluisse Deum ita Iobum pro persequutoribus exorare, vt ipsimet virtutis Iob testes essent; magnum enim sanctitatis argumentum est pro inimicis exorare.

Gen.20.7. Præterea Genes. 20. Rex Abimelech malam de Abraham concipere opinionem valebat, & mendacem & subdolum suspicari, eo quod vxorem suam Saram sororem esse dixisset, & ita occasionem ei dedisset auferendi eam ab eo, & ob id plagatum à Deo fuisse ipsum Abimelech, qua propter sic Dominus loquutus est ei: *Redde viro suo vxorem, & orabit pro te, & viues.* Quid ex hoc colligere potuit Abimelech, nisi magnam Abrahami sanctitatem & dicere, quis est iste quem tanti Deus facit, vt sic in eius defensionem appareat mihi, & præcipiat vxorem ei reddere, & eius orationē laudare? etenim vir sanctus est, qui apud Deum tanti momenti est. ita expendit locum hunc S. Chrysost. quem vide hom. 45. in Genes. S.Chrys.

Item Iosue dum populum Israël in terram promissionis introduceret, magnam stragem hostium fecerat, sanguinem plurimum habitantium in terra illa pacificè, effuderat, Duces multos in crucem egerat, & Reges pedibus calcari iusserat. Nō mirum, si gentibus illis Palæstinæ hoc potius tyrannicum quàm iustum videretur. Vt autem de Iosu.10.11 bono nomine Iosue se curam habere demunstraret, *ecce*, vti ait scriptura, *Dominus misit super eos lapides magnos de cælo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel.* Et rursus ipse Iosue solem & lunam stare fecit in cœlo, quo se non tyrannum, Sed Dei ministrum & familiarem esse manifestauit. Sic expendit Rupert. Ab. lib. super Iosue c. 22. dicens: Rupert. Parum erat apud homines tantum victorem, qui nec mortuis parceret, sed mortuorum quoquo colla pedibus calcari præceperat, mortuosque patibolia affigeret, de crudelitate excusari præcepto Dei, nisi etiam defenderetur nouo & inaudito miraculo. ita ille. ac si dicat: Tanto miraculo voluit Deus eum à crudelitatis infamia liberare. Ipso quidem Iosue strages illas præstabat, vt præceptum diuinum adimpleret, Exod. 23. & Deu- Exod.23.9 teronom. 7. 23. & 25. sed quia præceptum hoc Deut.7.2. hostibus ignotum erat, crudelitati, & impietati factum facile poterant imputare, ideo inaudito miraculo excusauit Deus ipsum Iosue.

Propositio IX.

Quanta apud omnes sit excellentia & amabilitas virtutis.

TVllius in Lælio: Virtute nihil amabilius; Cicero. quippe cum propter virtutem, eos etiam quos numquam vidimus, diligamus. ita ille.

Adeo quidem est amabilis & spectabilis virtus, vt etiam inimicos & hostes alliciat ad amandum eum, in quo virtus resplendet. quod ex lib. 2. Machab. cap. 7. constat, vbi septem sanctis fratribus Machabæis, per varia tormentorum genera vexatis, cum iunior tantùm superesset, improbus Tyrannus Antiochus sæuitiam in mansuetudinem, imò & in beneuolentiam conuertens, cum iuramento affirmabat se diuitem illum facturum & amicum habiturum. Cur amorem illi offert, cuius sanguinem crudeliter effudit? sanctùs Gregorius Nazianzenus oratione Nazianz. de Machabæis sic respondet: Ipse etiam Antiochus admiratus est, conuersis in admirationem minis, nam egregiorum hominum virtus hostibus etiam ipsis admirationem excitare solet. ita ille.

Item adeo virtus allicit amorem, vt non solùm vera virtus, sed etiam adumbrata id præstet. Patet

Mat.19.

Matt. 19. Matth. 19. vbi adolescens ille gloriabatur apud Christum Dominum, se ab adolescentia sua mandata seruasse, & licet nonnulli affirment verum dixisse; nihilominus mentitum fuisse graues autores docent, nempe S. Basil. hom. 7. in auaros. Clem. Alex. lib. 4. stromatum. S. Hier. in c. 19. Matt. S. Ambros. præfatione in Psal. S. August. epist. 89. S. Chrysost. in imperfecto in dictum c. 19. & alij, & quidem non sine fundamento. Colligi enim potest ex verbis Domini dicentis discipulis suis, *Amen dico vobis quia diues difficile intrabit in regnum cælorum*, &c. Diuitem illum taxans, non autem taxaret, si eum diuitiis ille obseruantiam integram mandatorum Dei coniunxisset, & nihilominus Matei c. 10. dicitur in eadem historia: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum*, hoc est signa dilectionis demonstrauit. Cur ita, si verum ille non dixit? quia si veram sanctitatem & virtutem ille non habuit, vmbram tamen eius præ se tolit, quatenus iuuenis ille (verbis saltem) virtutem diligere ostendit, vti doctus quidam interpretatur; vel, vt opinor, quia si non ab ineunte ætate saltem tunc virtutis amator iam erat, hoc sufficiebat vt Christus, magnus virtutis amator, illa dilectionis signa demonstraret.

S. Basil. Clem. Alex. S. Ambros. S. Hieron. S. August. S. Chrys.

ad Heb. 11. Ad Hebræos 11. Paulus agens de antiquis Patriarchis sanctis, *quibus*, inquit, *dignus non erat mundus*. Ponderat locum S. Theoph. dicens: Si vniuersam mundi structuram cum hominibus, qui in eo sunt, opponas his sanctis, non inuenies, quid illis dignitate respondeat. ita ille. ac si dicat: Imaginare mundum vniuersum plenum pluribus & pretiosis diuitiis ac delitiis, & insuper refertum hominibus, non inquam peccatoribus, sed qui nec peccatores, nec iusti essent, sed in puris naturalibus sine gratia supernaturali, non esset quidem mundus dignus, qui vnico iusto assimilaretur.

S. Theop.

S. Ambr. Ambros. lib. 1. offic. c. 1. de virtute sub nomine honestatis agens: Tantus, inquit, est honestatis splendor, vt sicut exortus Sol Lunæ globum, & cætera stellarum abscondit lumina; sic fulgor virtutis, extera quæ censentur bona, secundum corpus aut secundùm sæculum clara & illustria obumbret. Beata plenè quæ non alienis æstimatur iudiciis, sed domesticis percipitur sensibus tamquam sui iudex, quæ numquam opiniones populares requirit, neque pro supplicio pauet. ita ille.

PROPOSITIO X.

Virtute prædito, & amanti Deum, facile est quidquid præcipitur.

MAtt. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Leue* dicit, sed quomodo *leue*, cum inimicos amare præcipiat & benefacere persequentibus nos, & nos ipsos abnegare, & tollere crucē S. August. nostram? S. August. lib. de bono viduitatis c. 21. nollo modo laboriosi sunt labores amantium, in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipse amatur. ita S. Aug.

Vnde Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Aquæ in sacris scripturis labores & aduersa significant, secundùm id Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Es el amor como fuego de al quitran que las aguas por muchas que sean no lo matan*, hoc est labores & tribulationes non valent extinguere Dei amorem; & iuxta id Dauidis, *intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, id est labores; aquæ enim symbolum sunt laborum. Super aquas ergo ferebatur Spiritus sanctus qui amor (Spiritus enim sanctus amor est) supernatat in laboribus, & non suffocatur & extinguitur in eis; si Dei amorem habueris, non submergeris in laborum aquis, quia aquæ licet multæ non possunt obruere & extinguere charitatem.

PROPOSITIO XI.

Quòd virtus doctrinæ anteponenda sit. Vide propos. 18.

BEati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Ps. 118. 1. Ponderemus hic ordinem, quem Propheta seruauit; etenim intellectus naturæ ordine prior est voluntate, *nihil* enim (ait Philosophus) *volitum quin præcognitum*. Priùs igitur dicendum esse videbatur, *beati qui scrutantur testimonia eius*, quàm *beati immaculati in via*; hoc enim ad voluntatem, illud verò ad intellectum spectat. Sed optimè ordinem hunc expendens S. Ambr. dixit: Quàm pulcher ordo, quàm plenus doctrinæ & gratiæ! non priùs dixit *qui scrutantur*, sed priùs, *beati immaculati in via*; ante enim vita quàm doctrina anteponenda est; vita enim bona sine doctrina habet gratiam, doctrina verò sine bonitate vitæ integritatem non habet. ita S. Ambros.

Aristotel.

S. Ambr.

Vnde etiam Dominus per Oseam c. 10. *seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale*. S. Ambros. super Ps. 118. serm. 1. sic legit: Seminate vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis. Et exponens idem sanctus ait, non priùs illuminate, sed seminate ad iustitiam. ita S. Ambr. qui id ipsum adnotauit ibidem ex 1. ps. vbi dicitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, &c. Et subdit, *sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte*. Priùs enim voluntatem in lege, postea meditationem intellectus constituit, quia ad saluationem nostram voluntas iusta sufficit, non verò sine iusta voluntate properans meditatio. Quamobrem ibidem S. Ambr. ait, hanc institutionem sequutus Salomon librum priùs de prouerbiis scripsit, quo moralem locum vberiùs expressit, naturalem deinde in Ecclesiaste. ita ille.

S. Ambr. Idem. Idem.

PROPOSITIO XII.

Quàm homini expediat Deo seruire & obedire.

SAnct. Aug. lib. 8. de genesi ad litteram, expendit numquam Deum in operibus sex dierum vocari Dominū, nisi postquam hominē creauit. Cur non semper cum omniū creaturarum Dominus sit? *In principio* (inquit scriptura) *creauit Deus cælum & terram*. Cur non ait *Dominus Deus*, sed tātum *Deus*, & eodem modo in creatione aliarū rerum, vsq; ad hominis creationē? S. Aug. sic respōdet: Non quòd aliarum creaturarū Dominus non esset, sed ad hominem admonendum, quorum ei expediat habere sibi Dominum Deum, hoc est sub eius dominatione viuere obedienter potiùs quàm licentiosè abuti propria potestate. Deus enim nostra seruitute non indiget; nam si nobis

S. August. Idem.

nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cum per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruiret; merito que dicitur in psalmo. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non*, &c. Nos verò dominatione eius indigemus, vt operetur in nobis, & custodiat nos; & ideo verus & solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram vtilitatem salutemque seruimus, ita S. Aug.

Propositio XIII.

Ad virtutem & opera bona creauit hominem Deus.

GEnes. 1. sic Dominus Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quid sibi vult hæc Dei imago & similitudo? quis Deo similis esse potest? S. Athanas. lib. quæstion. quæstione 88. Est homo ad imaginem Dei factus, quia sicut Deus est in mundo Rex & Imperator, & in omnia potestatem exercens; sic homo Princeps & Rex constitutus est in omnes res terrestres, qui libera sua voluntate facit, quod vult, sicut ipse Deus, & hoc est, quod dicit, *ad imaginem suam.* Ad similitudinem verò, quia sicut Deus bonus est, beneficus, misericors, iustus, longanimis, mansuetus, & qui nos amat & condolet, pacificus & placidus; sic talem vult hominem esse, vt omnibus virtutibus exornatus sit, & Deum in his imitetur quantum fuerit virium humanarum in omni opere bono. ita ille.

S. Athan.

Propositio XIV.

Viuere secundum virtutem, viuere proprium hominis est.

PSal. 118. *Intellectum da mihi & viuam.* Numquid carebat intellectu Dauid, vt dicat, *da mihi intellectum*? Et præterea consistit ne vita hominis in intellectu, quia dicit, *da mihi intellectum & viuam?* Vitam quidem in vnione animæ & corporis consistere videmus, & non in intellectu. Licet enim moriatur homo, in anima eius remanet intellectus; quomodo ergo ait Dauid, *Intellectum da mihi & viuam?* Liceat nunc mihi respondere, non verbis sanctorum sed Philosophi infidelis ad nostram confusionem. Senec. epist. 23. Malè viuunt, qui semper viuere incipiunt; quidam autem tunc viuere incipiunt, cum desinendum est. Si hoc iudicas mirum, adiiciam, quod magis mireris; quidam antea viuere desierunt, quàm inchoarent. ita Seneca. Ad cuius explicationem supponendum est triplicem esse in homine vitam secundùm Philosophos; vegetatiuam, quæ in plantis etiam reperitur; animalem, quam cum brutis communem habet homo; & rationalem, quæ hominis propria est inter omnia corporalia. Seneca verò in loco citato agit de vita propria hominis, quæ in ratione & intellectu consistit. Ait ergo, male viuunt, qui semper viuere incipiunt; hic carpit eos qui rationis & virtutis viam assumunt, & statim ab ea recedunt, & sæpe vitam rationalem in eo habentes toties terrocedunt, hi partim viuunt rationali vita, partim animali. Subdit Seneca: Quidam tunc viuere incipiunt cum desinendum est, hi sunt qui vsque ad senectam & senium differunt secundum rectam viuere rationem. Quidam denique (inquit) priùs viuere desierunt, quàm inchoarent, hi sunt qui rectè viuere desiderantes priùs moriuntur quàm incipiant. hi omnes opus habent Deum deprecari, & dicere cum Dauid: *Domine da mihi intellectum & viuam*; vita scilicet intellectuali, & rationali, quam quidem vitam absolutè vocat, quia vita quæ non secundùm intellectum est, non est hominis vita, sed bruti animalis, quam quidem multi Christianorum degunt.

Seneca.

Propositio XV.

Quanti æstimet Deus sæculares virtute præditos.

GEnes. 15. & ad Roman. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Quid inquies mirum, quod Abraham crederet Deo? mirum potius si non credidisset. Respondet Hugo Victorin. in Genes. 15. Quia sic credere Deo tunc temporis magnum erat, quando pene vniuersus orbis in cultura dæmonum errabat. Sic igitur dicendum plurimum æstimare Deum sæculares virtute præditos, quia mundus in maligno positus est, & cum exempla malorum efficacia sint ad aliorum animos peruertendos, magnum est inter malos bonum esse hominem. Etenim, quod in clausttis religiosi boni sint, non ita mirum, quia bona aliorum exempla eos seruant, & alia adminicula plura, quæ ad sanctè viuendum iuuant, at degentem in media platea Babylonica, se innocentem seruare multum quidem est.

Gen. 15. Rom. 4. 8.

Iob. 1. sic scriptura sacra de S. Iob: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Eximia est laus ista, tum quia eximias Iobi continet virtutes, tū quia laudator est Deus, qui & summatim perstringens laudes eius dixit hosti: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra?* quid amplius desiderari potest de laudibus viri huius? Sed quid est, quòd inter laudes eius partiam numerans, ait: *vir erat in terra Hus?* Hus namque terra gentilium & idololatrarum erat: hoc autem non videtur in laudem cedere Iobi, sed in vituperium; gloriari enim solent homines in nobilitate & gloria patriæ: quæ autem nobilitas, quæ gloria ex infidelium patria prouenire potest? S. Greg. 1. Mor. 1. Dicatur, inquit, vbi habitauerit Iob, vt hoc eius laudibus proficiat, quod tam bonus inter malos fuit; neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi præconij est bonum inter malos etiam extitisse. ita S. Greg. Vnde cum idem S. Iob de se dixit c. 30. *frater fui draconū & socius struthionum*, nolens non exiguam de se laudem protulit, sicut obseruauit ibidem S. Gregor. dicens: Idem beatus Iob sibi attestator, dicens, *frater fui draconum & socius struthionum.* ita ille. vide ibidem S. Greg.

S. Gregor.

Hinc Dauid Psal. 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus; quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, &c. Quasi dicat: Perdifficile quidem est inter malos bonum esse, ideo precor bonitatem tuam Domine, vt me inter malos habitantem serues, & in tua gratia conserues; exiguæ siquidem sunt humanæ vires ad societatem & exempla malorum superanda.

Psal. 11. 1.

Propo

Propositio XVI.

Iusti in diuinis donis priores & potiores sunt.

GEnes. 4. cum diuina scriptura de Cain & Abel agit, primo loco Cain constituit: at cum de modo quo se Deus erga illos habuit, cum vterque sacrificium Deo obtulisset, priori loco Abelem posuit dicens: *respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera eius non respexit.* Cur ita? nonne prior natu erat
Procop. Cain? Respondet Procopius: Vide generationis seriem, in ea priùs posuit. Cain respectu temporis; si autem respectus habeatur studiorum, priori loco pius & iustus collocatur. ita ille. Vnde cum Christus Dominus in montem Thabor ascēderet; vbi trasfigurandus erat; & tres tantùm testes transfigurationis secum ducere vellet, Petrum, & Iacobum, & Ioannem elegit, qui tanto illo fauore simul potirentur; cur potius hos quàm alios? Resp. S. Chrysost. quia hi potiores erant. ita ille. *si porque en los fauores de Dios los primeros en seruitio van delante, los buenos son los mejorados de Dios enterçio y quinto.*

Propositio XVII.

Delectabilis est virtus.

MVlti viam virtutis aggredi reformidant, quia difficilem & arduam valde illam imaginantur, quia corporis & non animæ oblectamenta experti sunt, & maxime quia vitiorum suorum exercitatione assuefacti sunt. Ad hos igitur Spiritus S. in Prouerb. c. 4. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Opposita videtur hæc sententia loco illi Christi Domini Mat. 7. *arcta est via quæ ducit ad vitam*, &c. Et rationi etiam obstare videtur; quia ad ingressum viæ huius oportet affectus animi reprimere ac mortificare. Re-
Beda. spondet Beda, viam virtutis in initio quidem arctam & difficilem esse non assuetis, sed exercitatis facilem & iucundam; etenim priùs quàm homo passiones suas & affectus moderetur, difficilem virtutis viam inueniet, sed passionibus moderatis iucundam experietur virtutem, sicut ex-
S. August. pertum se esse affirmat S. August. lib. 8. confessionum cap. 11. vbi ait, sic veluti loquutas fuisse illi interius consuetudines antiquas mundi, sic dimittis nos? Et iam non erimus tecum? sed quàm dulce mihi factum est carere illis suauitatibus nugarum? ita ille.

Plutarch. Referam ad rem quod Plutarch. in suis Apoph. refert: Cum Lacedæmoniis copias in Thebanos educerent, & varia Thebanis oracula offerrentur, quorum alia victoriam illis pollicebantur, alia verò contraria prædicebant, Epiminondas iussit bene promittētia ad dexteram tribunalis poni, contraria verò ad lęuam. Tuncque surrexit & dixit: *Si volueritis parere Ducibus* (ostensis melioribus) *hæc vobis oracula reddita sunt.* Quod si segnes & timidi fueritis (ostēsis peioribus) *hæc oracula vobis reddita sunt.* Sic interpretatus oracula Deū dixit prospera polliceri strenuè parētibus ducibus suis, timidis verò infausta. ita Plut. Ita & ego nunc, ait enim Dominus Mat. 7. *arcta est via quæ ducit ad vitā*, & Mat. 11. *iugū meū suaue est*, oracula videntur opposita, sed non sunt; qui enim strenuè se gesserit, & Deo parere omnino decreuerit, iugum Christi suaue reperiet; qui verò segnis fuerit, & passiones sensitiuas mortificare noluerit, arctam nimis viam virtutis inueniet.

Refugit quidem caro hanc passionum suarum mortificationem; sed id præstandum est illis, quod mulabus, quæ facile ab vmbris deterren- Simile.
tur, præstare solemus; illas enim ad vmbras ipsas reducimus, vt visu & experimento discant nihil esse quod timent, vt in posterum visis vmbris non terreantur. Sic cum carne nostra agendum est, timet vmbras & refugit; sed calcaribus & fræno reducenda est ad vmbras, vt nihil in illis timendum esse experiatur sed potius virtutem Cicero.
libenter amplectatur. Nam, vti Cicero ait lib. 2. de finibus, si oculis cerneretur virtus, mirabiles sui amores excitaret. ita ille.

Propositio XVIII.

Virilem animum requirit.

PSal. 1. *Beatus vir qui non abiit in cōcilio impiorum*; &c. hoc est, beatus vir qui virtute præditus est. Cur hanc beatitudinem solis viris attribuit? cur non etiam mulieribus? siquidem plures virtute Luc. 1.
quoque præditæ sunt. Respondet S. Basil. in scholiis super Psal. 1. Nemo fæminas hac beatitudine priuari censeat, simul enim propheta iam mulieres, quam viros amplectitur, ea ratione, qua vir mulieris caput est. ita ille. Sed liceat mihi aliam adhibere causam, quia mulier scilicet, quæ virtute prædita est non mulier, sed vir dici potest: quamuis enim natura mulier sit, virtute tamen vir est; à virtute enim dicitur vir.

Propositio XIX.

Quàm parum prosit bonus intellectus sine voluntate & virtute. Vide prop. 11.

LVc. 1. sic Angeli Christi natiuitatem celebrātes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cur non dixit, *hominibus boni intellectus*, siquidem apud nos, quod inter animæ potentias potissimum æstimamus, bonus intellectus est: si enim de aliquo dixeris bonam non habere memoriam, pro nihilo fere ducet; si bonam in eo voluntatem desiderari, non multum qui vitiosus est propter hoc irascetur, at si eum dixeris bono intellectu carere, valde commouebitur, quia acumen intellectus pluris apud omnes habetur. Cur igitur Angeli non laudant homines boni intellectus, sed bonæ voluntatis? Nimirum, quia Angeli his qui in diuinum honorem & obsequium cedunt & in hominis saluationem, primum concedunt locum; potest quis Deo seruire & saluari bonam habens voluntatem, etiam si intellectus præstantia careat, non verò si voluntate bona; bonam autem voluntatem virtus præstat, & opera bona faciunt.

Immò vt semel etiam dicamus, qui bona caret voluntate, oportet careat simul intellectu bono: Psal. 111. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Iansen. ex Originali Hebræo sic legit, *intelligentia bona omnibus facientibus eam* vbi sensum reciprocum esse animaduertit, quasi dicat: Ille habet bonam intelligentiam qui opere complet,

quod bono percipit intellectu; vt si cognoscat bonum esse orare, oret; bonum esse, eleemosynam dare det; bonum esse sacramenta frequentare, frequentet; aliter non bonum sed malum habebit intellectum.

Propositio XX.

Ex virtute oritur requies cordis & pax.

S. Chrys. MAt. 1. *Aminadab genuit Naasson*. S. Chrysost. hom. 1. imperfecti, nominibus Patriarcharum magna mysteria credit iuxta interpretationem eorum. Ait ergo ibidem, *Aminadab* Hebraicè significat idem, quod *genus desiderata*; *Naasson*, verò interpretatur *requies*; verè enim qui præbet se desiderabilem apud Deum, generat sibi requiem. ita ille. Omnes quidem requiem quærunt, & pacem cordis; sed tamen solùm præditi virtute eam inueniunt, quia *non est pax impiis dicit Dominus*; & rursus, *tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris*. non ait, *corporibus vestris*, sed *animabus*, quia semper est iustis cum corpore bellum, cum anima pax.

Propositio XXI.

Virtus nostra in Dei gloriam cedit.

MAt. 6. *sanctificetur nomen tuum*. Quomodo, inquies, sanctificetur nomen Dei? nonne per se ex seipso sanctissimum est? quanam igitur Cassian. sanctificatione adhuc eget? Cassianus collat. 9. de oratione: *sanctificetur nomen tuum*, idem est ac dicere, tales nos facito Pater, vt in nostra conuersatione spirituali sanctus appareas; quod tunc efficaciter impletur in nobis, quando videot opera nostra bona & glorificant Patrem nostrum, qui in cœlis est. ita ille. Sicut igitur mala opera Christianorum causa sunt, vt nomen Dei blasphemetur inter gentes; ita è conuerso opera eorum bona efficiunt, vt glorificetur apud fideles & infideles. Quid autem ampliùs ex nostris bonis operibus excelsius desiderare valemus quàm vt sanctificetur, seu glorificetur Deus propter nos? etenim nec glorificatio nostra in cœlo huic diuinæ glorificationi comparari valet.

Propositio XXII.

Quòd peccatum puerorum sit, virtus verò virorum.

Ierem. 31. IErem. 31. *Fœmina circumdabit virum*, locum hunc ad Christum Dominum spectare notissimum est, cum nempe adhuc existeret in vtero matris. Cur igitur eum virum appellet propheta, cum adhuc infans nec natus esset? Nimirum, quia sapientia & fortitudine animi vir perfectissimus erat; at peccatores vide quomodo appellentur à Propheta Isai. c. 65. *Infantes dierum, & pueri centum annorum*. Ex Prou. 1. Dei sapientia introducitur prædicans in foro hominibus referto dicens, *vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient?* nonne in foro viri nobiles, & senes conueniunt? cur ergo pueros eos vocat? Nimirum, quia ad peccatores sermo est, & hi pueri meritò dicuntur, quia sicut pueri prudentia carent, sic & peccatores; nulla enim stultitia maior quàm peccare, nulla insania maior; si enim insanos dicimus eos, qui insana verba dicunt, quanto magis eos qui insana opera faciunt? ideoque & stultos ibi sapientia vocat peccatores.

Vnde S. Ambros. ad illa verba de Baptista, *erit magnus coram Domino* in cap. Luc. 1. ait: Est paruitas animæ & virtutis pueritia (& subdit) animæ numerantur ætates non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis, vt vir perfectus ille dicatur, qui errore pueritiæ careat, & lubricum adolescentiæ animæ maturitate non sentiat. ita S. Ambros. S. Ambros.

Psal. 104. *Misit ante eos virum: in seruum venundatus est Ioseph*. cur hic Dauid virum fuisse dicit Ioseph, cum non haberet nisi sexdecim annos vt constat ex cap. 37. Genesis? Rupert. lib. 8. in Gen. c. 33. quia licet iuuenilem ætatem ageret, virilem præferebat. ita ille. Rupert.

Propositio XXIII.

Quàm puerile sit virtutis aspera timere.

SI puer aliquis personatum hominem videt, qui faciem deformem præferat, timet, horret, fugit, plorans; quod si personatus illam deponat & faciem hilarem ostendat, sistit pueculus, cessatque pauor eius, & ridet. Sic qui ad modum pueri nil aliud in virtute respicit nisi aspera eius, ieiunia, mortificationes, pœnitentias, propriam abnegationē &c. pauet, horret, fugit; at si quæ subtus faciem terrentem latebant consideret, honestatem, & meritum, & conscientiæ pacem facilè, & amabiliter amplexabitur virtutem.

Vnde Cicero lib. 2. de finibus: si virtus, inquit, oculis cerneretur, mirabiles in nobis excitaret amores. ita ille. Qui ergo eam timet, meritò puer dicendus est; nam, vti ait Tertulli. lib. de pœnitentia. cap. 11. solùm incommoda corporis reformidat. Incipiat igitur homo virtutis ingredi vias, & quanta sit dulcedo eius facilè experietur. Audi sapientiam Prouer. 4. *viam, inquit, sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Vbi nomine sapientis virtutem significare scitum est, &c. Cicero. Tertul.

Propositio XXIV.

Qui virtute præditus esse cupit, amara virtutis & legis diuinæ amplecti debet.

DE ouce Patroclo sic Plutarchus: Patroclus in bellum proditurus omnia Achillis arma sibi sumpsit præter hastam quam reiecit, quia grauis & ponderosa erat. ita. Plut. quod mihi conuenire videtur his qui imperfectè virtutem amant. Omnes quidem ad pugnam & bellum nati sumus, militia enim est vita hominis super terram, nam aduersus vitia & peccata pugnamus, & etiam aduersus difficultates & impedimenta virtutum, & legem Dei. Virtus enim in arduo sita est. Sunt autem nonnulli ex his qui saluari desiderant qui ea quæ sunt facilia in via virtutis, & saluationis, facile præstant, quæ difficilia reiiciunt; audire enim sacrum, & virginis coronam recitare, nonnullam eleemosynam pauperibus dare, & huiusmodi Plutarch.

modi alia facere non detrectant. At inimicis parcere & iniurias patiēter pati, pecunias, & honoré, & famam restituere, fortiter tentationes repellere, pænitentiæ labores subire, se ipsos abnegare, & tollentes crucem suam Christum Dominum sequi, nequaquam se id posse affirmant; hi Achillis arma sumentes, hastam reiiciunt, quia grauem & ponderosam esse aiunt; hos militia Christiana non admittit, nec cælestis corona, dicente Apostolo, *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Coronatur ipse Apostol. qui dixit: *bonum certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitia,* &c. ad Timor. 4.

Propotsio XXV.

Virtutes & boni mores ad bonum nomen & ad bonam famam conducunt.

Gen. 17. GEnes. 17. sic Deus ad Abraham: *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* Quid quæso intererat Abram, vel Abraham vocari? S. Hieronym. in lib. quæstionum Hebraicarum, Respondet dicens: Dicunt Hebræi quòd Deus ex nomine suo *Tetragramaton* addiderit nomini Abram literam illam, *H.* sic S. Hieronym. Sed quod iudet multum quidem, nam nomen Dei Tetragramaton valde honorificum & gloriosum est, prout indicauit Dauid Ps. 8. dicens: *Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Igitur ex gloriosissimo nomine Dei aliquam litteram communicare nomini Abrahæ valde gloriosum fuit illud, maximè quia indicium fuit eximiæ virtutis, & sanctitatis Abrahæ ex sanctissimo nomine Dei nomini Abram incrementum didisse. Inde quippe colligere omnes poterant quanta esset virtus & sanctitas Abrahæ, ex virtute autem & ex sanctitate hominis honor & fama oritur gloriosa. S. Hieron.

Propositio XXVI.

Quàm valeant viri virtute pradti & iusti ad rempublicam tuendam.

Genes. 18. REuelauit Deus Abraham Sodomorum euersionem, misericordia autem commotus Abraham, & tantam cladem euitare desiderans, orauit ad Dominum dicens: *numquid perdes iustum cum impio? quid si fuerint ibi decem viri iusti? Cui Dominus: Non delebo propter decem.* Ponderat locum hunc S. Ambros. lib. de Abrah. cap. 6. dicens: Discimus ex hoc loco quantus murus patriæ sit vir iustus, & quemadmodum non debeamus inuidere sanctis, nec temere derogare; eorum enim virtus nos seruat, nam etiam Sodoma si decem tantùm viros iustos habuisset, non periisset. ita S. Ambros. S. Ambros.

S. Chrys. Amplificat veritatem hanc S. Chrysost. ho. 42. in Genes. locum hunc expendens & dicens: O multa Dei bonitas quæ propter paucos solet multis dare salutem! imo quando non est inuentus in vita præsenti iustus; propter defunctorum iustorum virtutem, viuorum miseretur, dicens: *protegam Ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum*, quasi diceret: Licet habitatores ciuitatis Hierusalem indigni venia sint, propter misericordiam meam, & puerum meum Dauid, qui ante tot annos è vita migrauit, hic author salutis sit his qui desidia sua perdiderant se. ita S. Chrysost.

Consonat quod Dominus ait Ierem. 5. *circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* (hoc est ciuitati Hierusalem) ita exponit Sanct. Hieron. Grandis amor iustitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & responsionem Dei pro decem viris iustis liberare vellet Hierusalem (sed si inuenerit vnum) ciuitatem, inquam, jamjam perituram. ita S. Hieron. S. Hieron.

Eadem etiam est ponderatio Theodoreti in eundem locum Ieremiæ dicentis: Immensa est tum illorum hominum ætas, tum Domini beneuolentia; illi enim vnanimiter ad male agendum tendunt, Deus autem vel vnius iusti beneficio omnibus veniam pollicetur. ita ille. Ecce quàm vtiles sint reipublicæ viri iusti, quos mundus cõtemnere solet. Animaduertant hoc Reges, & reipublicæ moderatores, qui de eius salute & prosperitate curam gerunt, & ne in solis pecuniis & armis, & solicitudine sua confidant, & causentur multas esse familias religiosorum, non attendentes manus Moysi in oratione ad Deum eleuatas, potiùs Amalechitas vicisse quàm milites armatos exercitus populi Israël. Faueant ergo viris religiosis aduersus insidias dæmonum volentium eos expellere, quia conatus eorum frangunt. Sunt viri iusti ciuitatum mœnia & milites absque armis fortissimi, & clypei nos ab ira Dei protegentes, &c. Vnde Dauid Psal. 105. agens de ira Dei, qua consumere volebat filios Israel in deserto propter conflationem & adorationem vituli, ait: *Et dixit (Deus videlicet) vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* In confractione, ait S. Aug. hoc est in plaga, qua illi erant feriendi. ita ille. vide cap. 32. Exodi, quomodo vn⁹ Moyses placauerit oratione sua Deum volentem disperdere populum Israëliticum ob illud Idololatriæ peccatum. Theod. S. August. Exod. 32.

Propositio XXVII.

Quòd sola virtus sit quæ hominem bonum faciat, non sapientia, non dignitates mundi, &c.

SAnct. August. ser. 12. de verbis Domini: Bona, inquit, vis habere, & bonus non vis esse. non vides te erubescere debere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habes malum? quid enim est quod velis habere malum? nihil omnino, non vxorem, non filium, non seruum, non domum, non tunicam, non calceum, & tamen te vis malum habere? Rogo te, præpone animam tuam calceis tuis. Etenim si tibi bona tua loqui possent, clamarent: Sicut tu nos habere vis, sic & nos bonum volumus Dominum habere. ita Sanct. August. S. August.

Propositio XXVIII.

Sola virtus est proprium hominis bonum.

REliquis à virtute bonis mundi vtimur quidem, sed propriè loquendo illa bona nostra non sunt, sed sola virtus. Sanct. August. ser. 51. de verbis Domini: Quæret aliquis quid sit bonum? S. August.

bonum

bonū tuū est quod nō potest amitti te inuito, potes amittere aurum etiam nolens, & honorem, & domum, & salutem; bonum verò quod verè bonos es, nec inuitus accipis, nec inuitus amittis. ita S. August. Vide igitur quàm stultus sit homo qui bona non sua præponit bono suo, quo & bonus est, & quod non temporale, sed æternum est?

S. August.

Vindicta.

1. *Qui vindictam ab inimicis quærit, ab inimicis vinci solet.*
2. *Virorum fortium est iram moderari & parcere.*
3. *Qui parcit inimico, indulgentiam sibi & veniam à Deo consequetur.*

Propositio XIII.

Qui vindictam ab inimicis quærit, ab inimicis vinci solet.



Psal. 7. Psalm. 7. sic ad Dominum Dauid: *Domine Deus meus, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Quid est decidam ab inimicis meis inanis? Sanct.

S. Basil. Basilius sic respondet, quasi dicat Dauid: Si manus mea ad vlciscendum contra inimicos moui, decidam ab spe quam habeo in te; spes enim illi erat haud futurum, vt in potestatem inimicorum veniret. ita S. Basil. Ita quia immeritò victoriam sperat à Domino reportare de inimicis, qui authoritate propria vindictam de iis quærit. Iure quippe pœnam talionis merentur, qui vindictam iniustam de inimicis sumunt.

Propositio II.

Virorum fortium est iram moderari & parcere inimicis.

Naum. 1. NAum. 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine.* Dices, cur patientiam cum fortitudine

Theophil. coniunxit? Theophylact. sic respondet: Quòd Deus longanimis, & patiens sit super iniquitates peccatorum, non propter imbecillitatem hoc facit; est enim in fortitudine magnus, & ingens robur eius. ita ille. Quomodo autem sit magnus fortitudine? explicat verba sequentia Prophetæ, *& mundans non faciet innocentem*; & hoc Naum Niniuitis Propheta, postquam iam semel per Ionæ prædicationem conuersi à via sua mala fuerant, qui tamen reinciderunt. Quare Theodor.

Theod. sic explicat verba hæc: Non, inquit Naum, Deus statim pœnas sumit, sed diutissimè patiens est; huius rei vos Niniuitæ testes estis, qui cum vos pœnituisset actæ vitæ salutem assecuti fuissetis; & rursus eum plurima malitia contaminati fuissetis, non pro hac mox pœnas dedistis, sed diutissimè hominum iniquitates ferens Deus, noluit etiam non pœnitentibus supplicia irrogare. Hoc enim explicauit; dicens, *& mundans non faciet innocentem*, hoc est eum qui supplicio digna commiserit, non relinquet Dominus impunitum. ita Theod.

Rectè igitur copulauit Propheta fortitudinem cū patientia. Imò in hoc ipso quòd patiens est, se fortem exhibet multum, quod non subitò iram suam exerceat, se ipsum vindicans. vnde Sanct. S. Hier. Hieron. sic explicat hunc locum Naum: Dominus quidem diu sceleris Assyriorum patiens fuit, & fortitudine magnanimitatis suæ sustinuit iniquitates eorum. ita ille. & Varabl. sic etiam exponit dicens: Deus non ducitur ira, more hominum, sed potest iracundiam cohibere, quandiu velit, opportuno tempore puniturus. ita ille. Hæc igitur, hæc laus Domini nostri est, quòd cum omnipotens sit, & illico possit peccantes opprimere, & calcare, sæpe diu dissimulet propter pœnitentiam & hoc fortitudinis diuinæ opus est.

Vnde viri fortes hac laude digni iudicantur, quòd mansuetudine iram vincant. Quamobrem Cicero oratione pro Marco Marcello: Hodierno (inquit) die te ipsum vicisti; vereor vt hoc quod dicam, non periode intelligi possit, sicut ego cogitans sentio; ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa quæ illa erat adepta, victis remisisti; nam cum ipsius victoriæ conditione iure victi omnes occidissemus, Clementiæ tuæ iudicio omnes conseruati sumus. ita Cicero. Cicero.

Hinc Dauid Psalm. 7. *Deus fortis & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* vide qualiter fortitudinem cum patientia coniunxit; hæc enim non sunt opposita sed composita. Vnde meritò ostendens quomodo sit fortis, adiunxit, *& patiens.* vbi Cassiodorus, patiens, inquit, est; quia peccatores ad pœnitentiam expectat; quos perdere pro suorum delictorum qualitate potuisset. ita ille. Dicerem ego, fortis, quia patiens. Psal. 7. Cassiod.

Veritas hæc maximè constat ex oratione illa, quam Moyses fecit Numerorum cap. 14. quando iratus Dominus contra populum Israel in deserto, voluit disperdere illum ob sua peccata, dicens: *Feriam eos pestilentia atque consumam.* Ad quem Moyses misericordiam petens, Inter alia dixit: *Magnificetur fortitudo Domini*, &c. Quid ais Moyses, misericordiam petens ad fortitudinem Dei recurris? cur non ais, *magnificetur misericordia tua?* bene quidem, quia in miserendo Dei fortitudo manifestatur, sicut in homine debilitas cum parcere vel expectare patienter renuit; fortitudo verò animi cum miseretur & parcit: Discamus ergo & nos hanc veræ fortitudinis lectionem, & cesset error hominum mundanorum, qui tunc se fortiter agere censent, cum inimicos ad mortem vsque persequuntur. Num. 14.

Denique ex hac eximia Dei misericordia & clementia in peccatores, caueant omnes occasionem inde sumere peccandi, vel in peccato perseuerandi, quia scriptum est Ecclesiastici cap. 5. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triste? altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum, & ne dicas: *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* ita Spiritus S. Et quidem verba hæc sunt omni ponderatione digna, in quibus id maximè obseruandum est, inuisum maxime esse Deo abuti misericordia eius, ansam ex ea sumendo amplius peccandi. Eccl. 5.

PROPO

Propositio III.

Qui parcit inimico, indulgentiam suorum peccatorum facilè à Deo consequetur.

S Leo.

LVc.6. *dimittite & dimittemini.* Quod sic exponit Sanctus Leo Papa ser. 10. in Quadrages. vt quis à Deo indulgentiam accipiat, gaudeat se inuenisse cui parcat; vt cum secundùm doctrinam Dei dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, non ambigamus iuxta orationis nostræ formam nos obtinere Dei clementiam. ita ille Notanda est hic illam Christi Domini regulam & sententiam. Mat.7.& Luc. 6. & Mat.4. *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, hoc est, si esurienti dederis cibum & sitienti potum, & nudo vestem, &c. eodem modo tibi esurienti, & sitienti, & nudo prouidebit Deus; & è contra si non dederis hæc proximo, nec tibi dabit Deus; si consolaberis afflictum, & Deus consolabitur te in afflictione constitutum; si dimiseris offensam tibi illatam à proximo, & dimittet Deus tibi offensam à te sibi illatam, & sic de reliquis. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, & ideo rectè Sanct. Leo: Vt quis à Deo indulgentiam suorum delictorum accipiat, gaudeat se inuenisse cui parcat; non quidem gaudeat se habere inimicos absolutè, sed formaliter cui parcat ob ipsam iniuriæ remissionem.

Vita.

1. *Quàm fragilis sit vita nostra.*
2. *Quàm breuis sit vita nostra.*
3. *Vita nostra simul est vita & mors.* Vide hoc in prop.2.
4. *Vita nostra quàm plena miseriis sit.*

Propositio I.

Quàm fragilis sit vita nostra.

Prou.89. S Hieron. Simile.

PSal. 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* In hoc similes sunt aranearum telæ. Vide quàm fragilis sit tela aranei, quæ flatu venti dissolui solet. Vnde S. Hieron. ponderans locum hunc, ait: videte quid Psalmista dicat. quomodo aranea fila mittit, huc, illucque discurrens, & texit tota die; labor quidem grandis, sed effectus ferè nullus. Sic est vita nostra, huc, illucque discurrimus possessiones quærimus, diuitias paramus, laboramus, & non consideramus quod teximus aranearum telas. ita ille. nimirum, quia sæpe vel flatu venti aquilonaris, vel ob solis radiorum percussionem, vel potu aquæ frigidæ, vel ob aliam similem causam leuem vita dissoluitur nostra. Sic expendit Lyranus locum hunc dicens: Meritò vita hominis araneæ comparatur, quia sicut aranea ad texendam telam multum occupatur, quæ tamen modico vento dissipatur; sic homines multum student, & meditantur ad honores consequendos, vel diuitias comparandas, quæ citò amittuntur. ita Lyranus.

Deseruit etiam similitudo hæc ad ostendendum quàm parui momenti sint mundanorum labores iuxta expositionem S. Hieronymi supra dictam: Sicut enim aranea euiscerat se ad capiendas muscas, & alia huiusmodi animalcula vilia venanda, & studium hoc mixtum est fraudibus, retibus & laqueis; sic studia peccatorum ad vilia tendunt, ob hæc mũdana euiscerantur, & sæpe fraudes miscent. Quamobrem sicut tela araneæ in malum solet esse, nam scopis eam verrunt, & araneus sæpe cum textura sua perit, sic etiam multi ex nobis scopis mortis cum suis telis capiuntur & pereunt. Inde Ecclesiastes cap. 5. Est alia infirmitas quam vidi sub sole, diuitiæ congregatæ in malum Domini sui; pereunt enim in afflictione pessima. Ita quidem, euisceratur enim homo in bonis temporalibus acquirendis, & veniente inopinata morte dicitur quod Christus de diuite parabolico dixit, *quæ parasti cuius erunt?* Dimissis enim cunctis bonis mundi nudus in Dei iudicium vadit; fælix qui bonis operibus illuc procedit.

Plinius

Sed vt ad intentum de fragilitate vitæ reuertamur, Plini. lib.7. cap.7. & Vale.Max. lib.9.cap. 12. referunt Anacreontem Poëtam acino vuæ passæ pertinaciùs faucibus inhærente, & Fabium senatorem vnico pilo in haustu lactis gutturi transuerso periisse.

Plin.

Item Plinius lib. 7. cap. 32. refert Chilonem Spartanum dum filium in ludis Olympicis victorem amplecteretur, præ gaudio animam efflasse.

Tertul.

Tertull. lib. de anima cap. 52. narrat Clidemum Atheniensem repente obiisse præ gaudio, eo quòd inter histriones ob maiorem præstantiam aurea corona condecoratus fuisset.

Vale.Max

Item Vale. Max. lib.9. cap. 12. ait Sophoclem cum in certamine tragœdiam ancipiti sententiarum euentu diu solicitum, & denique victorem renunciatum, præ gaudio subitò expirasse.

Titus Li

Similiter Titus Liuius decade 3. & Plin lib.7. cap.18. & Valer. Max. lib. 9. cap. 12. de quadam Romana matrona referunt, quod cum filij sui mors falsò ei nunciata fuisset, & postea è prælio sospitem cum redire vidisset, repentino gaudio exanimatam fuisse.

Aulus Gel.

Aulus Gel. lib.3. cap.15. Diagoras, inquit, tres habuit præstantes filios, qui videns singulos in singulis certaminibus omnes superasse, & propterea ipso die Olympico coronatos, cum ad patrem accurrentes coronas sibi detractas patris capiti imponerent, & populus certatim in parentem flores iaceret, in ipso stadio, spectante populo, in oculis & manibus filiorum in terram cecidit mortuus. O vitæ nostræ fragilitas & miseria! gaudio subito obiecto cum gaudium ad salutem & vitam conducens esse videatur, sic homines salute ac vita priuantur? quid ad hæc hi qui inter tot pericula mortis longam vitam sibi promittunt? Meritò igitur sic exclamat Tertull. libro de anima. cap. 52. dicens: Quæ est vis illa nauigiis, cum longè à saxis nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu cum tota securitate desidunt? Non secus sunt naufragia vitæ etiam tranquillæ, & mortis euentus, ita Tertullianus.

Tertul.

a

Propositio II.

Quàm breuis sit vita nostra.

Iob 14. IOb. 14. *homo natus de muliere breui viuens tempore.* Etenim dum degimus in terra, nonnullis non ita videtur breuis, finita breuissima apparet. Quod sic confirmatur: conuertat nunc quicumque oculos ad præteritos annos vitæ suæ, & iudicet de illorum duratione: & quidem potius se somniasse vitam, quam habuisse iudicabit: quid enim amplius remansit ei ex vita quam si fuisset somnium vitæ?

Optima huius comprobatio est confessio eorum qui post terminum vitæ ad inferos descen-
Sap. 5. derunt. Audi quid ipsi affirment. Sap. 5. *Talia* (inquit sapiens) *dixerunt hi qui peccauerunt*, quæ? *nos nati continuò desinimus esse.* ita ne *continuò?* nunquid non vsque ad senectam & senium multi eorum peruenerunt? quare igitur dicunt *continuò desinimus esse?* quia adeo breuis est vita, vt mors natiuitati continua vel contigua illis fuisse videatur.

Et quidem aptas ad hoc similitudines adhibuerunt; nẽpe vmbræ, & nuntio præcurrẽti, & naui, & aui volanti, & denique sagittæ emissæ per aërem. Vmbræ quidẽ, nam vmbra quantumuis magna videatur, in momento euanescit; & quia vmbra
Simile. verbi gratia hominis motum viui refert, vti ambulare, & sedere, &c. quam tamen si apprehendere vis, nihil esse reperies nisi hominis repræsentationem; talis ferè est hominis vita, fugit velut vmbra, etiam cum apparet longa. & quam si fugientem apprehendere volueris, quid inuenies vitæ nisi fugam? Secundò similis est vita nostra nuntio præcurrenti, *es como el que corre por la posta a toda diligencia*, sic vita nostra imò & ampliùs & citiùs ad mortem currit. nam nuntius aliquando à cursu cessat ad comedendum, & dormiendum, &c. vita verò incessanter currit ad obitum. Tertiò tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, in qua nauigantes siue sedeant, siue dormiant, semper velociter procedunt: sic homo viuens siue sedeat, siue dormiet, semper nauigat & tendit ad interitum. Quartò sicut auis quæ volans nullum vestigium relinquit itineris sui; sic vita nostra non solùm currit, sed etiam volat, nullo inde vitæ remanente vestigio. Et tandem sicut sagitta per aërem velocissimè tendens; quid enim sunt bona ista vitæ nostræ temporalis nisi ventus? *Memento*, inquit Ioh, *quia ventus est vita.* Solet magno sonitu insurgere ventus, & pluuias secum ferre, quarum quid nisi lutum superest? sic vita potentum magnum strepitum ostentans, equorum, seruorum, negotiorum, &c. & quid tandem inde nisi lutum in sepulchro? Merito ergo illi iam à mundi fraudibus & erroribus absoluti, aiunt: *nos nati continuò desinimus esse?*

Cicero. Cicero in prima Tusculana: Aristoteles, inquit, bestiolas quasdam nasci ait, quæ vnum tantum diem viuant, ex quibus quæ horâ octaua mortua est, prouecta ætate mortua reputatur; quæ verò occidente sole, decrepita. Confer nostram
Simile. longissimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum breuitate qua illæ bestiolæ reperiemur. ita ille. Bestiola hæc vocatur *Ephimerus*, & inde febris Ephimera, quæ vno tantum die durat. Et mirum quanta cum sollicitudine cibum ac potum quærit ad vitam illam breuissimam tuendam. Sic & nos cum adeo breuis sit vita nostra, solicitè valde quæ ad eam conseruandam conducunt quærimus, ita vt propterea parum de æterna vita curemus. væ nobis?

Sed dices: Multi ad centesimum annum perueniunt, equidem non multi, sed perpauci; dicente Dauide Psalm. 89. *dies annorum nostrorum in* Psal. 89.
ipsis septuaginta anni: Si autem in potentatibus octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor. Demus tamen hominem ad centesimum annum peruenisse, quantum est hoc? Audi Ecclesiasticum c. 18. Numerus dierum hominum, vt multum centum anni: quasi *gutta aquæ maris deputati sunt & sicut calculus arenæ sic exigui anni in die æui* hoc est *cien años de vida son como vna gota de agua comparada con todo el mar, comparada con la eternidad, o como vn grano de arena respecto de todas las que ay en las ribera del mar.* Imò & minus multo est vita nostra æternitati comparata. vnde Psal. *Dixisti; Conuertemini filij hominum quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies externa quæ præteriit.* Quid est dies præterita? nihil. sic vita nostra licet mille annorum esset æternitati comparata, in oculis Dei æterni, quasi pro nihilo habetur, quia parum pro nihilo reputatur. Sed vide quid inferat inde Deus: *conuertimini filij hominum*, quia videlicet vita breuissima est, & mortis hora incerta; ne differatis de die in diem: siquidem nescitis diẽ neq; horã. Ita quidem, nam tametsi vnum solummodo peccatum homo perpetrasset, breuis est vita tota ad debitam pœnitentiam peccatorum faciendam. Quid si fuerint multa?

Breuitas autem vitæ potest aliunde desumi ex eo, inquam, quòd sapienter Seneca scripsit Epistola 24. Quotidie morimur, quia quotidie demitur pars aliqua vitæ, & tunc quidem cum crescimus, vita decrescit, infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, vsque ad hesternum quidquid transit temporis perit, & hunc quem agimus diem cum morte diuidimus, & sicut clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit; sic vltima hora qua desinimus esse, non sola mortem facit, sed sola consummat. ita. Senec. Pondera verba illa, *vltima hora vita mortem consummat:* quasi dicat, Simile.
quæuis hora vitæ est hora mortis partialis, quia in quauis hora vitæ amittimus ipsam horam vitę: nã vltima hora nõ demit à nobis nisi vltimã horam, vnde simul pergunt mors & vitã nobiscum, & simul viuendo morimur & moriendo viuimus. Sanct. Gregor. 8. mor. 3. sicut itinerantis gres- S. Gregor.
sus dum in anteriora proficit, quod restat iter decrescit; sic vita nostra quo ad augmentum ducitur eo vt non sit; & finitur. ita Sanct. Gregorius.

Vnde Genes. 2. sic Adæ Dominus Deus: *De* Gen. 2.
ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris, hoc est eodem die morieris; comedit quidem, sed non fuit mortuus eodem die, quinimo vixit plusquam nongentis annis. Quomodo ergo dicemus eodem die obiisse? Sanctus Irenæus lib 5. sic S. Irenæus
respondet: Quidam existimarunt impletum esse verbum Domini, quia vita eius non peruenit ad millesimum annum, atque adeo non expleuisse vnum diem, dicente Apostolo Petro Epistola 2. c. 3. *mille anni apud Dominum sicut vnus dies,* ita S. Iren. Sed tamen non absque ratione dicta ex Seneca dicere possumus, eodẽ diẽ cæpisse mori

Adam

Psal.38.6. Adam Ps. 38. sic ad Deum David: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te. Mensurabiles* ait, vbi originale Hebræum habet *pugillares*, pugillaris autem mēsura vnius pugni pollice porrecto: Hispanè *vn coto*, pugnus autem est manus clausa. Cur igitur manui clausæ comparauit propheta vitam nostram? quia vitam præstat nobis Deus non manu extenta & magnifica, sed pugno clauso; non ex defectu liberalitatis, sed ex abundantia pietatis, quia tot tantisque peccatis vitam nostram maculamus, vt ad pietatem, & misericordiam Dei spectet tempus vitæ minuere, vt simul peccata minuantur. Vnde docet S. Ambros.

S. Ambr. tomo 1. lib. de bono mortis, cap. 4. dicens. Si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus est in flagitium præuaricationis & fraudis sententia eum comprehendit, vt in terram suam remearet terra, inueniemus mortem finem esse peccati, ne quo vita esset diuturnior, & fieret culpa numerosior; passus est igitur Dominus subintrare mortem, vt culpa cessaret. ita S. Ambr.

Deseruit etiam breuitas vitæ, vt à peccatis abstineamus, videntes in breui reddendam esse à nobis rationem Deo, & vt si breuit est, saltem nō sit mala; & quis facilius virtutum difficultates vincemus, quàm si huiusmodi difficultates & labores longiùs duraret; & similiter voluptatibus, & diuitiis, & honoribus mundi valedicere mus, videntes tanto magis esse minoris momenti quanto, citiùs finiuntur. Denique si eum sit adeo breuis, nihilominus fere ab omnibus vitia & bona temporalia diliguntur, quid si esset in longum tempus permanentia?

Pondera etiam quæ eodem versu addit David;

S. Hieron. *& substantia mea tamquam nihilum ante te.* S. Hier. pro *substantia mea, legit, vita mea*; quasi dicat: Substātia vitæ meæ, quasi nihil in oculis tuis. Vbi Car-

Bellarm. dinalis Bellarminus, Est quidem vita nostra aliquid in oculis hominum, quia non vident nisi præsentia; sed ante Deū qui videt futura & intuetur æternitatem quæ caret omni mensura, nihil esse reputatur. ita ille. nec mirum, quia vti Philosophus ait, *finiti ad infinitum nulla est proportio*; æternitas autem est infinitæ durationis, vita autem nostra est temporis finiti & valde breuis.

Psal. 89. Præterea, Ps. 89. *quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.* Sensus est, anni hominum sunt sicut ea quæ pro nihilo reputantur inter homines; vbi ex

Genebrar. Eugubin. Simile. originali Hebræo Genebrardus & Eugubinus sic transferunt: *bulla anni hominum erūt.* Cur ergo bullæ vita nostra comparatur? quia cum pluit, videbis subitò quasdam bullas seu ampullas aqueas insurgere, & pōpatiee se efferre, & velut attollere caput, & pellucidam speciem præseferentes; sed totus ille tumor & splendor nihil solidi habet, solus sub illo tegmine fragili inanis latet aër, vnde vix apparent istæ bullæ cum subito euanescunt; insurgunt aliæ & illico etiam rumpuntur, & per momēta aliis aliæ succedunt. Ecce tibi adumbrata prorsus vita humana, & rationem illius adagij, *homo bulla*; nihil enim aliud inter homines videbis, quàm successiuè hos nasci, illos interire, & tumescere ob aëtem in eorū eordibus inclusū, & sic inflatos subitò euanescere, secundū illud Psalmi. 36. *Vidi impium superexaltatū & eleuatum super cedros libani; transiui, & ecce non erat*, (à vna buelta de cabeza desa parecio,) nimirum quia bulla aquea erat. Quæsiui eum & non inueni, ita quia periit memoria eorum cum sonitu, homo enim bulla.

S. Petrus Chrysol. Vnde meritò exclamat S. Petrus Chrysol. serm. 124. dicens: Quid stupemus? vbi sumus? Quis iste qui nos eludit somnus? Quæ est ista quæ nos tenet lethalis obliuio? Quare non cælo mutamos terram? quare non caducis emimus æterna? quare nō perituris manentia comparamus? nonne ante stertit, qui ad hæc tonitrua vehementia, fulminaque verborum non expergiscitur? ita ille.

Nazianz. Item sanctus Nazianz. oratione ib. Quis præterentia prætoribit? quis æternis mētem adiunget? quis de præsentibus tanquā de abeuntibus iudicabit? Quis picturā à veritate, quis vmbram à vita sempiterna discernet? ita ille. respōderem ego: Sapiens.

Seneca. Audi Senecam, quamuis Ethnicum, in eādem admirationem eleuatum, Epistula 110. Quid, inquit, in terra miraris? quid stupes? pompa est, *todo es apparentias*: ostenduntur res istæ, non possidentur, & dum placent, transeunt; ad veras igitur diuitias te conuerte. ita Seneca licet gentilis.

Plin. Simile. Plinius lib. 10. c. 23. sicut ciconias nemo aduenire sentit, sed aduenisse, nemo discedere, sed discessisse, eo quod noctu clāculum faciunt vtrumque; ita iuuentutem nemo discedere sentit, sed discessisse; & senectutem non sentimus aduenire, sed aduenisse. ita Plin. Qui ergo sapiens est, tempora præuideat, & præueniat, ne doleat postea tempus inutiliter consumpsisse.

1. Pet. 2. 11. Hinc Apostol. Petrus 1. Petr. 2. *Charissimi, obsecro vos tamquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam.* Sunt quidem multi qui se tamquam ciues, se tamquam semper in terra mansuri gerant, diuitias, & honores & delitias quærēres, & domos ædificantes,

S. August. &c. in quos rectè S. Aug. ser. 32. de verbis Domini, dicens. Patria nostra sursum est, hic verò vnusquisque hospes est etiam in domo sua; si non est hospes, non inde transeat; quod si transiturus est, hospes est; non fallat se, hospes est; velit, nolit, hospes est; sed dimittit domum suam filiis suis, sit ita; sed hospes hospitibus; cessit tibi locum pater tuus, cedes & tu locum filiis tuis; non mansorus, non mansuris relinques. Quod si omnes transimus, aliquid quod transiri non potest operemur; vt cum transierimus, & illo venerimus vnde non transeamus, opera bona nostra inueniamus ibi. ita S. Aug.

S. Hier. S. Hier. in Epitaphio Nepotiani, inter eum, inquit, qui decem vixit annos, & eum qui mille, postquam idem aduenerit finis, transactum omne tantum est. ita S. Hieronym.

Simile. Longam quidem vitam teputamus centum annorum vitam, quia in ratione fuendi pauperes sumus. Sicut pauper qui casu inuenit numum aureū, diuitem se iam cēset, quia pauper est in diuitiarum possessione; sic qui ad centesimum peruenit annum, diuitem vitæ se iudicat, quia pauperes reliquos videt esse. At si æternitatem futuram consideraret, mille annos vitam paupertatem vitæ reputabit esse illam.

S. August. Sanctus Augustinus, ferm. 42. de verb. Domini, à prima, inquit, infantia vsque ad decrepitam senectutem spatium breue est. Quod tandiu vixerat Adam, quid ei profuisset si hodie mortuus esset? quid diu est vbi finis est? horæ volant, sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic fælicitas nostra: Ipso paruo spatio bene viuamus vt illò eamus vnde non transeamus. ita S. Aug. Bene quidam

ni quiero bien que no dura, ni temo mal que se acaba, el eterno si, &c.

Pp Propo

PROPOSITIO III.

Vita nostra simul est vita & mors. Vide propositionem, superiorem.

PROPOSITIO IV.

Vita nostra quàm plena miseriis sit.

S. August. SAnctus August. serm. 41. de verbis Domini: tota vita ista intelligentibus tribulatio est, sunt enim duo animæ tortores non simul torquentes, sed cruciatus alternantes, quorum nomina sunt, timor & dolor; quando tibi bene est, times; quando malè est, doles. ita sanct. Aug. quis diuitum, & regum, & eorum qui mundi fœlicitate potiuntur, qui non timeat aliquod ex pluribus malis quæ frequenter eueniunt? & cum primum in illud incidit homo, dolet: hanc enim vim habent vexandi animum, vt quamuis exiguum malum sit & multa bona possideat quis, torqueat non leuiter cor humanum; atque adeo meritò dicemus, vitam nostram miseriis refertam esse.

Visus custodia.

PROPOSITIO VNICA.

Quàm oporteat ab illicitis & periculosis auertere oculos.

Gen. 3. 6. GEnes. 3. *Vidit mulier quòd bonum esset lignũ ad vescendum, & pulchrum visu, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, & comedit.* Ponderans S. Gregor.

S. Gregor. Gregor. 21. Mor. 2. inobedientiã hanc perniciosam Euæ. Nequaquã, inquit, Eua lignum vetitũ contigisset, nisi priùs incautè respexisset. Hinc ergo pensandum est, quanto moderamine visum erga illicita restringere debeamus nos, qui mortaliter viuimus, si & illa mater viuentium per oculos ad mortem venit. ita S. Gregor. qui addit: vt mens munda à mala cogitatione seruetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam latrones ad culpam. ita ille.

Iob. 31. Hinc S. Iob cap. 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* vtitur hoc loco S. Iob metaphora sumpta à contrahentibus, qui se adinuicem obligant pacto, qui hac ratione ex iure inuiolabiliter seruant pactum. Sanct. ergo Iob adeo castitatem amauit, vt veluti ex pacto quodam iuridico deuinxerit seipsum visum custodire, sciens visum scandalũ homini esse magnum, &c. Sed quære, inquies, *vir adeo sanctus, vt ipse Deus de ipso dixerit: vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo;* & infrà, *non est ei similis in terra.* Cur igitur timebat à visu suo? imò quia sanctus erat ideo timet; peccatores sunt qui non ita timent, & ideo facilè cadunt & pereunt. Quod si sanctus talis ac tantus ita timebat cadere, si visui habenas relaxaret, quanto magis nos timere debemus qui sancti non sumus? imò etsi sancti essemus, sanctus erat Dauid & propheta, & vir secundùm cor Dei, & qui Deo dicebat, *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi;* & tamen quia visum non custodiuit, adulterium & homicidium commisit: & tu qui nec propheta es, nec qui à Deo acceperis esse te virum secundùm cor eius, absque cautela inspicis quidquid tibi occurrit, væ tibi. in magno enim damnationis periculo versaris. Unde S. Greg. vbi suprà

S. Greg. ait, *Pepigi fœdus*, (inquit Iob, *cum oculis meis*;) vt enim cogitationes cordis castè seruare potuisset, fœdus cum oculis suis pepigit, ne priùs incautè aspiceret, quod postea illicitè amaret. Intueri ergo non expedit, quod concupisci non licet. ita ille.

Virginitas.

1. *Quàm grata Deo virginitas sit.*
2. *Virgines secretum domus amare debet.*
3. *Quàm magnum bonum sit virginitatem seruare.*

PROPOSITIO I.

Quàm grata Deo virginitas sit.

APostolus Ioannes quamuis inter Apostolos iunior familiariùs cum Christo Domino agebat, & ipse solus in cæna supra ipsius pectus recubuit, & ausus est à Domino indagare quis esset traditurus esset, quod Apostolus Petrus non audebat, & solus dictus est discipulus quem diligebat IESVS, & denique illi soli speciatim matrem commendauit, & in matrem dedit eam illi, & matri illum in filium; cur illi tot tantaque priuilegia?

S. Hieron. respondet S. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum: Ioannes qui minimus traditur inter Apostolos fuisse, & quem fides Christi virginem reperierat, virgo permansit, & ideo plus amabatur à Domino, & recubuit super pectus IESV, Petrus qui vxorem habuerat interrogare nõ audet, & Ioannem vt interrogaret rogat. ita S. Hieron. Præterea alij Apostoli cum piscarentur post Christi resurrectionem, eum quidem in littore maris viderunt, vnus verò Ioannes eum agnouit: *Dominus*, inquit, *est*. Cur ita? cum omnibus satis cognitus esset, respondet ibidem S. Hieronymus: Nesciebant Apostoli quem videbant, solus virgo Virginem agnouit. S. Hier.

Ecclesia. Vnde Ecclesia in festo Ioannis Apostoli sic canit. *Christus in cruce matrem Virginem Virgini commendauit,* (& subdit) *diligebat eum Iesus: quia specialis prærogatiua castitatis amplioris dilectionis fecerat dignum, quia virgo electus ab ipso virgo in æuum permansit.* ita Ecclesia.

PROPOSITIO II.

Virgines secretum domus amare debent.

S. Ambros. LVc. 1. Exurgens *Maria abiit in montana cum festinatione*, &c. quare *cum festinatione*, quæ tanta cum modestia, & grauitate semper incedebat? nimirum, quia extra domum ambulabat, quæ latibula domus suæ diligebat. Vnde S. Ambr. in hunc locum Lucæ: Discite virgines non circumcursare per alienas domos, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, in publico tamen festina. ita ille.

PROPO

Propositio III.

Quàm eximium bonum virginitas sit.

Math 22. MAnifestum est quàm Angelica virtus virginitatis sit, Matt. 22. *in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo*: si ergo qui castitatē seruant sunt sicut Angeli Dei, quanto magis qui virginitatem conseruant?

1. Cor. 7. Sed dices: Cur igitur ait Apostolus, 1. Cor. 7. *melius est nubere quàm vri*? Ponderauit locum hunc Tertal. Tertull. lib. 1. ad vxorem cap. 4. dicens: Vide, oro te, quale bonum est quod mali cōparatio commēdat. ita ille. quasi dicat, non magni momenti bonū est quod bonitatem trahit à liberatione mali, quale matrimonium est, per quod incontinens liberatur ab igne tartareo. Ideo enim Apostolus dixit, *melius est nubere quàm vri*, & Tertullian. asseruit, non esse bonum eximium quod mali comparatio commendat; at virginitas non per comparationem ad Angelicam puritatem commendatur à Christo Domino. vnde licet matrimonium licitum & Sacramentum Ecclesiæ sit, & virginitas, res periculosa, sit altius multo status quàm status coniugatorum, & aureolam specialem habet in cœlo, & virginitatem sequentibus auxiliatur ad pericula talis status Tertul. sopetanda. Vnde concludens Tertull. ait: In terris non nubentes de Angelica familia deputantur.

S. Petrus Chrysol. Et S. Petrus Chrysol. ser. 143. semper est Angelis cognata virginitas, & in carne præter carnem viuere, cælestis est vita; & si scire vultis, Angelicam gloriā acquirere maius est quàm habere, esse enim Angelum fœlicitatis est, virginem autem esse, virtutis est: virginitas denique hoc obtinet viribus quod habet Angelus ex natura. ita ille.

S. Bern. Item Sanct. Bern. ser. de altitudine cordis: Quis vitam cælibem, vitam cælestem & Angelicam dicere vereatur, aut quod in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodo nunc iam non estis sicut Angeli Dei in cælis, & nuptiis penitus abstinentes, Angeli quidem terreni, aut potius ciues cæli. ita S. Bern. quem vide Epistola 42.

Vocatio Dei.

1. *Aduersus eos qui vocationi Dei non respondent.* Vide prop. 4.
2. *Delitiæ & reliqua bona temporalia dilecta vocationi diuinæ obstant.*
3. *Vnusquisque in sua vocatione perseuerare debet.*
4. *Quòd vocationi Dei statim oporteat respondere.* Vide prop. 1.

Propositio I.

Aduersus eos qui vocationi Dei non respondent.

Genes. 22. GEnes. 22. Iussit Deus Abrahamo immolare filium suum: qui effectiuè decreuit parere Deo; nemini Dei præceptum & voluntatem reuelauit, nec vxori, nec amicis, nec ipsimet filio, ne quis eorum obstaret; sed cuncta impedimenta euitans decretum Dei executioni mandauit, vti expendit S. Ambros. lib. de Abraham di- S. Ambr. cens: Ne videlicet cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu streperet, aut fletu. ita ille. Idem S. Chrysost. in hunc locum. S. Chrys.

Animaduertant hoc qui ad religionis statum & vexillum crucis à Deo vocantur, sæpe sæpius parentes & consanguinei, & amici impedimento esse solent, dicente Domino: *veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & inimici hominis domestici eius.* vbi illud, *& inimici*, causalis est, quasi dicat: quia inimici, &c. videtur quidem amoris esse parentum retinere secum filios, & tamen talis amor potius dicendum est odium, quia impediunt eo modo salutem æternam filiis, impia ergo est pietas hæc.

Propositio II.

Delitiæ & reliqua bona temporalia dilecta vocationi diuinæ obstant.

VOcat Deus ad pænitentiam vel ad statum religionis, & multi respondere nolunt. Cur ita? S. Antonius de Padua in quodam ser. de iudicio re- S. Anton. de Padua. spondet, delitias & voluptates huius mundi in causa esse: quod hac similitudine exponit. Sicut enim, inquit, in locis vbi sericum fit, si tonare & fulgurare cōtigerit, ne vermes serici moriantur deterriti (mori quippe tunc solent,) tympana, & alia mo- Simile. sicę instrumenta pulsantur, quo vermes distrahātur, ne aliquam impressionem tonitruorū recipiant; sic diabolus cū tonitrua diuinorum iudiciorū & pænarū inferni ictus vel exterius in auribus peccatorum sonant, ne aliquā impressionem timoris sancti recipiant comœdias, vel ludos, vel cibos, vel quid simile proponit illis, ne inde terreantur & conuertantur. ita ille.

Propositio III

Quòd vnusquisque in sua vocatione perseuerare debeat.

1. COr. 7. *Vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, in ea permaneat.*

Genes. 16. Angelus qui inuenit Agar ancillam Saræ vagantem & fugientem à facie dominæ suæ, dixit ei: *Agar ancilla Sarai, vnde venis? aut quò vadis? Cui Agar, à facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Cur non dixit quò iret, sed solum vnde veniret, cum Angelus vtrumque interrogaret? respōdet Lypomanus: Erubuit confiteri à domo sancti viri Abrahæ, & probaræ dominæ ad Ægyptios idololatras rursus redire. ita Lypomanus. Quàm optimè hoc congruit his qui à bona sua vocatione retrocedūt, & maximè his religiosis qui postquam seculo valedixerunt, & ad fœlicem religionis statum, & portum se receperunt, rursus ad sæculum reuertuntur; væ illis, quibus speciatim Dominus dicit: *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei* Lucæ 9. vbi expresse agit de quodam vocato ad discipulatum Christi, & ad sequendum eum veniam à Christo petebat ad redeundum in domum suam, vt renunciaret his quæ in ea habebat. Cui Dominus, *nemo mittens manum*, &c. Vbi Euthymius. Tantundem est ac si dicat, nemo qui Euthym. me conatur sequi, si à tergo respiciat, hoc est mentem ad temporalia habeat, aptus est ad regnū Dei.

Oporteret ergo eum qui eligit Christum Dominum sequi, confestim omnia despicere, & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo, ne forte specie eorum quæ à tergo sunt retineatur. ita Euthym. Per regnum Dei hoc loco cælestis gloria denotatur, &c. Congruit historia vxoris Loth, &c.

Propositio IV.

Quòd statim parere debeamus vocationi Dei.

Mat 4. 22. Thophil. MAt. 4. *Vocauit Christus Dominus Iacobum & Ioannem, qui statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Ponderat Theophyl. promptitudinē hanc apostolorum, quòd videlicet sine mora, illico relictis his quæ in manibus habebant, secuti sunt Christum eos vocantem; non enim, ait, nectendæ sunt moræ, sed statim respondendum est Deo. Et etiam patrem reliquerunt, quia impedimento futurus erat Dominum secuturis. Sic & tu parentes relinque, si ad pietatem obstiterint tibi. ita ille.

Matt. 8. Matth. 8. vocauit Christus Dominus quemdam ad sequendum se. At ille: *Domine*, inquit, *permitte me primo ire & sepelire patrem meum.* Cui Dominus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

S Petrus S. Chrys. Quod sic expendit sanctus Petrus Chrysol. serm. 20. Nunquid sic denegat vltimum pietatis obsequium in patrem? non pietatis obsequium negat, sed diuinam præponit humanis vsibus seruitutem. Audite quid discipulus dixerit: *permitte mihi primū ire & sepelire patrem meum.* Hoc enim ei primum non esse debuit, sed secundum. Terrenus pater cælesti postponendus est patri. ita ille.

S. Hieron. Vnde sanctus Hieronymus Epist. 1. ad Heliodorum: licet sparso crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater, ostendat, licet in limine iaceat pater, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & siccis oculis ad vexillum crucis euola. solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Veniet, veniet postea dies, quo per Hierosol. cælestem, vir fortis coronatus incedas, facile rumpit vincula omnia amor Dei & gehennæ timor. ita S. Hieron.

Votum.

1. *Vota religiosorum, vincula salutaria sunt.*
2. *Quàm graue peccatū sit non seruare votum.*

Propositio I.

Vota religiosorum, vincula salutaria sunt.

Gen. 22. Vincula quidem sunt vota religiosi, sed salutaria valde. Genes. 22. Cum vellet Abraham offerre holocaustum filij sui Isaac, priùs alligauit eum, vti ait scriptura; & quidem non tenuerne, sed annuēte filio, quin potius ipsemet filius postulauit à Patre vt ligaret eum, ne forte mortis horrore resisteret illi. Hoc quidem non asserit scriptura, sed

S. Chrys. affirmat S. Chrysost. in imperfecto super caput primum dicens, Isaac non restitit patri Abrahæ volēti eum sacrificare; sed dixit: Pater mi, liga manus & pedes meos, ne quando in impugnationem insurgam. ita ille. Sic etiam religiosus, votis se alligari non solum permittit, sed petit, ne cum se Deo offerre in holocaustum vult, aliquando repugnet; cum, inquam, superior illum mortificare voluerit, obstet & contradicat prælato eum sacrificanti.

Propositio II.

Quàm graue peccatum sit non seruare votum.

ACtorum. 5. S. Petrus Apostol. ad Ananiam qui Christianus cum esset, votum quoddam fregerat: *Anania*, inquit, *cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto*, &c. Nota est historia, & mirandum supplicium, subitaneæ nempe mortis eius, & similiter vxoris quæ particeps fuit in delicto. De quibus S. Ambros. serm. 9. Pecuniam perdidit Ananias & salutem, & vxor eius eodem modo punita est; dum enim ea eius quod promiserat Deo partem subtraxit, sacrilegij simul condemnatur & fraudis. ita S. Ambr. animaduertant supplicium hoc religiosi, & omnes qui aliquod votum emiserunt. S. Ambr.

Voluptas, *Vide Verbum*, Delitiæ.

Vide Verbum, Delitiæ.

Vsura.

Propositio vnica.

Quàm graue peccatum sit.

MAtth. 3. sic Ioann. Baptista: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Ponderat locum hunc S. Fulgentius sermone de confessoribus dicens. Si sterilitas in ignē mittitur, rapacitas quid meretur? ita S. Fulgent. Si diues auarus qui Lazaro grauiter egenti Eleemosynam non tribuit damnatur, quid futurum est de illo qui aliena furatur? & de illo qui ad vsuram tribuit? & de eo qui Domino inuito retinet aliena? Addit ibidem S. Fulgentius, si iudicium sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam, quale iudicium erit illi qui facit rapinam? veraciter ergo ait Apost. *neque auari, neque raptores regnum Dei possidebunt.* ita ille. S. Fulgent.

Humanè se gerere fingit vsurarius cum ad vsurā commodat pecunias, vt videlicet à necessitate liberet proximum, cum tamen inhumanum sit. Audi S. Ambros. lib. 3. de officiis. c. 3. subuenire egenti humanum, duritiæ autem est plus exigere quàm dederis; si enim egens auxilio eguit, quando non habuit de suo vnde redderet, nonne impium est si sub humanitatis simulatione ab eo poscas qui non habet vnde reddat? in hoc aliis animalibus præstamos, quòd illa conferre aliquid nesciunt, feræ quidem eripiunt, homines verò tribuunt; vnde psalmista ait: *Iustus miseretur & retribuet*, &c. ita sanctus Ambrosius, vbi nota illum iustum appellari qui iuxta legem naturalem & Christianam facit, *el que se aiusta con la ley de Dios*; is homo dici etiā debet, qui humanam seu humanitatis legem seruat, quam qui non seruat, non homo rationalis, sed irrationale animal appellari meretur. S. Ambros.

Vulgus

Vulgus.

Propositio vnica.

Vulgi consortium vitandum.

VIr prudens cum in vulgo errores vigēt (quod frequens est) omnino quantum sibi possibile fuerit ab eo recedere debet. Quod vt innueret Christus Dominus Matth. 8. *videns turbas multas circum se iussit ire trans fretum*, nempe discipulos suos. Nonne turbæ illæ ad audiendum verba Christi, & ad videndum miracula eius aderant? Cur ergo sic discipulos ab eis recedere iussit? Sanct. Petrus Chrysologus ser. 19. sic respondet: Cum indocilis turba iactatur in conscientiæ procella quietem deserit, naufragia intrat, petit fluctus, & ad excelsa contendens mergitur in profundum; tunc Christus hoc mare talibus turbis turbatum transfretari iubet. ita ille. Non quidem sibi timebat Christus, sed discipulis, sed nobis, monens nos, vt cum viderimus vulgi turbam tumultuātem, fugiamus ab ea, ne nos erroribus, & peccatis suis secum inuoluat.

Matth. 8. — S. Petrus Chrys.

Gen. 6. cæpit sacra scriptura enarrare delicta mūdi dicens: *Cū cæpissent homines multiplicari super terram.* &c. Vbi Oleaster: ferè, inquit, commune est, vt vitia multa multitudinem hominū sequantur, quia in multitudine multi inueniuntur imperfecti; magna enim multitudo vix potest in officio contineri. Quod Propheta Isaias considerans dicebat, *multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*, quia gentis copiā vitia subsecuta sunt. ita Oleaster, qui dictum confirmat exemplo sumpto ex c. 11. Numerorum, dicens: Vulgus promiscuum quod cum Iudæis ascendit, ad desiderium carnium contra Dei voluntatem Israelitas prouocauit, & vix potuit sanctus Moyses multitudinem illam gubernare. & ideo petiit à Deo sibi aliquem in auxilium dari. Et hinc est, quod olim sancti viri scientes quia vitia multitudinem sequi soleant, loca deserta petebant. ita Oleaster.

Genes. 6. — Oleaster.

Hinc Dominus ad Arsenium medium aptum ad animæ salutem desiderantem: Fuge, inquit, homines & saluaberis. & Christus Dominus cum discipulos ad prædicandum mitteret. Matth. 10. dixit eis: Cauete ab hominibus, ac si diceret, cauete ab hominibus quasi ab his qui pestilentia laborant. ita ponderat Sanct. Chrysost. in imperfecto verba hæc Christi dicens: cauete, inquit, ab hominibus quasi à pestilentissimo malo, brutum enim animal malum quoddam malum est sed irrationale, homo vero est rationale malum, & ideo brutum malum vnum est, homo verò multiplex malum, & ideo peior est homo quam brutum. ita ille. nimirū quia cum hominis intellectus multiplex sit, multa nēpe adinueniens, multa potest excogitare mala.

S. Chrys.

Vxorati.

Propositio I.

Eligenda est vxor prædita virtute.

RVth. 4. Patriarcha Booz duxit vxorem Ruth; erat quidem Ruth adeo pauper, vt post messores ipsius Booz colligeret spicas remanentes, vt inde aliquem eliceret panem, quo vesceretur; erat insuper alienigena & Moabitis, Booz autem erat diues & nobilis ex tribu Iudæ. Cur igitur dignatus fuit eam recipere in vxorem? nimirum, quia mulier virtute prædita erat, & ideo matrimonium Deo gratum fuit, & ex hoc matrimonio natus fuit Patriarcha Obeth, qui in genealogia Christi Domini locum tenet, & collocatur a Sancto Matthæo Euangelista cap. 1. & ideo non absque diuino cōsilio talis filius Obeth appellatus est, quod nomen interpretatur *subditus*. Ponderat hoc Sanct. Ioan. Chrysostom. in imperfecto homi. 1. dicens: qui in ducenda vxore diuitias quærunt, & non mores, pulchritudinem & non fidelitatem, & quod in meretricibus quæri solet, hoc in coniuge optant: propterea non generant subditos sibi filios, vel Deo, sed contumaces, vt ita filij eorum non sint fructus iusti coniugij, sed pœna condigna irreligiositatis eorum. ita ille.

Ruth 4. — S. Chrys.

Genes. 20. Rex Abimelech existimans Saram sororem Abrahæ & non vxorem, eam in vxorem suā ducere voluit. Cur ita, cum ille esset, & Sara mulier peregrina & extranea? respondet Theodor. ibidem: Abimelech cum esset vir iustus, Saram iustam ducere optabat: maximam sibi gloriam sibi esse existimans si ex tali vxore liberos suscepisset. ita ille. Licet expositio ista dubium patiatur, audiant tamen hoc, qui in suis vxoribus & filiis, nihil aliud quærunt nisi diuitias, & pulchritudinem, & generis splendorem, & non prudentiam, & cæteras animæ virtutes ex quo euenire solet domorum euersio, & mala filiorum educatio.

Gen. 20. — Theod.

Propositio II.

Vir & vxor mutuò se amare debeant.

AD Ephes. 5. dixerat Apost. *mulieres subditæ sint viris suis, sicut Domino.* Sed ne inde viri sumerent ansam imperij nimij in vxores, subdit Apostolus, *viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Ponderans S. Chrysost. duos locos in homil. 20. in Epist. ad Ephes. vidisti, inquit, mensuram obedientiæ, vide quoque mensuram dilectionis; vis tibi obedire vxorem sicut Christo? ipse quoque vxoris curam gere sicut Christus Ecclesiæ. ita ille. *nise puede mas encarecer la obediencia que la muger debe al marido, ni el amor que el marido debe a la muger*; non quidē sicut amicum diligit qui tradidit semetipsum pro ea. magna quidē exaggeratio. Gen. 2. *Ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem*, &c. Cur de latere & non de capite, vel de pedibus, sed de costa lateris? Respondet Hugo Victorinus ibidem: Attendendum est quod non de capite nec de pedibus sumptū est id vnde fieret mulier, ne aut domina, si de capite; aut ancilla, si de pedibus, crederetur: sed de costa vt socia intelligeretur esse. ita Hugo. Ex costa igitur viri, quæ prope cor sita est, formata est mulier vt ex corde cordiali amore diligendam esse vxorem intelligeret; sic enim fiet vt & vxor diligat virum, & mutuò se amore prosequantur, & vitam tranquillam agant, & placeant Deo, & c. alioquin vitam crucianbus referr in degent & animabus suis periculosam. *Vide infra propos.* 4.

ad Eph. 5. 22. — S. Chrys. — Gen. 2. — Hugo. Vict.

Propositio III.

Nec vir propter vxorem, nec vxor propter virum aliquid contra Dei placitum agere debeant.

Gen 3. 6. GEn. 3. *Tulit mulier de fructu prohibito, & comedit, deditque viro suo, qui comedit*, &c. Vbi Lyra. Lyranus: dedit viro suo inducendo ad comedendũ, sicut fuerat à serpente inducta. ita ille. Precibus ergo Euæ motus fuit Adam ad esum illum, quod in suam defensionem allegauit Adam, quando in iudicium à Deo vocatus fuit: *mulier*, inquit, *quam dedisti mihi in sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Sed tamen hæc excusatio non fuit à Deo admissa, quia contra Deum nec audienda vox vxoris; accepit pomum Adam ne contristaret delicias suas, sed millies eam potius contristare debebat, quàm S. August. Dei præceptum violare Vnde sanctus Augustinus, super Genes. ad liter. cap. 35. *mulier*, inquit, *quam dedisti mihi in sociam, dedit mihi*, quasi ad hoc data esset ei vxor, vt non ipsa viro obediret, & ambo Deo. ita S. August.

Propositio IV.

Quàm vnanimes esse debeant vir & vxor.

Eusebius. EVsebius lib. 3. de præparatione Euangelica. cap. 1. refert quod olim gentiles in sacrificiis Iunonis (quam nuptiarum præsidem esse dicebant) victimam sine felle immolabant. Cur sine felle? Eusebius ibi respondet; vt ostenderent absque ira, & odio, & amaritudine aliqua matrimonium esse oportere. ita ille. hoc autem fiet, si vir & vxor vnanimes, & amantes se mutuò degant.

S. Chrys. Quærit sanctus Chrysost. homil. 20. in Epist. ad Ephe. cur formauerit Deus vxorẽ Adæ ex eius costa, & non ex alia materia? respondet ipse: Permisit Deus Adæ vt sororem suam in vxorem duceret, imò verò non sororem, sed filiam; quin adhuc non filiam, sed aliquid propinquius filia; carnem videlicet ipsiusmet; mulierem enim non fecit, quod esset extra corpus Adæ, ne tanquam alienam diligeret eam. ita S. Chrysost. vnde Adam Genes. 2. *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago quia de viro sumpta est.* Pondera quod ideo Deus sine dolore extraxit eam costã ex viro, ne propter dolorem minus diligeret eam.

Malachiæ cap. 2. agit ibi Deus contra illum, qui vxorem abhorrens abiicit eam à se, & ait, propheta: Dominus testificatus est inter te & vxorem pubertatis tuæ quam tu despexisti: & hæc particeps tui, & vxor fœderis tui, nonne vnus hoc fecit? Sensus est, Dominus testificatus est, id est protestatus hanc esse voluntatem suam & præceptum, vt matrimonium sit insolubile, vtque maritus amet vxorem, & propter eam relinquat patrem & matrem, quia particeps tui hoc est socia tua, vt legit Pagninus, *daos la Dios por compañera*, & vxor fœderis, hoc est cum qua pactum inisti inuiolabilis coniugij: & denique quia Deus qui vnus est fecit, qui in primo matrimonio vnitatem commendauit, dum ita vniuit Adam & Euam, vt nec Adam aliam posset accipere vxorem, quia non erat, nec Eua alium virum eadem ratione; ideo non ait, *quia Deus est*, vel *quia Dominus est*, vel *omnipotẽs*, sed *vnus*; vt sicut ipse licet trinus sit in personis, vnus tamen est in essentia, ita suo modo vir & vxor, quamuis duo sint in personis, vnum tamen sint vnanimitate & charitate. ita exponit *S.* Theod. Remigius. Lyra. Hieron & Theodoret & S. Remigius & Lyranus.

Prouerg. 19. Prou. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens*, Septuaginta sic legunt: *à Domino aptatur mulier viro*; Græca verò lectio sic: *Cum harmonia aptatur vxor viro.* Quænam est harmonia ista? respondet S. Ambros. S. Ambr. lib. 8. in Luc. cap. 10. Harmonia est cum fistulæ organi per ordinem copulatæ legitimè tenent gratiam cantilenæ, cordatusque aptus seruat ordo concordiam; ergo vbi nuptiæ, harmonia; vbi harmonia, Deus iunxit; vbi harmonia non est, dissensio est, quæ non est à Deo; quia Deus charitas est. ita S. Ambr. ergo vbi non est hæc harmonia concordiæ & amoris, Deus à domo coniugatorum abest; quod si abest, væ domui tali.

Etenim ipsamet natura matrimonij petit quasi de essentia sua hanc coniugatorum concordiam & vnanimitatem; sicut adnotauit sanctus Augu- S. August. stinus, 15. de ciui. Dei cap. 16. vbi inquirit, cur olim prohibuerit Deus matrimonium inter consanguineos, & respondet, hoc factum fuisse propter concordiam inter extraneos conciliandam.

Habita est (inquit) charitatis ratio, vt homines quibus vtilis est concordia diuersarum necessitudinum, vinculis necterentur. ita S. August. & Cicero lib. 5. de finibus, docet sic serpere, extendique charitatem generis humani.

Et hinc etiam est (quod maximè obseruare debent coniuges) debere illos cauere nimietatem amoris; nam inde serpens antiquus ansam sumere debet ad seducendos eos, vt patet in primis parentibus. Eua enim amore malè permota pomum vetitum tribuit Adæ, & Adam ob amorem nimium erga Euam accepit & comedit, ne contristaret delitias suas. Sit ergo inter coniuges amor & cõcordia, sed tamen prudens. Attendant Salomonẽ quantumuis sapientem ab vxoribus suis deceptũ fuisse.

Gen. 2. sic Dominus ad Adã. *Ex omni ligno paradisi comedes: de ligno autẽ scientia ne comedas*, &c. S. S. Chrys. Chrys. legit in plurali, *ne comederitis*, & ait: Nondũ erat producta vxor Adæ, & quasi vtriq; mandaret Deus, dicebat *ne comederitis*, manifestans iã inde ab initio quod idẽ sint vir & mulier. ita ille. Ecce quã vnanimes esse debeant vir & vxor, & non tam vnanimes quàm vnum quid esse videantur?

Propositio V.

Quod vir & vxor æquali modo se debeant honorare.

GEn. 2. formaturus Deus hominẽ non dixit *faciam hominẽ* sed *faciamus hominem*, formaturus Genes. 2. postea vxorẽ eius dixit eodẽ modo, *faciamus ei adiutorium simile sibi*, non dixit *faciam*. Ponderans locum hunc S. Chrys. hom. 14. in Gen. ait, eodem ver- S. Chrys. bo vsus est Deus in formatione Euæ, quo vsus est in formatione Adæ, dicens: *faciamus*. Quoquidẽ verbo vsus est honoris gratia, vt ostẽderet æqualis honoris & dignitatis esse Euam cũ Adamo. ita S. Chrys.

Zelus.

1. *De zelo Dei erga nos.*
2. *De zelo nostro erga honorem Dei*
3. *De zelo nostro pro salute animarum.*

Propositio I.

De zelo Dei erga nos.

EXod. 20. sic Dominus ad populum suũ: *Ego sum Deus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, &c. Ponderat Theod. hoc nomen Dei quæst. Theod.

magni

34. in exodũ dicens: Deus ſcipſum zelotem appellat, humano more loquens, vt homines terreat. Sicut enim vir ignauam habens vxorẽ, admonere ſolet illam his verbis: *zelotypus ſum, videre te no valeo cũ alio viro loquentẽ*: ita Deus volens à cultu dæmonũ eos abalienare, non ſolũ ſeipſum zelotem appellauit, ſed & ignem conſumentem. ita ille.

S. Dionyſ. Zelus autem iſte à nimio amore in nos procedit. vti obſeruauit S. Dion. c. 4 de diuinis nomio. dicẽs: Deus zelotes appellatur, propter amorem multum quẽ habet; ſicut vir qui vnicè ac vehementer diligit, vxorẽ ſuam, cum zelo quodã, ac ſtudio & ſolicitudine proſequitur, timẽs & cauẽs ne ametur ab alio.

S. Hieron. Conſonat Sanct. Hieronym. in fine commentarii ad cap. 1. Saphoniæ, dicens: niſi Deus amaret animam humanam, nunquam zelaret eam, & in ſimilitudinem amici peccatum vlciſceretur vxoris.

S. Thom. Et Sanct. Thom. in lect. 1. in 1. ad Corinth. cap. 11. in ea verba: *Æmulor vos Dei æmulatione*, (id eſt diligo vos feruenter, &c.) ſic definit zelum; *zelus eſt amor intẽſus non ferens conſortium in amato.* Vide

S. Auguſt. S. Auguſt. lib. 83. quæſtionum qo. 51. & lib. 6. contra Adimant. cap. 11. & cap. 13: vbi multa hac de re, vbi ait: Qui non zelat, non amat, &c.

Hinc eſt quod videns Deus Abrahamum diligere valde filium ſuũ Iſaac, vocauit eum & dixit: *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac.* Pondera verbũ *quem diligis*, vbi zelum ſuum præfert, nolens quòd amor patris in filium creſcens procederet valde. Vnde videns magnanimitatem Abrahæ volentis immolare filium Deo, & amore ipſius Dei, atque adeo facto illo à magno illo amore quo filium amabat deſcendiſſe, præcepit ei continere manum, & à cæde filij abſtinere: *Ne extendas manum*, inquit, &c. Confirmat doctrinam hanc optimè locus ille cant. 8. vbi ſic ad ſponſam ſponſus: *pone me ſignaculum ſuper brachium tuum; vt ſignaculum ſuper cor tuum.* His verbis amorem cordis, & opera omnia, quæ per brachium quod operatorium inſtrumentum eſt, ſignificantur. Quæ omnia ſibi vendicat ſponſus ab ſponſa; ea enim quæ à ſigillo alicuius ſigillantur, eius eſſe conſtat. Quare hæc poſtulet ſpõſus ab ſponſa. Subdit dicens: *quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Quaſi dicat: Id à te peto, ô ſpõſa, tum quia amor meus in me id expoſcit; eſt enim amor velut mors; ſicut mors animã vſurpat à corpore morientis ſic amor amãtis rapit ad ſe animũ amati, & zelotypia amãtis eſt velut ſepulchrum, quod totũ corpus abſorbet, quo animã & corpus rapit, & vendicat ſibi: nimirum, quia zelotypia hæc eſt ardentiſſimus amor.

Propositio II.

De zelo noſtro erga honorem Dei.

Pſal. 68. Psal. 68. ſic Dauid in perſona Chriſti Domini, *zelus domus tuæ comedit me.* Speciatim hoc adimpletũ eſt Ioan. 2. quando Chriſtus Dominus ingreſſus templũ Salomonis, & inueniens ibi ementes, & vendẽtes, prophanantesq; templũ Dei negotiationibus ſuis, fecit quaſi flagellũ de funiculis, & eiecit de tẽplo omnes, oues quoque & boues, & numulariorũ effudit æs. & mẽſas ſubuertit, vti ait Apoſtol. Ioan, c. 2. & 5. Matth. c. 21. indignationis huius cauſam prædixit Dauid in Pſ. illo 68. in perſona Chriſti dicens: *zelus domus tuæ comedit me* Pondera verbũ *comedit me*, oſtẽdit enim magnitudinem zeli Chriſti Domini erga patrẽ ſuum: quod comeditur, conuertitur in comedentẽ, ſi comedis panem, panis ille conuertitur in ſanguinẽ & carnẽ tuam. Et ſimiliter dicendũ eſt de reliquis cibis. De ſe ait Chriſtus, *zelus comedit me*, in zelũ ergo ſignificauit ſe veluti cõuerſũ, *eſtaba hecho vn puro zelo de la honrra de Dios ſu Padre*, ſic ergo ſit zelus noſter, vt dicere quoque valeamus: *zelus honoris & gloriæ Dei comedit me*: vnde ſi viderimus aliquẽ aſſumentẽ nomen Dei in vanũ, aut blaſphemantem, aut quoduis aliud præceptum Dei tranſgredientẽ, ſi zelũ Dei habemus, maiori indignatione in eum commoueri debemus quàm ſi grauiſſima nos iniuria affeciſſet, &c.

Vnde Elias 3. Reg. 19. *Zelo, inquit, zelatus ſum pro Domino exercituũ. quia dereliquerũt pactũ Domini filij Iſrael. zelo*, inquit, *zelatus ſũ*, hoc eſt maximo zelo affectus ſum. quod ea eò conſtat, quòd à Deo impetrauit ne plueret ſuper terram, & nõ pluit annos tres, & menſes ſex; & inſuper occidit quadringẽtos & quinquaginta prophetas Idoli Baal. Etenim ſicut ignis latere nõ poteſt in ſinu quin ſeipſum prodat, ſic nec zelus, quia ignis vehemens amoris Dei eſt. vnde ſi quis videns Dei offenſas non intus vritur zelo Dei, & extra non curat remedium adhibere, is non habet zelum honoris Dei. Simile.

Habebat hunc ſanctũ zelum Dauid cum dicebat Pſal. 118. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſũt verba tua inimici mei.* Non ait, qui me perſequuntur iniuſtè, & quia odio ad mortem me quærunt, & quia pro eo vt me diligerẽt: multa enim bona contuli in eos qui quærunt animam meam, ad perdẽdum eam: ſed *quia obliti ſunt verba tua.* Ponderat locum hunc S. Ambr. ſer. 20. in Pſal. 118. vbi legit: S. Ambr. Vidi non ſeruantes pactum, & tabeſcebam, quoniã verba tua non cuſtodierunt; & ait: Beatus qui in veritate Dei tabeſcit, videns non ſeruari pactũ, (hoc eſt legem Dei.) Alius propter vicioſos amores tabeſcit. alius qui pecunias cõcupiſcit donec potiatur eis; auarus miſer tabeſcit affectu; alius immodicè capeſſendi honores impatiens ſi deſideria longa ſuſpiret, non mediocri mentis conficitur tabe; tabeſcit autem vir pacificus, quando alios videt reſcindere pactum. ita Sanct. Ambroſ.

Ruſſus Dauid eodẽ Pſal. 118. *vidi præuaricantes & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Quem locum optime explicat S. Ambroſ. ſer. 18. in eundem pſalmũ. Vbi etiam explicat zelum Phinees & quã Deo placuerit zelus iſte, & mercedẽ quam propter à Deo conſecutus fuit. Vide S. Ambroſ. S. Ambroſ.

Habemus alia exempla præclara de iſto diuini honoris zelo in diuina ſcriptura, nempe de Moyſe Exod. 32. n. 19 & 20. De Phinees Numerorum 25. nu. 7. & 8. de Mathatia 1. Mach. 2. no. 40. de Ioſue Ioſu. 7. nu. 24. Vide etiam Iudi 20. nu. 1. & 2. de Iehu 2. Reg. 10. num. 11. & 16. &c. de Ezech. 2. Reg. 18. nu. 4. de Ionas cap. 29. nu. 6 Zacha. 2. paralip. 24. num. 20. Ioannes Baptiſta Matth. 3. nu. 7. Petrus Actor. 5. à num. 3. Stephanus Act. 7. nu. 54. Ruth. à c. 13. n. 10. & cap. 17. n. 16. & ad Ro. 9. à n. 22. &c. & 2. Cor. 11. &c. In his & ſimilibus exemplis cognoſces quàm Deo placeat iſte zelus diuini honoris. maximè in exemplis Phinees & Mathatiæ: Vide Ambroſ. ſuper Pſal. 118.

Propositio III.

De Zelo noſtro pro ſalute animarum.

Sanct. Greg. 12. ho. Nullũ omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium quale eſt animarũ zelus. ita ille.

Ezech. 14. ſic Deus ad Ezechielem; *ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum, inter te & ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eã*, &c. S. Gregor. hom. 12. in Ezech. docet per ſartaginem ferream in qua cibus frigitur, ſignificari zelum, quo zelatoris animus frigitur, cum videt aliquem æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari. Etenim qui zelum habet ſalutis animarũ S. Gregor.

ſi in ſartagine cor eius fixum haberet ſic torquetur, & præcipuè cum remedium adhibere non valet, Tale quidẽ erat cor Pauli Apoſt. qui in 2 ad Cor. 11. dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* quẽ locum S. Greg. vbi ſupra ſic explicat. Paulus ſuũ cor quod animarum zelus ſuccẽderat, ſartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat. ita S. Gregor.

1. Petr. 2. 7 2. Pet. 2. ſic de Loth, *Iuſtum Loth oppreſſũ à nefandorum iniuria conuerſatione eripuit; aſpectu enim & auditu iuſtus erat.* Quid eſt auditu & aſpectu ſic iuſtum fuiſſe iuſtum Loth? nimirum, eum purus & honeſtus eſſet, & ab omni turpitudine abhorreret, grauiter diſcruciabatur, vidẽs & audiens iniquitates Sodomorum, & damnationẽ illorũ, & Dei offenſas, & veluti in ſartagine ignita poſitus cremabatur. Addit propterea S. Petr. *Habitãs inter eos qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.* Ecce qualis ſit verus zelus. Vnde qui videt multa peccata, & non dolet, zelo caret.

S. Gregor. Subdit autem S. Gregor. in eadem hom. 12. ſuper Ezech. Quantum verò hæc frixura cordis quæ ſpirituali zelo agitur, omnipotẽtem Deum placet, apertè oſtenditur cum offerri per legem Leuit. 6. num. 21. ſimila in ſacrificium iubetur, de qua ſcriptum eſt, *in ſartagine oleo conſperſa frigetur. Offeret autẽ eam calida in odorẽ ſuauiſſimũ Domino ſacerdos, qui patri iure ſucceſſerit; & tota cremabitur in altari.* Tunc enim ſimila in altari frigitur, cum munda mens iuſti per zelum ſancti amoris crematur, quæ conſpergi oleo præcipitur, id eſt charitate miſericordiæ miſceri, quæ in cõſpectu omnipotentis Dei ardet & lucet. Vnde calida in odorem ſuauiſſimum Domino offerri præcipitur, quia ſi calorem amoris zelus nõ habet, ea quæ in ſartagine ſimila offertur, calorem amiſit. ita S. Greg. Ecce igitur quàm Deo placeat feruens zelus tam Dei quam animarũ, holocauſtum enim dicitur ſuauiſſimi odoris Domino.

S. Carpus. Congruentiſſimum quidem ad doctrinã confirmandam eſt exemplum S. Carpi, quod refert S. Dionyſ. Areopagita Epiſt. 8. in fine, vbi ſic narrat: Cum aliquãdo in Cretam veniſſem, me Carpus hoſpitio excepit, vir ſiquis alius propter magnam mentis puritatem ad cernendum Deum aptiſſimus; neque enim ſacros myſteriorum ritus aggrediebatur (hoc eſt ſacrificium Miſſæ) niſi prius ſacra & læta apparuiſſet viſio. Is quidẽ narrabat, cũ à quodam qui à fide noſtra abhorreret, offenſus eſſet eo quòd ille ab Eccleſia quendam ad impium cultũ traduxerat, cum benignam pro vtroque ad Deum precationem fundere neceſſe eſſet, & admonere eos per omne tempus vitæ, & ita eos ad Dei notitiã deducere, tunc tamen media quadam nocte, (ſolitus enim Carpus hoc tempore ad diuinas laudes vigilare) ſurrexiſſe quidem, irreligioſè doluiſſe & acerbè tuliſſe dicentem, æquum non eſſe viros impios viuere qui vias Domini rectas peruerterẽt. Quæ cum dixiſſet, commemorabat ſe viſum eſſe videre repente domum in qua ſtabat, primùm agitari, deinde à vertice in duas partes dimidias diuidi, & ante ſe rogum quendam magni luminis (& ſub dio locus ille eſſe videbatur) & è cælo ad ſe ipſum deferri; cælum verò apertum, & in conuexa cœli ſuperficie Ieſum aſſiſtentibus Angelis innumerabilibus in figura & ſpecie hominum, atque id quidem à cælo magna cum admiratione videri. Cũ autem Carpus oculos deorſum cõuertiſſet, cernere ſe dicebat terram ita diſceſſiſſe, vt obſcurus quidam & tenebricoſus hiatus exiſtere videretur, atq; homines quidẽ illos, quibus male precatus eſſet ante ſe ad os hiatus ſtare tremẽtes, & miſeros, & qui ferè præ ſuorũ pedũ inſtabilitate demergerentur, ab infiore autem parte hiatus angues ſerpere ſurſum, atque ad eorum pedes cum ſenſim mouerentur, interdum quidem trahere complicatos ſimul, interdum autem dentibus & caudis incendentes, & omni ratione agentes, vt eos in eam immenſam voraginem præcipites darent; fuiſſe etiam in medio viros quoſdam qui vna cum ſerpentibus homines illos inuaderent, exagitatione, pulſo, & percuſſione. Narrabat autem Carpus ſe voluptatem capere cum hæc aſpiceret inferiora, & grauiter ferre quòd nondum decidiſſent, atque in hanc rem cum ſæpe incubuiſſet, nec profuiſſet, & acerbè tuliſſe, & malè precatum eſſe. Cum autem via tandem cælum aſpiceret, vidit Ieſum ſicut priùs ibi ſtantem, quem ad miſericordiam id quod gerebatur commouebat, qui & ea ſolio ſurrexit, & ad eos deſcendit, & manum benignam porrexit; vidiſque ſimul Angelos qui vnà auxilium ferrent, & audiuit Ieſum dicentem Carpo, *Feri me iam. paratus ſum enim rurſus ſalutis hominum cauſa perpeti mortem, mihique hoc gratum eſt, dum alij homines non peccent; ſed vide nũ tibi vtile ſit, hanc in hiatu, & cum ſerpentibus manſionem manſioni cum Deo, & Angelis benignis, & hominum amantibus anteponere.* Hæc ſunt quæ ego audita vera eſſe credo, ita S. Dionyſius. vbi nota Carpũ perniciem illorum duorum hominum ſic deſideraſſe, motum zelo diuini honoris; amare verò Deum adeo ſalutem noſtram, vt nolit zelum honoris à zelo animarum ſeparari, inquantum fieri poſſit. Pondera etiam, *paratus ſum rurſus ſalutis hominum cauſa perpeti mortem*: & expende qualem Deus animarum zelum habeat, & diſce à Deo zelum generis tui, *&c.* Sit ille in ſecula benedictus.

Denique in hoc zelo ſalutis animarum dignoſcitur verus noſter amor in Deum. Vnde Chriſtus Dominus Ioan. 21. aſcenſurus ad Patrẽ dixit Petro: Ioan 21. 15 *Simon Ioannis, diligis me plus his?* ter Petrum Dominus ſic interrogauit, ſed quam ob cauſam? apertè oſtendit, addens; *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* quaſi diceret: In hoc amor in me tuus manifeſtabitur, ſi curam magnam geſſeris animarum ſalutis, & zelum eximium habueris earum. Vnde qui viderit peccantes, & non fuerit tactus cordis dolore ob eorum perditionem, nec remedium excogitauerit, quo à peccato proximos liberet, quomodo charitas Dei & proximi manet in eo?

FINIS.

